INSTITUTIONES CANONICÆ

REMIGII MASCHAT A S. ERASMO
CL. REG. SCHOLARUM PIARUM,

NOVISSIMIS PONTIFICUM CONSTITUTIONIBUS,
Summariis DECRETALIUM Omnium
CORRECTIONIBUS EX POSTERIORI JURE,
ET CONCILIO TRIDENTINO COLLECTIS,
Bullarum ad ejusdem Concilii Decreta spectantium Compendio aucta, & illustrata

AB UBALDO GIRALDI a S. CAJETANO
EX IISDEM SCHOLIS PIIS,
Apostolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Ecclesiastici Rectore.

PARS SECUNDA

Complectens Librum III. IV. & V. Decretalium.

FERRARIÆ MDCCLX.
SUMPTIBUS SOCIETATIS.

SED VENEUNT VENETIIS
APUD HÆREDES BALLEONIOS.

LIBER TERTIUS
DECRETALIUM GREGORII IX.
DE CLERO.

Judiciorum ordine absoluto, sequitur præsens liber, potissimam partem eorum continens, quæ spectant ad *res*, seu tertium objectum materiale juris; cujusmodi sunt causæ civiles beneficiorum, contractuum ultimarum voluntatum, Parochorum, Regularium, patronorum, Ecclesiarum, & aliorum hoc libro comprehensorum. Et quamvis materiæ istæ non paucæ communes sint etiam laicis, quia tamen principalius tangunt personas in sortem Domini vocatas, ideo præsens liber a potiori, & digniori inscribitur: *De Clero*.

TITULUS PRIMUS.

De vita, & honestate Clericorum.

AGitur de hac materia in Sexto, Clementin. & extrav. com. *h. t.* in Decreto *Can.* 1. *d.* 21. *Can.* 3. 21. *&* *seqq. d.* 23. *dist.* 35. 41. 43. 44. 86. 91. 92. *&* 12. *q.* 1. *&* 21. *q.* 4. item *de consecr. Can.* 35. *& seqq. d.* 5. In Trid. *sess.* 2. *c. sacrosancta v. & quoniam* & in Decret. Reform. *sess.* 14. *cap.* 6. *sess.* 22. *cap.* 1. *sess.* 23. *cap.* 4. *sess.* 24. *c.* 13. *sess.* 25. *cap.* 1. In Codice sparsim *tit. de Episc. & Cler. & in Nov.* 123. Quæ jura civilia, nisi concordent cum sac. Canonibus, auctoritatem non habent.

1. *Nota* 1. In omnibus quidem christifidelibus exigi vitam honestam, & opera bona, ex quibus glorificetur Pater cœlestis: maxime tamen honestatem vitæ desiderari in Clericis, quia *in eos, tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur*, Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* Porro honestas ista est duplex: *interna*, quæ consistit in statu gratiæ sanctificantis, & actuali exercitio virtutum theologicarum, & moralium; de qua hic non agitur. *Externa*, quæ consistit in decenti habitu corporis, & opere exteriori inculpabili: & de hac multa præcepta, præsertim negativa hic traduntur.

2. *Nota* 2. nomine *Clericorum* in ampla significatione venire eos omnes, qui in sortem domini vocati, peculiariter in Ecclesia Christi deserviunt *c.* 1. *cleros d.* 21. uti sunt majoribus, vel minoribus Ordinibus, imo & prima tonsura insigniti, Regulares utriusque sexus, etiam novitii, tertiarii in communi viventes, & eremitæ sub obedientia Episcopi alicui Ecclesiæ deservientes. Hæc ampla significatio Cleri plerumque locum habet in favorabilibus; at in obligationibus, pœnis, & aliis odiosis, nomine *Clericorum* veniunt soli Clerici seculares specialiter non qualificati, ut omnino non comprehendantur Episcopi, Prælati, Canonici, & Regulares, nisi ex mente legislatoris aliud constet, vel materia subjecta aliud suadeat, Fagnan. *lib.* 1. *Decret. in cap.* 3. *bonæ memoriæ num.* 12. Hic propter materiam communem, quæ de Clericis dicuntur, proportionaliter applicanda erunt S. R. E. Cardinalibus, Episcopis, & Regularibus, exceptis iis, quæ specialiter illorum dignitati, & statui attributa sunt, ut certus color, & forma habitus &c.

3. Q. I. *Quid spectat ad honestatem habitus clericalis?* Ante responsionem nota, nomine habitus latius accepti venire non solum vestem, sed & tonsuram Clericalem, ut ex Concil. Toletan. IV. *Can.* 40. hinc ℟. 1. Honestas habitus Clericalis consistit in tonsura, & veste Clericis propria, ita ut ex habitu exteriori primo aspectu Clericus discernatur a laico; secus percutiens Clericum veste clericali non indutum, justam habet ignorantiæ causam, *c.* 4. *de sent. excom.* nisi aliunde scivisset esse Clericum. Cum vero qualitas tonsuræ, & vestis Clericalis non sit determinata a Sac. Canonibus, desumenda erit ex rationabili consuetudine diœcesis, & præscripto Episcopi. Ea tamen, quæ modestiæ Clericali adversantur, specialiter hic prohibita referuntur. Unde.

4. Clerici non debent laxare comam more lascivo, vano, & fæmineo, nec barbam nutrire, *c.* 4. 5. *h. t.* nec ficto capillitio, vulgo peruciis, uti, nisi rationabilis causa, & dispensatio accedat, ut antea Inn. XII. & recenter Ben. XIII. in Conc. Rom. *c.* 3. *h. t.* prohibuit. ☞ *Quam dispensationem presbyteris actu celebrantibus Bened. XIV. in Instit.* 34. §. 4. *probat concedi non posse neque ab Episcopis, neque a legatis Sedis Apostolic.* ☜

2. Non debent uti veste nimis brevi, vel nimis longa, sed talari communiter recepta, non rubra, vel viridi, virgata, seu partita, hoc est, diversos colores, & acupicturas referente; nec manicis consutitiis, seu chirothecis, quæ filis aureis, argenteis, & holosericis distinctæ, & quasi consutæ sunt; nec sotularibus rostratis, seu calceis in formam rostri porrectis, lunatis, & cornutis; nec frænis, sellis, & pectoralibus, quibus equi ornantur, aut calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus: fibulas omnino non ferant, nec corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Ita hæc, & plura similia indecora prohibentur in Conc. Gener. Later. sub Innoc. III. relato *c.* 15. *h. t.* & in Viennensi relato in *Clem.* 2. *eod.*

5. An vero Clerici doctores portare possint annulum, dubitatur? Negantium sententia est juri conformissima: tum quia doctoratus non est dignitas Ecclesiastica proprie talis, sed quidam honor Clericis, & laicis communis, qui lato modo dicitur dignitas. *Clem.* 2. *de Magistr.* tum quia non omni, sed certis tantum dignita-

-gnitatibus jus ferendi annuli conceditur: quale jus doctoribus fuiſſe conceſſum nullo jure conſtat; tum quia inſtrumenta inveſtituræ doctoralis, inter quæ etiam eſt annulus, non ferunt ſecum uſum, alias Clericus deferre poſſet torquem aureum, cum & iſte ei tradatur; & Clericus, qui per ſceptrum inveſtitur de feudo, etiam ſceptrum deferre poſſet. Et hæ rationes evincunt, quod neque Clericus rector Univerſitatis deferre poſſit annulum, cum nec iſte habeat dignitatem Eccleſiaſticam, cujus juriſdictio proprie extendat ſe ad Clericos, niſi ſpeciale adſit privilegium contra *citat.* Conc. Lateran. quo concedatur uſus annuli.

☞ *Ceterum ex Decretis S. Rituum Cong. relatis a Bened. XIV. loco mox cit. hujuſmodi uſus interdictus eſt univerſis ſacerdotibus, licet protonotariis Apoſt. aut qualibet dignitate, & Canonici titulo præditis, etiam in cathedralibus, & metropolitanis, dum miſſam celebrant.* ☜

6. Q. II. *Qui Clerici obligentur ad tonſuram, & habitum clericalem?* ℞. 1. Omnes in ſacris conſtituti, & minoriſtæ beneficiati, *Clem.* 2. *h. t.* quam confirmat Trid. *S.* 14. *c.* 6. *de ref.* ſtatuens, ut tranſgreſſores ab Epiſcopo moniti, etiam generaliter per edictum publicum, primum ſuſpendi ab officiis, & beneficiis: ſi vero ſemel correpti, denuo in hoc delinquerint, etiam privari officiis, & beneficiis poſſint, & debeant. Quæ jura exaſperavit Sixtus V. Conſt. incip. *Cum ſacroſanctam* 1589. *die* 28. *Jan.* volens Clericos, non tantum jus in re, ſed etiam jus ad rem, ſeu ad beneficium, aut penſionem habentes, ipſo facto privari beneficiis, & talibus juribus, ſi habitum non deferant clericalem. Sed conſtitutio iſta non eſt ubique uſu recepta, & ideo non ſtringit Canonicos in Germania, qui in minoribus conſtituti actu non ſunt reſidentiales, nec ullos fructus participant. Neque locum habet in penſionariis laicam penſionem ab Eccleſia habentibus, ut declaravit idem Papa Conſt. *Paſtoralis.*

☞ *Vide notata Elench. VI. n. XXIII.* ☜

7. ℞. 2. Minoriſtæ non beneficiati abſolute non obligantur ad deferendum habitum, & tonſuram Clericalem, bene vero conditionate, ſi velint gaudere privilegio fori, cum inter alias conditiones, ſub quibus hoc privilegium conceditur, præcipua ſit delatio tonſuræ, & veſtis clericalis; ſecus, hac non ſervata, certo amittitur privilegium fori, *Clem.* 1. *h. t.* Trid. *S.* 23. *c.* 6. *de refor.* Quæ tamen jura, cum verſemur in materia odioſa, non extenduntur ad amiſſionem privilegii Canonis, ut docent Pignatelli, Garcias & alii contra Suar. Laym. &c. niſi conſuetudo aliud obtineat, vel Clericus per ſententiam privilegio Canonis privetur. At ſi Clericus habitum dimiſſum reaſſumat, recuperat privilegium fori, cum eo privatus fuerit tantum conditionate, donec habitum reaſſumat. *cit. Clem.* 1. *h. t.* ibi: *quamdiu præmiſſis inſtiterint.*

8. Q. III. *Quæ ſpecialiter prohibeantur Clericis, tanquam adverſa honeſtati clericali?* ℞. ſeqq. I. *Incontinentia*, & quidquid ſpeciem incontinentiæ præ ſe fert *c.* 13. *h. t.* nam decet miniſtros puriſſimo altaris miniſterio conſecratos puros eſſe. Ex quo capite prohibetur Clericis cohabitatio cum mulieribus *tit. ſeq.* ingreſſus in monaſteria Monialium ſub pœna depoſitionis *c.* 8. *h. t. c. un. pr. de regul. in* 6. & excommunicationis latæ ſententiæ, niſi adſit licentia Epiſcopi in ſcriptis data, Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de Regg.*

9. II. *Armorum delatio* ſub pœna excommunicationis ferendæ *c.* 2. *h. t. Clem.* 1. *eod.* nam Clerici ſunt milites cœleſtes, qui ſtudere debent orationi, & contemplationi, non digladiationi, & jaculationi. Religioſi autem intra ſepta monaſterii ſine licentia ſuperioris arma tenentes, ipſo facto excommunicati ſunt, *Clem.* 1. §. *quia vero de ſtatu monach.* Conſuetudo tamen permittit Clericis in itinere conſtitutis arma ad defenſionem neceſſaria deferre.

10. III. *Intemperantia*, ſeu crapula, & ebrietas, *c.* 14. *a crapula hoc tit.* quia omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt, *c. final. d.* 35. Ex quo capite Clerici non debent certare, potando ad hauſtas æquales; ſecus moniti, & non emendati, ab officio, & beneficio ſuſpendendi, *ibid.* nec accedere ad convivia, præſertim nuptialia, *c.* 19. *d.* 34. *c.* 6. *d.* 44. nec ingredi tabernas, niſi itineris neceſſitas excuſet *Can.* 2. *& ſeqq. d.* 44. *c.* 15. *h. t.* hæc enim, & his ſimilia temperantiam lædunt, animos ſecularium offendunt, & vilipenſionem ſtatus clericalis pariunt.

11. IV. *Avaritia*, & omne id, quod avaritiam ſapit. Ex quo capite non debent exercere uſuras ſub pœna excommunicationis *cap.* 2. *hoc tit.* nec quæſtum ſecularium negotiationum; ſecus ter moniti quoad bona ſua perdunt privilegium fori, *cap. fin. h. t.* nec munera, aut ſalaria accipere pro miniſterio judicandi, *c.* 10. *eod.* de quo egi *lib.* 1. *tit. de off. jud.* Denique abſtinere debent ab omnibus indiſcretis exactionibus, & divitiarum corraſionibus, ne, dum pecunia ſolicite quæritur, aurum charitatis amittatur, 12. *quæſt.* 1. *Can.* 26. *& ſeqq. &* 12. *quæſt.* 2. *Can.* 70. *& ſeq.* & alibi paſſim.

12. V. *Exercitia vilia*, & infamantia ſecundum morem patriæ. Ex quo capite non debent perſonaliter exercere officium carnificis, ſeu macellarii, tabernarii, nec agere joculatores, goliardos, buffones, ſeu mimos, & agyrtas, aut intereſſe ſpectaculis joculatorum, *cap. unic. hoc tit. in* 6. *Clem.* 1. *eod.* ſub pœnis ibi expreſſis: nec ludere aleis, ſeu taxillis, quo nomine venit omnis luſus magis fortunæ, quam artis ſubjectus, *c.* 15. *h. t. & Can.* 41. *Apoſt.*

13. VI. Ad honeſtatem Clericorum ſpectat cura, ne, quando ſacra myſteria celebrantur, laici ſtent, vel ſedeant inter Clericos ſecus altare, *cap.* 1. *h. t.* ne ludi theatrales fiant in Eccleſia, *c.* 12. *eod.* ne muſica vana, & laſciva in divinis officiis producatur, *Extr. un. Doct. h. c. int. com.* muſica tamen artificioſa, & gravis, ſtylo Eccleſiaſtico, utique longe diverſo a theatrali concinnata, non prohibetur, ut patet ex *cit. Extrav.* §. *fin. Per hoc autem*, ubi ratio additur, *cum hujuſmodi conſonantiæ auditum demulceant, devotionem provocent, & pſallentium Deo animos torpere non ſinant.* Cetera prohibita Clericis, ut venatio, factio teſtamenti, ſtudia medicinæ, & legum, alchymia, & alia ſuis titulis dicentur.

TITULUS II.

De cohabitatione Clericorum, & mulierum.

Agitur de hac materia in Decreto *diſt.* 32. *Can.* 5. 6. 16. & *ſeqq. diſt.* 33. *c. fin. diſt.* 34. *Can.* 1. & *ſeqq. diſt.* 81. *Can.* 13. & *ſeqq.* item in 18. *q.* 2. *Can.* 19. & 26. in Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 6. & *ſeſſ.* 25. *c.* 14. *de ref.*

1. In hoc titulo generaliter prohibetur Clericis cohabitatio, & familiaritas cum mulieribus quibuſcumque de incontinentia ſuſpectis; tum quia Clerici per tales mulieres in eandem incontinentiæ ſuſpicionem trahuntur; tum quia mulieres exurunt conſcientiam viri ſecum habitantis, S. Hier. *Can.* 17. *d.* 32. hæc tamen regula non eſt ſine exceptione. Hinc

2. Q. I. *Quibus mulieribus Clerici licite cohabitare poſſint?* ℞. 1. Conſanguineis in primo, & ſecundo gradu, uti ſunt mater, ſoror, avia, amita, matertera, neptis ex fratre, vel ſorore: ita Conc. Nicen. relatum *Can.* 16. *d.* 32. cum enim ipſa natura horreat conjunctionem inceſtuoſam, in his perſonis naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari, *c.* 9. *h. t.* Si tamen conſanguineæ iſtæ eſſent de incontinentia ſuſpectæ, neque his Clericus cohabitare poteſt; ſed ſi opus eſt, neceſſaria eis miniſtrabit in alia ſeparata domo *c.* 1. *h. t.* Porro eo caſu, quo Clericus licite cohabitat ſuis conſanguineis, etiam cohabitare poteſt earum ancillis, & pediſſequis; dummodo fœminæ iſtæ in diſcretis conclavibus maneant.

3. ℞. 2. Fœminæ extraneæ provectæ ætatis ſaltem 40. annorum, ſi ſint honeſtæ famæ, & nulla incontinentiæ ſuſpicione laborent, permittuntur cohabitare Clericis, ut habet plurium diœceſum conſuetudo, interpretans *cit. Can.* 16. *d.* 32. ibi: *aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones.* Cum vero fœminæ affines in *d. c.* non excipiantur, imo generaliter excludantur *c.* 31. *d.* 81. ſequitur Clericos eis cohabitare non poſſe, niſi, ut perſonæ extraneæ ab omni ſuſpicione incontinentiæ alienæ ſint; quales maxime videntur affines in primo gradu, ut noverca, nurus &c.

4. ℞. 3. Epiſcopi, & Prælati cohabitare poſſunt, ſicut alii Clerici, fœminis conſanguineis, & extraneis, nulla ſuſpicione laborantibus: nam Canon Nicænus *citat. cap.* 16. *dict.* 32. non excludit, ſed expreſſe com-

complectitur Episcopos. Interim consultius, & laudabilius est ad imitationem S. Augustini, ne Episcopus domi suæ ullam fœminam patiatur, sed necessaria subministret; tum ne Clerici in domo Episcopali scandalizentur; tum quia illæ, *quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt Can.* 25. *d.* 81. Quo sensu explicari etiam potest consultiva *Auth. Episcopo C. de Episc. & Cler.* ut ita jura ista concordent cum *Can.* 6. *d.* 77. & *cit. c.* 25. & 31. *d.* 81.

5. ℞. 4. Ad vitandam omnem suspicionem incontinentiæ statuunt SS. Canones, ne Clericus solus ad fœminæ tabernaculum accedat, vel solus cum sola fabulas, seu sermones misceat, etiam prætextu religionis, aut spiritualis colloquii, vel obsequii; sed similia fiant præsente alio Clerico, vel gravi christiano *c.* 20. 22. 26. 32. *distinct.* 81. qui Canones, regularibus institutis firmati, quam maxime a viris Religiosis observandi sunt.

6. Q. II. *Qui Clerici in jure censeantur concubinarii, & quæ pœnæ in eos statutæ?* ℞. *ad* 1. Concubinarius ille censetur, qui domi suæ, vel alibi extra domum, fœminam instar uxoris sibi associat, & cum ea assiduam consuetudinem habet. Et quidem quod forum internum, & sacramentale concernit, certum est concubinarium non posse absolvi a peccatis, nisi concubinam dimittat, & tollat proximam occasionem peccandi, ut patet ex propos. 41. ab Alexandro VII. & propos. 61. & 62. ab Innoc. XI. damnatis, de quibus plura TT. Morales. At quoad forum externum, & pœnas in eo debitas, concubinatus Clerici debet esse notorius notorietate facti, vel juris, seu plene probatus per testes, vel præsumptiones vehementes, seu violentas ex indiciis valde propinquis delicto.

7. ℞. 2. Modus puniendi Clericos concubinarios beneficiatos præscribitur a Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *de refor.* & quidem 1. Clericus monendus est personaliter; & si post primam monitionem non abstinuerit a concubinatu, ipso facto privatur tertia parte fructuum, Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitrio Episcopi applicanda. Hic tamen, cum versemur in pœnis, nomine *fructuum* non videntur venire distributiones quotidianæ, ut docent Garcias, Schmalz. & alii contra Barbos. *c.* 4. *h. t. n.* 5. Pirhing. &c. 2. Si post alteram monitionem Clericus non resipiscat, eo ipso privatur fructibus omnibus, dictis locis applicandis, & pro arbitrio Episcopi suspendi debet ab administratione beneficii: & si ita suspensus in eodem delicto perseveret, tunc officiis, & beneficiis privari, inhabilis ad ea reddi, & tandem si nec his pœnis emendetur, excommunicationis gladio plecti debet.

8. Colligitur autem ex verbis *cit. Trid.* quod privatio beneficiorum, suspensio ab administratione beneficii, & excommunicatio, sint pœnæ sententiæ ferendæ: privatio vero fructuum, licet ipso jure, & facto incurratur, non tamen stringat citius, nisi post sententiam declaratoriam criminis, quæ retrotrahitur ad tempus delicti; tum quia pœna vindicativa non obligat ante sententiam; tum quia in *cit. Trid.* ad exequutionem harum pœnarum requiritur ministerium Episcopi, vel alterius ordinarii.

9. ℞. 3. Clerici concubinarii non beneficiati, pro qualitate delicti puniendi sunt ab Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta SS. Canones.

10. ℞. 4. Episcopus, quod absit, si monitus a synodo provinciali, ab hujusmodi crimine non abstinuerit, ipso facto est suspensus; & si perseverat, a Papa Episcopatu privari potest. Et hæc est dispositio Trid. *loco cit.* qua jura antiqua corriguntur, vel potius determinantur, ut *Can.* 1. *d.* 34. *Can.* 12. *& seqq. d.* 81. *c.* 2. 4. 5. *h. t.*

11. Cum vero in *Trid.* pœna suspensionis ipso facto incurrenda, lata sit in solum Episcopum, cujus dignitas peccatum aggravat, recte infertur ceteros Clericos concubinarios non incurrere suspensionem ipso facto; maxime cum suspensio ista clare non colligatur ex jure antiquo *c. fin. h. t. c.* 5. *d.* 32. *c.* 12. 15. 16. 17. *d.* 81. Quilibet autem concubinarius Clericus incurrit suspensionem late talem, seu simplicem prohibitionem, quatenus jus naturale vetat eum sacris mysteriis operari, donec per pœnitentiam peccatum deleat: quo sensu procedit *cit. c.* 15. *d.* 81. *& c. fin. h. t.*

12. Q. III. *Quid juris circa judicium in crimine concubinatus?* ℞. 1. Judex in hoc judicio est solus Episcopus, non vero vicarius generalis, nisi id ei specialiter committatur; nec Archidiaconus, vel alius inferior, *Trid. cit. sess.* 25. *c.* 14. *de ref. c.* 2. *de offic. Vicar. in* 6. Nomine autem Episcopi venit quicumque Prælatus ordinarius plenissimo jure cum Clero, & populo exemptus: nam Trid. promiscue utitur nomine Episcopi, & Ordinarii. 2. Antequam Episcopus procedat ad pœnas, concubinatus debet plene probari, vel ex notorietate facti, vel per testes, & violentas præsumptiones, cum certæ pœnæ non debeantur nisi certo delicto. Si vero sola fornicatio probetur absque qualitate concubinatus, attento jure communi, dictæ pœnæ non habent locum, sed aliæ, quæ hodie plerumque sunt arbitrariæ pro qualitate delicti; licet Episcopus contra Clericum fornicarium, si monitus se non emendet, procedere possit ad privationem fructuum, & beneficiorum, suspensionem, aliasque pœnas conformiter *Can.* 12. *d.* 81. 3. Episcopus præmissis monitionibus supradictis, instituto processu summario sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta, plene tamen probato delicto, decernet pœnas a Trid. statutas; quarum exequutionem impedire, vel suspendere nulla potest appellatio, vel exemptio, cum respectu Clericorum exemptorum Episcopus procedat ut Sedis Apostolicæ delegatus, *Trid. loc. cit.* 4. Concubina Clerici pariter subjicitur judicio Episcopi, & condignis pœnis ab eo infligendis; nam concubinatus est crimen individuum, adeoque clericus reus trahit secum couream concubinam ad eundem judicem ecclesiasticum. In praxi autem judices laici solent procedere contra concubinas Clericorum; maxime si a judice ecclesiastico eorum auxilium imploretur. 5. Licet Episcopus cogere possit Clericum ad concubinam dimittendam, non tamen ad illam abjurandam, seu ad præstandum juramentum de illa non recipienda, *c.* 3. *h. t.* tum quia tale juramentum non est necessarium ad finem hujus correctionis: tum quia periculum est perjurii. Nec est paritas ex, *can.* 9. *ab isto* 35. *q.* 6. *& c.* 2. *qui Cleric. vel vov.* quia consensus internus, vel dissensus in matrimonio, aut hæresi non potest melius probari, quam delato juramento.

13. Q. IV. *An Clericus concubinarius vitandus sit in divinis officiis, & Sacramentis?* ℞. Cum distinctione, si concubinatus est occultus, non est vitandus Clericus, ne forsan ex mala suspicione illius fama minuatur; at si notorius est notorietate facti, vel juris, de jure antiquo vitandus erat; ut nec Missa ejus audiri, nec Sacramenta ab eo recipi potuerint, *c.* 7. *& fin. h. t. & can.* 5. 6. *d.* 32. Hodie autem non videtur vitandus, donec per sententiam judicis suspendatur ab officio, & talis denuntietur *arg. Const. ad evitanda* in Conc. Const. sub Mar. V. licet ceteroquin fideles, si notorium est clericum esse concubinarium, non sint cogendi ad Missam ejus audiendam, & Sacramenta ab illo recipienda.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

Agitur in hac materia in Sexto *h. t.* in Decreto *dist.* 27. 28. 31. 32. *& c.* 40. *ut lex.* 27. *q.* 1. in Trid. *sess.* 23. *c.* 6. §. *in clericis & c.* 17. *in fin. de refor.*

1. *Nota* Sacris ordinibus annexum esse cœlibatum, & votum continentiæ in Ecclesia latina; non utique jure naturali, aut divino, quod non probatur, sed solo jure Ecclesiastico, jam ab Apostolis tradito, ut meminit S. Paulus *c.* 1. *ad Tit.* ubi vult Episcopum esse continentem, & *can.* 25. *Apostolor.* Et quamvis olim Subdiaconatus certo computatus non fuerit inter ordines sacros; deinde tamen decreto Urbani II. relatus est inter ipsos, ut probat Innoc. III. *c.* 9. *de ætate, & qual.* at in Ecclesia græca conjugati ordinantur, eisque usus matrimonii est permissus, exceptis Episcopis: in sacris tamen constituti uxorem ducere non possunt, nec una virgine ducta, mortua, alteri copulari.

2. Q. I. *An clerici minoristæ licite matrimonia contrahant, & quid contracto matrimonio amittant?* ℞. 1. Minoristæ non tantum valide, sed per se etiam licite matrimonia ineunt: nam nullo jure obligantur ad cœli-

cœlibatum, imo expresse eis matrimonia permittuntur, *Can.* 7. 14. *d.* 22. *c.* 1. *h. t.* ex quibus explicatur *C.* 25. *Apostolor.* nam nomine lectorum, & cantorum veniunt omnes ministri in sacris non constituti. Nec obstat error privatus, quo quis judicaret his ordinibus annexum esse votum continentiæ, & illud emitteret; nam tale votum ex errore factum, & accessorie se habens non teneret: secus si quis per se, & principaliter voveret continentiam.

3. ℞. 2. Minorista, contracto matrimonio redditur inhabilis ad beneficia Ecclesiastica: ita *c.* 2. *h. t.* nam talis Clericus æquiparatur laico, qui non est capax beneficii Ecclesiastici, *c.* 17. *de rescript.* Si tamen Clericus monogamus Ecclesiæ deserviat, dari ei potest salarium, & pensio quasi laicalis; quo sensu explicatur *Can.* 3. *d.* 32. & alii similes.

4. ℞. 3. Minorista valide contrahens matrimonium, ipso jure, & facto privatur beneficiis antea habitis; ita com. sententia contra Rodriq. & paucos nam *c.* 1. *h. t.* Alex. III. dicit Clericos compellendos esse *ad relinquenda beneficia Ecclesiastica:* quæ verba significant beneficia a conjugatis vere non possideri, sed tantum de facto detineri, & conf. de facto solum iis sunt spoliandi, tanquam injusti detentores: quo sensu procedit *c.* 3. *h. t. Ratio* est, quia beneficia Ecclesiastica conceduntur Clericis sub conditione cœlibatus, ut clare colligitur ex *c.* 2. *&* 8. *h. t.* ergo, hac conditione deficiente, ipso jure resolvitur titulus beneficii absque ulla sententia condemnatoria: tum quia status conjugalis ex dispositione juris fingitur impossibilis cum statu clericali: nam per *c.* 5. *h. t. cithara cum psalterio*, seu vita conjugalis cum clericali *male concordat*; cum vir cogitet, quomodo placeat uxori; Clericus vero, quomodo placeat Deo; ergo assumpto statu conjugali, propter incompossibilitatem statim resolvitur status clericalis, puta quoad titulum, & effectum deserviendi Ecclesiæ. *Dices*; Amissio beneficii est quædam pœna; ergo ad eam requiritur sententia declaratoria saltem, si non condemnatoria. ℞. Cum contrahere matrimonium in minorista non sit peccatum, neque amissio beneficii est proprie pœna vindicativa, sed tacita renunciatio, seu negatio gratiæ sub conditione cœlibatus concessæ; ac proinde nulla requiritur sententia declaratoria, cui locus est in delictis.

5. ℞. 4. Si minorista ex aliquo defectu invalide contrahat matrimonium, ipso facto non amittit beneficium: nam jura *c.* 1. 2. &c. *h. t.* loquuntur de matrimonio cum effectu, vi cujus Clericus assumit statum incompatibilem cum beneficio, & compellitur *ad retinendam uxorem:* quod sane non verificatur contracto matrimonio invalido, sicut nec contractis sponsalibus. Interim attentatio ista matrimonii est causa sufficiens, ob quam Episcopus talem Clericum privare possit beneficiis. Nec obstant paritates a Garcia, Barbos. & aliis allatæ ex *c.* 3. *de transl. Episc. c.* 18. *de præb. c.* 4. *de Cler. resid. c. fin. de Cler. non ord. c.* 4. *de bigam.* & *arg. ex l.* 14. *ff. ad L. Corn. de Sicar. lib.* 5. *C. ad L. Jul. majest.* nam quod in his, & aliis expressis actus attentatus pari jure censeatur cum actu re ipsa completo, specialiter in jure provisum est: extensio autem ad nostrum casum, utpote odiosum non est facienda *arg. reg. odia in* 6.

6. ℞. 5. Clericus minorista conjugatus, si contraxit cum una, eaque virgine, si tonsuram, & habitum Clericalem defert, & ab Episcopo deputatus alicui Ecclesiæ deservit, gaudet privilegio fori, sed tantum in criminalibus criminaliter, vel civiliter intentatis: ita Trident. *Sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* renovans Constitut. Bonifacii VIII. *cap. unic. hoc tit. in* 6. quod jus ad causas civiles trahi, non mihi persuadet Engl. cum Papa expresse dicat: *in ceteris autem eos gaudere nolumus privilegio clericali*. Multo minus conjugati immunes sunt a gabellis, tributis, & aliis oneribus, neque gaudent privilegio competentiæ, & aliis similibus, nisi aliud habeat consuetudo. At si Clerici conjugati præscriptas a Trid. conditiones non servent, non gaudent privilegio fori clericalis. Bigami vero omnibus privilegiis clericalibus spoliati sunt.

Vide addita par. 1. *p.* 821. *col.* 2.

7. Q. II. *Quas pœnas incurrant Clerici in sacris constituti, attentantes contrahere matrimonium?* ℞. 1. Per suspensionem, & excommunicationem compellendi sunt ad agendam pœnitentiam *cap.* 1. *hoc tit.* imo ipso jure, & facto excommunicantur, *Clem. unic. de consanguin.* & ut tales denuntiari: peracta autem pœnitentia ab Episcopo absolvi possunt, cum excommunicatio ista non sit reservata Papæ. 2. Fiunt irregulares, in qua tamen irregularitate, si absit scandalum, dispensare potest Episcopus, *cap.* 1. 2. *qui Cleric. vel vov.* 3. In pœnam tanti delicti per sententiam privari possunt beneficiis, *can.* 2. 5. 9. *d.* 28. at ipso jure, & facto beneficiis non privantur, multo minus privilegio fori, aut Canonis, cum id nullo jure sit expressum; neque hic valeat extensio a minoristis ad Clericos in sacris: tum quia versamur in materia odiosa, in qua majoritas delicti non infert extensionem legis pœnalis; tum quia constitutus in sacro ordine, tantum attentat, non vero re ipsa assumit statum incompatibilem cum beneficio.

8. Q. III. *Quis possit cum conjugato dispensare ad beneficium?* ℞. Solus Papa, cum inferior jus commune relaxare non possit. Sic ex privilegio Papali quidam Clerici conjugati, præsertim Ordinum militarium, retinent pensiones Ecclesiasticas. At si monogamus mortua uxore, habitum, & tonsuram reassumat, redditur capax ad obtinenda beneficia, quia sublata causa, tollitur effectus.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* in Decreto 7. *q.* 1. in Trid. *S.* 6. *c.* 1. *&* 2. *de ref.* addita declar. & Bulla Pii IV. incip. *in suprema*, & motu proprio ejusd. Papæ, item *S.* 7. *c.* 3. *S.* 13. *c.* 1. *pr. S.* 21. *c.* 3. *S.* 22. *c.* 3. *S.* 23. *c.* 1. *S.* 24. *c.* 12. *de refor.*

1. *Nota* 1. In Clericis præter vitæ honestatem, & continentiam, insuper requiri exactam officii sui exequutionem, quæ fit per residentiam in beneficio. *Residentia* est assidua commoratio in loco beneficii causa officii Ecclesiastici personaliter præstandi: ita in re comm. Unde patet ad residentiam duo præcipue requiri. 1. *Incolatum assiduum*, non physice, sed moraliter; nam *qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt*, Trid. *S.* 23. *c.* 1. *de ref.* 2. *Personalem præstationem*, seu impletionem servitii Ecclesiastici; nam residentia non debet esse pure materialis quoad corpus locatum, sed formalis, seu cum effectu, ut residens personaliter præstet servitia suæ Ecclesiæ, ad quæ obligatus est *c.* 3. 4. *h. t.*

2. *Nota* 2. Quod residentia est duplex; *vera* per realem præsentiam, & *ficta* per interpretationem juris, dum beneficiatus ex justa causa absens habetur pro præsente in sua Ecclesia, *c.* 13. *&* 15. *h. t.* Porro necessitas residendi vel est *absoluta*, dum Clericus sub gravi obligatione tenetur adesse, & personaliter Ecclesiæ deservire, ut in beneficiis curatis; vel *conditionata*, dum Clericus non aliter obligatur adesse, nisi sub conditione, si certos fructus lucrari velit; ut contingit in quibusdam Canonicatibus.

3. Q. I. *Quo jure residentia sit introducta?* ℞. 1. Residentia Episcoporum, & curatorum est juris divini, saltem in thesi, seu genere: ita comm. sententia contra Ambros. Catharinum, & quosdam alios, qui in Conc. Trid. residentiam juris Ecclesiastici esse contendebant; & ideo quæstio ista insoluta mansit. Prob. Episcopi, & curati jure naturali, & divino tenentur oves suas pascere, Joann. ultim. *pasce oves meas*. 2. *Timoth.* 4. *v.* 27. *tu vero vigila*, *Actor.* 20. ibi: *attendite vobis, & universo gregi* &c. & insinuat Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de refor. cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere* &c. Sed nisi Episcopi, & curati resideant in sua Ecclesia, non possunt oves suas pascere, & officium pastorale debite implere; ergo sicut jure divino tenentur ad pascendum oves, ita eodem jure tenentur ad residendum: quod licet non deciderit Tridentinum, tamen satis clare id insinuavit, cum ex præcepto pascendi intulerit præceptum residendi. Sive autem præceptum hoc sit divinum, sive Ecclesiasticum, gravissime tamen obligat pastores ad residendum,

ne per ipsorum absentiam, & negligentiam animæ pretioso Christi sanguine redemptæ, detrimentum salutis patiantur. Dicitur autem *in thesi*, quia determinatio residentiæ in particularibus circumstantiis pertinet ad potestatem Ecclesiasticam.

4. ℞. 2. Residentia Clericorum beneficia curata non habentium est juris Ecclesiastici: ita omnes: nam nullum jus divinum reperitur, ex quo talis residentia colligatur, sed Ecclesia solum talibus Clericis beneficia, & fructus eorum concedit sub conditione, si personaliter resideant, Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *a v. præterea de refor. c.* 8. *h. t. c. fin. de rescr. in* 6. Sub hac tamen dispositione non veniunt *Præstimonia*, seu subsidia temporalia, cum non sint proprie beneficia; ac proinde, licet quis ratione eorum obligetur ad horas Canonicas, vel officium B. V. non tamen ad residentiam.

5. Q. II. *An præceptum residendi relaxari possit per dispensationem, vel consuetudinem*? In beneficiis simplicibus non est dubium, cum residentia in eis sit tantum juris Pontificii. Tota quæstio est in beneficiis curatis, quia præceptum divinum residendi non videtur facto humano mutari posse: nihilominus ℞. 1. In præcepto residendi Papa, vel alius Superior hac potestate pollens, dispensare potest ex justa causa: ita com. cum praxi, & S. D. 2. *q.* 185. *a.* 5. Prob. ex *c.* 7. *& seq. h. t.* Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de ref.* ubi talis dispensatio generaliter permittitur ex justa causa. Ratio est, quia residentia curatorum non est juris divini absoluti in hypothesi, & pro omni circumstantia, sed in thesi, seu genere, & conditionate, si justa causa non suadeat absentiam; ergo si talis causa adsit, Papa dispensare poterit in residentia; cum Papæ sit determinare particulares circumstantias, in quibus necessaria sit, vel non sit residentia pastoris; sicut Papa varie determinat privilegium fori Clericalis: & per hoc satisfit rationi dubitandi. *Dices*: repugnat etiam juri naturali, ut grex relinquatur sine pastore; ergo. ℞. Dist. antec. sine pastore saltem vicario, qui æque bene, vel melius gregi prodesse possit, conc. ant. sine pastore principali, neg. ant. Ut grex christianus aliquem pastorem habeat, hoc est juris divini indispensabilis, quod dicimus jus div. in thesi: ut vero in omni circumstantia proprium pastorem principalem habeat, hoc non est juris divini; cum potestas Ecclesiastica determinare possit, quibus casibus proprius pastor abesse valeat.

6. ℞. 2. Consuetudo saltem immemorialis justæ causæ innixa potest curatum excusare a residentia personali; dummodo cura animarum exerceatur per vicarium æque, vel magis idoneum: ita Abb. Pignat. Schmal. cum citt. contra Fagn. *c.* 8. *h. t. a n.* 22. & contra alios, licet hi re ipsa non videantur dissentire: nam privilegio Apostolico id fieri potest; ergo & consuetudine immemoriali, quæ æquiparatur tali privilegio. Instantia habetur in vicariis perpetuis, qui sicut a jure, ita etiam ex consuetudine permitti possunt. Excipe consuetudines irrationabiles, quæ justa causa a residentia excusante carent, vel ratione quarum substituuntur vicarii minus idonei, & non approbati ab Episcopo; tales enim consuetudines, gregi noxiæ, potius sunt corruptelæ.

☞ *Quoad immemorabilem consuetudinem non residendi respectu choro addictorum, notanda est sequens Pontificia declaratio emanata ann.* 1573. *& registr. lib.* 1. *Decr. Cong. Conc. pag.* 33. *a tergo* -- SS. D. Noster etiam ex sententia Sac. Cong. Conc. declaravit immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus: in collegiatis autem non insignibus posse excusare; dum tamen sunt rurales prorsus destitutæ, & in quibus numquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere; aut quæ adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos, aliunde non habentes, unde vivant, alere non possint. ☜

7. Q. III. *Qui, & quomodo obligentur ad residendum*? ℞. 1. Episcopi, & his superiores, parochi, vicarii perpetui, & generaliter omnes, quibus incumbit cura animarum, uti etiam Abbates, & alii Prælati regulares, cum & isti suorum religiosorum sint pastores, tenentur personaliter residere in sua Ecclesia de jure divino, ut supra dictum, *c.* 2. 3. &c. *h. t.* Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de ref.* ne grex mercenariis commissus, per eorum absentiam detrimentum patiatur. Monet autem *cit.* Trident. ne Episcopi (idem dic de aliis curatis) *Dominicis adventus, quadragesimæ, nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere pastoris præsentia oves debent, ab Ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint* &c. Vi hujus residentiæ tenentur personaliter exercere ea, quæ sunt sui officii; puta pro ovibus suis sacrificium offerre, verbum divinum prædicare, Sacramenta administrare, pauperum, & miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere, Trid. *ibid.* quo præcepto stringuntur etiam Prælati regulares, ut suis religiosis, qui non sacrificant, saltem in majoribus festivitatibus sacram communionem ministrent, infirmis extremam unctionem, & viaticum conferant; nisi hæc ultima commodius per alium religiosum fieri possent. Similiter Parochi non sunt plerumque tuti in conscientia; si, ipsi desidia torpentes, omnia per vicarios suos faciant; cum hoc non sit residere cum effectu; *c.* 30. §. *quia vero; de Præb.*

8. ℞. 2. Dignitates, personatus, Canonici cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ tenentur personaliter residere in sua Ecclesia, & vi hujus residentiæ tenentur assistere in choro, psallere, & ea, quæ ad cujusque spectant officium, personaliter exequi: ita de jure com. *sess.* 24. *c.* 12. *de refor.* ibi: *omnes vero divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia.* Sed hoc jus cum tanto rigore non est ubique receptum; ut videantur excusari Canonici in certis Germaniæ Ecclesiis, si præsentes in choro non psallant, sed submisse recitent horas Canonicas, vel quandoque per vicarium intersint; dummodo cultus divinus per hoc non minuatur. Consultius tamen est, ut Canonici psallant ad præscriptum Trid. & vocem in laudem Dei attollere non erubescant.

☞ *Ex Constit. Benedicti XIV.* 19. *Augusti* 1744. Cum semper, *ad universos Italiæ Ordinarios* §. 24. *choro addicti, licet præsentes sint, non tamen una cum aliis alta voce psallentes, præbendarum, ac distributionum fructus suos minime faciunt, & ad eorum restitutionem tenentur, quavis consuetudine in contrarium non obstante; nisi forte illis præsto sit legitimum, ac vigens Apostolicum privilegium.*

Ex Decretis Congreg. Conc. per extensum relatis ab eodem Pontifice in suis Institut. Ecclesiast. Instit. 107. §. 3. *notandum, quod ex cit. Trident. Decreto, non est eis sublata facultas se se invicem substituendi; dummodo eodem tempore substituens, & substitutus eidem servitio adstricti non sint; & dummodo substituentes non sint absentes a civitate, ejusque suburbiis: neque ea abutantur: licet ad substituendum causa non requiratur. Qua tamen facultate uti nequit coadjutor.* ☜

9. Q. IV. *Quanto tempore beneficiati abesse possint a suis Ecclesiis*? ℞. 1. Episcopi ex justa causa, licet non sit gravis, a sua diœcesi abesse possunt singulis annis per duos, aut ad summum tres menses, continuos, vel interpolatos; modo id fiat absque detrimento gregis. Si autem per longius tempus abesse volunt, duo requiruntur copulative: justa causa, & licentia danda a Papa, vel Metropolitano, vel hoc absente a seniori Suffraganeo, nisi justitia causæ esset notoria; quo casu ipsum jus dat licentiam, Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *a v. quoniam de ref.* Idem dic de Prælatis plenissime exemptis cum clero, & populo.

10. ℞. 1. Parochi, & alii curati abesse possunt per duos menses continuos, vel interpolatos; & tunc requiritur copulative justa causa, & licentia in scriptis ab Episcopo obtenta; maxime si ultra bimestre absentia sit protrahenda, substituto interim vicario idoneo ab Episcopo approbato: ita clare disponit Trid. *loc. cit. a v. eadem omnino*: ut non sit audiendus Navarrus cum aliis, docens ad bimestrem Parochi absentiam non requiri licentiam Episcopi, sed sufficere justam causam. At si absentia sit modica, v. gr. per sex, vel septem dies, vi consuetudinis receptæ non solet peti licentia Episcopi; præsertim si is procul distet, sed sufficit sola justa causa, & consensus vicarii foranei: quo casu Parochus substituet vicarium idoneum sibi bene visum, alias ab Episcopo approbatum, vel vicinum Parochum; si is etiam absentis Parochiæ satisfacere possit: in his enim consuetudo optima legum inter-

pres ſpectanda eſt; hoc ſemper attento, ut gregi nullum detrimentum inferatur.

11. ℞. 3. Canonici cathedralis, aut collegiatæ abeſſe poſſunt per tres menſes continuos, vel interpolatos, etſi nulla juſta cauſa interveniat: at pro longiori tempore requiritur licentia Superioris, & juſta cauſa: unde Canonici ſingulis annis novem menſibus reſidere tenentur, niſi ſtatuta Eccleſiæ longius tempus requirant, Trident *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *a verſ. præterea de reform.* Huic tamen juri per ſpecialia ſtatuta a Sede Apoſtol. confirmata derogatum eſt in multis Germaniæ Eccleſiis, in quibus tempus reſidentiæ ad ſemeſtre, & quandoque brevius, reſtrictum eſt: quo jure ſpeciali ſtante, Canonicus diſpenſatus ad duos Canonicatus, utrique reſidendo ſatisfacere, & fructus percipere poteſt: ſecus, ſi Canonicatus uterque requirat reſidentiam novem menſium ſecundum jus commune, diſpenſatus non percipiet fructus ex utroque, ſed in optione habet reſidendi in alterutro, & ex eo fructus percipiendi; niſi ſimul diſpenſatus fuiſſet in obligatione reſidendi.

Ex Decr. Sac. Congr. Conc. relatis a Bened. XIV. cit. Inſtit. 107. *reſidentia debet eſſe nedum in civitate, locove, in quibus ſita eſt choro addictorum Eccleſia, ſed in perſonali ſervitio ejuſdem Eccleſiæ. Neque abſentia contingere debet tempore Quadrageſimæ, & adventus, neque in amplioribus anni ſolemnitatibus. Neque itidem hæc trimeſtris ſpatium excedere poteſt, licet fiat intermiſſis diebus; qui tamen ſimul collecti toto anni ſpatio, & in unum numerum redacti dictum trimeſtre ſuperent. Pro hac trimeſtris abſentia non opus eſt Epiſcopi licentia niſi forte fiat extra diœceſim: & ſuffragatur ad lucrandos quidem præbendarum fructus, non vero quotidianas diſtributiones. Verum non omnes ſimul abeſſe poſſunt, ne Eccleſia ſuo debito ſervitio deſtituatur.*

12. Q. V. *Quæ ſint pœnæ non reſidentium?* ℞. 1. Epiſcopi, etiamſi ſint Cardinales, ultra tres menſes ſine juſta cauſa, & licentia abſentes a ſua diœceſi, præter reatum peccati mortalis, fructus non faciunt ſuos pro rata temporis abſentiæ, eoſque in conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, tenentur fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare, nullo pacto, vel privilegio in contrarium obſtante: ita Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* ubi corrigitur, vel potius exaſperatur pœna dictata in *ſeſſ. 6. c.* 1. *v. ſi quis de ref.* Quod ſi hac pœna non emendetur Epiſcopus, debet illum Metropolitanus, & hunc ſenior Suffraganeus, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, denuntiare Romano Pontifici, pro qualitate delicti ab eo puniendum, Trid. *cit. ſeſſ. 6. c.* 1. *de ref.* Inſuper ita abſentis Epiſcopi bona, ſi in hac abſentia moriatur, per modum ſpolii cedunt Cameræ Apoſtolicæ ex Conſt. Pii IV. *In ſuprema*, & altera: *Cum tam*, quæ interſeruntur Trident. *ſeſſ. 6. poſt c. 2. de ref.* Hujus autem ſpolii exequutor ibi decernitur Auditor Cameræ Apoſtolicæ.

13. ℞. 2. Parochi, & alii curati, ſi ultra duos menſes ſine juſta cauſa, & licentia Superioris abſint, pro rata abſentiæ, præter reatum peccati mortalis fructus non faciunt ſuos eodem modo, quo Epiſcopi, Trident. *cit. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *a v. eadem omnino de ref.* Quod ſi hac pœna non moveantur, Ordinarius contra eos libere procedere poteſt per cenſuras, ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia uſque ad privationem beneficii, ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaciter non redierint: quo caſu cum delictum ſit notorium, in quo non requiritur ordo juris *c. 2. de jurej.* Epiſcopus abſentem contumacem beneficio privare, & illud alteri idoneo conferre poteſt, ita ut exequutionem iſtam nulla pacta, privilegia, & conſuetudo etiam immemorialis impedire poſſit. Trident. *ibid.* Expedit tamen, ſi ſciatur, ubi beneficiatus moretur, & non nimis procul diſtet, ut perſonaliter per nuncium, vel litteras moneatur; ſecus per tria edicta publica, vel unum peremptorium, antequam privatio beneficii decernatur.

14. ℞. 3. Canonici, vel alii portionem, aut præbendam in Eccleſia obtinentes, ſi ultra tres menſes ſine debita licentia abſint, primo anno privandi ſunt dimidia parte fructuum, ſecundo anno omnibus fructibus; & creſcente contumacia, ſi legitime moniti non redierint, proceditur contra eos uſque ad privationem beneficii. Trid. *ſeſſ. 24. c. 12. a v. alioquin de refor.* conformiter *c.* 8. 10. 11. *& fin. h. t.* His tamen pœnis non ſubjacebit beneficiatus, qui ſine cauſa receſſit, & deinde abſenti ſupervenit impedimentum, ut peſtis, infirmitas &c. ob quod redire non poteſt, niſi ceſſante impedimento, recidat in contumaciam.

Circa pœnam non reſidentium attendendum eſt Congr. Conc. Decretum relatum ab eodem Bened. XIV. in cit. Inſtit. 107. Quæritur I. An durante triennio præſcripto a Sac. Conc. c. 12. ſeſſ. 24. de refor. poſſit adverſus obtinentes in cathedralibus, aut collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, eoſque non reſidentes procedi ad ſuſpenſionem juxta diſpoſitionem cap. - Ex tuæ - de Cleric. non reſident. & quatenus affirmative. II. An id poſſit etiam poſt inchoatam viam procedendi a Concilio præſcriptam. Sacra &c.

Ad I. Reſpondit affirmative. Ad II. pariter affirmative reſpondit, excluſa privatione.

Ulterius ex altero Decr. ejuſdem Cong. 24. Maji 1674. *ibid. relato ſubjacent pœnis non intereſſentium pro rata abſentes etiam per primum tantum nocturnum, aut in diebus ferialibus per ſex pſalmos, contraria conſuetudine non obſtante.*

Circa reſidentiam Epiſcoporum vide Conſt. dict. Bened. Ad univerſæ 3. *Sept.* 1746.

15. ℞. 4. Prælati Regulares, cum ob votum paupertatis ſibi non acquirant, non puniuntur privatione fructuum, ſed aliis pœnis ſecundum ſtatuta regularia: & merito quidem, quia per illorum abſentiam plerumque labefactatur diſciplina regularis, ut omnino, ſi diutius, vel ſæpius ſine legitima cauſa abſint, non excuſentur a reatu peccati mortalis ex *cit. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de ref.*

16. Q. II. *Quæ ſint juſtæ cauſæ excuſantes a reſidentia?* ℞. Sequentes quatuor a Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *v. nam cum de refor.* allatæ: 1. *Chriſtiana charitas*; ut ſi quis abeat ad componendas inimicitias inter Principes, vel Reſpublicas, vel ad converſionem certi populi, vel ad ſuccurrendum alteri neceſſitati ſpirituali: quibus tamen caſibus opus eſt licentia Superioris: & ſi Parochus ultra annum abfuturus eſt, probabiliter requiritur licentia Papæ, ut docent Barboſ. Fagnan. in *c. fin. de magiſtr. a n.* 17. II. *Urgens neceſſitas*, ut infirmitas, vel peſtis, ratione cujus aer eſt mutandus; graves inimicitiæ cum plebe, aut domino loci, obſtaculum, quo quis prohibetur redire ad ſuum beneficium &c. Parochus tamen tempore peſtis recedere non deberet, quia ejus præſentia neceſſaria videtur ad ſolatium Parochianorum; ſi tamen adſint viri Religioſi idonei, qui pro ſalute peſtiferorum exponunt animam ſuam, excuſatur Parochus a perſonali adminiſtratione Sacramentorum, & probabiliter etiam a reſidentia; at in defectu aliorum Sacerdotum idoneorum tenetur deſervire ex juſtitia Parochianis juxta illud *Joann.* 10. *v.* 11. *bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*. De quo plura vide in Engl. a *num.* 17.

Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. diœc. c. 19. *n.* 2. *& ſeq. ex decreto Congr. Conc. approbato a Greg. XIII. oſtendit non licere Parocho a reſidentia loco abſcedere tempore peſtis, licet ſint alii Sacerdotes, qui accedente licentia Epiſcopi, vices ejus adimpleant.*

III. *Debita obedientia*: Ex qua cauſa a reſidentia excuſantur beneficiati Sedi Apoſtolicæ deſervientes *c.* 14. *h. t.* duo Canonici Eccleſiæ cathedralis in ſervitio Epiſcopi occupati *c.* 7. 15. *h. t.* & Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *in fin. de reform.* quæ jura non extenduntur ad Parochos, & Canonicos Eccleſiæ collegiatæ; ac proinde hi in ſervitio Epiſcopi occupati non excuſantur a reſidentia, nec fructus faciunt ſuos, niſi adeſſet magna neceſſitas, eo quod nullus ex Canonicis cathedralis ſit idoneus ad miniſterium præſtandum Epiſcopo. *Ratio* eſt, quia jus ideo permittit duos Canonicos Eccleſiæ cathedralis deſervire Epiſcopo, quia Canonici iſti faciunt idem corpus cum Epiſcopo; ac proinde ſervitium impenſum Epiſcopo cedit immediate in utilitatem cathedralis: quæ ratio non currit in Parochis, & Canonicis Eccleſiæ collegiatæ. Et ſimiliter, quia ratio iſta deficit, juri conformius videtur, quod Canonici cathedralis deſervientes Legato Apoſto-

lico

lico in provincia residenti, non excusentur a residentia propria, nisi consuetudo jura ista aliter interpretetur. Multo minus beneficiati in ministerio Principum secularium occupati excusantur a residendo, nisi accedat privilegium Sedis apostolicæ. IV. *Evidens Ecclesiæ, ac reipublicæ utilitas*, ut si Clericus eat ad synodum, ad comitia electionum, ad persequenda jura Ecclesiæ, vel si fungatur munere oratoris, aut legati *c. 19. de appell. & Gloss. ibid. v. in legatione*. Causa studiorum, cum utilitatem Ecclesiæ concernat, est causa sufficiens dandi licentiam Clerico beneficiato, ut in scholis publicis Theologiæ, & sac. Canonibus vacare possit *cap. 4. & 12. h. t.* Et quidem privilegium hoc excusans a residentia discentibus conceditur per annos quinque (imo Parochis per annos septem, dummodo Subdiaconatum suscipiant *c. 34. de elect. in 6.*) magistris vero, quamdiu docuerint in scholis publicis theologiam, & Sac. Canones, cum sint quædam portio theologiæ: ita *c. fin. de magistr.* Et quia hoc jus antiquum non apparet correctum per Trid. *S. 23. c. 1. de refor.* sed potius roboratum *S. 5. cap. 1. de refor.* ibi: *docentes vero ipsam S. Scripturam &c. & S. 6. c. 2. de refor.* ibi: *indulgentiis vero*, inferunt quam plures DD. adhuc hodie probabiliter excusari Parochos a residentia, si in scholis publicis theologiam doceant, & conf. fructus sui beneficii facere suos, contra Garciam, & Fagnan. docentes contrarium ex quibusdam declarationibus, & responsis Pontificiis; cum de his non constet authentice; & videntur fundari in concursu præscripto a Trid. *S. 24. c. 18. de reform.* & ideo non censeri facere jus commune, præsertim in diœcesibus Germaniæ; ubi beneficia raro per concursum conferuntur.

☞ *Declarationes Cong. Conc. in dubium revocari nequeunt Parochis scilicet post Trident. indulta, absenti causa studiorum tam in docendo, quam in vacando studio S. Scripturæ & juris Canonici in publicis universitatibus non suffragari, neque Episcopos facultate sibi a Sac. Canonibus tributa has licentias, concedendi quoad dd. Parochos amplius frui non posse, cum revera reperiantur extensæ lib. I. decretor. ejusdem Cong. pag. 46. lib. VIII. pag. 129. & 140. a tergo, & lib. XVI. pag. 292. vide Elencho I. n. VI. & Elencho VI. n. V.* ☜

17. V. Si aliqua ex his quatuor causis occurrat, Clericus licite abesse potest, etsi fecerit juramentum de residendo *c. 13. h. t.* nam tale juramentum in materia juris factum recipit interpretationem a jure communi, & ipso jure imbibitam habet hanc conditionem: *nisi justa causa a residendo excuset*. Nec obstat *c. 7. de jurej.* nam tunc juramentum implendum est in forma specifica, dum fit in gratiam tertii, & is damnum pateretur, si tantum ficte, & non vere impleretur; hic autem Ecclesia nullum damnum patitur, quia in beneficio curato ei providetur per vicarium æque, vel magis idoneum: in beneficio vero simplici tunc tantum præsentia beneficiati requiritur, dum jus ejus absentiam non cohonestat.

18. VI. Privilegium non residendi deficit, dum Ecclesia ex absentia privilegiatorum notabile detrimentum, & diminutionem cultus divini patitur, *cap. pen. h. t.* nam ex mente Papæ concedentis nunquam privilegia ista extenduntur ad illum casum, quo Ecclesia talibus privilegiis notabiliter prægravatur. Unde etiam Canonici eo tempore, quo licite abesse possunt, non omnes simul, sed successive absentiam eligere debent, ne per hoc cultus divinus in Ecclesia minuatur. Ex his solvitur Trid. *sess. 6. c. 2. v. indulgentiis de refor. c. 15. h. t. reg. 17. in 6. arg. l. 25. ff. de adopt. & l. 9. ff. de obseq. & l. 1. cum seqq. ff. si advers. libert.* nam jura ista procedunt in iis casibus, quibus privilegia, & actus non redundant in damnum Ecclesiæ, & diminutionem cultus divini. Sic privilegium decimandi cessat, si beneficiatus non habet, unde sustentetur *c. 9. de decim. &c.*

19. VII. Aliæ causæ, præter relatas *a Trid.* non excusant a residentia v. g. peregrinatio devotionis causa, studia litterarum profanarum, tempus longissimum 40. annorum, quo Canonicus servivit Ecclesiæ, nisi speciale adesset privilegium Sedis Apostolicæ.

☞ *Vide Elencho VI n. LXIX.* ☜

Nec hic urget paritas ex *l. un. C. de Professor. qui in U. CP.* De novitiatu Religionis est dubium: quidam asserunt, novitium lucrari fructus grossos, cum causa Religionis favorabilior sit, quam causa studiorum, & contineatur sub causa Christianæ charitatis, quæ prior est erga se ipsum, quam proximum: tum quia privatio fructuum decreta est in eos, qui cum reatu peccati mortalis absunt: novitius autem abest ex causa honesta, a jure approbata, licet specifice in Trid. *S. 23. c. 1. & S. 24. c. 12. de refor.* non exprimatur. Alii vero negant, ducti ea ratione, quod causa ista specifice non sit expressa in jure. Prior opinio videtur probabilior, & favorabilior.

20. Q. VII. *Quales fructus obveniant Clericis residentibus? Ante resp. nota* in capitulo dari *mensam communem*, quæ complectitur universos fructus capituli inter Clericos dividendos; fructus autem isti sunt duplices: *annui*, seu *grossi*, qui dantur propter annuam residentiam, & simpliciter dicuntur *fructus prabendæ*, seu *prabenda c. 9. de Const. & distributiones quotidianæ* (seu *præsentiæ*, *victualia*, seu *fructus Canonicales*) quæ dantur propter interessentiam in choro, seu divino servitio, & favore divini cultus conservandi, & augendi introductæ sunt, *c. un. h. t. in 6.* Trid. *S. 21. cap. 1. de refor.* In materia odiosa nomine fructuum absolute veniunt fructus grossi, seu annui, non vero distributiones, *arg. reg. odia. in 6.*

21. ℞. 1. Fructus annui obveniunt Clericis residentibus: at distributiones quotidianæ solis interessentibus in choro, seu divinis officiis. Prima pars habetur in Trid. *cit. S. 23. c. 1. S. 24. c. 12. de refor.* & de ficte residentibus *c. 7. 14. 15. h. t. c. fin. de Magistr.* nam justum est, ut qui Ecclesiæ deservit, ab Ecclesia sustentetur. Secunda pars habetur in *c. un. h. t.* Trid. *S. 24. c. 12. distributiones, de refor.* nam distributiones istæ institutæ sunt, ut Clerici invitentur ad exercenda divina officia propter conservandum, & augendum cultum divinum; ergo non debentur, nisi his, qui actu physice intersunt divinis officiis. Unde ficte residentes, seu ex legitima causa absentes, licet lucrentur fructus grossos, non tamen distributiones quotidianas (exceptis casibus infra referendis) sed hæ accrescunt interessentibus; neque absentibus remitti, aut condonari possunt, ne sub spe remissionis detur Canonicis occasio se absentandi a choro, Trid. *S. 21. c. 3.* & *S. 24. c. 12. de refor.*

22. ℞. 2. Causæ, ob quas absentibus dantur distributiones quotidianæ, sunt tres expressæ in *c. un. h. t. in 6.* scil. 1. *Infirmitas*, 2. *justa, & rationabilis corporis necessitas*, ut in valetudinariis, decrepitis, injuste incarceratis, aut excommunicatis; vel qui propter periculum mortis non audent ad Ecclesiam proficisci &c. at juste incarceratis, & juste excommunicatis non prodest hoc privilegium, ut colligitur ex *c. 53. in fin. de appell.* hi enim suæ culpæ imputare debent, quod a divinis impediantur. Nec est paritas ab infirmo, qui causam dedit infirmitati; quia infirmitas absolute excusat ab interessentia; incarceratio vero, vel excommunicatio, quatenus est justa, & rationabilis necessitas, qualis utique non est in eo, qui ob culpam juste incarceratur, vel excommunicatus est. Insuper requiritur, ut infirmi, vel alias corpore impediti, dum sani erant, consueverint frequentare divina officia; Pirhing. Covar. & alii. 3. *Evidens Ecclesiæ utilitas*, ut si absens jura Ecclesiæ, capituli, aut beneficii defendat, vel nomine Ecclesiæ legatione fungatur, aut eat ad Concilium: vel si eo tempore, quo divina peraguntur, actu quis in suo officio sit occupatus, sicut vicarius generalis; vel si Canonici ex officio suo assistant Episcopo in alia Ecclesia pontificanti: & probabiliter etiam, si Canonicus eo tempore missam legat, quo cantantur horæ, maxime si id habeat consuetudo &c. Ceteræ causæ non prosunt ad lucrandum distributiones quotidianas, ut occupatio in servitio Papæ, aut Episcopi, & similes *c. 7. h. t. c. 32. de præb. c. fin. de rescr. in 6. S. 24. c. 12. de refor.* nisi adesset privilegium Apostolicum, vel fructus annui consisterent in his distributionibus. An vero Canonicus ex privilegio obtinens duas præbendas in eadem Ecclesia, v. g. præposituram, & Canonicatum, obtineat pro una interessentia duplicatas distributiones, standum est consuetudini.

☞ *Ex Decretis Cong. Conc. relatis a Bened. XIV. Inst.*

Inst. 107. neque Episcop. neque capitulum condonare possunt quotidianas distributiones iis, qui ab Ecclesiæ servitio absfuerint; & si acceperint, suas non faciunt, sed ad earum restitutionem omnino cogantur.

Quoad distributiones vero dandas absentibus ratione infirmitatis, quorum favore videnda sunt plura ejusdem Sac. Cong. Decreta ibidem relata §. 8. Notandum est illud de cæco, cui debentur, etiam si memoriter recitare possit horas in choro, & non recitet, neque intersit; immunisque est, nedum a missarum celebratione in collegiata, sed etiam ab onere alium suo loco pro hac celebratione substituendi.

Quoad distributiones dandas injuste carcere mancipatis ex aliis Cong. Decretis ibid. relat. injustitia carcerationis constare debet ex favorabili judicis sententia, quæ transierit in rem judicatam; etiamsi hæc munita fuerit clausulis, vel - tamquam non repertus culpabilis - vel - ex hactenus deductis - vel - non molestetur - non vero si munita fuerit clausula - ex quo satis -

Quoad distributiones dandas absentibus ob evidentem Ecclesiæ utilitatem ex decretis ibid. relatis, illas lucrari possunt I. Canonicus Theologiæ ea die, qua legit. II. Pœnitentiarius ea hora, qua actu confessiones audit, sive in confessionario, sive extra. III. Canonicus deputatus ab Episcopo ad audiendas confessiones loco pœnitentiarii. IV. Canonici, seu beneficiati, quibus annexa est cura animarum actu eam exercentes, & Sacramenta ministrantes tempore divinorum officiorum. V. Canonicus absens ob visitationem Sacror. liminum tempore accessus, mansionis, & regressus; sive solus mittatur ab Episcopo, sive eum in dicta visitatione comitetur: pro qua tamen peragenda assignatum est tempus trium tantum mensium. VI. Ex privilegio Clementis XI. ut ex ejus bullario p. 547. absentes occasione exercitiorum spiritualium peragendorum tamen de licentia Episcopi in æde aliqua Regularium, ut dixi Elencho III. n. XXI. non vero tempore quadragesimæ, adventus, vel in festis magis solemnibus: hæc tamen non sunt peragenda ab omnibus simul, & eodem tempore. Vide alios exemptos dicto Elenc. III. cit. n. XXI. - VII. Si qui liberi, & immunes a choro declarati sunt, quique coadjutorem sibi adlegerunt, licet hic præsens non sit ratione infirmitatis, sive intra, sive extra locum, ubi sita est collegiata, quo casu coadjutus etiam liber est a servitio.

Notandum vero ex aliis Decretis ejusdem S. C cit. loc. relatis non deberi absentibus distributiones. I. De emolumentis anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes. II. Nec pœnitentiario tempore, quo residet in confessionario, confessiones non audiens; aut quo missam celebrat, vel privatim officium recitat; etiamsi id faciat, ut opportunius confessiones audiat. III. Nec canonico, aut beneficiato Episcopum in visitatione diœcesis comitantibus. IV. Nec inservientibus eidem Episcopo missam privatim celebranti (secus si pontificaliter) aut quodcumque aliud munus obeunti; licet Episcopus in vim cap. - De cetero - hoc tit. eos pro suo servitio adhibere possit, sive ii sint ex cathedrali, sive ex collegiata; non plures tamen, quam duos; & dummodo annexam non habeant curam animarum, aut non sint coadjutores. Verum tamen est hos, sicuti & comitantes Episcopum in visitatione diœcesis lucrari posse duas partes distributionum, si redditus omnes præbendæ constarent tantum dictis distributionibus. V. Nec deberi vicario generali Episcopi. VI. Nec examinatori synodali, etiam vocato ad interessendum examini pro Parochialibus Ecclesiis, vel pro collatione Ordinum. VII. Nec inquisitoribus, seu ministris Sac. Inquisitionis. VIII. Nec ministris generalis Cameræ Apostolicæ, v. g. subcollectoribus spoliorum, decimarum &c. IX. Nec visitantibus devotionis causa Ecclesiam Lauretanam, ac Angelorum de Assisio, aliaque loca pia. X. Nec Canonicis, aliisque cathedralium, & collegiatarum Ecclesiarum officialibus, qui in iisdem habent capellanias, chorum dimittentibus tempore divini officii, ut pœnitentiæ Sacramentum administrent, aut devotionis gratia missam celebrent in dictis Ecclesiis: excepto casu, quo a Superiore iis injungatur, ut eo tempore celebrent: qui tamen ex mandato Sacr. Cong. abstinere debet ab hujusmodi jussu XI. Nec tandem magistris juris Pontificii, aut Sacr. Theologiæ, & has facultates addiscentibus: qui tamen cum indulto lucrari possent duas partes distributionum, si eorum præbendæ fructus nulli sint, vel valde exigui. Et notandum est, quod ex Decreto Innocen. XII. ut in ejus bullario pag. 262. hoc indultum non confertur studentibus XXV. annum jam attingentibus, neque ultra triennium: qui Pontifex 15. Martii 1692. mandavit insuper idem indultum illis non suffragari, nisi Ordinario loci, & in actis ipsius cancellariæ præsentetur intra tempus a Secretario Congr. Conc. præfigendum: & hujusmodi indultum numquam a Sac. Cong. confertur coadjutoribus. ✠.

Hactenus de obligationibus, & officiis Clericorum: nunc de bonis, ex quibus Clerici sustentandi sunt; uti sunt præbendæ, & beneficia: & de modis, quibus ad beneficia promoventur; uti sunt collationes, & institutiones: & de potestate Prælati, & capituli.

T I T U L U S V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

Nota 1. ex hac rubrica colligi præbendam in rigore differre a dignitate: nam præbenda est beneficium inferius annexum Canonicatui; dignitas vero est beneficium majus. Hic paulo latius agitur de præbenda, & dignitate, prout convertuntur cum beneficio Ecclesiastico, a cujus ratione excluditur præbenda temporalis, quæ datur laico, vel Clerico pro temporali servitio Ecclesiæ impenso; ut cantori, advocato, æditui &c.

2. Nota 2. In beneficio Ecclesiastico duo distingui jura: scil. jus officii, quod formaliter, & per se est spirituale, dans potestatem exercendi actus spirituales; ut administrandi Sacramenta, eligendi &c. alterum est jus præbendæ, seu beneficii stricte accepti, quod est formaliter, & per se temporale, dans potestatem ad exigendos fructus temporales. At quia hoc jus præbendæ auctoritate Ecclesiastica annexum est officio spirituali, cum beneficium detur propter officium, ideo etiam jus præbendæ dicitur spirituale connexive, seu consequenter: adeo ut jus officii, & jus præbendæ, ubi unita, & connexa sunt, nulla potestate, nisi papali separari valent Can. 1. & seqq. 1. q. 3.

3. In hoc sensu Præbenda est jus perpetuum auctoritate Ecclesiastica constitutum, ad percipiendos fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter officium spirituale Clerico destinato: ita in re com. Ex qua definitione constat, ad rationem beneficii tres principales requiri qualitates, scil. 1. Ut sit erectum auctoritate Ecclesiastica, Papæ, vel Episcopi. Unde laicus fundans certa anniversaria, pro quibus Clerico stabiles redditus assignat, non facit præbendam, sed piam donationem. 2. Ut sit annexum officio spirituali, & conf. soli Clerico, non laico a Superiore Ecclesiastico conferibile. Ex quo capite pensiones laicales, quæ dantur ministris Ecclesiæ, ut æedituis, musicis, & similibus, non sunt beneficia; cum pensiones istæ non sint annexæ officio clericali. 3. Ut sit perpetuum non tantum quo ad se, sed etiam quoad beneficiatum; ita ut ei auferri nequeat sine causa per Sac. Canones approbata. Unde beneficia titulata, seu in titulum perpetuum collata proprie sunt beneficia, c. fin. d. 70. ibi: in qua Ecclesia quilibet titulatus est, in ea perseveret. Cujusmodi sunt non tantum Episcopatus, dignitates, Parochiæ, sed etiam vicariæ perpetuæ: item commendæ, pensiones, præstimonia, hospitalia; modo hæc omnia sint collativa in titulum perpetuum. E contra beneficia manualia, quæ ad tempus plerumque indeterminatum conferuntur, in rigore non veniunt nomine præbendæ, seu beneficii; cum eis desit perpetuitas in beneficiario: at in communi usu dicuntur beneficia, quatenus ex parte sui perpetuitatem habent, licet beneficiatus pro arbitrio collatoris revocari possit; ut accidit in beneficiis regularibus. Canonicatus vero per se est officium, non præbenda, c. 9. h. t.

4. Nota 3. beneficia late sumpta varie dividi: 1. In simplicia, & duplicia. Simplex est, quod obligat ad servitium altaris, vel assistentiam in choro, absque ulla speciali qualitate; uti sunt pleræque capellaniæ, & pensiones titulatæ. Canonicatus vero ob præcellentiam Canonicorum dicuntur beneficia simplicia majora: &

in

in materia odioſa, & in reſcriptis proviſoriis non veniunt nomine *beneficii ſimplicis*, *c.* 4. *de præb. in* 6. *Duplex*, eſt, cui aliqua ſpecialis qualitas adjuncta eſt; ut ſunt: *dignitas*, cui annexa eſt juriſdictio pro foro externo, & adminiſtratio proprie talis. *Perſonatus*, cui annexa eſt ſola præcedentia, v. g. in choro, in proceſſionibus, in votationibus &c. *Cura*, ſeu *beneficium curatum*, cui annexa eſt cura animarum, & juriſdictio pro foro interno, non externo; ut ſunt Parochiæ, vicariæ, & commendæ perpetuæ Eccleſiarum parochialium. *Officium* ſpecifice, cui annexa eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum ſine ulla juriſdictione, & præeminentia; uti eſt officium Primicerii, cuſtodis, ſacriſtæ, *Officium* vero generice acceptum vagatur per omnia beneficia; cum omni beneficio annexum ſit officium ſpirituale a Clerico præſtandum. Rurſum *dignitates* aliæ ſunt *minores*, ut Archidiaconatus, Decanatus cathedralis, ſaltem in Germania, Præpoſituræ, Abbatiæ, & aliæ prælaturæ tam ſeculares, quam regulares; ut Generalatus, Provincialatus, Rectoratus, ſive alio quocumque nomine vocentur. Aliæ ſunt *majores*, ſeu *culmina dignitatum*, ut Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Primatia, Patriarchatus, & Cardinalatus, Papatus vero eſt apex omnium dignitatum. 2. Dividitur beneficium in *electivum*, quod per vota capitularium, accedente Superioris confirmatione, aut admiſſione, acquiritur; uti ſunt in Germania dignitates paſtorales. Illa autem beneficia, quæ conferuntur per electionem ſine confirmatione Superioris, non tam electiva, quam collativa ſunt, cum electio ad ea facta vim habeat liberæ collationis. Sic in certis Eccleſiis eliguntur Decani, Archidiaconi &c. *Collativum*, ſeu *liberum*, quod a Superiore Eccleſiaſtico libere confertur, & independenter ab ulla præſentatione, nominatione, & electione. Ex his beneficiis beneficia curata etiam juriſpatronatus Eccleſiaſtici per concurſum conferri præcipit Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de refor. Patronatum* eſt, quod ad præviam patroni præſentationem confertur ab Epiſcopo. 3. In *ſecularia*, quæ Clericis ſecularibus; & *regularia*, quæ Religioſis conferenda ſunt juxta tritum brocardicon; *Secularia beneficia ſecularibus, & regularia regularibus conferenda ſunt* ex *c.* 37. & 38. *de elect.* 4. In *titularia* ſimpliciter, quæ conferuntur in titulum perpetuum; & *manualia*, quæ conferuntur quidem in titulum, ſed revocabiliter; ita ut pro arbitrio conferentis revocari poſſint; uti pleraque ſunt regularia. Si tamen collata ſunt ad tempus indeterminatum, ſaltem Clericis ſecularibus, honeſte non revocantur ſine juſta cauſa; cum revocatio ſine cauſa cenſeatur irrationabilis. 5. Dantur præterea varia beneficia, ut *patrimonialia*, quæ conferenda ſunt idoneis perſonis ex certa familia, aut civitate, vel natione. *Monocula*, dum Superior unicum tantum beneficium conferendum habet. *Parochia*, ſeu *rectoratus Eccleſiæ*; *commenda*, ſeu *Eccleſia commendata*, quæ ſuo Parocho deſtituta, interim alterius Clerici curæ committitur, ſeu commendatur. *Vicaria perpetua, & temporalis*, de quibus dictum *lib. I. tit. de off. vicar. Præſtimonia*, quæ ſunt certa ſtipendia ex bonis Eccleſiaſticis detracta: & quidem ſi dantur Clericis in titulum perpetuum propter officium ſpirituale, ſunt beneficia proprie dicta; ſi vero ex alia cauſa dentur, v. g. pauperibus ſtudioſis, aut Clericis, vel pugnantibus pro fide, vim habent eleemoſynæ, & penſionis laicalis. Sic explicatur *c. fin. pr. de conceſſ. in 6. Capellania*, quæ habet onus celebrandi miſſas annuas in certa capella, ſeu altari: ſi collativa eſt in titulum perpetuum, numeratur inter beneficia, vel ſaltem, ſi erecta ſit auctoritate Epiſcopi. At ſi erecta eſt auctoritate laicali, non venit nomine beneficii; & ideo in pacto circa talem capellaniam non eſt ſimonia, ut ait Gonz. ad *reg.* 8. *cancell.* atque ita per tres conformes ſententias judicatum fuiſſe. His præjactis, in hac ampliſſima materia beneficiali, de qua præ ceteris fuſe tractat Garzias, meliora, & diſcentibus utiliora proponentur: 1. De erectione, & conſtitutione beneficiorum. 2. De collatione. 3. De pluralitate. 4. De reſervatione eorumdem. 5. De primis precibus Imperatoris.

☞ *Circa concurſum, & examen habendum pro collatione beneficiorum Parochialium, præbendæ theologalis, & pœnitentiarii vide additiones ad Titulum VII. de inſtitutionibus poſt n. 7.* ☜

§. I.

De erectione, unione, diviſione, diſmembratione, & ſuppreſſione beneficiorum.

5. Q. I. *Quid ſit erectio beneficii, & quid juris circa illam?* ℞. *ad* 1. Erectio beneficii eſt actus legitimus, quo redditus annui conſtituuntur Clerico propter officium ſpirituale, ſeu miniſterium in exequendo cultu divino: ita in re comm. & patebit ex dicendis. ℞. *ad* 2. Ad erectionem beneficii requiritur. 1. Conſenſus expreſſus Epiſcopi, qui in dubio præſumitur legitime adfuiſſe, ſi Eccleſia extructa, & dotata eſt. 2. Congrua dos pro alendis miniſtris Eccleſiæ. 3. Locus decens, & congruus, ut talis erectio non ſit aliis præjudicioſa; quia non decet unum altare diſcooperire, ut cooperiatur alterum. 4. Ut erectio iſta fiat ex fine cultus divini, quem intendit officium clericale. 5. Ut fundator beneficii non apponat conditiones reprobatas a Sac. Canonibus. Honeſtas tamen conditiones, & poſſibiles poteſt apponere, licet adverſentur juri communi, v. g. ut Canonicatus conferatur in ætate minori, quam requirat Tridentinum; vel ut conferatur alicui ex certa familia &c. Hæ tamen conditiones, poſtquam ſemel firmatæ ſunt conſenſu Epiſcopi, nec a fundatore, nec ab ejus ſucceſſore mutari poſſunt in præjudicium Eccleſiæ, & miniſtrorum ex *reg.* 33. *in* 6.

6. Q. II. *Quid ſit, & quot modis fieri poſſit unio beneficiorum?* ℞. *ad* 1. Unio iſta eſt duorum, vel plurium beneficiorum adunatio a legitimo Superiore facta. Si beneficia adunantur in perpetuum, eſt proprie dicta unio; ſi vero ad tempus, & in favorem beneficiarii, eſt unio improprie talis. ℞. *ad* 2. Unio beneficiorum fieri poteſt tribus modis: 1. *Confuſive*, dum duæ Eccleſiæ confunduntur in unam, ut Canonici, ſeu miniſtri hujus Eccleſiæ ſint etiam Canonici, ſeu miniſtri alterius. Quo caſu jura, & privilegia utriuſque Eccleſiæ mutuo confunduntur; vel ſi incompatibilia ſint, meliora reſervantur, ceteris rejectis. 2. *Æque principaliter*, dum duæ Eccleſiæ uniuntur ſub eodem rectore; ita ut quælibet ſervet ſuam naturam, jura, privilegia, & ceteras qualitates. Unde effectus hujus unionis fere unicus eſt, quod idem ſit rector utriuſque Eccleſiæ; cetera vero diſtincta, & inconfuſa maneant. 3. *Acceſſorie*, dum Eccleſia minus principalis per annexionem adunatur principaliori, ejuſque naturam, jura, & qualitates participat ex *reg. acceſſorium in* 6. Unde ſi Eccleſia non exempta acceſſorie uniatur exemptæ, evadit exempta. Porro ut diſcernatur, qualis ſit unio, inſtrumentum unionis inſpiciendum erit. Hæc verba: *Eccleſiam A. unimus, incorporamus Eccleſiæ B.* ſignificant unionem acceſſoriam: iſta vero; *Eccleſiam A. & Eccleſiam B. inter ſe unimus*, ſignificant unionem æque principalem. Quia vero uniones odioſæ ſunt, cum per illas diminuatur cultus divinus, *c.* 5. *h. t.* ideo reſtringi debent; & in dubio cenſenda eſt unio æque principaliter facta.

7. Q. II. *Quis, & qua forma unire poſſit beneficia?* ℞. *ad* 1. Papa ex generali adminiſtratione habet ampliſſimam poteſtatem uniendi beneficia: imo præter illum nullus inferior unire poteſt Eccleſias cathedrales. Inferiora autem beneficia unire poteſt Archiepiſcopus, & Epiſcopus in ſuis diœceſibus, modo non ſint exempta: capitulum cathedrale, ſede vacante; cum unio iſta ob neceſſitates Eccleſiarum ſit juriſdictionis neceſſariæ; Legatus a latere extra Germaniam, cum per, *c.* 1. *de off. leg. in* 6. beneficia conferre poſſit, & *c.* 4. *eod. in antiq.* prohibeatur ei ſola unio Eccleſiarum cathedralium. At Vicarius generalis, vel Prælatus inferior ſine ſpeciali mandato Epiſcopi non poteſt unire Eccleſias, *c.* 8. *de exceſſ. Prælat.* Ceterum Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 4. & *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de refor.* prohibet temporales uniones ad vitam beneficiati; quia proprie non ſunt uniones Eccleſiarum, ſed re ipſa conceſſiones plurium beneficiorum; neque hoc modo providetur Eccleſiis, ſed perſonis. Item *Clem. fin. de reb. Eccl. non al.* prohibetur Epiſcopus, & conſ. etiam capitulum, menſæ ſuæ aliquod beneficium unire, ne factum proprium videatur auctorizare.

☞ *Ex Conſtit. Bened. XIII.* Paſtoralis 14. *Kal. Jun.* 1725. *Epiſcopi poſſunt, & debent unire beneficium ſimplex*

plex primo vacaturum in quocumque mense, & qualitercumque, ac quomodocumque Sedi Apost. affectum, & reservatum, præbendæ tam Theologali, quam pœnitentiali jam erectæ, vel erigendæ in cathedralibus Italiæ & insularum adjacentium ad conficiendam summam, si alias desit, scutorum LX. monetæ Romanæ pro qualibet ex dictis præbendis. Excipiuntur tamen ab hujusmodi unione omnia ea beneficia, quæ pro Cardinalibus, Nunciis Apost., & Prælatis a secretis Congregationum, quibus Cardinales intersunt, reservata fuerunt ab eodem Pontifice in Constit. Creditæ 9. *Maji* 1725. *pro seminariorum erectione. Vide notata Elencho VI. n. III. part. I. pag.* 443. *XXI.*

8. ℞. *ad* 2. Ad formam unionis beneficiorum spectant: 1. Justa causa *necessitatis*, ut si Ecclesia unienda sit pauper, vel desolata ab hostibus, pauco populo constans &c. aut *magnæ utilitatis*; ut si desint Clerici idonei, qui Ecclesiæ, præsertim cathedrali, deservire velint. Secus unio sine justa causa facta non valet, arg. ducto ab alienatione rerum minoris, *l.* 5. §. 15. *ff. de rebus eor.* quo casu etiam rescriptum papale unitivum censetur subreptitium, cum preces veritate non nitantur. 2. Sufficiens cognitio, & discussio hujus causæ. 3. Expressio annui valoris utriusque Ecclesiæ, ex *reg.* 21. *cancell.* 4. Citatio eorum, quorum interest, ut patroni, Prælati, & aliorum, qui in Ecclesia unienda præsentationem, administrationem, vel aliud jus habent: nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet ex *reg.* 29. *in* 6. consensus autem rectoris beneficii non requiritur; quia unio ante vacationem Ecclesiæ non sortitur effectum. Dum Episcopus procedit ad unionem, requiritur consensus capituli; cum unio ista sit quædam species alienationis, *Clem. fin. de reb. Eccl.* Ceterum, si justa causa subsit, Papa auctoritate sua solemnitates istas supplere potest. Super unione facta ad faciliorem probationem confici solet instrumentum; quia unio, cum sit facti, probari debet per litteras, & his amissis, per testes, diuturnitatem temporis, confessionem partis &c. Idem autem qui unire, etiam dissolvere potest unionem Ecclesiarum ex *reg.* 1. *in antiq.*

9. Q. III. *Quæ beneficia, & quibus uniri possint?* ℞. 1. Duæ Parochiæ inter se vicinæ facilius uniri possunt, quia citra incommodum ab uno rectore administrari valent. 2. Beneficium regulariter uniri non debet, nisi beneficio. Unde, teste Corrado, Cancellaria Apostolica maluit beneficium supprimi, ut proventus ejus cederent pro paramentis altaris, quam illud uniri altari. Excipe collegia pia, hospitalia, & seminaria propagandæ fidei, & juventuti instruendæ destinata, quibus uniri possunt beneficia saltem simplicia ex Trid. *sess.* 23. *c.* 18. *de refor.* 3. Beneficia curata non debent uniri Abbatiis, dignitatibus, collegiis, seminariis &c. Trident. *ibid.* & *sess.* 24. *c.* 13. *de ref.* Unde Parochiæ unitæ monasteriis, vel erant incorporatæ ante Trid. vel post illud cum auctoritate Papæ, vel forsan consuetudo, & necessitas temporum uniones istas cohonestavit. 4. Beneficia unius diœcesis non sunt unienda beneficiis alterius diœcesis, Trid. *sess.* 14. *c.* 9. *de reform.* nec collativa libera patronatis, Trid. *sess.* 25. *c.* 9. *v. insuper. de refor.* nisi patronus renuntiet juri patronatus.

10. Q. V. *Quid sit divisio, dismembratio, & suppressio beneficii?* ℞. *ad* 1. Divisio seu sectio beneficii est actus legitimus, quo auctoritate Superioris ob justam causam ex uno beneficio fiunt duo, vel plura *c.* 26. *h. t.* si scil. idem rector non possit obligationibus talis beneficii satisfacere, & proventus sufficiunt pro duobus rectoribus alendis. ℞. *ad* 2. Dismembratio est ablatio partis fructuum ex uno beneficio ad alterum ex justa causa, & auctoritate Episcopi, quatenus tali beneficio aliter provideri non potest, *c.* 10. *h. t.* a sens. contr. ℞. *ad* 3. Suppressio beneficii est totalis extinctio beneficii, omniumque jurium ei cohærentium ex justa causa, ut tenuitate proventuum, ex quibus ministri ali non possunt, *c.* 22. *de Const.* Trid. *sess.* 24. *c.* 15. *de refor.* ubi permittit Episcopis talem suppressionem beneficii, saltem quod non est dignitas. In his omnibus requiruntur solemnitates pro alienatione præscriptæ, citatio eorum, quorum interest, licet Episcopus, stante justa causa, dividere possit beneficia, *etiam invitis rectoribus.* Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de refor.*

§. II.

De collatione beneficiorum.

Hic agitur de *collatione libera*, dum collator pro arbitrio suo potest dare beneficium huic, vel illi Clerico, independenter ab alterius præsentatione, vel nominatione, vel electione: ob quod etiam talis collatio vocatur donatio, *c. fin. de off. vicar. in* 6. & *c.* 5. *de concess. præb.*

11. Q. I. *Qui possint conferre beneficia?* ℞. *seqq.* 1. Papa per totam Ecclesiam, tanquam supremus ordinarius pastor *c.* 2. *h. t. in* 6. idque vel *jure concursus*, seu *cumulative* cum aliis Ordinariis, quo casu locus est præventioni; vel *jure anticipationis*, seu *præventionis*; dum Papa præveniendo vacationem beneficii, dat mandatum, seu gratiam expectativam de illo conferendo; vel *jure devolutionis*, dum jus conferendi devolvitur ad Papam ob culpam, vel negligentiam inferiorum collatorum, *c.* 18. *de elect. in* 6. *vide lib.* 1. *tit.* 10. *n.* 2. Jure concursus, & præventionis raro utitur Papa, ne perturbationes oriantur; sed juri reservationis est locus, ut infra dicetur. 2. Episcopus confirmatus, licet consecratus non sit, conferre potest omnia beneficia suæ diœcesis, nisi specialiter excepta sint: ita *Can.* 4. *regenda*, 10. *q.* 1. & *Can.* 10. *cum seq.* 16. *q.* 7. *c.* 16. *de off. ord.* &c. Quæ jura fundant intentionem Episcopi; ita ut asserens collationem beneficii ad se pertinere, teneatur id probare ex privilegio, vel præscriptione quadragenaria cum titulo, & immemoriali sine titulo, *c.* 1. *de præscr. in* 6. licet contra alium non Episcopum sufficiat præscriptio quadragenaria cum titulo præsumpto, cum inferiori, seu non Episcopo ordinario jus positive non assistat. Idem dic de Prælato plenissime exempto cum Clero, & populo, cum in jurisdictione æquiparetur Episcopo. 3. Capitulum de jure communi conjunctim cum Episcopo confert canonias, & dignitates, ita ut Episcopus unam vocem habeat, & capitulum alteram *c.* 15. *de concess. præb.* Sed in hoc plerumque attenditur consuetudo, & statuta particularia cujusque Ecclesiæ: nam Canonici alicubi conferunt, eligendo *conjunctim*, seu capitulariter; alicubi per *turnum*, seu circulum, ita ut singuli Canonici alternatim conferant in certis mensibus. Item *jure singulari*, dum jus conferendi annexum est certæ dignitati, vel Canonicatui. Si aliter cautum non est, servari debet const. Bonif. VIII. *c. un. ne sede vac. in* 6. Et quidem, si collatio præbendarum communiter spectat ad Episcopum, & capitulum, mortuo Episcopo, vel per censuram impedito, capitulum conferet, & suspenso capitulo, conferet Episcopus: secus si collatio libera ad solum Episcopum spectet, licet cum consilio, vel assensu capituli; tunc enim conferet futurus Episcopus. *At* collationes necessariæ, seu institutiones ad patroni præsentationem, sede vacante, fiunt a capitulo, seu vicario generali capituli; quia hæc collatio est jurisdictionis necessariæ, quæ transit in capitulum, *c. un. de M. & O. in* 6. Quid vicarius generalis Episcopi possit, dictum fuit *lib. I. tit. de off. vic.* 4. Legatus a latere, nisi per concordata impediatur, sicut in Germania, in collatione beneficiorum concurrit cum Ordinariis, ut locus sit præventioni *c.* 31. *h. t. in* 6. & S. R. E. Cardinales tantum ex privilegio, & limitate conferunt beneficia suorum titulorum; cum de jure talis collatio spectet ad Papam, ut urbis Episcopum. 5. Si qui alii beneficia conferre possunt, id ex privilegio, vel præscriptione habent. Laici vero, secluso speciali privilegio Apostolico, sicut incapaces sunt possidendi jus spirituale, ita quoque ex nulla consuetudine, vel præscriptione conferre possunt beneficia; *c.* 5. *de jure patr.* ubi ratio additur: *quia pro nondato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare.*

12. Q. II. *Cui possit beneficium conferri?* ℞. Clerico habenti qualitates a Sac. Canonibus præscriptas, ita ut eum commendet *ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum scientia c.* 7. *de elect.* & *Can.* 4. *d.* 23. ubi ratio additur: quia *melius est Domini Sacerdoti*, seu Episcopo, *paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.* De qualitatibus

tibus eligendorum, & præficiendorum dixi *lib.* 1. *tit.* 6. *&* 14.

☞ *Circa concursum, & examen promovendorum ad Parochiales, vide infra tit. VII. de institut. post numer.* 7. ☜

Unde ℞. 2. Beneficia secularia conferri possunt novitio Religionis: nam novitius adhuc est sui juris, neque novitiatus compatibilis est cum beneficio: at beneficia regularia, quæ jurisdictionem cum administratione habent, nequeunt conferri novitio, *c.* 49. *de elect. & c.* 28. *eod. in* 6. quia in magistrum assumi non debet, qui formam discipuli vix assumpsit. Contra, beneficia regularia nullam administrationem habentia conferri possunt novitio; modo is professionem velit emittere: ita de jure novo Trid. *S.* 14. *c.* 10. *de refor.* ℞. 3. Spectato jure communi, parochia secularis conferri potest Religioso absque dispensatione Sedis Apostolicæ: ita Abb. Less. Bordon. Engl. Schmier cum citt. contra Quarant. Monacell. Pignatelli, Schmalz. qui id generaliter negant, & contra Gonz. Zypæum, Wiestn. & alios, qui id concedunt Canonicis regg. non vero aliis regularibus. Prob. ex *Can.* 21. *& seqq.* 16. *q.* 1. ubi monachis idoneis permittitur promotio ad curam animarum, licet eo tempore, quo plerique monachi erant laici, & indocti, remoti fuerint a cura animarum *Can.* 1. *& seqq. ibid.* idem clare colligitur ex Trid. *S.* 14. *c.* 11. *de ref.* ibi: *taliter translatus, etiam si Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia secularia, etiam curata, omnino incapax existat;* ergo Tridentinum manifeste supponit, regulares, qui ita translati non sunt, ad beneficia curata capaces esse; sicut ad dignitates seculares cathedrali inferiores *c.* 24. *de elect. in* 6. exceptis Mendicantibus *c. un. de postul. in* 6. Ratio est, quia cura animarum non adversatur statui Religioso: imo Religiosi longo tempore in spiritu, & litteris exercitati multum prodesse possunt saluti animarum; dummodo viri exemplares, & litterati ad tale ministerium assumantur. Dixi *spectato jure communi*: nam si Declarationes Cardd. ex mente Gregor. XIII. *an.* 1581. 8. *Jul.* & jussu Clem. X. 1671. *die* 17. *Martii* authenticæ sunt, observari debebunt in diœcesibus, ubi usu receptæ sunt: ubique autem illas receptas non fuisse testatur Tambur. Engl. & alii cum praxi; imo contra per Rotam decisum, & per Cardinales declaratum Engl. in *priv.* 45.

☞ *Ex Const. Bened. XIV.* -- Quo magis 18. *Decem.* 1742. *beneficia curata, aut residentialia conferri nequeunt presbyteris, aut Clericis Congregationis Missionis. Ex altera const. ejusdem* - Quod inscrutabile 9. *Jul.* 1745. - *beneficia Ecclesiastica secularia conferri non possunt Canonicis regularibus Lateranensibus, aut SS. Salvatoris absque indulto Apostolico.* ☜

13. Q. III. *Qualis intentio requiratur in recipiente beneficium*? ℞. cum distinctione: 1. Qui recepit beneficium simplex, cui non est annexus ordo sacer, non tenetur habere intentionem permanendi in statu Clericali, vel suscipiendi ordines sacros: nam id nullo jure requiritur; imo talibus beneficiatis permittitur liber transitus ad nuptias *c.* 1. 5. 7. *Cler. conjug.* nec talis decipit Ecclesiam, cum ista non exigat perseverantiam in statu Clericali. 2. Recipiens beneficium Parochiale, si non est Sacerdos, debet habere seriam intentionem suscipiendi Sacerdotium, & permanendi in statu Clericali: secus graviter peccat, & tenetur ad restitutionem fructuum, utique ante omnem sententiam, *cum eos receperit fraudulenter c.* 35. *commissa de elect. in* 6. nam Ecclesia fructus Parochiæ non concedit, nisi conditionate, si adest animus suscipiendi Sac. ordines, vel saltem si prior voluntas mutetur, *ibid.* Non requiritur autem, ut quis in eadem intentione perseveret; sed si advertit statum Clericalem sibi non fore accommodum, resilire potest, & tunc fructus ante mutationem voluntatis perceptos facit suos; ceteri, vero post percipiendi substant restitutioni. 3. Recipiens dignitatem, cui secundario annexa est cura animarum, vel beneficium, cui annexus est ordo sacer, peccat quidem graviter; cum in materia gravi non habeat propositum observandi præceptum Ecclesiæ: probabilius tamen non tenetur ad restitutionem fructuum, saltem ante sententiam judicis: nam id nullo jure cavetur, & dispositio *c.* 35. *de elect. in* 6. cum sit odiosa, non debet extendi ad dignitates, & beneficia non curata, *arg. reg. odia in* 6.

☞ *Vide notata in summariis lib. III. tit. IV. de Cleric. non resident. post cap.* Ex parte 13. *par. I. pag.* 284. ☜

14. Q. IV. *Quæ forma servanda sit in collatione beneficii*? ℞. 1. Ad hanc formam requiri. 1. Ut beneficium sit actu vacans, *c.* 2. *de concess. præb.* 3. Ut collatio sit gratuita sine simonia *c.* 8. *de Simon.* 3. Ut sit libera a metu, & coactione, *arg. c.* 2. *de his quæ vi*. 4. Ut sit absoluta, & determinata, non vero conditionata sub conditione extranea, vel alternativa, ut isti, vel illi confero, *arg. c.* 2. *de elect. in* 6. nam collatio, & electio numerantur inter actus legitimos, qui per *reg.* 50. *in* 6. conditionem non recipiunt, nec diem. 5. Ut absit pactum onerosum extraneum *c. fin de pactis:* si tamen onus de jure insit beneficio, exprimi potest in collatione, v. g. *confero tibi parochiam, ut intra annum sacerdos fias &c.* Similiter si a principio fundati beneficii quædam onera ei imposita cum consensu Episcopi, v. g. ut beneficiatus catecheses faciat, certas missas cantet &c. talia onera, cum non sint nova, exprimi possunt in collatione. 6. Si beneficium confertur a Papa, vel Legato a latere, requiritur rescriptum nullo *subreptionis*, vel *obreptionis* vitio laborans, *Extrav.* 1. *de elect. int. com. c. fin. de off. leg. in* 6. Unde gratia in signatura expressa per verbum *fiat*, vel *conceditur*, non est gratia perfecta, se inchoata, donec collatio in plenam scripturam redigatur; vel in *forma communi*, seu *pauperum*, dum supplicans allegat paupertatem; vel in forma *dignum arbitramur*, si supplicans dignus, & idoneus inventus fuerit; vel in forma *gratiæ factæ*, vel *faciendæ*, ut dictum *tit. de rescript.* At si collatio fiat ab Ordinario, scriptura non requiritur ad substantiam, sed tantum ad probationem. 7. Denique requiritur, ut observentur sac. canones hinc inde sparsim (ut suis locis dictum est; vel adhuc dicetur) circa provisionem disponentes; ita ut provisio beneficialis absque vitio formæ, & personæ sit canonica per *reg.* 1. *in* 6. His vero solemnitatibus non obligatur Papa *c.* 4. *de concess. præb.* ibi: *qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.* Unde Papa conferre potest beneficia vacantia, vel vacatura, absolute, vel conditionate, cum, vel sine modo, & onere, in perpetuum, vel ad tempus &c.

15. Q. V. *Quis sit effectus collationis*? ℞. 1. Jus in re, seu quasi dominium beneficii; & cons. collatario collationem acceptanti competit actio utilis confessoria, & negatoria, *c. fin. in fin. de concess. præb. in* 6. nam collatio æquiparatur confirmationi, & institutioni, & vim habet traditionis fictæ, quæ ad transferenda jura spiritualia sufficit. 2. Collatio nec dum acceptata tribuit jus reale, non absolute, sed conditionate, si collatarius consenserit; ita ut collator nequeat illud alteri conferre, *c.* 17. *h. t. in* 6. nam talis collatio ex parte collatoris est perfecta, sed solum suspenditur ex defectu consensus in collatario; qui consensus utique non tribuit jus reale, sed supponit tributum a conferente, ergo. Porro collator præfigere potest terminum, intra quem consentiat collatarius, quo elapso libere poterit illud beneficium alteri conferre; nisi re integra interim collatarius consentiat, & collationem acceptet *cit. c.* 17. Parum autem refert, sive quis per se, sive per procuratorem speciali mandato instructum collationem acceptet, & de beneficio investiatur *c.* 25. *h. t.* imo pro absente, & ignorante potest acceptari collatio; quæ tamen absolutum effectum non parit, donec acceptatio a collatario resciente ratificetur, ut colligitur ex *cit. c.* 25. *h. t. & arg. c. fin. de jurej. in* 6. quo casu ratihabitio retrotrahitur ad tempus acceptationis per *reg.* 10. *in* 6.

Dices: Donatio non acceptata, nihil juris tribuit, *l.* 10. *ff. de donat.* sed collatio libera vim habet donationis *c. fin. de off. Vicar. in* 6. ergo. 2. Collatio non acceptata saltem non tribuit jus reale, sed tantum jus ad rem, ut docent Barbos. Schmier. Schmalz. cum citt. *n.* 63. ex *d. c.* 17. *h. t. in* 6. ibi: *licet jus in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras.* ℞. ad 1. Collatio ex parte collatarii est donatio mere liberalis; at ex parte conferentis est necessaria, cum ex officio facienda sit: collator autem, semel facta collatione, functus est suo officio, ut amplius collationem in præ-

judi-

judicium alterius revocare nequeat *arg. c. 9. de off. deleg. & l. 55. ff. de re jud. Ad* 2. Ista sententia mihi non probatur: nam si collatio ista non tribuit jus reale, quis illud tribuit? non utique consensus acceptantis, qui solum per modum conditionis necessariæ requiritur ad hoc, ut jus reale absolutum acquiratur: tum quia, si collatio ista tribueret tantum jus personale, sicut, v. g. promissio acceptata beneficii vacantis, valeret secunda collatio acceptata a tertio ex *reg. l. 15. C. de R. V.* sed in nostro casu non valet; quia scilicet ipsum beneficium non est amplius liberum, sed gravatum jure reali, ut clare colligitur ex verbis seqq. ibi: *quodsi fecerit, ejus ordinatio facta de beneficio non libero, viribus non subsistet:* ergo verba textus in cit. cap. 17. commode intelliguntur: *ut tuum absolute dici valeat*, licet sit tuum conditionate, si consenseris; qui consensus retrotrahitur, ut ante dictum. Instantiam habes in re legata, quæ, mortuo testatore, statim fit legatarii, non absolute, sed conditionate, si legatum acceptaverit; & acceptatio ista retrotrahitur ad tempus mortis, & aditæ hæreditatis *l. 86. §. 2. ff. de legat. 1. &c.*

§. III.

De pluralitate beneficiorum.

16. Singula beneficia singulis personis esse conferenda, non plura uni, instar regulæ receptum est ex *can. 1. d. 89.* ubi Greg. I. ait: *Singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus:* nam ecclesiasticus ordo pervertitur, cultus divinus minuitur, execrabilis cupiditas, & ambitio nutritur, dum unus plurium officia occupat clericorum, ut nervose id describit Joan. XXII. in *Extrav. Execrabilis h. t. int. com.* Sed regula ista non est sine suis exceptionibus. Unde

17. *Nota*, beneficia esse duplicis generis: *compatibilia*, quæ in una persona non contrariantur, sed administrari possunt ab eodem clerico: & talia beneficia dari supponunt jura, *c. 7. de rescript.* in 6. ibi: *utrumque tamen*, & Trident. *sess. 7. c. 4. de refor.* &c. *Incompatibilia*, quæ in una persona ita contrariantur, ut utrumque simul haberi nequeat. Porro ista incompatibilitas oritur ex duplici capite: 1. *Ex residentia continua*, dum utrumque beneficium exigit continuam clerici residentiam, sive jure divino, & naturali; sicut duo episcopatus, vel duæ parochiæ, aut vicariæ perpetuæ: sive jure ecclesiastico; sicut duæ dignitates, duo personatus, duo canonicatus; sive jure speciali vi primæ fundationis, aut particularis statuti: nam sicut repugnat eamdem personam in duplici loco residere cum effectu, ita quoque repugnat duplex simile beneficium obtinere. 2. *Ex honesta*, seu *congrua sustentatione unius*, licet alioquin clericus utrique satisfacere posset, *can. fin. d. 70.* Trid. *sess. 24. c. 17. de ref.* nam si unum beneficium sufficit ad honestam sustentationem, alterum indebite, & sine causa tenetur.

18. Q. I. *Quæ beneficia sint compatibilia?* R. Extra casum sufficientis sustentationis sunt sequentia: 1. Duo beneficia simplicia, etiam uniformia sub diverso tecto, seu in diversis Ecclesiis, si alterum etiam non exigat, vel utriusque residentia impleri possit per alternum tempus. Sic in Germania idem clericus potest esse canonicus in duabus Ecclesiis: 2. Duo beneficia simplicia difformia sub eodem tecto, seu in una Ecclesia. Et sic in una Ecclesia idem potest esse præpositus, aut decanus, & simul canonicus, item parochus, & capellanus, seu obtinens capellaniam in sua Ecclesia parochiali, *c. 1. de consuetud. in 6.* & probabiliter etiam idem clericus in eadem Ecclesia potest habere duas capellanias ad duo altaria fundatas, ita ut distinctis diebus, v. g. bis, vel ter celebret ad unum altare, & toties ad alterum: nam in hoc casu capellaniæ, licet generice sint uniformes, tamen specifice sunt difformes propter diversum onus celebrandi ad diversum altare, Garcias Laym. Konig & alii. 3. Si dignitati, vel parochiæ alterum beneficium sit accessorie unitum; vel datum in titulum, & alterum in commendam temporalem, Vallens, &c.

19. Q. II. *Quæ beneficia sint incompatibilia?* R. I. Illa, quorum utrumque ex jure divino requirit residentiam continuam; ut sunt duo episcopatus, duæ parochiæ, vel vicariæ perpetuæ; cum vicarius perpetuus æquipararetur parocho; duæ prælaturæ regulares quibus annexa est cura animarum suorum religiosorum. Unde citra dispensationem apostolicam, non potest idem religiosus obtinere simul generalatum, & provincialatum, vel rectoriam localem: ita hæc habentur *can. 3. §. sed & hoc 10. q. 3.* Trid. *sess. 24. c. 17. de refor.* & de religiosis signanter, *c. 32. cum singula h. t. in 6.* ubi contra transgressorem ponitur pœna, ut *eo ipso efficiatur ineligibilis, & tanquam ambitiosus ab utroque repellatur.*

☞ *Vide notata in summariis post cit. cap. 32. par. I. pag. 290.* ☜

II. Duæ dignitates, vel duo personatus, *cap. 17. & 28. hujus titul. extrav. Execrabilis Jo. XXII. eod.* Trid. *sess. 7. c. 4. de ref.* etiam in diversis Ecclesiis, cum jura indistincte loquantur: nam dignitas, & personatus exigunt de jure assiduam residentiam. III. Duo beneficia uniformia sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia, ut duo Canonicatus: ita *c. 28. h. t.* ibi: *in eadem Ecclesia, c. 9. de concess. preb. Clem. fin. h. t.* Nec obstat quod duo beneficia difformia sub eodem tecto sint compatibilia: nam si unus haberet duo beneficia uniformia, minueretur numerus ministrorum, & consf. cultus divinus; cum unus pro duobus non possit stare in choro: quod inconveniens non sequitur, si unus habeat duo beneficia difformia, cum is diverso tempore utrique satisfacere possit. Secus si utrique satisfieri nequeat, erunt incompatibilia, sicut Canonicatus, & capellania, cujus onus est assistere in choro, ut fertur declarasse S. Congreg. IV. beneficia duo regularia inferiora non possunt ab eodem Religioso obtineri, etiam in diversis monasteriis, nisi unum annexum esset alteri, *c. 32. §. prohibemus h. t. in 6.* V. Si unum beneficium sufficiat ad congruam sustentationem Clerici, alterum quodcunque est incompatibile cum ipso, etsi personalem residentiam non requirat: ita com. ex *Can. 1. & seqq. 21. d. 1. c. 6. h. t. & c. 19. eod. in 6.* ubi dicitur etiam ad mandatum Papæ non esse providendum ei, qui beneficium sufficiens habet. Quæ jura renovavit Trid. *sess. 24. c. 17. de refor.* ubi severe præcipit, *ut unum tantum beneficium Ecclesiastic. singulis conferatur*, si ad vitam est sufficiens; non vero plura sive secularia, sive regularia, sive commendata, sive alia cujuscunque tituli, ac qualitatis existant; ita ut fructus ex iis percepti tuta conscientia retineri non possint. Idem docet Gloss. in *c. 54. de elect. v. retinere* inquiens: *Qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato aliud retinere.* Ratio est, quia pluralitas beneficiorum, dum unum sufficit ad honestam sustentationem, non tantum contrariatur juri positivo Sac. Canonum, sed etiam juri naturali: tum quia, ut inquit Joan. XXII. *Extrav. Execrabilis h. t.* unus plurima stipendia præripit, quæ pauperibus idoneis Clericis abunde sufficerent, contra præceptum; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; tum quia habentibus plura beneficia *paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas debita non servatur, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, animarum cura negligitur, vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur, ibid.* quæ omnia sunt adversa juri naturali: tum denique quia pluralitas ista est contra primam fundatorum intentionem ab Ecclesia acceptatam, & approbatam, & consf. violativa justitiæ, ergo. Quæ rationes, & jura generaliter loquentia evincunt, quod is, qui habet beneficium unum sufficiens, tuta conscientia non possit recipere alterum per se insufficiens; nec obtento sufficiente, retinere prius de se insufficiens, quia alterum insufficiens non est ei necessarium; & aliunde alii pauperi Clerico esset congruum ad sublevandam egestatem. Nec consuetudo in contrarium valet: nam cum adversa sit juri naturali, est omnino irrationabilis *cap. fin. de consuetud.* & dicitur corruptela de ambitionis radice procedens *c. 1. eod. in 6.* & perversio ordinis Ecclesiastici, Trid. *sess. 24. c. 17. de refor.* Hanc materiam concludat sententia S. Bernardi relata a S. Thoma *quodl. 9. ar. 15.* quod *qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures futurus sit in suppliciis*, Garz. Reiff. Schmalz. Fagn. in *c. 5. quia h. t. n. 16.*

20. Q. III.

20. Q. III. *An, & ex qua cauſa diſpenſari poſſit in pluralitate beneficiorum?* ℞. *ad* 1. Affirmative ex *c.* 28. *in fin. h. t.* nam licet quædam beneficia de jure naturali incompatibilia, tamen hoc jus naturale non extendit ſe ad circumſtantias omnes, ſed materia ſubduci poteſt, ut pro eo caſu, quo poteſtas eccleſiaſtica ex altioribus cauſis aliter diſponit, non contineatur ſub jure naturali; ergo in pluralitate beneficiorum diſpenſari poteſt: & quidem directe, ſeu proprie, ſi pluralitas adverſatur ſoli juri eccleſiaſtico; indirecte vero, ſeu improprie ratione materiæ ſubductæ, ſi adverſatur juri naturali, ſeu divino. Inſtantias in pluribus habes: ſic enim reddere depoſitum eſt juris naturalis, & tamen hoſti non eſt reddendum depoſitum: obligatio juramenti, voti, pacti, eſt juris naturalis, & tamen relaxari poteſt.

21. ℞. *ad* 2. Juſtæ cauſæ diſpenſandi in pluralitate beneficiorum ſunt tres: 1. *Neceſſitas*, ut ſi plures deſint miniſtri idonei, maxime in locis hæreticorum infidelium. 2. *Evidens utilitas Eccleſiarum*, ut ſi unus clericus etiam abſens ſua auctoritate, prudentia, potentia, aliiſque dotibus plus poteſt prodeſſe Eccleſiis, quam alii præſentes. Sic enim S. Greg. *lib.* 2. *epiſt.* 32. Agnello duas Eccleſias cathedrales contulit: & hodie in Germania filiis principum plures Eccleſiæ committi ſolent, ut facilius contra impetus hæreticorum defendantur. 3. *Prærogativa meritorum*, ſi perſona aliqua propter ſuam doctrinam, ſcripta, defenſionem, & alia obſequia bene merita ſit de Eccleſia, & conſ. digna pluribus Eccleſiis; cum talis conceſſio redundet incommodum totius Eccleſiæ. Ita cauſæ iſtæ colliguntur ex *Canon.* 17. *tali.* 1. *q.* 7. & expreſſe in Concil. Later. excipiuntur ab Innocentio III. relato in *cap.* 28. *h. t. in fin.* ibi: *circa ſublimes tamen, & litteratas perſonas, quæ majoribus beneficiis ſunt honorandæ; cum ratio poſtulaverit, per Sedem apoſtol. poterit diſpenſari*, & Joan. XXII. in *Extrav. Execrabilis*, *eod.* excipit S. R. E. Cardinales, & Regum filios, quibus ob inſignem prærogativam facilius conceduntur plura beneficia.

22. Q. IV. *Qui diſpenſare poſſint in pluralitate beneficiorum?* ℞. 1. Regulariter ſolus Papa ob plenitudinem poteſtatis, *cit. c.* 28. *h. t.* Alii vero cum inferiores ſint, jure communi, diſpenſare nequeunt, niſi ſpeciali privilegio id eis competat. ℞. 2. Epiſcopus conferre poteſt duo beneficia ſimplicia compatibilia, vel unum curatum, & alterum ſimplex, aut commendatum, ſi neutrum per ſe eſt ſufficiens ad congruam ſuſtentationem; hoc enim ei permittit Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 17. *de reform.* At ſi duo non ſufficerent, tertium ſimiliter compatibile non poteſt adjicere, ut declaraſſe dicitur S. Congr. cum Trident. *l. c.* loquatur de altero, non tertio, ibi: *licet aliud ſimplex ſufficiens eidem conferri.* Quod ſi beneficia ſint curata, vel propter reſidentiam incompatibilia, Epiſcopus duo conferre nequit, licet unum non ſit ſufficiens, ſed diſpenſatio a Sede apoſt. petenda eſt, *c.* 28. *h. t.* Idem dic de Legato a latere. Vicarius autem generalis Epiſcopi ſine ſpeciali mandato alterum beneficium conferre nequit; imo nec capitulum, ſede vacante, quia talis collatio non eſt juriſdictionis neceſſariæ, cum ad ſuſtentationem clerici ſufficiat alterum beneficium dare in commendam temporalem donec Epiſcopus eligatur.

23. ℞. 3. Conſuetudo conferendi tria beneficia ſub diverſo tecto ſimplicia, & compatibilia, alias de ſe inſufficientia, non videtur eſſe corruptela, cum nullibi a jure reprobetur; & aliunde pro more, & utilitate diœceſis coloneſtari poſſit. At conſuetudinem conferendi tria beneficia difformia ſub eodem tecto, tanquam corruptelam reprobant Fagn. *c. litteras, de conc. præb. n.* 3. Garc. & alii. Eam vero ſuſtinent, ſaltem ſi immemorialis ſit, Navar. Zerol. Schmalz. & alii, quia *cap.* 1. *de conſuetud. in* 6. reprobatur conſuetudo conferendi plures dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia ſub eodem tecto; non vero conſuetudo conferendi tria beneficia ſimplicia de ſe inſufficientia.

24. Q. V. *Quid requiratur ad licitam, & validam diſpenſationem in pluralitate beneficiorum?* ℞. 1. Ut diſpenſatio etiam papalis ſit licita, requiritur juſta cauſa, cum Papa rationabiliter relaxare ſoleat jus commune, ne diſpenſatio ſit diſſipatio.

25. ℞. 2. Dum Papa diſpenſat motu proprio, & beneficia ſunt compatibilia, vel ſolo jure Eccleſiaſtico incompatibilia, valida eſt diſpenſatio, etſi nulla juſta cauſa adeſſet, cum Papa in jure ſuo valide diſpenſet ſine cauſa ex reg. generali *c.* 1. *de R. J. in antiq.* at ſi diſpenſet ad inſtantiam ſupplicantis, cauſa finalis allegata debet eſſe vera; ſecus diſpenſatio eſt *ob*, vel *ſubreptitia c.* 15. 20. *de reſcript.*

26. ℞. 3. Si beneficia de jure naturali, & divino ſint incompatibilia, ut duo epiſcopatus, duæ parochiæ, vel duo beneficia, quorum utrumque per ſe eſt ſufficiens, & Papa in his diſpenſat motu proprio, & ex certa ſcientia, etſi nulla cauſa exprimatur, talis diſpenſatio in foro externo præſumitur valida, quia Papa præſumitur ex juſta cauſa motus fuiſſe ad faciendam diſpenſationem. Neque Papa redargui poteſt cum in terris Superiorem non habet, & aliunde majeſtas, & ſanctitas ejus purget omnem ſuſpicionem invalidæ diſpenſationis. Sed pro foro interno major eſt difficultas; an ſcil. diſpenſatio papalis, juſta cauſa deficiente, proſit beneficiato in foro animæ coram Deo? In hac ſane difficili, & periculoſa quæſtione quidam dicunt talem diſpenſationem eſſe validam, licet illicita fuerit; adeoque beneficiato prodeſſe, quamvis recipiendo diſpenſationem ſine cauſa juſta, peccaverit. Pro hac ſententia non audeo ſecure aliquem doctorem allegare, ne illi injuriam faciam: nam quos ab aliis citatos legi, vel contrarium deprehendi, vel obiter aſſertum inveni ſine ulla probatione, vel id ſolum volunt, quod talis diſpenſatio ſit valida pro foro externo, quatenus in eo Papa præſumitur rite agere, ut ab alio reprehendi, & corrigi non poſſit. Niſi propoſito meo ſcribendi laconice inſiſterem, facile eſſet ſententias doctorum in medium producere; quem laborem alteri tempori, volente Deo, reſervo; id ſolum monens, hanc opinionem non debere dici communiorem, ut eam, forſan ex relatione aliorum vocat P. Schmalz. *hic num.* 142. licet illam nec probet, nec mentem ſuam aperiat, ut alias ſolet clariſſime; ob quod inter clariſſimos ſæculi noſtri doctores merito numerandus eſt.

27. ℞. 4. Diſpenſatio papalis in pluralitate beneficiorum ex natura ſua, vel ex ſufficientia incompatibilium, juſta cauſa deficiente, eſt invalida pro foro interno, & conſ. non prodeſt beneficiato coram Deo: ita S. D. *quodl.* 9. *art.* 15. & cum eo communiſſima TT. & Canoniſtarum ſententia, ut vere Fagnanus; *cap.* 5. *quia h. t. n.* 13. dicat: *Et in hoc*, puta S. Thoma, ſeu ejus ſententia *tandem reſident hic Canoniſtæ noſtri.* Prob. 1. ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de refor.* ibi: *quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſe ipſos, non Deum, decipientes, ea quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt.* Iſtæ autem variæ artes non ſunt aliæ, quam diſpenſationes ſine juſta cauſa obtentæ, quibus beneficiati ſe ipſos, non Deum decipiunt. 2. Papa, utpote inferior, ſine juſta cauſa non poteſt diſpenſare in jure naturali, & divino, ut tenet certa ſententia ex *Can.* 1. *d.* 9. & *pr. d.* 13. quis enim credat, quod Chriſtus dominus Papæ dederit poteſtatem irrationabiliter relaxandi jus naturæ; ſed dicta beneficia plura retinere eſt contra jus naturale, ſicut *occidere hominem*, ut docet S. D. *l. c.* ergo. Prob. min. Habere plura beneficia curata, quæ ex jure divino, & naturali reſidentiam continuam exigunt, vel alia ſimplicia, quorum ſingula per ſe ſufficiunt ad vitam, non eſt actus indifferens, ſicut levare feſtucam, ſed intrinſecam continet turpitudinem, ſeu rectæ rationi repugnat: nam hoc modo unus ſtipendia plurium præripit, Eccleſiæ debitis ſibi miniſtris privantur, cultus divinus minuitur, cupiditas, ambitio, & luxus beneficiatorum augetur, fundatorum voluntas negligitur, ſalus animarum vix obiter curatur, populus offenditur, dum unum clericum videt abundare, alterum egere; quæ omnia rectæ rationi, & conſ. juri naturali ſunt diſſona, ut bene expendit Joab. XXII. *Extrav. Execrabilis h. t.* ubi merito ambitionem plurium beneficiorum vocat execrabilem; ergo habere plura beneficia dicto modo incompatibilia, eſt contra jus naturale, & conſ. ſine juxta cauſa indiſpenſabile. Unde reſcribit bene Alex. III. *c.* 6. *h. t.* nec ad mandatum Sedis Apoſtolicæ eſſe providendum ei, qui aliud beneficium habet, de quo valeat commode ſuſtentari. 3. Jus naturale mutari, ſeu

seu relaxari nequit, nisi ex parte materiæ, quatenus hæc in certis circumstantiis subducitur a præcepto juris naturalis, ut patet in usucapionibus, spoliis Hebræorum Ægyptios spoliantium, libello repudii &c. ergo etiam jus naturale, de se adversans pluralitati præbendarum, nequit a Papa relaxari, nisi in circumstantia justæ causæ, vi cujus turpitudo hujus pluralitatis purgetur, & receptio, ac retentio plurium beneficiorum cohonestetur. Hinc recte concludit S. D. *l. c. quamvis*, inquiens, *habere plures præbendas, aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, ut inordinationes illæ totaliter evacuentur: puta si sit opus in pluribus Ecclesiis alicujus obsequio, & possit in plus servire Ecclesiæ, vel tantundem absens, quam alius præsens.* Deficiente autem justa causa, nunquam tales circumstantiæ supervenient, nec inordinationes in pluralitate præbendarum imbibitæ evacuabuntur. His adde terrificum exemplum, quod ex Dionisio Richelio monacho carthusiano refert Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 5. §. *sciendum*. Philippus Cancellarius Parisiensis multis præbendis dives, morti vicinus a Gulielmo Episcopo Parisiensi monitus, ut uno beneficio retento, cetera resignaret, respondit, se experiri malle, an lethale peccatum committeretur in multis beneficiis simul habendis: & ita excessit e vivis. Tertio ab obitu die apparens dict. Gulielmo dixit, se apud inferos æternis suppliciis torqueri ob tria crimina: quod senserit pluralitatem beneficiorum, ubi unum sufficit, jure naturali non improbari; & quod eorum fructus in vanos, & malos usus impenderit; & quod libidinis, & luxuriæ peccatis conscientiam maculaverit. Pro hac sententia plures auctoritates non affero, sed quod dixit sapientissimus Azor. *l. c.* §. *duæ sunt.* idem & ego dico: *mihi quidem sufficit vel unius S. Thomæ auctoritas*, in qua resident Canonistæ, teste Fagn. *l. c.*

Obj. 1. Quod ab intrinseco, & jure naturali est malum, in eo nec Papa ex causa justa potest dispensare, ut in fornicatione &c. ergo si pluralitas præbendarum ab intrinseco est mala, Papa nullo modo poterit in ea dispensare; quod sane est nimium, & falsum. 2. Papa habet plenariam dispositionem beneficiorum *cap.* 2. *h. t. in* 6. ergo etiam sine causa valide dispensat. 3. Privatum commodum non est causa sufficiens ad relaxandum jus naturale; sed Papa dispensat ex causa privati commodi; nam nobilitas principum, & litteratura doctorum numerantur inter causas dispensandi, *cap.* 28. *h. t. Extrav. Execrabilis h. t.* 4. Licet jus naturale circa pluralitatem beneficiorum sit prohibens, non tamen est irritans: cum irritatio ista ex nullo capite, vel jure colligatur; ergo licet dispensans sine justa causa, & dispensatus peccent mortaliter sic agendo, tamen facta semel dispensatione, beneficia valide retinentur. In hoc argumento firmatur sententia Sanchez, ut refert Schmalz. *num.* 143. sed non firmiter.

℞. Ad 1. Ex comm. doctrina, ad quæstionem *an jus naturale sit dispensabile*? quod objecta juris naturalis aliqua sint intrinsece mala tam formaliter, quam materialiter, ut in nullo casu cohonestari possint, ut odium Dei, hæresis, mendacium &c. aliqua vero sint ab intrinseco mala formaliter, non vero materialiter, quorum materia subduci potest a præcepto, dum scilicet materia dependet a voluntate divina, vel humana principis, & ponitur in his circumstantiis, in quibus jus naturale non extendit se ad talem materiam. Sic si Deus det jus in vitam innocentis, in corpus solutæ, vel conjugatæ, non peccatur peccato homicidii, fornicationis, aut adulterii, sed actus isti jure exercentur, S. D. 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 5. Pluralitas beneficiorum est contra jus naturale hoc secundo modo, & ex parte materiæ mutari, & cohonestari potest ob justam causam necessitatis, & utilitatis Ecclesiarum: & quia materia beneficialis subjecta est dispositioni Papæ, ideo Papa ob justam causam dispensare potest in pluralitate beneficiorum; non vero in fornicatione, vel adulterio, vel pluralitate uxorum, & similium; quia eorum materia non subest potestati Papæ, sed potestati divinæ. Hinc in forma Dist. antec. quod est ab intrinseco malum tam formaliter, quam materialiter, ut materia non sit extrahibilis a præcepto naturali, con. a. si tantum est malum formaliter, seu in thesi, non vero materialiter, seu in hypothesi, & in qualibet circumstantia, neg. anteced. *Ad* 2. Potestas Papæ est plenaria, quatenus non dependet a jure positivo sacr. Canonum; non vero plenaria, seu independens a jure naturali. *Ad* 3. Nobilitas, & litteratura per se non constituunt diversam causam a causa necessitatis, & utilitatis, sed pluralitas beneficiorum filiis Regum, & litteratis concessa indirecte cedit ad utilitatem totius Ecclesiæ, quatenus Ecclesia per tales personas potentius defenditur, & illustratur. *Ad* 4. Dico hoc jus naturale esse irritans: nam ex recepta regula theologorum tunc jus naturale est non tantum prohibens, sed etiam irritans, quando actus perpetuam continet turpitudinem; ut patet in contractu usurario, in matrimonio patris cum filia, in pacto concubinario &c. sed pluralitas beneficiorum sine justa causa perpetuam continet turpitudinem: siquidem non tantum recipere, sed etiam retinere beneficia plura turpe, & inordinatum est ob rationes in probatione allatas, ergo. Imo si oppositum semel esset verum, aperiretur latissima via transgrediendi jus naturale, & sanctiones canonicas, & pauci propter unum peccatum in dispensatione, & receptione commissum absterrerentur a cupiditate ista, & ambitione execrabili.

Dices: Papa sæpe confert plura beneficia, quorum unum esset sufficiens, sed non est credibile, quod Papa tam notorie delinquat; ergo collatio plurium beneficiorum non videtur adversari juri naturali.

℞. Quando Papa dispensat motu proprio, semper præsumitur ex justa, & legitima causa dispensare *Can. si Papa dist.* 50. *& ut notat Abbas cap. in causis num.* 2. *de sentent. & re judicat. Felinus cap. ad aures sed de rescrip. Piasecius part.* 2. *prax episcop. c.* 5. *art.* 3. *num.* 79. Quando vero dispensat ad instantiam partis, cum semper intelligenda sit conditio, *si preces veritate nitantur*, *cap. ex parte* 2. *de rescrip.* hac non subsistente, nec subsistit dispensatio: unde si beneficiariis justa causa per ipsos allegata pro obtinenda dispensatione non subsistit, viderint, quid aliquando coram Deo judice sint responsuri, quia re vera se ipsos, & non Deum decipiunt, ut ait Tridentin. *cit. Sess.* 24. *cap.* 17. *de reformatione*. Quid confessario agendum, videatur Cajetan. in Summa V. *beneficium ecclesiasticum*, Azor. *l. c. cap.* 12. *q.* 11.

28. Q. VI. *Quid in rescripto dispensationis attendendum*? ℞. 1. Expressio beneficii prioris, etiam modici, facienda est *cap.* 21. *hoc titulo*. 2. Hæc clausula; *non obstante, quod aliud beneficium obtineas*, non operatur retentionem utriusque, sed tantum indicat rescriptum non fuisse subreptitie impetratum. 3. Dispensatio ad plura beneficia, cum sit odiosa, & vulnus legis, stricte est interpretanda: ad ea tamen, quæ inseparabiliter accessoria sunt, extendi debet. Cetera de rescriptis beneficialibus vide *lib.* 1. *titul. de rescriptis.*

29. Q. VII. *An, seclusa dispensatione, ex pluribus obtentis beneficiis aliquod amittatur, & quomodo, vel quando*? Hic inter jura antiqua, & nova distinguo, & ℞. 1. Ante Concilium Lateranensem sub Alexandro III. beneficiatus in optione habuit alterum ex duobus retinendi, *cap.* 17. 14. *hoc titulo*, quæ duo capita non erant superflua in Decretalibus Gregorianis propter *cap.* 28. *eod.* nam illorum dispositio serviebat pro beneficiis simplicibus; imo & hodie serviunt pro illo casu, quo beneficiatus acquisivit duo beneficia, & nescitur, cujus possessionem prius adeptus sit. Deinde in Concil. Later. sub d. Alexandro III. optio ista sublata est, & beneficiatus privabatur priori beneficio, non ipso jure, sed per sententiam, *cap.* 3. *de cler. non resid.* Tum in Concil. Later. sub Innocentio III. definitum est, ut obtinens alterum beneficium curatum, dignitatem, aut personatum, priori ipso jure sit privatus *cap.* 28. *h. t.* & nisi sine mora prius beneficium in manibus Superioris dimiserit, ipso jure utroque careat, fiatque inhabilis ad sacr. ordines, & quodcumque beneficium ex Constitut. Joann. XXII. *Execrabilis h. t.*

℞. 2. Ex jure Trid. *Sess.* 7. *c.* 4. *de reform.* obtinens quodcumque secundum beneficium incompatibile, priori ipso jure; & si utrumque retinere præsumpserit, utroque pariter ipso jure privatus existit: ita hodie communis cum S. Congr. declarante, quod Trident. *l. c.* non

lum confirmaverit constitutionem *c.* 28. *de multa h. t.* sed etiam illam ampliaverit ad quæcumque beneficia, etiam simplicia incompatibilia: ut proinde hodie inter incompatibilitatem beneficiorum curatorum, dignitatum, personatuum, & beneficiorum simplicium quoad effectum nulla sit differentia: nam Trid. generaliter dicit: *quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia*, & subdit particulam implicativam: *præsertim contra formam Const.* Inn. III. *de multa*; ergo Trid. comprehendit generaliter omnia beneficia incompatibilia. ℞. 3. Beneficium prius vacare incipit eodem instanti, quo obtenta est pacifica possessio alterius beneficii, *c.* 28. *h. t. in* 6. quod quidem recte statutum est, ne forte beneficiatum contingat utroque privari, si ante pacificam possessionem alterius, etiam quoad fructus, prius amitteretur, & posterius propter litigia, & turbationes non obtineretur. Porro collator a die vacationis, quo possessio pacifica alterius beneficii obtenta est, illud prius statim conferre potest alteri Clerico, & intra 6. menses (si vero est patronatum laicum intra 4. menses) debet; alioquin potestas conferendi devolvitur ad Superiorem; & collator de suis proventibus tantum in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud beneficium, conferre tenetur, quantum perceptum est a tempore vacationis *c.* 28. *h. t.* At in possessionem novus beneficiatus introduci non debet; altero non vocato; cum ei forsan jus possit competere retinendi, *c.* 28. *eod. in* 6. nisi notoria esset possessio pacifica alterius beneficii. Tunc autem censetur possessio non esse pacifica, dum beneficiatus statim in principio, hoc est, intra unum, vel alterum mensem incipit turbari judicialiter, vel extrajudicialiter. Ceterum æquitas Canonica suadet, ut beneficiatus post obtentam pacificam possessionem secundi non cogatur dimittere statim possessionem primi beneficii; ne forsan ei lites oriantur super secundo, & ita utroque privetur. Quo sensu intelligendi sunt DD. dicentes vacationem istam accidere post duos menses pacificæ possessionis: loquuntur enim de vacatione facti, seu actuali dimissione possessionis, non vero de vacatione juris, cum resolutio tituli fiat a momento acquisitæ possessionis pacificæ, *cit. cap.* 28. *hoc tit. in* 6.

30. Q. VIII. *Qui sint casus, in quibus, obtento beneficio secundo, non vacat primum?* ℞. seqq. 1. Obtento Cardinalatu, non vacat prior Episcopatus, Canonica, vel aliud beneficium, nisi obstaret residentia utrinque requisita: quo casu opus esset dispensatione. 2. Obtento Episcopatu solum tituli, in terris infidelium sito, non vacat prior Canonica, vel aliud beneficium; cum talis Episcopatus non habeatur quoad possessionem. At si Episcopus possessionatus obtineat Abbatiam, vel aliud incompatibile beneficium, collatio sine dispensatione non valet. 3. Si secundum beneficium accessorie uniatur priori, vel detur in commendam temporalem, vel si primum sit insufficiens, & addatur ei alterum simplex non exposcens residentiam: nam in his, & similibus casibus nulla est incompatibilitas beneficiorum: at in illo casu, quo prius beneficium est sufficiens, & additur ei alterum sufficiens ratione residentiæ compatibile, attento jure Trid. videtur prius vacare ipso facto; quia re vera ex capite sufficientiæ est incompatibile; adeoque comprehenditur sub dispositione *sess.* 7. *cap.* 4. *de refor.* Gonzalez tamen, & alii dicunt primum non vacare, nisi per sententiam Ordinarii.

31. Q. IX. *An ad introducendam vacationem beneficiorum, quæ ipso jure Tridentini vacant, requiratur sententia declaratoria?* ℞. Cum distinctione: & quidem ad vacationem prioris, obtento secundo incompatibili, nulla requiritur declaratio, sed sufficit sola incompatibilitas; cum hic nullum sit delictum, quod declaretur. E contra ad privationem secundi requiritur sententia declaratoria; nam privatio ista vim habet pœnæ propter inobedientiam contra Sac. Canones commissam, quatenus beneficiatus prius illud beneficium sine mora coram Superiore non dimisit, sed utrumque retinere præsumpsit. Eadem doctrina procedit in casu, quo quis duo beneficia dispensative obtinens, pacifice acquisivit tertium incompatibile; tunc enim prioribus ipso jure privatur absque ulla declaratione, *Clem.* 3. *de prabend.* Nec obstat, quod acquisitio tertii beneficii sit invalida, *c.* 3. *de off. ord. in* 6. Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de refor.* nam sufficit, quod tertium beneficium sit pacifice possessum de facto. Sic etiam intrusus in beneficium curatum de facto, priori ipso jure privatur *c.* 18. *h. t. in* 6.

§. IV.

De reservatione beneficiorum.

32. *Nota* 1. Quod *reservatio* est beneficii vacaturi per Superiorem ad se facta avocatio. Et hæc regulariter fit a solo Papa ex variis causis justis; nam ad sedem Romanam primitus pertinebant omnia beneficia, quorum collationem liberaliter concessit inferioribus collatoribus; non utique privative, sed cumulative; adeoque juste aliqua sibi reservare potest: tum quia ad sedem Rom. undique confluunt pauperes Clerici, quibus etiam vult liberaliter providere; tum denique, ut per hoc conservetur debita reverentia, & major inferiorum Ecclesiarum cum Romana communicatio. Insinuantur hæ rationes *c.* 14. *de præb. in* 6. & *reg.* 8. *Cancell.*

33. *Nota* 2. Reservationem varie dividi: 1. *In generalem*, qua in communi, & indeterminate reservantur beneficia, v. g. omnia beneficia regni, omnes Ecclesiæ cathedrales, metropolitanæ &c. & *specialem*, qua reservantur certa, & determinata beneficia; vel *in certo loco*, v. g. in Ecclesia hac numero, vel *ratione certæ qualitatis*, ut dignitates; vel *ratione personæ*, ut pro hoc Clerico. 2. In *temporalem* usque ad beneplacitum Papæ; & hæc mortuo Papa expirat; & *perpetuam*, dum beneficia reservantur sedi Apostolicæ, ejusque successoribus in papatu. 3. In *fixam*, seu *continuam*, quæ tempore, aut loco non interrumpitur; & *discontinuam*, seu *eventualem*, quæ interrumpitur ratione mensis, aut loci. 4. In *irritantem*, cui additum est decretum, seu clausula irritans, v. g. *decernentes irritum, & inane, quidquid secus scienter, vel ignoranter contigerit attentari: & simpliciter avocantem*, seu *prohibentem*, cui talis clausula non est addita. Inter has est discrimen notabile: nam reservatio sine decreto irritante probabiliter non impedit valorem collationis; vel saltem non inficit titulum coloratum, & possessionem: e contra reservatio cum decreto, impedit valorem collationis; & insuper inficit titulum coloratum, possessionem, & omnia, quæ inde consequuntur, ut patet ex decreto Clem. VII. incip. *Admonet* ibi: *declaramus prætensas collationes nullum titulum, vel colorem tribuisse, aut in futurum tribuere.* Ignoranti tamen Clerico succurritur, ut ad prius beneficium, etsi jam alteri collatum fuerit, redire valeat; non tamen illi, qui scienter acceptavit beneficium Papæ reservatum; vel difficilem se præbuit ad illius dimissionem, *c.* 20. *h. t. in* 6. 5. In *eam*, *quæ est clausa in corpore juris communis*; qualis censetur illa, quæ continetur in Decretalibus Gregorianis, in Sexto, & Clementinis; & in *eam*, *quæ est extra corpus juris communis*, ut in Extravagantibus, regulis Cancellariæ, & aliis constitutionibus Apostolicis; & specialiter in concordatis cum Sancta Sede initis, de quibus infra.

34. *Nota* 3. hæc duo: *Vacare apud sedem*, & *vacare in Curia* synonymice usurpari a Glossa, Garzia, Card. de Luca, & aliis. At Gomez, Covar. Engl, & alii dicunt ea differre tanquam magis, & minus patens; ita ut omnia beneficia vacantia apud sedem, etiam vacent in curia, sed non e contra. Illa autem beneficia dicuntur *vacare apud sedem*, quæ vacant per verum obitum beneficiarii, sive is moriatur in curia Romana *c.* 2. *h. t. in* 6. sive in loco vicino, ultra duas dietas legales a curia non distante, *cap.* 34. *eod. in* 6. *In curia* vero vacant beneficia omnia, quæ non tantum vere per obitum, sed etiam ficte apud sedem vacant; ut per renuntiationem, translationem, depositionem, privationem, auctoritate Papæ factam, *Extrav. ad regimen. h. t. int. com.* sed obstat *Extrav. ex debito, de elect. int. com.* ubi beneficia per renuntiationem, electionem & cassationem vacantia, dicuntur vacare apud sedem. Ex quo fat clare colligitur, quod termini isti promiscue usurpentur. Porro curia Romana ibi censetur existere, ubi moratur Papa cum suis tribunalibus, & officialibus; non vero ubi moratur

ratur solus tantum diversionis causa. Si tamen Papa alibi resideret, & curiam relinqueret Romæ, utrobique vacatio contingeret, quia utrobique esset curia, illic cum capite, & Romæ cum corpore; sicut factum sub Clem. VIII. *ann.* 1598. Ferrariam profecto, edita super hoc *Const.* 54. *Cum ob nonnullas*.

35. Q. I. *Quæ beneficia reserventur in corpore juris communis?* R. Illa solum, quæ vacant apud Sed. Apostol. vel in curia Romana. Et hæc est unica reservatio in corpore juris communis, *c.* 2. *h. t. in* 6. quam determinat Bonif. VIII. *c.* 34. *eod.* & Clem. V. *Clem.* 1. *ut lite pend.* ut illa beneficia Sedi Apostol. reservata intelligantur, quæ obtinent Legati, aut Nuncii Apostolici, curiales curiæ Romanæ, Papæ, vel Cardinalibus deservientes, & alii ad Rom. curiam negotiorum causa venientes, vel inde recedentes; si eos ibi, vel in loco vicino ad duas dietas (dieta una, seu iter unius diei, continet 20. miliaria italica, quæ faciunt 4. vel 5. leucas germanicas) mori contingat. Hæc autem reservatio durat tantum uno mense, intra quem si Papa non provideat, ordinarius collator providere poterit, ne diuturnior vacatio Ecclesiis sit damnosa, *c.* 3. *h. t. in* 6.

36. Q. II. *Quæ sint reservationes in Constitutionibus Extravagantibus?* R. 1. *Extrav. piæ h. t. int. com.* reservantur beneficia apud sedem vacantia conformiter *c.* 2. 34. *h. t. in* 6. 2. In *Extrav. Ex debito de elect. int. com.* plura beneficia reservantur, sed Constitutio ista temporaria cum Papa expiravit, ibi: *donec Christi dignatio* &c. 3. In *Extrav.* 5. *Execrabilis h. t. int. com.* (ponitur etiam inter Extravagantes Joannis XXII. reservantur dignitates, personatus, officia, prioratus, beneficia curata, non solum pro foro interno, sed & externo, quæ quis per pluralitatem obtinuit. Reiff. hic a *n.* 456. dicit tantum beneficium posterius, quo quis ob inobedientiam privatur ipso jure, reservari Papæ; prius vero pertinere ad collationem Ordinarii secundum *c.* 38. *h. t.* Alii vero dicunt utrumque reservari sanctæ Sedi, & quod magis videtur conforme textui, ibi: *quæ omnia* &c. & ibi: *Et hi de beneficiis tam dimissis, quam perditis &c.* si autem utrumque retineatur, utrumque est perditum. 4. In *Extravag. Bened. XII. Ad regimen* 23. *h. t. int. com.* reservantur Sedi Apostolicæ omnes Ecclesiæ cathedrales, & his majores, & omnia alia beneficia vacantia apud Sedem, etiam electiva, & regularia: item vacantia per translationem, depositionem, cassationem, promotionem, consecrationem, & similes modos, qui auctoritate Papæ exercentur. 5. In *Const.* 85. Pii IV. *Romanum Pontificem* reservantur beneficia per simoniam confidentialem obtenta: imo omnia beneficia talis simoniaci ex *Const.* 85. *S. Pii V. Intolerabilis*. 6. In Constit. S. Pii V. *In conferendis*, reservantur beneficia Parochialia contra formam Tridentini sine concursu collata. Sed sicut dispositio Trident. ita & constitutio ista non est ubique usu recepta. 7. In Const. Greg. XIII. 66. *In Ecclesiis*, & Const. 29. S. Pii V. *Cum ex Apostolatus* reservantur beneficia vacantia propter crimen hæresis. 8. In Const. 12. Pauli IV. *Inter ceteras*, reservantur beneficia vacantia eorum, qui se pro aliis examini subjiciunt ad consequendas annuas pensiones. Plura de his vide in Reiff. & Gonz. ad *reg.* 8. *Canc. Gl.* 51.

37. Q. III. *Quæ beneficia reservantur in regulis Cancellariæ Apostolicæ?* De his regulis vide dicta in prolegom. *n.* 21. Exempla earum scitu digna, plura invenies in Bullario Rom. ut Const. 7. Urbani VIII. 1623. *die* 21. *Octobr.* Alex. VIII. *Constitut.* 2. Innoc. XII. *Const.* 6. &c.

R. *In regula I.* reservantur beneficia expressa in *Extrav. Ad regimen, & Execrabilis* cum ampliatione ad beneficia officialium S. Sedis, licet ante obitum officiales esse desierint, & ad beneficia notariorum, & ea, quæ contra formam, & decreta Concilii Trid. sunt obtenta.

In regula II. Reservantur Papæ omnes Ecclesiæ cathedral., & his majores, monasteria virorum monachis destituta, vel commendari solita, excedentia annuum valorem 200. florenorum auri, & beneficia omnia ad collatores ordinarios pertinentia, quæ vacant, sede eorum vacante, donec successores eorum pacificam possessionem obtineant. Hæc regula in Germania non habet locum propter concordata, uti nec in Gallia, ubi Rex ex jure regaliæ beneficia vacantia administrat, & confert.

In regula III. (in recentioribus est addita) ampliatur Const. *Execrabilis*, ne quis secundum beneficium incompatibile cum priori obtinens, illud resignet in fraudem Apostolicæ reservationis.

In regula IV. Olim tertia, reservantur omnes dignitates majores post Pontificalem, seu Episcopalem in cathedralibus, & principales in collegiatis Ecclesiis, scil. una in singulis Ecclesiis, nisi duæ essent æque principales. Item prioratus, præposituræ, & aliæ dignitates regulares conventuales, & præceptoriæ generales Ordinum, non tamen militarium; modo sint dignitates perpetuæ &c. In *reg. V.* beneficia collectorum, & subcollectorum. In *reg. VI.* Curialium. In *reg. VII.* Cubiculariorum etiam honoris. In *reg. VIII.* Beneficia Ecclesiæ Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, & S. Petri, & omnia ad provisionem Cardinalium pertinentia; si in eorum absentia a Romana curia vacent, sunt Sedi Apostolicæ reservata.

In regula IX. reservantur omnia beneficia qualitercumque qualificata, vacantia mensibus papalibus: Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, & Novembri. Ceteris vero collatoribus pro alternativa collatione relinquuntur quatuor menses, scil. semper unus post duos papales, Martius, Junius, September, & December. Plenius ista vide in textu Regularum. At Episcopis, & his Superioribus conceditur ibi gratia alternativæ collationis per sex menses; dummodo vacatio accidat, ipsis in diœcesi existentibus. Plenius per concordata Germaniæ alternativa sex mensium conceditur collatoribus Germaniæ, sive die vacationis existant, sive non existant in sua diœcesi. Et juxta hoc menses papales sunt: Januarius, Martius, Majus, Julius, September, November. Menses vero ordinariorum collatorum: Februarius, Aprilis, Junius, Augustus, October, December. Ultima dies mensis finitur hora duodecima noctis, & in discordia horologiorum attenditur principale, si bene incedat, vel statur pro favore ordinarii. Porro sub alternativam cadunt omnia beneficia non reservata, nec specialiter excepta, licet sint parochialia, patrimonialia, monocularia, dignitates secundariæ in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis: nam in *cit. reg.* 9. textus generaliter loquitur de beneficii, *quibuscumque, & qualitercumque qualificatis*. De exceptis infra dicam.

38. Q. IV. *Quæ beneficia reserventur in concordatis Germaniæ?* Concordata ista inita sunt inter nationem germanicam sub Friderico III. Pacifico, & Sedem Apostolicam sub Nicolao V. Papa *ann.* 1447. const. incip. *Ad Sacram.* soli autem germani tunc imperio subjecti iis ligantur; non vero ii, qui tempore concordatorum imperii Superioritatem non recognoscebant, ut Rex Bohemiæ, Archidux Austriæ: item Provinciæ Belgii, exceptis Ecclesiis Nivellensi, Cameracensi, Levvensi, & Thenensi, quæ nunc etiam, postquam ab imperio avulsæ sunt, pristina privilegia retinent: uti etiam ex speciali privilegio Ecclesia Leodiensis, Herbipolensis, & Bambergensis. His tamen Imperio adunatis non videtur denegari favor concordatorum, ut colligitur ex §. 4. *placet etiam nobis*, ibi: *& omnes qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant edm acceptandi* &c. Quid in concordatis istis contineatur, compendio dicam: plenum vero tenorem legere poteris in Georgio Branden, qui super concordatis plures qq. resolvit: item in Reiff. *n.* 535. unde R. Juxta ordinem, & seriem concordatorum.

Præfatione, supplicatione, & approbatione præmissis, dispositio incipit a §. 2. *Nos itaque v. placet nobis super provisione*; ubi modificantur Constitutiones: *Execrabilis*, *& Ad regimen*, & reservantur Sedi Apostolicæ omnes Ecclesiæ cathedrales, & his Superiores, monasteria virorum, & alia quæcumque beneficia cum, vel sine cura, quando ea contigerit vacare apud sedem, vel in curia Romana juxta Superius dicta *nu.* 37. *in resp.* 4.

§. 3. *Item placet nobis* relinquuntur, & approbantur liberæ electiones in Ecclesiis cathedralibus, & monasteriis, quas de idoneis personis factas Papa confirmabit (vel Superior alius in monasteriis immediate non

sub-

subjectis Romanæ sedi) *nisi ex rationabili, & evidenti causa de digniori, & utiliori persona duxerit providendum*. Item reservantur primæ dignitates in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis: collatio vero aliarum dignitatum, & beneficiorum relinquitur ordinariis collatoribus.

§. 4. *Placet etiam nobis*. Conceditur alternativa sex mensium; & si Papa in suis mensibus non provideat intra trimestre a die vacationis notæ, non Romæ, vel alibi, sed notæ in loco beneficii, ordinarii collatores providere poterunt. Sufficit autem, ut provisio a Papa facta, intra trimestre saltem Romæ appareat, & quantocius per ipsum provisum notificetur Ordinario ex Const. Gregor. XIII. incip. *Quæ in Ecclesiarum* 1576. *Kalend. Novemb.* Quodsi interim elapso trimestri Ordinarius providit, provisio non est absoluta, sed conditionata, si Papa intra trimestre non providit. Ita hunc §. intelligunt DD. ex *cit. Const. Greg.* Insuper additur, ut hæc alternativa mutari nequeat, nisi in futuro concilio de consensu nationis germanicæ.

§. 5. *Placet simpliciter*, determinatur modus annatarum, de quibus commodius agemus *libr.* 5. *tit. de Simon.*

§. 6. *In aliis autem* Constitut. Eug. IV. pro natione germanica approbatur quoad ea, quæ his concordatis non adversantur.

§. 7. & 8. Præcipitur publicatio concordatorum, & prohibetur, ne quis eis contravenire præsumat, addito decreto irritante: *insuper irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*.

39. Ex his patet concordata esse multo favorabiliora regulis cancellariæ: nam per *reg.* 2. simpliciter reservantur omnes Ecclesiæ cathedrales, monasteria virorum &c. at per concordata tunc solum, dum vacant in curia Romana. Item in *reg.* IX. conceditur alternativa pro 4. mensibus, & beneficia reservata fiunt affecta: at in concordatis datur alternativa sex mensium, & beneficia non redduntur affecta; sed si Papa intra trimestre non providit, provisio devolvitur ad Ordinarium. Adhuc unum, & alterum dubium resolvendum est: I. *ad* §. 2. *cit.*

40. Beneficia promoti auctoritate papali vacant in curia; sed non illa, quæ vacant per promotionem vi gratiæ expectativæ, vel primarum precum factam: uti nec illa, quæ vacant per promotionem ad unum ex 4. Episcopatibus Gurcensi, Chiemensi, Seccoviensi, & Lavantino, seu ad *Ostium Lavanti*, quos ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ confert Archiepiscopus Salisburgensis; & ita promotorum vacantia beneficia conferunt ordinarii collatores.

41. II. Confirmandus per Papam probabilius non potest ante confirmationem beneficia præhabita resignare in manibus capituli: ita Brenden, Chokier, & alii contra Layman, Schmalz. Engl. & obiter Flamin. Paris *l.* 3. *q.* 6. *n.* 92. nam per *reg.* 3. *Cancell.* talis resignatio est irrita; sed in concordatis non derogatur huic regulæ: imo cum sit declarativa constitutionis, *Ad regimen*, censetur inclusa in concordatis, ergo. Nec obstat prima decisio Rotæ in una Paderbonensi præpositurae: nam in secunda propositione correcta est, Branden. *l. c.*

42. III. Beneficia ipso facto ob crimen vacantia, tunc tantum censentur vacare in curia, dum sententia criminis declaratoria lata est in curia Apostolica, vel a legato Sedis Apost. secus, si lata sit ab Ordinario: nam licet canon inducat privationem, sententia tamen illam consummat: atque ita ibi vacat beneficium, ubi sententia lata est.

43. IV. Si promoti auctoritate Papæ, ex ejus dispensatione retinent priora beneficia, hæc reservata manent in concordatis. Ita Praxis curiæ Rom. ut patet ex facto Clementis XI. qui *ann.* 1702. contulit Canonicatum Episcopi Hildesiensis in augusto mortui: nam in *Extrav. Ad regimen h.t.* generaliter dicitur: *beneficia, quæ obtinebant tempore promotionis nunc vacantia, & in ante vacatura*; ergo reservantur, quandocumque sunt vacatura etiam post obitum promoti. Oppositum sentiunt Engl. VVex &c.

44. *Ad* §. 4. *de alternativa*: I. Sub alternativam non cadunt beneficia, quæ vacant tempore Sedis Apostolicæ vacantis, sive ipsa Sedes, sive beneficium citius vacaverit: ita de beneficiis curatis habetur *c.* 35. *h. t. in* 6. & de simplicibus evincitur ex eo, quia favor a jure communi concessus, non est sublatus per concordata; ergo nec reservationes sunt, Sede papali vacante.

45. II. Dispositio *c.* 3. *h. t. in* 6. non est sublata per concordata; adeoque beneficia vacantia in curia, si intra mensem non conferantur a Papa, deinceps ab Ordinario conferri possunt: nam concordata *cit.* §. 4. *placet etiam nobis* loquuntur de trimestri comparative ad beneficia alternativæ obnoxia, non vero vacantia in curia.

46. III. Si provisio papalis in alternativa invalida fuit, Ordinarius post trimestre providere potest; neque appositio manus papalis, cum excepta non sit, derogat concordatis.

47. *Ad* §. *fin.* Cum concordata vim publici pacti habeant, & decreto irritante munita sint, nec natio germanica, nec Papa de potestate ordinaria, nec aliqua præscriptio, aut consuetudo eis derogare potest; nisi de consensu dictæ nationis aliud videretur in futuro concilio, §. *placet etiam*, idque declaravit Paulus V. Const. incip. *Ex pastoralis*. 5. *Kal. April.* 1613. & Greg. XIII. Const. *Quæ in Ecclesia* 1576. *Kal. Nov.* & Clem. VII. Const. *Admonet. Kal. Jul.* 1534. & ita semper observat praxis curiæ Rom. Nec obstat, quod consuetudo immemorialis non sit excepta: nam licet hæc prævalere possit contra leges humanas, non tamen contra jus naturale, pactis præsertim publicis assistens, *c. fin. de consuetud.* Judico tamen oppositam sententiam, quæ docet consuetudine immemoriali, seu præscriptione posse derogari concordatis, non esse improbabilem, eamque tenent Zypæus, VViestner, la Croix, Schmalz.

48. Præter concordata Germaniæ, dantur etiam concordata Galliæ contra Pragmaticam inita inter Franciscum I. Regem, & Papam Leonem X. *an.* 1516. Const. incip. *Primitiva illa Ecclesia*, in qua disponitur: 1. Ut Rex, sublatis electionibus, ad Ecclesias cathedrales, & his majores, intra 6. vel 9. menses Romano Pontifici nominare possit personam idoneam, saltem 27. annorum: secus post novem menses Papa providebit. 2. Ut ad monasteria virorum, quæ per suos Generales non reguntur, Rex nominet personam idoneam ejusdem ordinis in ætate saltem 23. annorum. 3. Sublatæ sunt omnes reservationes generales, & speciales, & gratiæ expectativæ. 4. Præbenda theologalis conferenda est ab Ordinario ei, qui est magister, vel licentiatus, vel baccalaureus, & singulis septimanis bis, vel semel legere debet. 5. Tertia pars officiorum conferenda est viris litteratis graduatis, & ab universitate nominatis in mensibus, ut vocant, graduatis. 6. Papa ordinarium collatorem gravare potest in uno tantum beneficio; non in duobus, nisi 50. beneficia habeat. Hæc, & alia plene videre potes in d. Const. & in tractatu Petri Rebuffi, & collectaneis Georgii Branden super concordatis Galliæ. Item dantur concordata Poloniæ inter eundem Leonem, & Sigismundum Bathorium Regem inita, & ampliata a Clem. VII. const. incip. *Cum singularem* 5. *Kal. Decemb. ann.* 1526. de quibus agere non est hic nostri instituti.

49. Q. V. *Quæ beneficia non comprehendantur sub reservatione generali*? R. seqq. 1. *Manualia*, sive secularia, sive regularia; quia ex defectu perpetuitatis non sunt proprie beneficia. Unde, quia in Religione nostra omnia officia sunt manualia, nullum censetur reservatum. 2. *Beneficia juris patronatus laicorum*, imo & mixti; quia juri quæsito laicorum, nisi specialem de hoc mentionem faciat, Papa numquam censetur derogare. 3. Beneficia resignata *ex causa permutationis*; & forsan etiam ex alia causa, cum resignata non dicantur in rigore vacare, Laym. 4. *Beneficia de mensa*, sive sint incorporata mensæ Episcopali, sive capitulari, sive regulari; vel si sint accessorie unita, vel Vicariæ perpetuæ, quibus rector Vicarium præficit, S. Pius Const. 47. *Ad exequendum*. 5. Beneficia Ecclesiæ *non numeratæ*, seu *receptivæ*, cum defuncto beneficiato non vacent, sed cum eo moriantur. Denique ea omnia, quæ in rigore non sunt beneficia: nam reservatio, utpote odiosa, & juri communi adversa, non tantum specialis, sed & generalis,

lis, est strictæ interpretationis, ut communis tenet contra Gonzalez: atque ita sub reservatione dignitatum non veniunt Episcopatus; nec sub reservatione collationum electiones &c. Similiter reservationes specialiter post concordata non videntur stringere Germanos, ut in Const. S. Pii V. *Cum ex Apostolatus*, & altera: *Romanum Pontificem* Greg. XIII. *Humano* Alexand. VI. *In eminenti*, in Trid. *S.* 24. *c.* 13. *de refor.* &c. nam Pontifex non censetur derogare concordatis, nisi id exprimat, ut supra dictum. Item si Episcopus in Ecclesia electiva, factus Cardinalis, obtinuit indultum liberæ electionis, non censetur Episcopatus reservatus Papæ per §. 2. *concord. Germ.*

50. Q. VI. *Quid, & quæ sint beneficia affecta*? R. *ad* 1. Affecta sunt illa, quibus Papa aliquando manum apposuit incipiendo conferre; ita ut ab inferiori collatore conferri nequeant. Convenit affectio cum reservatione, quod per utramque inferiori collatori tollatur potestas conferendi: differt vero in multis: nam reservatio fit per verba expressa, est continua, & diuturna, & locum habet tantum in beneficiis: e contra affectio fit ipso facto, ex quo tacita oritur reservatio; definit, si provisio secuta est, ut, secuta vacatione, inferior conferat: & locum habet etiam in Ordinibus, ut ordinatus a Papa, nequeat Superiores Ordines ab alio recipere, *c.* 12. *de tempp. Ord.*

Vide notat. post hoc c. par. l. p. 220.

Item in causis, si Papa per se, vel per delegatum cœpit cognoscere; tunc enim inferior non cognoscet in eadem causa, nisi utrobique adsit licentia Papæ. R. *ad* 2. Beneficia per appositionem manus papalis fiunt affecta: 1. Si Papa prohibuit, ne electores ad electionem procedant. 2. Si beneficium, vel jus ad illud resignetur in manibus Papæ. 3. Si Papa alicui dat beneficium in Commendam. 4. Si mandet alicui provideri de beneficio proxime vacaturo. 5. Si Papa etiam invalide conferat alicui beneficium, ut comm. docet contra Abbatem. E contra affectio non fit: 1. Si Papa apposuit manum, non ad conferendum, sed ad alium effectum, v. g. ad præstandam pensionem. 2. Si conferre voluit ex causa permutationis, vel resignationis in favorem tertii; & interim beneficium vacat per obitum. 3. Si conferre voluit ex falsa relatione reservationis, quæ non fuit. 4. Si Ordinarius prior contulit: at in dubio præferendus est provisus a Papa. 5. Si beneficium sit juris patronatus laici, aut vertatur præjudicium concordatorum. 6. Si appositio manus semel est sortita suum effectum, Gonz. Reiff. & alii.

§. V.

De primis precibus Imperatoris Romanorum.

51. Preces istæ sunt nominatio personæ idoneæ ad certa beneficia competens Imperatori, seu Regi Romano ex indulto Sedis Apostolicæ. Dicuntur *preces*, quia Imperator non confert, sed tantum petit nominando, ut collator ordinarius conferat: & quia *preces* hæ nituntur mandato Apostolico, evadunt *preces armatæ*. *Primæ* vero vocantur, quia sunt prima petitio Imperatoris; & *primariæ* quia præferuntur collationi omnium aliorum collatorum. 2. Jus primarum precum est omnino antiquissimum, & descendit ex gratia, & indulto Sedis Apostolicæ; non vero ex vi electionis imperatoriæ, ut tenent catholici contra heterodoxos Fritsch, Vitriar. Reinking. &c. nam id probant antiquissima diplomata Rudolphi I. & II. Ferdinandi II. & III. in quibus tales preces dicuntur favorabiliter, ex mera liberalitate, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concessæ: & licet in illis revocatio sit ad antiquam consuetudinem, tamen hæc consuetudo dicitur probata, & roborata auctoritate Apostolica. An vero jus primarum precum competat Imperatori ex indulto Apostolico semel pro semper dato, aut consuetudine per Sedem Apostolicam approbata; an vero singulis Imperatoribus opus sit novo speciali indulto, lis est etiam inter catholicos, quam hic non decido. Vide Engel, Reiff. Schmalz, & præ ceteris Chokier.

52. Q. I. *Quid juris habeat Imperator vi primarum precum*? R. I. In omnibus Ecclesiis Rom. Imperii, prout nunc est, junctis Ecclesiis Metensi, Tullensi, & Verdunensi, quæ salvis prioribus juribus in Pacific. Westphal. incorporatæ sunt coronæ Gallicæ, semel pro uno beneficio quocumque, etiam electivo, nominare potest, & quidem in singulis Ecclesiis: sic enim habetur in tenore primarum precum. Excipe dignitates Pontificales, & principales in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, beneficia juris patronatus laicorum, ex natura sua regularia, ut Abbatias, litigiosa, manualia, resignata ex causa permutationis, Vicarias temporales, monocularia, & si collator non habet ultra tria beneficia.

53. II. Nominatio Imperatoris non impeditur per concordata Germaniæ, nec per regulas Cancell. nec per rescripta, aut reservationes papales (exceptis, quæ continentur in *extrav. Ad regimen. h. t.*) nec per statuta, & consuetudines particulares: & ideo precista ignobilis recipi debet in Ecclesia, in qua nonnisi nobiles recipiuntur. His tamen non obstantibus, cum privilegium hoc exorbitet a jure communi, strictæ est interpretationis.

54. III. Imperator hoc jus nominandi committere potest aliis, sicut Wenceslaus Imp. commisit Ruperto Seniori Palatino per diœcesim Spirensem, & Wormatiensem. In dubio, an quis prius a Cæsare: an ab ejus Commissario nominatus sit, præfertur nominatus a Cæsare, utpote digniore.

55. IV. Imperator auctoritate Apostolica constituit executores primarum precum, qui hanc potestatem, cum sint delegati principis, subdelegare possunt, & cogere ordinarios collatores ad conferendum; alioquin, ipsis recusantibus, exequutores conferent.

56. V. Imperator postquam unum nominavit, re integra potest variare, & alium nominare, etiam privative: nam per talem nominationem nullum jus acquisitum est nominato, etsi in rotulo, seu albo Cæsaris adscriptus sit; ergo sicut exequutor revocari potest, ita & nominatio. Tunc autem res definit esse integra, dum imploratum est officium exequutoris, aut collatoris. Nec urget paritas a præsentatione ex *c.* 24. *de Jure patr.* nam præsentatio est ad beneficium vacans, adeoque favorabilis; nominatio autem ista est ad beneficium vacaturum; adeoque odiosa, & restringenda.

57. Q. II. *Quid juris circa precistam*? R. I. Precista, seu nominatus debet esse idoneus Clericus.

58. II. Intra mensem a die notæ sibi vacationis petere debet beneficium, ne Ecclesiæ diu vacent *cap.* 6. *elect. in* 6. lapso mense, re integra, adhuc est acceptationi locus *arg. cap.* 17. *h. t. in* 6. obtento autem pacifice secundo beneficio incompatibili, primum vacat.

59. III. Precista nominatus ad plura beneficia, uno obtento, ad cetera non habet jus, sed hæc redeunt ad Imperatorem; cum talis nominatio sit alternativa.

60. IV. Si nominatio fuit indeterminata ad quodcumque beneficium, precista in optione habet, ut acceptet beneficium proxime vacans, vel eo omisso, expectet vacantiam alterius. At si nominatio fuit determinata ad hoc beneficium, eo non acceptato, preces expirant; cum ad aliud se non porrigant.

61. V. Si precista dicat vacare beneficium per obitum Titii, quod vacat per obitum Caii, dummodo reipsa vacet, id non obest acceptationi; quia falsa demonstratio non nocet, si de corpore, seu re constet, *l.* 17. *ff. de condit. & demon.*

62. VI. Mortuo Imperatore ante acceptationem beneficii, preces non expirant, cum sint gratia; sicut præsentatio a patrono facta, re integra, non evanescit.

63. VII. Precistæ minori, vel impedito tempus mensis unius, ad insinuandum præfixum, non currit, *arg. l.* 1. *C. de annal. except. l.* 21. *C. ad L. Jul. de ad ult.* & similibus: ex quibus regula desumitur, quod legitime impedito tempus non currat. Ita hæc deducuntur ex instrumento indulti, quo preces continentur. Ceterum preces istas licitas esse declaravit S. Congr. Greg. XIII. approbante; neque damnari a jure comm. *cap.* 2. 11. *de concess. præb. cap.* 2. *eod. in* 6. & Trid. *Sess.* 24. *cap.* 19. *de refor.* ubi promissiones, & collationes vacaturorum beneficiorum, & gratiæ expectativæ reprobantur: nam per preces nullum jus acquiritur precistæ: & cum preces generales sint, non inducunt

ducunt tantum periculum optandæ, vel captandæ mortis alienæ, ſicut gratiæ expectativæ dantes jus in re.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* in Decreto *diſt.* 55. *& 7. q.* 1. 2. *per tot. & c.* 1. *Gonſaldus* 17. *q.* 1. in Trid. de coadjutoribus *S.* 21. *c.* 6. *& S.* 25. *c.* 7. *v. in coadjutoriis de refor.*

1. Q. I. *An Clericus obſenium, vel infirmitatem removendus ſit a ſua præbenda?* ℞. Negative, ſive ſit Epiſcopus, ſive Parochus, ſive alius ſimplex beneficiatus: ita *c.* 2. *percuſſio q.* 1. *& c.* 1. *& ſeq. h. t.* tum quia afflicto afflictio non eſt addenda *c.* 5. *h. t.* tum quia Clerici infirmi cenſentur Eccleſiæ ſervire, ſicut ſervi infirmi domino *l.* 3. §. 5. *ff. de ſtatu lib.* ibi: *ſervire enim nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros:* tum quia non facile aliquis idoneus vellet deſervire Eccleſiæ, ſi ſciret ſe infirmum negligi ab Eccleſia: unde infirmus fructus ſui beneficii lucratur, ac ſi perſonaliter Eccleſiæ deſerviret.

2. Q. II. *An ægro dandus ſit Vicarius, ſeu coadjutor?* ℞. 1. Canonicus æger, vel inhabilis factus non tenetur ſibi aſſumere Vicarium; nam id nullo jure præcipitur; ſed ſi ſanus ſolitus eſt chorum frequentare, præter fructus groſſos, percipit etiam diſtributiones quotidianas, *c. un. de Cler. non reſid. in* 6.

3. ℞. 2. Cappellanus, qui ad certas miſſas ſingulis ſeptimanis obligatus eſt, ſi per duas, vel juxta Lugonem, per 4. ſeptimanas infirmetur, non tenetur miſſas omiſſas recompenſare; niſi in inſtrumento fundationis caveatur, ut per ſe, vel ſubſtitutum celebret.

☞ *Vide infra tit. XLII. poſt n.* 7. ☜

4. ℞. 3. Epiſcopo, vel Parocho ad exercitium paſtorale inhabili facto dandus eſt coadjutor; ſive inhabilitas proveniat ex cauſa ſenii, ſive infirmitatis perpetuæ, ut amentiæ, lepræ &c. ſive ex alia cauſa, ut captivitate apud hoſtes, ineptia, aut negligentia, aut defectu ſufficientis litteraturæ: ita *c.* 3. 5. *h. t.* Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 6. *de refor.* quo caſu certa penſio aſſignanda eſt coadjutori: & ſi Parochia non ſufficit ad utrumque alendum, Parochus, utpote habens jus in re, præferendus eſt; & coadjutori ſuccurrendum per collationem beneficii ſimplicis, vel ex ſubſidio Parochianorum, vel alio modo. Nec obſtat *c.* 3. *h. t.* nam Sacerdos, ſeu Parochus tantum ab exercitio officii, non a titulo Parochiæ removendus eſt, niſi impedimentum eſſet antecedens, ratione cujus non poſſet ſuſcipi ordo annexus præbendæ; vel niſi crimen mereretur privationem beneficii: quo ſenſu procedit *Can. fin. d.* 55. *& cap.* 1. *de ætate, & qual. & Canon.* 15. *ſi quis* 18. *qu.* 2.

5. Q. III. *Quid, & quotuplex ſit coadjutoria, & quid juris circa eam?* ℞. 1. Eſt poteſtas Clerico conceſſa ad beneficiatum in regimine ſui beneficii adjuvandum. Eſt duplex: *temporalis*, ſeu *revocabilis*, quæ datur ad tempus ob utilitatem Eccleſiæ, & maxime ob curam animarum: & hæc mortuo coadjuto, vel ſanitati reſtituto, aut alio modo a beneficiis abſoluto, expirat, ſicut mortuo pupillo, expirat officium tutoris §. 1. 2. *Inſt. quib. mod. tutel. fin. Perpetua*, ſeu *cum jure ſuccedendi*, quæ datur non tantum ad rectorem adjuvandum; ſed etiam ad illi ſuccedendum; ſi Epiſcopatus, vel Parochia per mortem, aut reſignationem vacaverit: atque ita coadjutor perpetuus ſuccedit in locum, & officium coadjuti abſque nova collatione vi clauſulæ: *ex nunc pro tunc*; dummodo litteræ coadjutoriæ perpetuæ expeditæ ſint ante mortem, vel reſignationem coadjuti; cum in iis ſpectetur tempus datæ, etſi necdum pervenerint in notitiam coadjutoris.

6. ℞. 2. Coadjutor perpetuus non poteſt dari, niſi a ſolo Papa; & regulariter tantum in Eccleſiis cathedralibus, aut monaſteriis ob cauſam neceſſitatis, & utilitatis prius a Papa cognitam: ita comm. *Can.* 17. *petiviſti* 7. *q.* 1. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. *de refor.* nam coadjutoria perpetua, cum vim habeat collationis beneficii vacaturi, generaliter prohibetur a jure communi, ſalva ſemper, & excepta auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quæ ob neceſſitates, & utilitates Eccleſiarum diſpenſare poteſt in Sac. Canonibus, ſicut *cit. Can.* 17. S. Bonifacio Moguntino Præſuli conceſſus eſt a Zacharia Papa coadjutor cum jure ſucceſſionis.

7. ℞. 3. Coadjutor temporalis Epiſcopis, & his Superioribus, de via ordinaria dari poteſt a ſolo Papa *c. un. h. t. in* 6. ex ratione ibi addita, quia talis datio numeratur inter cauſas graviores Papæ reſervatas, & conſuetudo in contrarium rejicitur. At in caſu neceſſitatis, & diſtantiæ a ſede Romana, Epiſcopus æger, judicio tamen pollens, ipſemet auctoritate Pontificia cum conſilio, & conſenſu majoris partis capituli ſibi eliget unum, vel alterum coadjutorem. Si vero Epiſcopus morbo animi, ut dementia laboret, capitulum per vota duarum partium ex tribus eliget coadjutorem unum, vel ad ſummum duos (ne Eccleſia prægravetur) totumque hunc actum, uti etiam, ſi Epiſcopus inutilis nollet accipere coadjutorem, Sedi Apoſtolicæ nuntiabit, *cit. c. un. h. t. in* 6.

8. ℞. 4. Coadjutor temporalis Parocho, vel alteri Prælato inferiori dari poteſt ab Epiſcopo, etiam tanquam Sedis Apoſt. delegato, vel alio Prælato habente jus inſtituendi, & deſtituendi, *c.* 3. *h. t.* Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 6. *de refor.* nam talis datio eſt neceſſaria, ne Eccleſia, maxime in cura animarum debito miniſterio deſtituatur; nullibi vero prohibita reperitur, ſed conceſſa, imo imperata per *citt. jura.*

9. Q. IV. *Quæ ſit idoneitas, poteſtas & obligatio coadjutoris?* ℞. 1. Coadjutor debet eſſe inſtructus omnibus qualitatibus ad miniſterium coadjutoriæ neceſſariis, Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 7. *in fin. de ref.* unde coadjutor Epiſcopi in ſpiritualibus debet eſſe ætatis 30. ann. morum gravitate, ſcientia, & ordine Epiſcopali inſignitus, niſi Sedes Apoſtolica in aliqua qualitate diſpenſet, uti ſolet in coadjutoribus perpetuis. Quoad ſtatum parum refert, an ſit Clericus ſecularis, an regularis. Sic conſtitutus coadjutor, licet præcedat omnes inferioris ordinis, non tamen pares; quamvis coadjutus eos præcederet, quia in eodem ordine clarior eſt, qui propriis, quam qui alienis radiis fulget: unde coadjutor Epiſcopi, vel Abbatis non præcedit alios Epiſcopos, vel Abbates.

10. ℞. 2. Poteſtas coadjutoris tanta eſt, qnanta exprimitur in litteris coadjutoriæ, & generaliter loquendo, coadjutor in ſpiritualibus, & temporalibus Epiſcopo amenti datus, in his omnibus habet liberam poteſtatem, ut etiam beneficia vacantia, cum ſint dationis neceſſariæ, conferre, & reſignationes recipere poſſit: datus vero Epiſcopo ſeni, uſu rationis pollenti, exercebit omnia, quæ ſunt juriſdictionis, & ordinis; niſi aliqua excepta ſint: alienare tamen non poterit, nec libera beneficia conferre, Barboſ. & alii.

11. ℞. 3. Onus coadjutoris eſt reſidere in loco beneficii cum effectu, ſeu exercitio ſui officii; licet more Epiſcoporum per trimeſtre abeſſe poſſit: item rationem ſuæ adminiſtrationis dare, vel coadjuto, ſi ſanæ mentis eſt, vel capitulo; vel ſi id ante non fecit, ſucceſſori coadjuti, *c. un. h. t. in* 6. Et quamvis de jure Rom. *l.* 4. *ff. de tutel. act.* a tutoribus, & curatoribus, durante eorum officio, non exigantur rationes, exigi tamen poſſunt, durante officio coadjutoris, *cit. c. un. in fin. h. t. in* 6.

12. Q. V. *An Sacerdos laborans epilepſia, ſeu morbo caduco, arcendus ſit ab altaris miniſterio?* ℞. Circa morbum iſtum ita diſponitur in jure: qui frequenter hoc morbo tangitur, abſtinere debet a celebratione: *indecens enim eſt, & periculoſum, ut in conſecratione Euchariſtiæ morbo victus epileptico cadat.* Quodſi plene liberatus eſt, ſacrificare poterit, *c.* 1. *in tuis* 7. *q.* 1. Probandus autem eſt unius anni ſpatio, an re ipſa liberatus ſit, *c.* 3. *d.* 33. 2. Qui raro hunc morbum patitur (ſemel intra menſem, ut inquit Tamburinus) & cadendo voces confuſas, & ſpumas non jactat, permittitur celebrare, non ſolus, ſed cum aſſiſtentia Sacerdotis, qui ſupplere poſſit miniſterium *Can.* 15. *illud* 7. *q.* 1. At ſi morbo hoc correptus confuſas voces, & ſpumas jactet, cum videatur ſimilis arreptitio, non eſt permittendus celebrare, *c.* 2. *nuper.* 7. *q.* 2. conformiter *c.* 3. *d.* 33. & cum res gravis ſit, præcipit Gelaſius Papa Superioribus ſub divini contemplatione judicii, & conſcientiæ reſpectu ſolertiſſime de veritate inquirere. Nec ſufficit, quod incuſatus de hoc morbo neget, vel publice non conſtet; quia forſan in occulto morbus hic accidit; & ideo mandat Gelaſius, ut Ruſticus Epi-

Episcopus apud se retineat, probetque Episcopum Foro populensem per 30. dies, dando ei carnes indifferenter.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

Agitur de hac materia in Sexto *h.t.* in Decreto 16. *q.* 7. *c.* 9. *& seqq.* in Trid. *S.* 7. *c.* 13. *S.* 14. *c.* 12. 13. *& S.* 25. *c.* 9. *de refor.*

1. *Nota* 1. Institutionem, & collationem etiam in jure sæpe promiscue usurpari, ut *reg.* 1. *in* 6. stricte autem, & specifice *collatio* significat liberam dationem beneficii independenter ab ullius præsentatione, aut nominatione. *Institutio* est datio beneficii vacantis auctoritate legitimi Superioris facta ad præsentationem, vel nominationem patroni: & cum institutio sit de necessitate, ita ut Ordinarius præsentatum idoneum rejicere non possit, dici solet *collatio necessaria*.

2. *Nota* 2. Tres esse species institutionum: 1. Est *collativa tituli*, qua titulus, seu jus in beneficio confertur. 2. Est *auctorizabilis*, seu *auctorizativa*, qua Clericus approbatur, & promovetur ad curam animarum. 3. Est *investitura*, qua Clericus accipit possessionem beneficii. Et hæc *investitura*, vel est *abusiva*, quæ solet fieri in consistoriis per traditionem signorum sensibilium, ut clavium &c. vel est *realis*, seu actualis missio, & introductio in possessionem beneficii, & vulgo dicitur *installatio*; quamvis proprie soli Episcopi investiantur per installationem solitis cæremoniis factam. Porro ut institutio sit Canonica, fine qua beneficium Ecclesiasticum non obtinetur *reg.* 1. *in* 6. debet esse in instituente potestas, in recipiente habilitas, in actu ipso solemnitas; adeo quidem, ut fiat sine vitio conferentis, recipientis, & formæ, de quibus hic agendum.

3. Q. I. *Quis possit instituere?* ℟. 1. Post Papam solus *Episcopus* in sua diœcesi, *cap.* 3. *h. t. c.* 12. *in fin. de hæret.* ibi *ad Episcopi officium tam institutio, quam destitutio Sacerdotum noscitur pervenire:* quibus, & similibus juribus fundatur in jure intentio Episcopi, ut alius, contendens sibi competere jus instituendi cogatur illud probare. Nomine autem Episcopi venit hic etiam Prælatus plenissimo jure cum Clero, & populo exemptus. 2. *Vicarius generalis* Episcopi *c.* 3. *h. t.* ibi: *qui hoc de jure possunt*: nam institutio nec numeratur inter causas arduas, sicut destitutio: nec reservata est Episcopo, sicut collatio libera *c. fin. de off. Vicar. in* 6. 3. *Capitulum*, *sede vacante c.* 1. *h. t. in* 6. quia institutio est jurisdictionis necessariæ, quæ transit in capitulum, *c. un. de M. & O. in* 6. 4. Prælati specialiter a Papa privilegiati, cujus privilegii etiam Abbatissa est capax *c.* 12. *de M. & O.* imo, & laicus. Secluso autem privilegio, laici, sicut incapaces sunt possidendi jus Spirituale instituendi, ita etiam nulla præscriptione, vel consuetudine illud acquirere valent. 5. Potestas instituendi non potest in fundatione reservari alteri, quam Episcopo: ita Trid. *S.* 14. *cap.* 12. *de ref.* indistincte dicens: *In casu autem fundationis, aut dotationis, institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.* Cui juri non videtur posse renuntiare Episcopus in præjudicium successorum, approbando fundationem in contrarium. Oppositum tenent Card. de Luca, Emerix, la Croix, explicantes Trident. non loqui de institutione collativa, sed auctorizabili; vel pro eo casu, quo Episcopus sponte non consentit. Sed nostra communis sententia videtur verior. 6. In Ecclesia sita in confinio duarum diœcesium is instituit, qui est in quasi possessione juris instituendi; quia ex *reg.* 65. *in* 6. in pari causa melior est conditio possidentis. Secus ille, in cujus territorio est caput Ecclesiæ, vel porta principalis, vel potius jus instituendi erit commune *arg.* §. 22. *Insula Inst. de R. D.*

4. Q. II. *Quis institui possit?* ℟. 1. Clericus idoneus, *c.* 2. *h. t.* a patrono præsentatus: & quidem si unus ab uno, alter a duobus præsentetur, iste instituendus est, non ille, etsi esset dignior, quia in hoc casu non censetur præsentatus, *c.* 3. *de jurepatr.* Rota in *Pisciensi.* 20. *Maii* 1658. si vero pares sunt in voce, dignior præfertur; si æque digni, locus est gratificationi. 2. Principes laici ex speciali privilegio in præbendis honorariis institui possunt, sicut Imperator coronatus ad S. Petrum in Vaticano, Rex Hispaniæ in Ecclesia Legionensi, Res Galliæ in Pictavensi, & Cenomanensi, Rex Romanorum in Aquisgranensi &c. 3. Minorista alias idoneus ad Parochiam præsentatus, instituendus est; dummodo intra annum ad Sacerdotium valeat promoveri, *c. fin. h. t. in* 6. idoneus autem alias non censetur, nisi habeat ætatis annum 25. saltem inchoatum, *c.* 7. *de elect. c.* 9. *de rescr. in* 6. 4. Clerici etiam alterius originis, & nationis præsentari, & institui possunt; modo alias sint idonei *c.* 5. *h. t.* nisi beneficia essent patrimonialia pro certa familia, civitate, aut natione. 5. Clericus habens jus instituendi, non potest se ipsum instituere; etsi a patrono præsentetur, & alteri potestatem deleget ad se instituendum *c. fin. h. t.* quia inter dantem, & recipientem debet esse distinctio personalis: tum quia in tali institutione ambitionis, & avaritiæ turpitudo relucet *c.* 26. *de jurepatr.* ob quod cessant hic paritates ex *l.* 1. 5. *ff. de manum vindict. l.* 3. 4. *ff. de adopt. c.* 33. *de elect.* 6. In Ecclesiis, vel monasteriis tot sunt instituendi, quod commode ali possunt *c.* 1. 4. *h. t.* & in decreto refor. Clem. VIII. §. 7. si tamen redditus notabiliter accrescant, vel decrescant, augeri, vel minui potest numerus instituendorum *c.* 9. *de constit.*

5. Q. III. *Qua forma fieri debeat institutio?* ℟. 1. Præcedere debet præsentatio; alias institutio est nulla, nisi deinde patronus ratam haberet *c.* 32. *decernimus* 16. *q.* 7. *& c.* 8. *de jurepatr.* ubi talis institutio dicitur *irritanda*, h. e. irrita declaranda. Si vero Episcopus scienter instituit non præsentatum, tenetur ei de alio beneficio providere *c.* 29. *de jurepatr. quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse.* 2. Si præsentatio, & institutio eidem personæ competat ex diversis titulis, ut si Episcopus ratione patrimonii sui sit patronus, expediet, ut præsentatio, & institutio fiat duplici actu, v. g. præsentatio per procuratorem, & institutio per Episcopum, ne forsan jura ista confundantur. At si dignitati Episcopali donatum est jus patronatus, beneficium evadit *liberum*, *& collativum*; & tunc præsentatio, & institutio facienda est unico actu collationis. 3. Facta præsentatione, accedere debet auctoritas Superioris Ecclesiastici, qui jus instituendi habet, *cap.* 3. *h. t.* Trid. *S.* 14. *c.* 13. *de reform.* alias patronus laicus per se instituens anathemate feriendus, & institutus ab eo communione privandus; & si perstiterit in delicto, ab officio, & ordine deponendus est *c.* 4. *&* 21. *de jurepatr.* 4. Episcopus, antequam instituat, proponere debet edictum publicum in valvis Ecclesiæ, quo generaliter, & peremptorie citentur ii, quorum interest, an quid in contrarium habeant *arg. c. fin. de elect. in* 6. Hujus tamen edicti in multis diœcesibus non est usus. 5. Tandem examinata idoneitate personæ, Episcopus consensum præbet institutioni quocumque loco, etiam existens extra diœcesim; & quacumque die, etiam feriata; cum ista institutio sit actus jurisdictionis voluntariæ, & expediatur sine strepitu: & desuper conficiuntur in praxi litteræ, non tam ad substantiam, quam probationem institutionis necessariæ. Ceterum, licet Superior non habet præfixum tempus, intra quod teneatur instituere, tamen ne Ecclesia ex diuturna vacatione damnum sentiat, expedit institutionem quantocius fieri, etiam ante elapsum quadrimestre, quia volenti patrono non fit injuria.

☞ *In Parochialibus tamen ex Constit. S. Pii V.* In conferendis 18. *Mar.* 1567. §. 4. *fieri debet intra duos menses a die præsentationis computandos*, *& —* ipsis Ordinariis illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menses deferentibus, possint *(patroni)* pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam.

Circa alia beneficia, nullum in jure præfixum est tempus ad capiendam possessionem, ac institutionem. Provisi tamen, præsertim de beneficiis residentiam requirentibus, cogi possunt post tres menses ab Episcopo ad eam capiendam sub pœnis statutis a Trid. sess. 24. *cap.* 12. *de ref. contra non residentes, Clericat. de benef. discordia* 90. *n.* 14. *Laurenius de benef. par.* 2. *q.* 818. *Circa provisos vero de beneficiis per resignationem, & permuta-*

mutationem vide addita lib. 1. *tit. IX. post num.* 7. *pag.* 471. ☞

6. Q. IV. *Quid juris circa institutionem auctorizabilem?* ℞. 1. Approbatio ad curam animarum de jure communi facienda est ab Episcopo (vel Vicario generali, vel a capitulo, sede vacante) etiamsi institutio collativa tituli spectet ad alium Prælatum *c.* 4. *de off. Archid.* si vero utraque institutio collativa, & auctorizabilis spectet ad Episcopum, uno actu expediri potest, præmisso examine, Trid. *S.* 7. *c.* 13. *de refor.* nisi aliunde constaret de idoneitate Clerici, vel is præsentaretur, seu nominaretur ab universitate, seu collegio generalium studiorum, *ibid.*

℞. 2. Institutio auctorizabilis contra Episcopum non præscribitur, etiam præscriptione, vel consuetudine immemorabili, Trid. *cit. S.* 7. *c.* 13. *de refor.* ibi: *neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti.* Quibus verbis reprobatur præscriptio, & consuetudo non tantum præterita, sed etiam futura; & ita ampliatur dispositio *c.* 4. *de off. Archid.* nam talis consuetudo est prorsus irrationabilis: tum quia nocet Ecclesiis, dum, sublato examine, multi imperiti irrepunt ad curam animarum: tum quia contrariatur juri divino, quo Episcopus obligatur pascere suum gregem; & consequenter scire, an idoneos habeat pastores subordinatos: atque ita contra hoc jus nulla currit præscriptio, nisi translativa; dum tota Parochia cum Parochianis ab uno Episcopo transfertur per præscriptionem ad alterum: quo sensu procedit *c.* 1. *de præscr. c.* 32. *in fin. de privil. c.* 7. *eod. in* 6. arg. ex *l.* 1. *C. de patria potest. l.* 3. §. 10. *ff. de acq. poss. c.* 3. *si quis* 17. *c.* 2. Institutio autem collativa tituli, cum istas repugnantias non habeat, præscribi potest, sicut & alia jura Episcopalia *c.* 4. 13. 15. 18. 19. *de præscr.* non tamen ea, quæ sunt curæ pastoralis, ut visitatio, obedientia &c. *cap.* 11. 12. *eod.* & conf. nec institutio commissoria curæ animarum.

☞ *Notandum est hic obiter, quod cum in primis editionibus Conc. Trid. Romæ proditis duplici paginarum forma, altera in folio, altera in octava folii parte e typis Pauli Manutii Aldi filii anno* 1564. *legatur in principio cit. c.* 13. *Trid.* -- Præsentati, seu electi, vel nominati a quibusvis -- *illa præpositio A mendose est impressa, ut constat ex uno exemplari earumdem editionum in folio, emendato ab Angelo Massarello Episcopo Thelesino, secretario ejusd. Conc. qui ad calcem dicti exemplaris testatur, se illud cum authentico originali contulisse, adhibitis etiam duobus Concilii notariis, Marco Antonio Peregrino Clerico comensi, & Cynthio Pamphilo de S. Severino camerinen. diœcesis: quod sic authentice ipsiusmet Massarelli manu correctum, asservatum vidi in insigni Biblioth. Corsina: alterum exemplar ita, & eodem charactere correctum legi in Bibliotheca Ghisia: juxta quam correctionem idem Manutius eodem anno, & eadem duplici paginarum forma Concilium Romæ iterum impressit, additis in fronte utriusque posterioris editionis verbis* - Index dogmatum, & reformationis -- In ædibus Populi Romani -- *Hunc eundem errorem animadverterat prius Fagnanus in cap.* Accepimus de ætat. & qualit. præficien. n. 31. *& postremo Clarissimus vir Cardinalis Lanfredinus: in editione enim ejus opera prodita Romæ e typis Hieronymi Mainardi anno* 1732. facta collatione cum authenticis actis *ipsius Concilii in archivio S. Angeli asservatis, non legitur dicta præpositio A., ut mendose legitur addita in aliis fere omnibus editionibus, quæ variis locis tam ante, quam post hanc prodiere. Et quidem, recte perpenso vero ipsiusmet textus spiritu, statim apparet mendosa impressio A. Concilium enim hic loquitur in casu, quo præsentatio, electio, velnominatio fiat aliis, quam Episcopo; ac proinde ad præservandam ipsius jurisdictionem jubet præsentatum electum, vel nominatum non aliter confirmandum, vel instituendum, quam prævio Episcopi examine; prout etiam declaratur alio ejusdem Concilii textu c.* 9. *sess.* 25. *de refor. non autem loquitur in casu, quo ipsimet Episcopo fieret præsentatio, vel nominatio: tunc etenim extra controversiam illæsa remaneret illius jurisdictio, ut consideranti patet.*

7. Q. V. *Quid juris circa institutionem corporalem, seu investituram?* ℞. 1. Clericus habens collationem tituli, non potest propria auctoritate apprehendere possessionem beneficii; secus pro merito puniendus est secundum *c.* 18. *de præb. in* 6. Excipe, nisi a Prælato suo accepisset investituram abusivam per traditionem, v. g. bireti, clavium &c. tunc enim liberum habet ingressum ad beneficium: saltem si actu a nullo alio possessore occupatum est, ut passim hic practicatur. 2. Ad investituram requiritur auctoritas Superioris Ecclesiastici, *c.* 9. *de off. Archid.* secus laici dantes, & Clerici ab eis recipientes investituras excommunicantur *Can.* 12. *& seq.* 16. *q.* 7. Iste autem Superior Ecclesiasticus de jure communi, vel saltem ex commissione Episcopi, est Archidiaconus *c.* 7. 9. *de off. Archid.* at de consuetudine est Episcopus, qui per se, vel suos Vicarios, ut Decanos rurales, hanc introductionem facit, *c.* 28. *de præb. in* 6. Quod si alius Clericus actu possideat, vel detineat beneficium, prius citandus est, & causa summarie cognoscenda, *c.* 28. *de præb. in* 6. nec admittuntur exceptiones, cum plerumque sint malitiosæ, nisi de crimine diffamato, de tituli Canonici defectu, & aliæ similes, quæ in continenti probari possunt. 3. Modus, seu cæremonia investituræ realis varia est pro varietate locorum; & consequenter consuetudo cujusque loci observanda. Episcopi solent investiri per installationem, Abbates per collocationem in sede Abbatiali, Canonici per assignationem loci, & sedis in choro, & capitulo, Parochi per insignia Parochialia, traditionem clavium, libri rationum &c. 4. Effectus hujus investituræ sunt iidem, qui acquisitæ possessionis, puta, interdicta possessoria, jus faciendi fructus suos, præsumptio tituli, & conditio præscribendi. Et quidem, quod speciale est, si beneficiatus bona fide cum titulo colorato possideat beneficium, secluso vitio simoniæ, & alio simili, per triennium, plene præscribit illud in foro externo, & interno ex *reg.* 36. *Cancell. de triennali possessore.* Si vero per unum annum pacifice beneficium possideat, impetratio ejus ab altero facta non valet, nisi ostendatur vitium tituli, in supplicatione exprimatur nomen, gradus in litteris, nobilitas possessoris, tempus possessionis, causa specifica vitiosi tituli, & tota ista actio intra sex menses usque ad sententiam definitivam in judicio terminetur, *reg.* 35. *Cancell. de annali possessore.*

☞ *Suppletur hic quod addi debuerat ad tit. V. de præb.* §. 11. *de collat. benef. circa ea, quæ servari debent in collatione beneficiorum per concursum in litteris encyclicis Clem. XI. & Constit. Bened. XIV.* Cum illud 14. *Decem.* 1742. *in qua insertæ sunt dictæ litteræ, hæc servanda præscribuntur.*

1. *Ut Episcopus, habita notitia vacationis beneficii curati, statim in ea deputet Vicarium cum congrua fructuum assignatione ad curæ onera sustinenda, donec de rectore provideatur.*

2. *Ut edicto intimetur concursus, præfigaturque terminus, intra quem tantum coram Cancellario Episcopi, vel alio ab hoc deputato exhibeantur in actis concurrentium requisita. Romæ præfigitur terminus decem dierum.*

3. *Ut hæc redigantur in compendium, & ejus copia die concursus tradatur tam Ordinario quam examinatoribus, ut hi una cum illo judicium ferant, nedum super doctrina, sed etiam super vita honestate, aliisque concurrentium dotibus ad animarum curam exercendam necessariis. Circa hoc judicium vide Elench. VI. a n. LXXIV. ad LXXIX. Romæ, si scrutinium fieri nequeat eodem die, differtur ad duos, vel tres dies, obsignatis interim responsis sigillo Eminentissimi Vicarii.*

4. *Ut coadunatis concurrentibus, omnes claudantur in eodem conclavi, unde nemo egredi vel alius quispiam eo ingredi possit, donec confecerint intra certum, & idem temporis spatium omnibus constitutum, exhibuerintque scripta, & subscripta propria cujusque manu responsa casuum uno, eodemque tempore dictatorum latine exarata, & sermonem seu oratiunculam conscriptam eo idiomate, quoad populum haberi solet super textu Evangelii eodem pariter tempore omnibus tradito. Romæ proponuntur resolvendi novem casus.*

5. *Ut singula responsa, & oratiunculæ subscribi debeant ab Ordinario, vel ejus Vicario, examinatoribus, & Cancellario concursus.*

6. *Cavetur etiam, ne peracto hoc modo concursu, collataque Ecclesia Parochiali magis idoneo, ac digniori admittatur appellatio, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur; & ne judex, ad quem possit pronuntiare, nisi secundum acta concursus, ad ipsum clausa, & obsignata transmittenda, vel originalia, vel eorum authentica exempla, confecta a cancellario concursus, & ab altero notario collata coram Vicario, vel alio in Ecclesiastica dignitate constituto, eligendo ab Episcopo, ac subscripta ab examinatoribus, qui concursui interfuerunt. Et hoc juxta cit. Bened. Constit. diserte vetantis posse recipi documenta cujuscumquegeneris post concursum expiscata; derogando hac in parte præfatis litteris encyclicis id permittentibus.*

7. *Quod si Ordinarius, posthabito uno, vel altero ex approbatis, Parochiam contulerit magis idoneo ex informata conscientia, hanc sibi tantum notam causam per litteras familiares indicabit judici appellationis; qui nec illam revelare, nec postulare poterit, ut ea juridice probetur. At si eidem Ordinario suspecta sit fides judicis ad quem, dictam causam aperire teneatur Præfecto Cong. Conc.*

8. *Statuitur præterea, ut si sententia judicis appellationis sit uniformis praelectioni facta ab Ordinario, non possit ulterius provocari: si vero fuerit contraria, possit praelectus ab Ordinario ab alium appellare: retenta tamen interim Parochia possessione: sed ubi secundus judex pronuntiaverit, is Parochiam obtinere debeat, cui duæ assistunt sententiæ; ne cum animarum curæ jactura justo longiores sint provocationes.*

9. *Ultimo cavetur ut semper liceat Episcopo, nulla petita a S. Sede licentia, concursum indicere, & complere pro Parochialibus, aut aliis dignitatibus animarum curam adnexam habentibus; sive vacaverint in mensibus reservatis, sive ex alio capite eidem S. Sedi reservatæ sint; hac tamen lege, ut si reservatæ tantum sint ratione mensium, eligat magis idoneum, & Dataria significet absque transmissione actorum concursus, nisi ab eadem Dataria requirantur. Si vero reservatæ sint ex alio capite, abstineat a ferendo dignioris judicio, & acta concursus ultro Dataria exhibeat. Relinquitur tamen Ordinariorum arbitrio familiaribus litteris denuntiare Datario personam magis dignam, eumdemque monere, an occulta aliqua, & in actis juste reticita subsit causa, quæ cuipiam obstet ad Parochiam obtinendam. Circa concursum pro prabenda Theologali, & pœnitentiaria vide Elencho VI. n. III. & LXV. par. I. pag. 443. & 469.*

TITULUS VIII.

De concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clementinis, Extravag. Joann. XXII. *h. t.* In Decreto 8. *q.*1. 3. & *cap.* 10. *non furem* 7. *qu.* 1. In Trid. *sess.* 24. *c.* 19. *de refor.*

1. *Nota* 1. Præbendam tunc vacare, dum destituitur proprietario, vel possessore, aut detentore. Et quidem, si titulus resolutus est, nullusque possidet, vel detinet beneficium, tunc hoc plene vacat *de jure, & facto.* Si vero titulus non est resolutus, & beneficiatus animo, vel corpore, possessionem amisit, beneficium vacat *de facto*, seu quoad possessionem tantum. Si tandem titulus reipsa resolutus est, & beneficiatus retinet possessionem, aut saltem tenutam, beneficium dicitur vacare de jure, sed non de facto.

2. *Nota* 2. Vacationem induci vel *per sententiam judicis*, dum is beneficiatum privat beneficio; vel *ipso jure*, dum jus absque facto hominis resolvit titulum. Nunquam autem beneficium vacat ipso jure, nisi in casibus a jure expressis: cujusmodi sunt: 1. Mors beneficiati, dummodo beneficium in re habitum fuerit in Ecclesia numerata, & interim non sit suppressum, *c.* 36. *de elect. c.* 10. *h. t.* nam mors omnia solvit. *Nov.* 22. *c.* 20. at si quis, v. g. ex electione habeat tantum jus ad rem, & interim moriatur, vel ei renuntiet, non dicitur beneficium vacare per mortem, vel renuntiationem electi, sed per decessum prioris beneficiati. 2. Translatio *c.* 2. & *fin. de transl.* 3. Renuntiatio, *c.* 12. *de renunc.* 4. Assumptio status de jure incompatibilis cum beneficio, uti est matrimonium, professio Religiosa, militia terrestris, *c.* 1. 5. *de Cler. conjug.* 5. Non promotio ad Sacerdotium intra annum in Parochia, *c.* 14. *de elect. in* 6. 6. Non susceptio consecrationis Episcopalis intra tempus a jure præfixum, Trid. *sess.* 23. *c.* 2. *de ref.* 7. Intrusio, vel violenta occupatio alterius beneficii inducit privationem prioris, *c.* 18. *de præb. in* 6. 8. Atrociora crimina, quibus annexa est privatio beneficiorum ipso facto, & jure incurrenda; ut hæresis, simonia realis, & confidentialis, falsatio litterarum Apostolic., persecutio S. R. E. Cardinalium, assassinium, & alia, de quibus suis locis. Porro vacatio per sententiam, & ipso jure inducta multum differunt: nam beneficio privandus per sententiam, ante eam retinet titulum, fructus suos facit, beneficium permutare, & resignare potest, & si moriatur ante condemnationem, beneficium vacat per mortem ejus: e contra ipso jure privatus beneficio, titulum non retinet, nec fructus facit suos; quia sententia declaratoria criminis retrotrahitur ad tempus delicti; nec beneficium permutare, aut resignare potest; nec beneficium vacat per mortem ejus, sed per privationem jure inductam.

3. Q. I. *An beneficium actu non vacans conferri possit?* R. Negative, *c.* 1. 2. 3. *h. t.* &c. In quibus juribus semper excepta manet auctoritas Papæ, cujus solius est conferre beneficium vacaturum. Unde, attento jure ordinario, sublatæ sunt gratiæ expectativæ, & reservationes mentales, dum Papa reservat aliquod beneficium pro certa persona; quam tamen non exprimit, nisi dum confert beneficium actu vacans, Trid. *sess.* 24. *c.* 19. *de ref.* Unde, ut conferatur beneficium, debet esse vacans de jure, seu resoluto titulo: si quis vero illud adhuc possidet cum titulo colorato, vel detinet, citandus est, & causa summarie cognoscenda, *c.* 6. *h. t.* & *c.* 28. *de præb. in* 6. nisi defectus tituli esset notorius; cum in notoriis ordo juris non sit servandus. 2. Collatio beneficii actu non vacantis, vel tantum vacantis de facto, ipso jure est irrita, *c.* 3. 4. *h. t.* recipiens vero tale beneficium, tanquam intrusus repellendus est ab eo, sine spe illud obtinendi (nisi per Papam dispensetur) & a communione fidelium segregandus, *c.* 1. *h. t. c.* 40. *cum* 7. *q.* 1. hæ tamen pœnæ non stringunt ignorantem, nec eum, cui sola promissio, & non collatio facta est; cum verba *c.* 1. *h. t.* accipienda sint cum effectu saltem attentato.

4. III. Vivens non potest sibi designare successorem jure hæreditario in beneficio, *Can.* 3. & *seqq.* 8. *q.*1. & *c.* 1. *de præben.* Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *de ref.* nam tales successiones maxime horrent, & detestantur Sac. Canones: tum quia per eas Ecclesiis nocetur, quatenus beneficia plerumque in indignos transmittuntur; tum quia ambitiosa cupiditas fovetur, & cura pauperum negligitur, dum opes corraduntur, successori relinquendæ. Si tamen aliqua persona sit spectatæ virtutis, commendari potest, ut beneficiato succedat: quo sensu explicantur *Can.* 1. 2. 6. & *c.* 8. *q.* 1. & *c.* 12. 13. 14. & *c.* 7. *q.* 1. Item auctoritate Papæ dari potest coadjutor cum jure successionis, *Can.* 17. & *seq.* 7. *q.* 1. Trid. loc. cit.

5. Q. II. *An saltem promitti possit beneficium vacaturum, conferendum, cum actu vacaverit?* R. Licet jure veteri *c.* 14. *h. t.* promitti potuerit beneficium vacaturum in genere, seu indeterminate, tamen jure novo nullum promitti potest, sive determinatum in specie, sive indeterminatum, v. g. *conferam, cum potuero &c.* & talis promissio est invalida: ita Bonifac. VIII. *c.* 2. *detestanda h. t. in* 6. determinans, seu amplians Canonem Concilii Later. relati *c.* 2. *h. t.* Ratio est, quia per tales promissiones fovetur improba ambitio, & cupiditas Clericorum, mortis alienæ optandæ, vel captandæ votum ingeritur, Ecclesiis, & Prælatis gravamina plurima inferuntur, & generaliter, quia *ejusmodi pactiones sunt odiosæ, & plenæ tristissimi, & periculosi eventus*, ob quam rationem etiam jus civile irritat pacta de successione, seu hæreditate viventis *l. fin. C. de pact.* Et licet in *d. l.* permittantur talia pacta, si is, de cujus successione agitur, consentiat, tamen Sac. Canones non admittunt hanc conditionem: *si beneficiatus vivens consenserit*, sed simpliciter

citer, & independenter a voluntate beneficiati talia pacta promissoria improbant, & irritant, *cap.* 2. 13. *hoc tit. & cap.* 2. *eodem in* 6. nec promissio ista convalescit adjecto juramento: nam hoc juramentum adversans bonis moribus, & bono publico, vimque sacrorum Canonum evacuans, nullius est momenti, *c.* 28. *de jurej.*

Dices: Si promissio beneficii vacaturi tantas deformitates habet, nec Papa promittere poterit beneficium vacaturum; quod falsum est per *c.* 4. *h.t.* 2. Patroni, & collatores sæpe promittere solent beneficium, cum occasio se obtulerit. ℟. *ad* 1. Deformitates istæ non sunt ex natura rei, sed occasionaliter ex malitia hominum, cui obviare voluerunt sac. Canones. Unde dignitas Papæ, & rarus usus promissionum, & perspecta virtus promissarii evacuant istas deformitates, & pericula: secus vero, si promiscue omnibus indulgeretur promittere beneficia vacatura. *Ad* 2. Talis promissio, cum ex ea nullum jus acquiratur promissario, non est efficax, sed tribuit quandam spem, quæ sæpe fallit.

6. Q. III. *An valeat receptio Canonici supernumerarii?* ℟. 1. De jure communi valet, modo pure, & simpliciter constat, *c.* 9. *de constit.* ubi referuntur quatuor Canonici supernumerarii recepti, neque id a Papa improbatur. ℟. 2. Si tali receptioni, vel in continenti, vel ex postfacto adjiciatur pactum de præbenda proxime vacatura, rejecto pacto tanquam inutili, valet receptio: ita Innocent. III. *c.* 19. *de præbend.* subtiliter interpretans Canonem Concilii Later. relatum, *c.* 2. *h. t.* quia *in Canonicum SUPERNUMERARIUM recipi Canonicis non obviat institutis, & vacaturam expectare præbendam Lateranensi Concilio non est dubium obviare.* Id ipsum declaravit S. Congreg. teste Fagnan. in *c.* 9. *cum M. de const.* censens, posse ab Episcopo Canonicos supernumerarios creari; ea tamen conditione, ut ex tali creatione nullum jus quæsitum habeant ad præbendam vacaturam. *Ratio* est, quia aliud est Canonia, aliud præbenda; nam Canonia est jus spirituale ex receptione ortum conferens stallum, & vocem in capitulo: præbenda vero est jus exigendi, & percipiendi fructus temporales ratione officii spiritualis. Sed Concilium Later. prohibet solum conferre, vel promittere præbendam vacaturam; non vero receptionem in Canonicum supernumerarium; ergo talis receptio valet; nec vitiatur per pactum de præbenda vacatura, quia utile per inutile non vitiatur, *reg.* 37. *in* 6.

Dices: c. 9. *de præb.* duo dicuntur: 1. Quod Canonico recepto debeatur præbenda proxime vacatura. 2. Quod debeatur ex promissione Archiepiscopi Cantuariensis ℟. *ad* 1. Debetur quidem præbenda, sed non vi pacti, & promissionis, sed vi Canoniæ receptæ, seu vi connexionis, quam ex dispositione juris Canonia habet cum præbenda: *quia non est congruum, ut præbenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus cit. c.* 9. puta si in choro, capitulo, & aliis actibus assistat: quæ ratio etiam redditur *c.* 19. *de præb.* ibi: *quia videtur indignum* &c. *Ad* 2. Papa promissionem istam, quæ saltem spem tribuit, ibi exaggerat, non tamen dicit jus ex illa quæsitum fuisse, sed quare præbenda sit danda, causam insinuat in fine: *quia non est congruum* &c. Nec etiam obstat, quod Episcopus conferens Canonicatum habeat intentionem conferendi præbendam proxime vacaturam, cum ex tali intentione nullum jus acquiratur Canonico recepto.

7. Q. IV. *An Episcopus delegare possit facultatem conferendi beneficia, ubi vacaverint?* ℟. Per generalem commissionem potest, *c. fin. de off. vicar. in* 6. at delegatio ad conferendum primum beneficium vacaturum reprobatur *c.* 11. *h. t.* quia dat occasionem captandæ mortis alienæ. Idem dic de patrono, qui procuratori committere nequit præsentationem ad beneficium proxime vacaturum, ne fraus fiat Concilio Lateranen. *c.* 2. *h. t.*

8. Q. V. *Intra quod tempus providendum sit Ecclesiæ vacanti?* ℟. De jure comm. Ecclesiis cathedralibus, & regularibus intra trimestre, *c.* 41. *de elect.* dignitatibus inferioribus, & beneficiis intra semestre, *c.* 12. *h. t.* nisi beneficia essent juris patronatus laicorum, qui intra quadrimestre præsentare tenentur *c. un. in fin. de jurepatr. in* 6. Hoc tempus incipit a die habitæ notitiæ vacationis, & cessante impedimento, est continuum *c.* 5. *h. t.* In casu negligentiæ quis eam suppleat, vide *lib.* 1. *tit. de supplend. neglig. & tit. de elect. a num.* 19.

TITULUS IX.

Ne, sede vacante, aliquid innovetur.

Agitur in hac materia in Sexto, in Extrav. Joannis XXII. & Com. *h. t.* in Decreto *Can.* 38. *& seqq.* 12. q. 2. in Trid. *sess.* 7. *c.* 10. *sess.* 23. *c.* 10. *sess.* 24. *c.* 16. *de ref.*

1. *Nota* Sedem Episcopalem tamdiu vacare, donec litteræ obtentæ confirmationis capitulo præsententur, *Extrav.* 1. *Injunctæ de elect. int. com.* & decisio Rotæ in contrarium in una Burgensi Canonicatus, 1583. *die* 28. *Januar.* correcta est per aliam decisionem ejusdem anni *die* 3. *Junii*. Porro occasione hujus rubricæ negativæ, quæ habet sensum completum, dubitant DD. an ei prævaleat regula affirmativa: *Sede vacante jurisdictio transit ad capitulum?* Negat Gloss. *Clem.* 1. *de hæret. v. Capituli*, licet etiam in oppositum inclinet; Archid. Felin. & alii volentes capitulum nihil posse, nisi quod expresse in jure concessum est. Affirmat Gloss. in *cap.* 14. *de M. & O.* Abb. Reiff. & alii communiter, quorum sententia est verior, dicens: capitulum omnia posse, exceptis iis, quæ ei specialiter sunt prohibita: nam jura clare dicunt, sede vacante, jurisdictionem transire in capitulum, idque ob necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ, *c.* 11. *&* 14. *de M. & O. & c. un. eod. in* 6. *c.* 3. §. *Episcopo de tempp. Ord. in* 6. *c.* 3. *& fin. de suppl. negl.* Trid. *Sess.* 24. *c.* 16. *de reform.* Nec obstat *cit. rubrica:* nam intelligitur de his, quæ innovantur in præjudicium Ecclesiæ, & futuri Episcopi, & de his, quæ competunt Episcopo ex speciali commissione juris, vel hominis: item de his, in quibus Episcopus procedit, *etiam ut Sedis Apostolicæ delegatus*; quo casu a sententia illius appellatur ad Papam; quia Episcopus eo casu licet posset procedere jure ordinario, tamen censetur procedere jure delegato, tanquam digniori.

☞ *In Indiis orientalibus, ubi non sunt Canonici, & Clerus, qui defunctis Vicariis Apostolicis Episcopali charactere insignitis, procedere possint ad electionem Vicarii capitularis, ex Const. Ben. XIV.* 26. *Januar.* 1753. *succedit Vicarius generalis, quem Vicarius Apostolicus carens coadjutore cum futura successione, eligere debet ex Clero seculari, vel regulari; cui sic electo, tamquam delegato Sedis Apostol. Pontifex indulsit exercitium omnium, & singularum facultatum vicariis capitularibus competentium, ac earum, quibus utebatur Vicarius Apostolicus Episcopus; (iis exceptis, quæ requirunt characterem Episcopalem, vel non sine sacr. oleorum usu exercentur) donec a S. Sede de novo Vicario Apostol. provideatur: tributa tamen facultate, urgente necessitate, consecrandi calices, patenas, atque altaria portatilia; sed cum oleis ab Episcopo benedictis.*

De Vicario capitulari vide Elench. II. n. XLVI. p. 410. *& lib. I. tit. XXVIII. num.* 8. *pag.* 608. ☜

2. Q. I. *Quæ in specie possit capitulum, sede vacante?* ℟. Sequentia: I. Condere leges, & statuta pro tota diœcesi. II. Cognoscere causas ad forum Episcopi pertinentes; inquirere in criminosos; pœnas, & censuras infligere, & ab eis absolvere; uti & causas istas delegare. III. Dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio. IV. Approbare ad curam animarum, instituere in beneficiis, exigere subsidium charitativum, adigere Clericos ad ostendendos titulos suorum beneficiorum. V. Assistere matrimoniis, dispensare in denuntiationibus, in petitione debiti conjugalis, observatione festorum, & jejuniorum, votis, juramentis, modo non sint reservata; in defectu natalium ad ordines minores, simplicia beneficia; & in similibus casibus, in quibus ob difficilem recursum ad Papam solent dispensare Episcopi. VI. Dare monialibus licentiam egrediendi ex claustro, ut tenent passim DD. cum Barbosa *de offic. & potest. Episcop. par.* 3. *alleg.* 102. *n.* 28.

☞ *Vide additiones infra tit.* 35. *de statu monachorum circa clausuram in fine.* ☜

VII. Con-

VII. Constituere visitatorem idoneum diœcesis pro reformatione morum, ut potior tenet contra Monach. Boer. &c. & colligitur ex *c. fin. de suppl. neglig. in 6.* ne scil. Archiepiscopus, capitulo negligenti, imponat visitatorem. Nec obstat *c. 16. d. 61.* nam ibi refertur factum S. Gregorii constituentis visitatorem: sed capitulo id non negatur. VIII. Unire beneficia, quod est necessitatis; non vero dissolvere, vel supprimere, quod est species alienationis *c. 1. h. t.* IX. Admittere resignationes beneficiorum, cum & possit destituere invitum, *Extrav. Execrabilis v. ceterum de præb. int. Constit. Joann. XXII.* Oppositum tenent Flamin. Rebuff. & alii. X. Ire ad Concilium provinciale per suum vicarium cum voto decisivo; cum alioquin sede plena capitulo competat solum votum consultivum. XI. Cognoscere de crimine hæresis subditorum diœcesanorum, non tamen exemptorum, de quibus judicat Episcopus, ut delegatus Sedis Apost. *c. 9. de hæret.* XII. Capitulum metropolitanum succedit in jurisdictione Archiepiscopali, cum superioritatem habeat in Ecclesias suffraganeas, ut colligitur ex *Extrav. 5. v. & quia de præb.* Denique capitulum potest ea omnia, quæ Episcopus jure ordinario, nisi sint specialiter prohibita. Ratio horum omnium est, quia hæc, & similia pertinent ad ordinariam, & necessariam jurisdictionem Episcopi; sed hæc transit in capitulum, sede vacante, ut supra ostensum, ergo.

3. Q. II. *Quæ non possit capitulum sede vacante?* R. seqq. 1. Dare dimissorias ad ordines ab extraneo Episcopo recipiendos intra annum vacationis; nisi his, qui arctati sunt ratione beneficii recepti, vel recipiendi: secus punitur pœna interdicti, Trident. *S. 7. cap. 10. de ref.* 2. Dare licentiam ædificandi novum monasterium, quia in Const. Greg. XIII. incip. *Quoniam.* Episcopalis licentia per modum formæ requiritur; idque de vicario capituli declaravit sac. Congreg. *an. 1633. die 19. Jan.* 3. Concedere indulgentias, ut verior tenet contra Sylv. Azor. Barbos. quia facultas concedendi indulgentias videtur specialiter attributa dignitati Episcopali, *c. 12. de excess. prælat.* 4. Alienare bona immobilia Ecclesiæ, & mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt *c. 1. h. t.* nisi specialiter accederet auctoritas Papæ, vel contingeret casus urgentis necessitatis, qui moram non patitur. 5. Litem inchoare, vel ab Episcopo inchoatam prosequi *c. fin. h. t.* quia sede vacante, Ecclesia caret legitimo defensore; nisi Papa ei det administratorem ad effectum agendi. Capitulum vero Ecclesiæ collegiatæ suo prælato destitutæ, si subjectum est Episcopo, cum hujus auctoritate, vel capituli sede vacante, agere potest in judicio. Similiter capitulum quoad bona, & jura sua propria, ab Episcopo independentia, in judicio stare potest; uti & feuda ad solum capitulum spectantia conferre, vel si spectent communiter ad Episcopum, & capitulum. 6. Conferre beneficia, quæ ad liberam collationem Episcopi pertinent, *c. 2. h. t. c. un. eod. in 6. & c. 1. de institut. in 6.* nam talis collatio est donatio, quæ capitulo non permittitur. At si collatio pertineat ad Episcopum, & capitulum communiter, mortuo Episcopo, vel suspenso, fieri potest a solo capitulo, servata forma *cap. unic. h. t. in 6.* a fortiori collationes necessariæ, seu institutiones sub potestatem capituli cadunt, *c. 1. de instit. in 6.* Quod si Episcopus ex causa permutationis suscepit resignationem, capitulum conferre potest beneficia resignata, quia collatio est necessaria; at si capitulum suscepit resignationem beneficii liberi, istud conferre nequit, sed collatio reservatur futuro Episcopo, cum non sit necessaria. 7. Capitulum non admittitur ad electionem Imperatoris, etsi Archiepiscopus elector fuerit, cum jus hoc eligendi specialiter attributum sit dignitati Archiepiscoporum. 8. Denique capitulum non potest ea, quæ potest Episcopus, ut Apostolicæ Sedis delegatus; ut visitare, & corrigere exemptos, Trident. *Sess. 25. cap. 9. de Regg. Clem. fin. de statu Monach.* nec ea, quæ competunt Episcopo ex speciali privilegio, vel quæ ejus dignitati sunt alligata. De vicario capituli vide *l. 1. tit. de off. Vicar. a n. 8.*

4. Q. III. *An sede regulari vacante, jurisdictio transeat in Capitulum Regularium?* R. Affirmative ex *c. fin. de Regg. in 6. Clem. 1. Ne in agro §. si quis autem. de statu Monach.* & quidem si monasterium pleno jure exemptum est, tota jurisdictio transit ad capitulum; si est subditum Episcopo, jurisdictio manet in Episcopo, & sola potestas disciplinæ regularis in capitulo. Porro potestas ista exercenda est per unum priorem specialiter electum a capitulo; nisi præcedens prior communiter constitutus fuisset ab Episcopo, & capitulo simul *c. 1. de off. Vicar. in 6.*

TITULUS X.

De his, quæ fiunt a Prælato sine consensu capituli.

Agitur de hac materia in Decreto *can. 22. & seqq. 12. q. 1. & c. 50. & seqq. 12. q. 2. & 16. q. 7.* sparsim Trid. *S. 2. c. 6. de refor.*

1. *Nota* consensum, & consilium capituli esse diversa: nam ubi requiritur *consensus capituli*, Episcopus non tantum tenetur eum exquirere, sed etiam sequi. At ubi requiritur *consilium*, regulariter tenetur illud exquirere, non tamen sequi; cum consilium non sit obligatorium, *l. 2. §. fin. ff. mandati*, ibi: *nemo ex consilio obligatur*, *c. 7. de arbitr. & can. fin. 14. q. 1.* ubi ex S. Hieron. dicitur: *ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis*. Neque tamen consilium est superfluum, quia per illud consulitur præcipitantiæ prælati, & ex multorum rationibus sæpe prælatus inducitur ad aliquid faciendum, quod, consilio non adhibito, non fecisset. Ceterum actus, qui fieri debuit cum consilio, sine eo factus, regulariter valet; nisi consilium præcipiatur per modum formæ, ut *c. 52. de elect.* vel ut prælatus procedat secundum consilium; vel si addatur decretum irritans; vel si ex subjecta materia constet, non esse purum consilium, sed consensum: & si petendum est consilium a superiore, cujus est præstare auctoritatem actui; quo modo clericus sine consilio sui Episcopi non potest in se prorogare jurisdictionem alterius prælati?

2. Q. I. *Quando Episcopus opus habeat consensu capituli?* R. In omnibus gravioribus, & magis arduis negotiis: ita instar regulæ tenent DD. ex toto *hoc tit.* Hujusmodi negotia sunt: alienare res Ecclesiæ, concedere, vel unire Ecclesias aliis Ecclesiis, aut monasteriis, maxime parochiales, conferre beneficia communiter ad prælatum, & capitulum spectantia, *c. 1. 2. 3. 6. 8. 9. h. t.* Processus criminales instituere contra aliquem canonicum, Trid. *S. 25. c. 6. de refor.* ubi forma præscripta observanda jubetur; ut scil. capitulum initio cujuslibet anni duos ex canonicis eligat, qui in tali processu unum votum habeant: si vero uterque ab Episcopo discordaverit, eligatur tertius ab Episcopo, & capitulo; & si in hac electione discordaverint, electio tertii devolvatur ad viciniorem Episcopum; & juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus causæ finiatur. Hanc dispositionem Trident. tunc locum habere, quando capitula sunt exempta a jurisdictione ordinaria Episcopi, fertur declarasse S. Congr. conformiter decreto Pauli III. *S. 6. c. 4. de refor.* At si capitulum non sit exemptum, Episcopus sua auctoritate procedet contra singulares personas: imo si totum capitulum, etiam exemptum, deliquit, solus Episcopus procedet, ut iterum declaravit S. Congr. nisi verteretur causa propria Episcopi, in qua judicare nequit: & tunc potestas devolvitur ad superiorem, Engl. *n. 4.* & alii. 3. Denique Episcopus, aut alius prælatus opus habet consensu capituli in iis negotiis, in quibus consuevit talis consensus exquiri, vel in quibus Ecclesiæ, aut capituli præjudicium vertitur. Et quamvis sine tali consensu Ecclesiam parochialem convertere nequeat in regularem *can. 73. si Episcopus 12. q. 1.* tamen absque consensu capituli monasterio donare potest quinquagesimam, vel centesimam partem *can. 74. ibid.* quæ constitutio salva manet, ut indicat Inn. III. *c. 9. h. t.*

3. Q. II. *Quando prælatus opus habet consilio capituli?* R. In casibus a jure, vel consuetudine expressis; ut in condendis statutis, in institutionibus, & destitutionibus Clericorum, eorumque excessibus puniendis; in rerum Ecclesiæ administrationibus, & in casu, quo res inferioris Ecclesiæ alienanda est, in convocanda synodo, ceterisque alicujus momenti negotiis *c. 4. 5. h. t.* Expediet autem, ut Episcopus proponat causam mature a capitularibus ponderandam; si tamen causa esset

effet propria Episcopi, is actui deliberationis non deberet interesse, ne libertas respondendi capitularibus impediatur, Trid. *S.* 25. *c.* 6. *de ref.*

4. Hæc ita de jure communi, quod consuetudo in multis immutavit, cum videamus Episcopos multa per se agere, quæ sine consensu, vel consilio capituli agi non deberent; ut Lambertinus dicat præsentem titulum jam recessisse ab aula. Videtur autem talis consuetudo approbari *c.* 3. *de consuet.* 6. nisi damnosa esset Ecclesiis; tunc enim corruptela dicenda foret *cap.* 1. *de consuetud.*

TITULUS XI.

De his, quæ fiunt a majori parte Capituli.

Agitur de hac materia *Can.* 2. *ca.* 10. *q.* 2. & alibi sparsim, ut de electionibus, alienationibus &c.

1. *Nota* 1. Capitulum in præsenti esse collegium Clericorum, qui tanquam membro sub uno Prælato, tanquam capite principali vivunt; uti sunt capitula secularia, & regularia, collegiata, cathedralia, & metropolitana &c. Et quidem ad capitulum seculare soli pertinent Canonici, non vero pensionarii, nec dignitates, nisi simul sint Canonici, nec Episcopus, seu Prælatus, qui *tit. præcedenti* contra distinguitur capitulo; nec omnes Canonici vocem habent in capitulo, sed tantum qui saltem in sacro Subdiaconatus ordine constituti sunt Trident. *sess.* 22. *c.* 4. *de ref.* Ad capitulum vero regulare pertinent soli professi in Subdiaconatu saltem constituti, nisi regula a Sede Apost. probata plus, vel minus requirat *ibid.*

2. *Nota* 2. Substantialia capitulum constituentia esse: 1. Plures personas, ab initio saltem tres *l.* 85. *ff. de V. S.* & quidem sub uno capite, seu Prælato; alias non communitas, sed singularitas esset. Jura autem capituli conservantur in uno, si ceteri deficerent, quia in uno stat nomen universitatis *l.* 7. *in fin. ff. quod cujusque univer.* imo in muris, & hi dirutis in pavimento remanent jura, nisi communitas supprimatur, seu extinguatur. Unde Pontifex monasteria desolata citra causam publicam ab uno Ordine nequit transferre ad alterum, vel alteri usui applicare; cum jura quæsita subditorum sine gravi, & publica causa tollere nequeat: ita comm. DD. ex præcepto naturali: *neminem lædere, jus suum cuique tribuere* §. 3. *Inst. de J. & J.* 2. Ad capitulum requiritur ærarium, seu cassa communis, sigillum commune, quo acta capitularia muniantur; syndicus, seu procurator communis pro juribus capituli defendendis.

3. Q. I. *Quid juris circa convocationem capituli?* ℞. 1. Sede plena, potestas convocandi capitulum est penes Prælatum; cum & ejus sit rem majoris momenti proponere capitulo: at sede vacante, potestas ista competit decano, seu primariæ personæ capituli, Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de ref.* 2. Vocandi sunt omnes præsentes, vel non procul absentes secundum dicta *lib.* 1. *tit. de elect. num.* 10. in qua convocatione maxime attendenda est consuetudo, & statuta particularia, quæ tamen recipiunt interpretationem ex jure communi, v. g. est statutum, ut omnes absentes vocentur, si unus, vel alter non vocetur, actus a ceteris gestus ipso jure erit validus; sicut de jure communi, licet contempti agere possint ad ejus rescissionem, nisi specialiter per Sedem Apostolicam confirmaretur statutum contrarium juri communi, cum inferiores condere nequeant statuta adversantia juri Pontificio *cap.* 7. *institutionis* 25. *qu.* 2. *cap.* 9. *de M. & O.* 3. Tempus celebrando capitulo præfigi potest quodcumque, etiam feriatum, exceptis illis horis, quibus divina officia celebrantur; nisi necessitas urgeret: nam actus capitulares non exercentur cum strepitu, sicut judiciales, qui diebus feriatis prohibentur *cap.* 1. *& fin. de fer.* Locus vero erit solitus, vel alius honestus, in quo omnes conveniant, cum separatim acta a singulis non censeantur acta capituli, & aliud sit capitulum, aliud singulares personæ capituli.

4. Q. II. *Qua forma expediendus sit actus capitularis?* ℞. 1. Proposito negotio, quilibet capitularis mentem suam exprimere debet viva voce, ut appareat etiam sanior pars consentientium, vel dissentientium: nam nonnulli, præsertim juvenes, quos plerumque privatus affectus sursum deorsum, in laxitates, & exorbitantias trahit, sæpe imprudenter darent suffragia secreta, cum magno dispendio Ecclesiæ, & boni communis. Excipe certa negotia, quæ ob specialem causam melius per secreta suffragia expediuntur; ut electiones, maxime apud Regulares Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de reg.* & alia præsertim odiosa; quo casu commodius suffragiis dantur in scripto, ut motiva, & rationes suffragantis appareant. In levioribus negotiis fabæ, seu lapilli solent adhiberi. 2. Facta collatione prævalet major, & sanior pars capituli; modo sit major absolute quoad omnes, non vero major respectu aliarum partium minorum, etsi tantum medium supersit votum; ut si consentiant sex capitulares ex undecim: ita instar regulæ ex *cap.* 1. *hoc tit.* ibi: *prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod a majori, & saniori parte capituli fuerit constitutum;* dummodo plusquam tertia pars capituli non sit contempta; cum potestas capitularis resideat saltem in duabus partibus ex tribus *l.* 3. 4. *ff. quod cujusque univer.* Hæc regula non est sine suis exceptionibus, ut mox videbitur. 3. Super actu capitulari erigi solet scriptura, seu instrumentum, quod munitur sigillo communi, & subscriptione, non necessario omnium, sed juxta consuetudinem duorum, vel trium; nisi aliud specialiter in jure, vel statuto caveatur: absentium vero nomina ob periculum falsitatis, non subscribuntur.

5. Q. III. *In quibus casibus major pars non sufficit ad valorem actus capitularis?* ℞. 1. In electione Papæ, in postulatione concurrente cum electione, in dando coadjutore Episcopo amenti, ubi concurrere debent duæ partes ex tribus, ut suis locis dictum ℞. 2. Consensus omnium requiritur in admissione Clerici extranei ad suffragandum, transferenda potestate eligendi in compromissarios; in actibus meræ facultatis, & donationibus liberalibus: nam in his casibus procedit *regula* 29. *in* 6. *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari* ℞. 3. Circa bona communia capituli, seu omnium ut universorum, major pars potest aliquid decernere in præjudicium minoris; cum major pars quoad bona communia repræsentet totam communitatem: at quoad bona propria, ut sunt redditus Ecclesiastici cuilibet Canonico assignati, tunc tantum major pars potest aliquid decernere in præjudicium minoris, dum id, de quo agitur, applicandum est eidem Ecclesiæ, seu capitulo, ob ejus necessitatem, aut evidentem utilitatem; ut pro fabrica Ecclesiæ, pro seminario, ut Ecclesia ista habeat idoneos ministros; vel si id, de quo agitur, applicandum sit operi extraneo necessario, & utili, v. g. pro alendis pauperibus studiosis, vel religiosis valde necessariis, aut utilibus. Et in hoc sensu procedit *cap. fin. hoc tit.* nam in his casibus, dum major, & sanior pars bono communi consulere volens, aliquid ex abundantibus, & superfluis singulorum redditibus detrahendum decernit, valde rationabiliter agit, & minor pars irrationabiliter contradicit; ergo æquum est, ut prævaleat decretum majoris, & sanioris partis. At si id, de quo agitur, applicandum sit operi extraneo, specialiter non necessario, vel utili, major pars nihil potest decernere in præjudicium minoris; sed etiam unus contradicendo impedire potest tale decretum; cum hic procedat *reg. quod omnes in* 6. Multo minus circa bona patrimonialia, vel quasi, aliquid decerni potest in præjudicium singulorum *argum. l.* 11. *ff. de S. P. R.* ubi Celsus ait, jus eundi per fundum communem non aliter meum fieri, quam si omnes cedant; cum in re communi potior sit conditio prohibentis *reg.* 56. *in* 6.

6. Q. IV. *An minor pars contradicere possit decreto majoris partis, vel ab eo appellare?* ℞. 1. Contradicere potest, si causam rationabilem afferat, eamque probet coram Superiore capituli, vel arbitris ad hoc electis *cap.* 1. *hoc tit.* appellare vero non permittitur, nisi decretum vergat in detrimentum Ecclesiæ, aut singulorum capitularium. Quo casu, si appellaverit (non tenetur autem appellare, sed sufficit contradicere, cum acta extrajudicialia non transeant in rem judicatam) id commodi habet, quod non teneantur obedire decreto majoris partis: hoc tamen, non obstante appellatione, exequutioni mandari potest, sed revocabiliter: quia evicta causa appellationis, decretum, & gesta post appellationem revocanda sunt. Si vero decretum non

vergat

vergat in præjudicium Eccleſiæ, & capitularium, ſed tertii extranei, contradicenti non admittitur appellatio, ſed denuntiatio Evangelica coram ſuperiore, ut is peccatum capitularium emendet. 2. Contradictio expreſſa requiritur in iis actibus, in quibus tacitus conſenſus ſufficit ad valorem; quia tunc tacens habetur pro conſentiente ex *reg. qui tacet in 6.* at in illis actibus, in quibus ad valorem actus requiritur expreſſus conſenſus, non requiritur expreſſa contradictio, ut in electione, alienatione rerum Eccleſiæ &c. quia tacens non habetur pro conſentiente ex *reg. is, qui tacet. in 6.*

7. Q. V. *Quid Epiſcopus, ſeu Prælatus poſſit in actu capitulari?* ℞. 1. Epiſcopus, aut Prælatus regulariter non dat votum in actibus capitularibus; imo ſi vota ſint paria, non poteſt acceſſu ſuo unam partem complere: nam juxta Trid. *Seſſ.* 25. *c.* 6. *de ref.* Epiſcopi eſt *capitulum convocare, vota, exquirere, & juxta ea concludere*; non vero votum dare, niſi ſimul eſſet Canonicus; vel niſi aliud haberet conſuetudo. 2. Epiſcopus minorem partem, quæ irrationabiliter, & ſine cauſa probata contradicit, cogere poteſt ad parendum decreto majoris partis, v. g. in caſu neceſſitatis aliquid contribuatur pro fabrica Eccleſiæ &c.

T I T U L U S XII.

Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

1. Rubrica iſta habens ſenſum completum, inſtar regulæ allegatur, & juſtiſſime: tum quia æquum eſt, ut, toto officio, & onere ad Clericum tranſeunte, etiam totum beneficium ſine diminutione ad illum tranſeat; tum ne collatores pro ſuo, ſuorumque commodo, beneficia gravent, & diminuant per *impoſitionem penſionum*, & *reſervationem fructuum*, quod etiam vetat Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 13. *v. ad hæc de ref.* Sed quia nulla regula ſine exceptione, ideo

2. Q. I. *An, & quis imponere poſſit beneficiis penſionem, ſeu jus ad certam portionem redditũum?* ℞. 1. Papa non tantum beneficiis inferioribus, ſed etiam cathedralibus imponere poteſt penſionem perpetuam ex juſta cauſa, cum habeat plenam poteſtatem diſponendi de beneficiis; & ſimiliter reſervare fructus beneficiorum vacantium *c.* 2. *de præb. in 6. Clem.* 1. *ut lit. pend.*

3. ℞. 2. Epiſcopus ex juſta cauſa imponere poteſt penſionem temporalem, non vero perpetuam, ſicut Papa *c.* 21. *&* 30. *de præb.*

☞ *Circa penſiones imponendas Parochialibus vide Elench. VI. n. LXXI. part.* 1. *pag.* 471.

Ex Conſtit. Bened. XIV. In ſublimi 29. *Aug.* 1741. *Reſignationes beneficiorum cum reſervatione penſionis, & pacto eam caſſandi per anticipatas, vel anticipandas ſolutiones annullantur; additurque pœna privationis beneficii, inhabilitatis ad alia aſſequenda, & etiam reſtitutionis perceptæ pecuniæ pro ejuſdem penſionis caſſatione; caſſationeſque, & extenſiones penſionum irritantur intra ſex menſes a capta beneficii poſſeſſione; ac etiam caſſationes commodi eas exigendi factæ intra ſex menſes a capta poſſeſſione.* ☜

4. Q. II. *Cui conſtitui poſſit penſio?* ℞. 1. Clerico ſaltem prima tonſura inſignito, non conjugato, non bigamo, non excommunicato, aut ſuſpenſo, non irregulari ex ſtylo Curiæ; ſed teſte Garcia, oppoſitum declaravit S. Congr. in Cremonenſ. non illegitimo, niſi diſpenſatus ſit ad primam tonſuram. Quia vero penſio non eſt beneficium proprie *c.* 4. *de præb. in 6.* non requiruntur in penſionario 14. anni, ſed ſufficit ætas ſupra ſeptennium apta ad ſuſcipiendam primam tonſuram. 2. Penſionarius obligatur recitare horas Canonicas: ſecus omittendo, pro rata non facit penſionem ſuam: & ſimiliter pro rata tenetur ad collectas, ſubſidium charitativum & ſimilia onera: non tamen tenetur deferre habitum, & tonſuram clericalem ex Conſtitut. 92. Sixti V. *Cum ſacroſanctam* correctoria Conſt. Pii V. 71. niſi penſio excedat ſummam 60. ducatorum auri de camera. 3. Laicus ex ſolius Papæ licentia percipere poteſt penſionem temporalem; quia jus exigendi fructus nemo alius ſeparare poteſt a titulo ſpiritualis officii. Hac autem ſeparatione facta, penſio, utpote jus temporale, citra ſimoniam vendi, aut redimi poteſt.

☞ *Vide notata ſupra.* ☜

5. Q. III. *Qua forma penſio conſtituatur?* ℞. 1. *Ex juſta cauſa*, v. g. ob bonum pacis, & concordiæ inter litigantes, ob merita, vel miniſterium Eccleſiæ exhibitum, ob ſuſtentationem Clerici, qui cauſa ſenii, vel infirmitatis renuntiaverit beneficio, pro ſubſidio pauperum ſcholarium, captivorum, egentium &c. 2. Penſiones iſtæ debent eſſe *moderatæ*: & ideo Epiſcopatus, qui mille, Canonicatus, & parochiæ, quæ centum, & beneficia ſimplicia, quæ 24. ducatorum ſummam annuam non excedunt, non debent gravari penſionibus. Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 13. *de ref.* quia non debet beneficiato ſuſtentatio ſurripi, & diſcooperiri unum altare, ut cooperiatur alterum. Quodſi beneficium gravatum eſt una penſione, impetratio Papalis ad alteram cenſetur ſubreptitia; niſi prioris mentionem faciat; quia Papa non cenſetur velle bis gravare. 3. Exquirendus eſt conſenſus beneficiati, qui ſufficit tacitus; uti & patroni, ſi beneficium eſt patronatum, ſaltem pro eo caſu, quo ipſum beneficium gravatur. Papa his ſolemnitatibus non ligatur: ut tamen licite penſionem imponat, requiritur juſta cauſa; ſecus non tam diſpenſaret, quam diſſiparet bona Eccleſiaſtica.

6. Q. IV. *An fieri poſſit translatio penſionum ab una in aliam perſonam?* ℞. Poteſt de ſolius Papæ licentia: nam talis translatio eſt extinctio veteris penſionis, & conſtitutio novæ in vitam translatarii; quod fieri nequit, niſi vi indulti Apoſtolici, & coram exequutore Canonico cathedrali, vel perſona in dignitate conſtituta, Garc. Flamin. &c. Indulta ejuſmodi translationum revocata ſunt a Pio V. *Conſtit. Sacroſanctum*, ita ut poteſtas transferendi deinceps non concedatur, niſi S. R. E. Cardinalibus; & ex privilegio Sixti V. Militibus Lauretanis. Fieri autem poteſt hæc translatio, etiam in articulo mortis, non obſtante *reg. Cancell. de viginti*; non tamen per teſtamentum, ut decidit Rota in Placentina penſionis 1602. 17. *Jun.*

☞ *Quicumque alii penſionarii transferre nequeunt penſiones, niſi ex ſpeciali indulto S. Sedis, toties quoties concedi ſolito familiaribus Papæ, & conclaviſtis. Circa formam hujuſmodi translationis ſervandam inſpiciendus eſt tenor indulti, in quo ſemper poni conſuevit clauſula.* Servata tamen forma Conſtitut. Innoc. XI. ſuper translationibus penſionum editæ, *relatæ a Card. de Luca poſt tractatum de penſionibus ad ornatum Conſtit. Innoc. XI. de non transferendis penſionibus ultra medietatem illarum.* ☜

7. Q. V. *Quomodo extinguatur penſio?* ℞. I. Si penſio impoſita eſt beneficiato, morte illius, ſi vero beneficio, morte penſionarii. II. Matrimonio contracto a penſionario, niſi adeſſet diſpenſatio Papæ, vel penſio eſſet laicalis. III. Profeſſione religioſa. IV. Militia aſſumpta; etſi non pugnaverit. Sac. Congr. in Nicienſ. 19. *Dec.* 1648.

☞ *Et noviſſime in Ulixbonen. orientalis penſionis* 23. *Novemb.* 1737. *ut in fol. ejuſd. diei in Theſaur. reſol. Cong. Conc. ubi Eminentiſſimus Cavalchini tunc ſecretarius plura eruditiſſime de more in hac eadem facti ſpecie cumulat; etiamſi agatur de militia cuſtodiæ corporis Pontificis equitum levis armaturæ, ut ibidem deciſum fuiſſe refert ab eadem Sac. Cong.* 7. *Decemb.* 1720. ☜

V. Remiſſione penſionis in perpetuum. VI. Promotione ad Epiſcopatum ex ſtylo Curiæ; niſi Epiſcopatus eſſet titularis, vel Cardinalitius.

☞ *Quando amittatur penſio ob non delationem habitus Clericalis vide Elencho VI. num. XXIII. par. I. Pag.* 452. ☜

Penſio annexa officio ſpirituali citra ſimoniam redimi pecunia non poteſt: imo probabilius nec penſio mixta, quæ datur Clerico; non tamen ob aliquod miniſterium ſpirituale: nam beneficiatus, niſi obtenta licentia Papæ, non habet poteſtatem extinguendi priorem penſionem, & taxandi certam ſummam in locum penſionis ſuccedentem. Plura de his vide in Garcia, Flamin. & aliis.

8. Q. VI. *Quid Epiſcopus poſſit circa reſervationem fructuum?* ℞. 1. Epiſcopus non poteſt differre collationem beneficiorum, ut ipſe intermedios fructus percipiat *arg. cap.* 30. *§. fin. de præb.* ſed fructus iſti aſſer-

aſſervandi ſunt ſucceſſori ; niſi pars aliqua eorum impendi deberet fabricæ Eccleſiæ *cap.* 4. *in fin. de offic. Ord.* Inſuper prohibetur ei , ne ex beneficio conferendo aliquam partem fructuum ſibi , vel ſuis amicis reſervet, *c. un. h. t.* quia hic ex pacto daretur ſpirituale pro temporali. 2. In caſu neceſſitatis poteſt Epiſcopus redditus vacantis beneficii reſervare, v.g. ad exſolvenda debita nomine Eccleſiæ contracta , ad fabricam Eccleſiæ ; modo beneficiorum ſit abundans ; taliſque reſervatio aliquorum fructuum ſit ante , vel in ipſa collatione beneficii. Ita com. cum S. D. 2. 2. *quæſt.* 100. *a.* 4. *in fin.* nam quod in jure eſt illicitum , neceſſitas facit licitum ex *reg.* 4. *in antiq.* At pro ſua , vel capitulari menſa tales fructus non poteſt applicare , *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non al. & c.* 32. *de V. S.* ubi id tribuitur privilegio Apoſtolico , ne ſcil. Epiſcopus cum capitulo auctorizet ſuum proprium factum.

T I T U L U S XIII.

De rebus Eccleſiæ alienandis , vel non.

Agitur de hac materia in Sexto , Clementinis , & Extrav. com. *h. t.* in Decreto 10. *quæſt.* 2. & 12. *q.* 2. & 16. *quæſt.* 6. & *c. id conſtituimus* 17. *q.* 4. in Trident. *Seſſ.* 22. *c.* 11. & *Seſſ.* 25. *c.* 11. *de refor. nov.* 7. 40. 46. 120. & *l.* 14. cum *ſeqq. C. de Sacr. Eccl.* item argumento ducto a minoribus in Pandectis *lib.* 27. *tit.* 9. in Codice *lib.* 5. *tit.* 71. 72. 73.

1. *Nota* 1. Res Eccleſiæ alias eſſe *corporales* , quæ ſenſu corporeo tangi poſſunt, ut fundi , pecunia. Alias *incorporales* , quæ ſolo intellectu percipiuntur , ut jura . 2. Alias *immobiles* , quæ loco moveri nequeunt , vel *naturaliter*, ut fundi , vel *civiliter* : quæ licet ex natura ſua moveri poſſint , tamen quia deſtinatæ ſunt ad perpetuum ornamentum , ſeu utilitatem rei immobilis, acceſſorie dicuntur immobiles , ut portæ , feneſtræ &c. *l.* 13. §. *final. de action. empt.* Alias *mobiles* , quæ de loco moveri poſſunt. *Jura , & actiones* ſequuntur conditionem rei , cui inhærent ; ac proinde immobilibus , & mobilibus accenſentur . 3. Res immobiles vel ſunt magni momenti , ſeu magnæ utilitatis, vel exigui momenti , ſeu parvæ utilitatis ; de quo , cum jure definitum non ſit , prudens judex arbitrabitur ſecundum circumſtantias locorum , & temporum . Similiter res mobiles , vel ſunt *fungibiles*, quæ uno uſu conſumuntur , & ſervando ſervari non poſſunt , ut frumentum , vinum , oleum , quibus etiam pecunia accenſetur : vel ſunt *ſervabiles*, ſeu non fungibiles , quæ ſervando ſervari poſſunt : & hæ vel *pretioſæ* , ut monilia , vaſa aurea &c. vel *non pretioſæ* , ut communis alia ſupellex . Quantus valor requiratur , ut res dicatur pretioſa , non conveniunt DD. alii 100. alii 25. alii 20. aureorum valorem aſſignant : ſed in hoc maxime attendi debet praxis & conſuetudo locorum.

Vide infra poſt n. 3.

4. Ex rebus Eccleſiæ , aliæ ſunt *profanæ* , quæ ſunt juris humani , & intra commercium , ut fundi , prædia , animalia , ſervi &c. aliæ *ſacræ , & religioſæ* , quæ ſunt juris divini ob ſpecialem deputationem ad cultum divinum : atque ita extra commercium humanum , ut templa , altaria , calices &c. §. 7. *Inſt. R. D.* In certis tamen caſibus alienari poſſunt ; dummodo labes ſimoniæ evitetur.

2. *Nota* 2. quod *alienatio* ſtricte ſumpta ſit actus , quo dominium plenum , aut ſaltem directum rei in alterum transfertur , ut venditio , donatio , permutatio , *l.* 67. *pr. ff. de V. S.* alienatio late accepta eſt actus , quo jus quodcumque rei in alterum transfertur , ut dominium utile , uſusfructus , ſervitus , &c. & in hoc ſecundo ſenſu hic alienationem accipi , infra dicetur . Agetur autem hic 1. de rebus alienari permiſſis , vel prohibitis . 2. De modis . 3. De forma . 4. De effectu alienationum : & ultimo de pœnis male alienantium .

3. Q. I. *Quæ res Eccleſiarum alienari ſint permiſſæ?* ℞. Id pendere ex praxi , & conſuetudine locorum , cum regula a Jure definita non ſit . In ſpecie autem alienari poſſunt. 1. Res mobiles non pretioſæ , & quæ ſervando ſervari non poſſunt , ut poma , oleum &c. 2. Res inutiles , & multo magis ſi damnoſæ ſint , ut ſervi fugitivi . 3. Bona ab antiquo in feudum , vel emphyteuſim dari ſolita : quæ ſi redeant ad Eccleſiam , iterum hoc modo obligari poſſunt *c. fin. de feud.* 4. Pecunia , quæ regulariter rebus fungibilibus accenſetur §. 2. *Inde uſufr.* 5. Bona etiam immobilia donata , vel legata Regularibus ad ea poſſidenda incapacibus : nam tunc alienatio eſt neceſſaria neceſſitate juris : pretium vero ex iis alienatis perceptum , convertendum eſt in utilitatem monaſterii ; ſicut accidit apud FF. Minores S. Franciſci . 6. Terrulæ , & aliæ res immobiles exigui valoris , & parvæ utilitatis *Can.* 35. *terrulas* 12. *q.* 2. cui Canoni non fuiſſe derogatum per *Extr. Ambitioſæ h. t. int. com.* nec per Trid. *S.* 22. *c.* 11. *de ref.* declaravit S. Congr. Conc. teſte Fagn. in *c.* 5. *nulli h. t. a n.* 24. Ratio eſt , quia Prælatis permittitur donatio rei modicæ , *c.* 3. *de donat.* licet alias donatio generaliter ſit eis interdicta ; ergo & alienatio rei modicæ , & parvæ utilitatis ; ut jura iſta optime interpretatur praxis , & conſuetudo . Porro res iſtas alienabiles poteſt licite Prælatus alienare , licet fecerit juramentum de non alienando ; cum tale juramentum in materia juris emiſſum , interpretationem ex jure recipiat , ut intelligatur de non alienando tunc , quando jus alienationem prohibet *c.* 21. 25. *de jurejur.*

Hæc eadem facultas ex decreto Cong. Conc. 17. *Novemb.* 1703. *relato a Card. Petra in commentar. ad conſt. V. Pauli II. tit.* 19. *n.* 70. *competit etiam Abbatibus vere nullius : non vero aliis Superioribus regularibus , etiam majoribus , ex decret. Cong. Epiſc. in Tropejen. alienat.* 11. *Januar.* 1692. *a Monacelli in formul. fori Eccleſ. tit.* 5. *formul.* 15. *n.* 28. *quin in hujuſmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia , & decreto Ordinarii , ut firmat etiam Bened. XIV. Inſtit. Eccleſ.* 69. *Res vero exiguæ , vel modici valoris ex decreto d. Congreg. Epiſc.* 22. *Martii* 1611. *relato ab eodem Petra loc. cit. num.* 62. *ex ſtylo Curiæ dicuntur , quæ non excedunt ſummam XXV. ſcutorum aureorum licet Congr. Conc. teſte Fagn. in c. Nulli hoc eod. tit. uſque ad an.* 1613. *duxerit , nihil circa hanc valoris ſummam ſtatuere , ſed deducendam eſſe ex jure communi. Nec ultra dictam ſummam ſuffragatur conſuetudo , ut ex aliis ejuſd. Cong. Conc. decretis relatis a d. Petra n.* 65. *a quo ſolide reprobatur abuſus , & dolus , quo res magni valoris per plures alienationes modicas diverſis vicibus concedi poſſe ab Epiſcopis aliqui dictitarunt , cum id fieret in fraudem legis.*

4. Q. II. *Quæ res Eccleſiarum alienari ſint prohibitæ* , puta ſine ſolemnitatibus a jure requiſitis ? ℞. Omnes res immobiles magni momenti , & mobiles pretioſæ , quæ immobilibus æquiparantur : ita Impp. Leo , & Anthemius , Juſtin. *Nov.* 7. 46. 120. & *lib.* 21. *cum auth. hoc jus C. de Sac. Eccl.* quæ prohibitio multis Canonicis ſanctionibus firmata eſt *Can.* 19. & *ſeq.* 12. *q.* 2. *c.* 1. 7. 8. *de his , quæ a Præl.* & per plura capitula *hoc tit.* & Trident. *Seſſ.* 22. *c.* 11. *de refor.* & per plures ſpeciales Sedis Apoſt. conſtitutiones. Cujus prohibitionis cauſa eſt neceſſitas , & utilitas Eccleſiarum , ne , patrimonio earum conſumpto , miniſtri egeant , cultus divinus minuatur ; & tandem ipſæ Eccleſiæ pereant . In ſpecie alienari prohibentur ; 1. Oppida , caſtra , villæ , prædia , & ſimilia bona , quæ radicem habent . 2. Vaſa aurea , argentea , uſusfructus longi temporis , cenſus annui , reliquiæ inſignes Sanctorum ; ut totum corpus , caput , brachium &c. Bibliothecæ : unus tamen , vel alter liber (niſi eſſet ſpecialiter rarus , & utilis , non facile acquiſibilis) alienari poſſet . 3. Actiones rerum immobilium , vel pretioſarum , quarum conditionem ſequuntur . 4. Pecunia data cum conditione , ne alienetur ; ſed inſtar theſauri aſſervetur : vel data , aut ex venditione rerum redacta in eum finem , ut res immobilis , vel mobilis pretioſa ematur . 5. Pecunia in dotem Eccleſiæ , & ſuſtentationem miniſtrorum data ; ut ex cenſu illius vivant ; cum talis pecunia æquiparetur fundo ad ſuſtentationem perpetuam deſtinato . Idem dic de pecunia pro annuis fundationibus , & oneribus Miſſarum , & ſimilibus deſtinata : nam ſicut ſuſtentatio pro miniſtris debet eſſe perpetua , ita pecunia cenſu , vel aliis licitis uſuris fructificans , perpetua ſit oportet . Quo in genere potiſſimum ſtringuntur Prælati Eccleſiarum , & monaſteriorum , quæ fundis carent , & ex ſolis annuis cenſibus ſuſtentantur : ita hæc omnia deducuntur ex *cap.* 5. *hoc tit. Extrav. Ambitioſæ. eod. int. com.* ubi generaliter prohibetur

alie-

alienatio bonorum Ecclesiæ, ex quibus pendet ejus sustentatio.

5. Q. III. *Quibus modis censeantur res Ecclesiæ alienari?* ℞. 1. Omnibus illis modis, quibus res, seu patrimonium Ecclesiæ diminuitur: cujusmodi sunt: donatio, venditio, permutatio, hypothecatio specialis in certa re, concessio feudi, aut emphyteusis, locatio ultra triennium, constitutio servitutis realis, vel personalis, seu ususfructus, cessio litis, vel actionis, transactio, vel compromissum, vi quorum sequeretur alienatio rei immobilis, seu mobilis pretiosæ; unio Ecclesiarum, translatio bonorum, vel redditaum ab una Ecclesia ad alteram, vel ab uno monasterio ad aliud.

☞ *Locatio ultra triennium facta, est nulla, etiam pro triennio ex veriori sententia: si vero ex fundo locato percipiuntur fructus quolibet tantum biennio, aut triennio, locatio fieri potest etiam ad sexennium, vel novennium; cum Extravag. Ambitiosæ solum respiciat fructum triennalem, non temporis spatium, Fagn. in cap.* Nulli *hoc eod. tit. n.* 43. ☜

Denique omnis *conditio*: quo nomine varii varia intellexerunt, ut refertur in scholio *cap.* 5. *h. t.* sed probabilius nomine *conditionis* venit hic omne pactum, quo citra translationem dominii directi, vel utilis res gravantur in præjudicium Ecclesiæ: ut concessio usus, servitutis, juris lignandi, venandi &c. nam in jure conditio frequenter accipitur pro pacto *l.* 76. *ff. pro socio*, ibi: *mecum coiisti ea conditione*, *l.* 7. *C. de pact. l.* 6. *§. fin. ff. de contrah. empt.*

☞ *Non est tamen prohibitum arbores nocivas eradicare, alias subrogando in aptiori loco ex Decreto Cong. Conc.* 29. *Jul.* 1684. *relato a Petra loc. mox cit. sect.* 2. *num.* 15. *imo Passerin. de statu hominum tom.* 1. *quæst.* 185. *art.* 7. *num.* 340. *tenet arbores licite incidi posse, si materia sit parva, & fundus notabiliter non deterioretur ex Rot. decis.* 553. *part.* 2. *recent.* ☜

6. ℞. 2. Hypothecatio generalis omnium rerum Ecclesiæ non videtur prohibita; adeoque urgente justa causa, Prælatus absque solemnitatibus Canonicis poterit bona Ecclesiæ subjicere hypothecæ generali, v. gr. ad firmandum contractum: nam *cap.* 5. *hoc tit.* exprimitur sola hypotheca specialis; ergo generalis, videtur permissa; cum in illa, & non in ista sit periculum alienationis. Excipe casum tantæ quantitatis, ut non esset spes bona Ecclesiæ redimendi, Abb. Covar. Fagn. Schmalz. *n.* 20. cum citt.

7. ℞. 3. Repudiatio hæreditatis delatæ, vel legati relicti Ecclesiæ valide fit a Prælato sine solemnitatibus Canonicis; & consequenter non continetur sub dictis modis alienandi: ita Abb. Jason. Schmalz. Reiff. *tit. de his, quæ a Præl. a n.* 35. cum glossa *Can. fin.* 16. *q.* 6. *v. meliorem*, contra Lamb. Pichler, & alios ex integro negantes; & contra Azor. Engl. Schmier, & alios, qui affirmant repudiationem hæreditatis esse validam, sed repudiationem legati invalidam esse contendunt. *Prob.* 1. *pars*: ideo repudiatio hæreditatis non esset valida, quia est alienatio rerum, seu juris Ecclesiæ juxta præsentem rubricam; sed non est alienatio rerum, seu juris Ecclesiæ: nam *qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui hæreditatem omittit l.* 28. *pr. ff. de V. S.* ergo: tum quia alienare est deperdere, seu res in patrimonio quæsitas diminuere *l.* 1. *in fin. & seqq.* maxime *l.* 6. *§.* 2. *ff. quæ in fraud. creditor.* sed repudians hæreditatem, non deperdit aliquid de patrimonio Ecclesiæ, cum jus hæreditatis ante aditionem non sit in bonis hæredis *l.* 5. *§.* 13. *ff. de donat. int. V. & U.* ubi ratio additur: *neque enim pauperior fit, qui non acquirit hæreditatem, sed qui de patrimonio suo deposuit: & l.* 23. *pr. ff. de acq. poss.* JCtus ait: *cum hæredes instituti sumus, adita hæreditate, omnia jura ad nos transeunt*: ergo Prælatus repudians hæreditatem non alienat bona Ecclesiæ, & consf. valide operatur. *Prob.* 2. *pars*: Ideo repudiatio legati non valeret, quia legatum a morte testatoris, & adita hæreditate, statim transit in dominium legatarii per *l.* 77. *§.* 3. *& l.* 80. *ff. de legat.* 2. sed non transit absolute, sed tantum conditionate, si legatarius legatum non repudiaverit, sed acceptaverit, ut patet ex his *ll. citt.* & clarius ex *l.* 38. *§.* 1. *ff. de legatione* 1. *l.* 86. *§.* 2. *eodem*, ubi Juris Consultus ait: *cum tibi servus legatur, & ipsius servi status, & omnium, quæ personam ejus attingunt, in suspenso est: nam si legatarius repulerit legatum, numquam ejus fuisse videbitur; si non repulerit, ex die aditæ hæreditatis ejus intelligitur;* ergo repudiatio legati valet, cum non transiverit in dominium absolutum Ecclesiæ: ita Prælatus, licet non acquisiverit, tamen patrimonium Ecclesiæ non diminuit, sed non alienavit. Idem docet JCtus *l.* 5. *§.* 14. *de donat. int. V. & U. Confir.* utraque pars ex *l.* 80. *ff. de V. O. & l.* 12. *ff. de reb. dub.* in dubio standum est pro valore actus, ut potius valeat, quam pereat: sed controversia ista est dubia, ergo. Ceterum repudiatio ista, si fiat a Prælato sine justa causa, est illicita, Prælatusque peccans contra officium suum, quo obligatur bonum Ecclesiæ quærere, tenetur ei ad compensationem damni illati *c. quicumque* 12. *q.* 4. si vero excussus Prælatus non sit solvendo, Ecclesiæ competit aliud remedium restitutionis in integrum, sicut minori læso per repudiationem hæreditatis *l.* 24. *§.* 2. *ff. de Minor.*

Obj. 1. Ecclesia ex institutione hæredis, vel ex relicto legato habet jus quæsitum; sed Prælatus repudiare, & alienare nequit jura quæsita Ecclesiæ, nisi cum debitis solemnitatibus *c.* 5. *h. t.* ergo. 2. In *h. t.* alienatio accipitur latissime; sed repudiatio hæreditatis, aut legati continetur sub alienatione latissime accepta *l.* 5. *§.* 8. *ff. de reb. eor.* ubi Ulp. ait: *fundum autem legatum repudiare pupillus sine prætoris auctoritate non potest: esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat.*

℞. *Ad* 1. Dist. min. habet jus quæsitum absolute, neg. m. conditionate, si Prælatus nomine Ecclesiæ acceptaverit, conc. m. cum jus istud actu non sit in patrimonio Ecclesiæ, valide repudiatur, seu non acquiritur; non tamen alienatur. *Ad* 2. Alienatio hic accipitur latissime; attamen proprie pro diminutione rerum Ecclesiæ; hæreditas vero ante aditionem, & legatum ante agnitionem, seu acceptationem, necdum est res Ecclesiæ; ergo repudiando non alienatur. *Ad prob.* in pupillo id speciale est, quod sine prætoris auctoritate hæreditatem, aut legatum repudiare non possit: at minor valide repudiat; si tamen læsus est, re integra salvum habet beneficium restitutionis in integrum *l.* 24. *§.* 2. *ff. de Minor. l. fin. C. de repudiand. hæred.* Ecclesia autem fungitur jure minoris *c.* 1. *de in integr. rest.* non pupilli, nisi sit viduata. Cetera, quæ hic objici solent, ex dictis manent soluta, ut *Can.* 52. *&* 66. *caus.* 12. *q.* 2. *& Can.* 5. 16. *q.* 6. *c.* 4. 5. *hoc tit. Reg.* 76. *in* 6. *& l.* 49. *ff. de V. S.* ibi: *æque. l. qui actionem. ff. de R. J. & l.* 77. *§.* 3. *& l.* 80. *ff. de legat.* 2. *& l. a Titio ff. de furtis*. ibi: *ea quæ legantur & l.* 23. *C. de SS. Eccl. l.* 1. *& seqq. ff. de pollicitat.*

8. Q. IV. *Qua forma res Ecclesiæ alienari possint?* ℞. sex requisita copulative esse necessaria, & sunt: I. *Justa causa*, vel *urgentis necessitatis*, cui aliter succurri nequit; ut si Ecclesia reparatione, vel paramentis necessariis indigeat, vel aliter ære alieno se liberare non possit: vel *evidentis utilitatis*, cum pro re minus utili magis utilis acquiri valeat: vel *pietatis*, ut pro redemptione captivorum, pro necessitatibus pauperum, ne fame pereant, pro bello sacro, laxandis cæmeterii spatiis &c. vel *incommoditatis*; ut si res, v. g. ager, vinea, sylva ob distantiam, vel aliud impedimentum sit Ecclesiæ inutilis, aut damnosa, eo quod plus in eam impendi debeat, quam fructificet: quæ causa refertur ad causam utilitatis. Ita hæ causæ insinuantur, *c.* 1. *h. t. in* 6. *Can.* 15. 16. 52. 70. *caus.* 12. *q.* 2. &c. Sufficit autem causa de præsenti existens; licet postea per accidens causa ista cesset, v. g. major utilitas, modo sit causa vera legitime probata: sola vero existimata causa non videtur sufficere, ut docet Navar. & alii conformiter *c.* 1. *hoc tit. in* 6. *& Clem.* 1. *h. t.*

9. II. *Tractatus capitularis*, in quo Prælatus cum capitulo legitime convocato deliberat, an expediens sit alienatio, *c.* 1. *h. t. in* 6. Si vero Ecclesia capitulo careat, sufficit, quod rector Ecclesiæ consulat Episcopum, ejusque licentiam obtineat ad alienationem, modo cetera necessaria non desint.

10. III. *Consensus capituli* capitulariter datus *c.* 1. *de his, quæ a Prælato*; etiamsi Episcopus nomine suo alienet rem inferioris Ecclesiæ, *Clem.* 2. *hoc tit.* excepto casu, *cap.* 7. *eod.* ubi solius Episcopi consensus

ad

ad donandas Ecclesiæ alteri decimas, quas laicus ante Conc. Later. acceptas, non vult propriæ Ecclesiæ restituere. At si Rector Ecclesiæ, vel Prælatus Ecclesiæ collegiatæ nomine suo vult alienare, non requiritur consensus capituli cathedralis, sed tantum consensus Episcopi: nam eo casu Episcopus non alienat, sed alienationi consensum præstat. Porro consensus capituli debet esse expressus; nec sufficit tacitus saltem ad alienationem perpetuam, & magni momenti, *c.* 1. *de his, quæ a Prælato*, ubi irrita dicitur alienatio *absque collaudatione, & subscriptione Clericorum*. Nec obstat *cap.* 2. *eod.* ibi: *conventu sciente, & non contradicente*: nam sermo est de donatione, seu temporali concessione *decimæ* ad certum tempus; vel potius, ut explicat Gonz. nomine *decimæ* venit ibi ipsum beneficium Ecclesiasticum, cujus præsentatio pertinebat ad Abbatissam, & conventum; & ita præsentatio data magistro N. sciente, & non contradicente conventu subsistit: secus, si facta est conventu ignorante, aut contradicente, prævalet ei altera præsentatio de consensu conventus facta magistro H. Sufficit autem consensus capituli per ratihabitionem datus *cap.* 3. *de his, quæ a Prælato & reg.* 10. *in* 6. ut hic locum non habeat *regula* 18. *eod.* nam consensus capituli non auctorizat alienationem, sed ei consentit, quod obtinetur, sive ante, sive post per ratificationem consensus capituli præstetur.

11. IV. *Subscriptio capituli*, quæ necessaria est ad substantiam alienationis, & non tantum ad probationem *c.* 1. *de his, quæ a Prælato & c.* 8. *eod.* an vero omnes capitulares, an solum aliqui ex eis subscribere debeant, locorum consuetudo attendenda est. Et hic est specialis casus, in quoad formam contractus scriptura requiritur.

12. V. *Auctoritas superioris*, cui Ecclesia subjecta est, uti sunt Episcopus, capitulum, sede vacante, ejusque vicarius; non vero vicarius Episcopi, Prælatus plenissime cum clero, & populo exemptus, & Papa in Ecclesiis exemptis: item, si Ecclesia regularis exempta habet suum provincialem, aut Generalem, ejus auctoritas sufficit absque auctoritate Episcopi. Ita *Can.* 41. *Abbatibus* 12. *q.* 1. *auth. hoc jus porrectum Cod. de Sac. Eccl.*

Vide additionem hoc eod. tit. post n. 3.

At consensus patroni, aut principis secularis per se non requiritur; nisi bona, & feuda Ecclesiæ ea conditione data sint, ne sine consensu Principis alienentur, ut in Imperio, Austria, & Boemia observatur, factis super hoc concordatis.

13. VI. Denique requiritur *consensus Sedis Apostolicæ* ex Const. Greg. X. *cap.* 2. *h. t. in* 6. & Pauli II. *Extrav. Ambitiosæ eod. int. com.* & quidem ad omnem alienationem, *præterquam in casibus a jure permissis*, cujusmodi sunt, locatio infra triennium, infeudatio, & emphyteuticatio ab antiquo fieri solita, alienatio necessaria necessitate juris; sicut professi S. J. & FF. Minores necessitantur alienare bona immobilia, casus magnæ, & urgentis necessitatis, quæ moram non patitur pro recursu ad Sedem Apost. nam necessitas non habet legem *reg.* 4. *in antiq.*

14. Has omnes solemnitates observare tenentur etiam Regulares, ut patet ex *cit. Extrav. Ambitiosæ* & speciali S. Congr. decreto jussu Urbani VIII. edito 7. Sept. 1624. incip. *S. Congregatione Cardd.* &c. cujus tenor refertur in exemplaribus Trid. *S.* 25. *post c.* 11. *de refor.* Et hæc sunt requisita ad formam alienationis rerum Ecclesiæ, quorum uno deficiente, alienatio rerum alienari prohibitarum de jure communi non subsistit.

15. His tamen non ligatur Papæ extraordinaria potestas, cum Papa de jure supra jus possit dispensare, *c.* 4. *de concess. præb.* unde si Papa dispensative ex justa causa (secus dispensatio esset illicita) concedat potestatem alienandi, non opus erit tractatu, consensu, & subscriptione capituli, nec auctoritate immediati Prælati; *qui habet verbum superioris, non opus habet verbo inferioris*, ut ait Bald. *l.* 2. *C. quando decreto opus non est.*

16. Q. V. *Quid consuetudo possit circa alienationes rerum Ecclesiæ?* R. 1. Consuetudine abrogari possunt solemnitates Canonicæ seorsim; hæc vel illa, cum sint juris humani; non tamen omnes simul; & multo minus justa causa, quia talis consuetudo esset irrationabilis, & gravamen Ecclesiis afferret.

17. ℞. 2. An *Extravag. Ambitiosæ h. t.* ubique recepta sit, vel in certis locis consuetudine abrogata ex toto, vel ex parte, sub judice lis est: nam Quaranta, Piasec. Fachin. & alii dicunt eam esse integraliter receptam per totum orbem: Cajet. Zyp. Sarmient. & alii dicunt non esse ubique receptam, imo nullibi extra Italiam, teste Zypæo: Navar. Vallens. & alii dicunt eam receptam esse, quoad principalem dispositionem, non vero, quoad pœnas, Sayrus, Donatus, Reiff. Engl. Konig, & alii dicunt consulendam esse praxim, & consuetudinem, vi cujus Episcopi Germaniæ, & Prælati inferiores sine recursu ad Papam solent alienare; eorumque alienationes sustinentur, ut validæ, non obstante juramento de non alienando sine consensu Papæ; quia juramentum hoc in materia juris præstitum interpretationem recipit ex jure consuetudinario, tacitamque habet conditionem: *si*, vel *quatenus Extravagans ista usu recepta est*. Laudabilius tamen, & tutius foret juramentum hoc in forma specifica observare; cum non vergat in præjudicium salutis æternæ, *c.* 28. *de jurejur.*

18. Quia vero circa Regulares non affertur a Doctoribus talis consuetudo, imo scriptores passim inculcant observantiam decreti supra citati; ideo necesse est concludere, quod Regulares, etiam in Germania teneantur ad observantiam hujus decreti sub pœnis in eo statutis, scil. ut, non obstantibus privilegiis quoad hoc revocatis, intra fines Europæ nulla bona immobilia, vel mobilia pretiosa alienent; præterquam in casibus a jure expressis, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda sub pœna privationis omnium officiorum, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant &c. Nolim tamen Prælatos, præsertim Germaniæ condemnare, sicubi ex recepta apud eos praxi, & consuetudine alienant cum solo consensu capituli sine ullo recursu ad S. Cong. nam consuetudo ista, cum de se non sit irrationabilis, legitimo tempore præscribi potest, & cons. prævalere juri positivo dictæ *Extrav. Ambitiosæ*, & decreti S. Cong. per *cap. fin. de consuet.*

19. Q. VI. *An, & quomodo sit invalida alienatio sine dictis solemnitatibus celebrata?* ℞. 1. Est invalida pro foro externo. Ita omnes ex *Can.* 52. *sine exceptione* 12. *q.* 2. *& c.* 1. 3. 8. *de his, quæ a Præl. c.* 6. *h. t. c.* 1. *in fin. eod. in* 6. *Clem.* 1. *& Extravag. Ambitiosæ eod.* quibus juribus expresse irritatio additur; & aliunde actus sine forma gestus, est invalidus saltem in foro externo.

20. ℞. 2. Est invalida etiam in foro interno, ut nullam producat obligationem ex parte Ecclesiæ: ita Gibalin. Konig., Schmier., & multi TT. ac Can. contra Abb. Navar. Zoes, & alios, quorum sententia probabilis est, eique ex recentioribus subscribunt Schamb. Schmalz. Pichler. & alii. Prob. ex dictis juribus, quæ satis clare indicant nullitatem pro foro interno: nam 1. juxta *Clem.* 1. *h. t.* recipienti nullum jus acquiritur: si autem alienatio valeret in foro interno, jus recipienti acquireretur. 2. *Extrav. Ambitiosæ eod.* Papa dicit: *tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & prædicta bona receperit, sententiam excommunicationis incurrat*, quæ sententia utique locum habet in foro interno; ergo Constitutio ista locum habet in foro interno. 3. Gregor. X. *c. fin. h. t. in* 6. signanter ait: *decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent*: sed si alienationes valerent in foro interno, viribus omnino non carerent, sed jus, & conditionem præscribendi pararent, ergo. Nec cum aliquo fundamento solido dici potest, quod eadem Constitutio, ut prohibitoria obliget in conscientia, non vero ut irritatoria. 4. Prælati non sunt domini, sed tantum procuratores, & administratores rerum Ecclesiæ, nec potestatem alienandi habent, nisi quatenus eis jus concedit; ergo si non observent formam a jure præscriptam, invalide agunt pro utroque foro: sicut procurator excedens fines mandati invalide agit, etiam in foro conscientiæ. Nec jus naturale in his circumstantiis locum habet: quia, cum permissivum sit, censetur restrictum

a sac.

a fac. Canonibus, ficut in contractibus pupillorum, & minorum fine debita folemnitate factis: tum quia folide probandum effet, quod Prælatus ex jure naturali poteftatem habeat ad alienandum; cum tota ifta poteftas ei tanquam adminiftratori detur ex jure pofitivo, ut confequenter formam ab eo præfcriptam obfervare teneatur; fecus vero nihil agat. Argumenta contraria nihil fpeciale continent, funtque eadem cum illis, quæ contra leges irritantes attuli *lib.* 1. *tit. de conft. a n.* 23.

21. ℞. 3. Alienatio fine folemnitatibus facta claudicat, ita ut Ecclefiam nullo modo obliget; bene vero alterum contrahentem, ut is refilire non poffit, fi deinde contractus appareat Ecclefiæ effe utilis, & per ratihabitionem fuperioris confolidetur: ita com. argumento ducto ex contractu minorum, & pupillorum, quorum contractus onerofi claudicant *pr. In. de auctor. tutor. l.* 13. §. 29. *ff. de action. empt.* &c. Quod etiam infinuatur *Can.* 42. *fi qua* 12. *q.* 2. ubi arbitrio Epifcopi relinquitur, an pretium, an res recipi debeant, & *c.* 3. *de his, quæ a Prælat.* Alienatio invalida per ratihabitionem convalefcit, ut etiam dicitur *c.* 2. *de pactis:* nam jura ifta fuccurrere voluerunt Ecclefiis, quæ per Prælatos adminiftrantur; non vero aliis dominis, qui cum Ecclefiis contrahunt; ergo fi ex poftfacto appareat, quod contractus fit utilis, & favorabilis Ecclefiæ, poteft a fuperiore confolidari, & alter contrahentium tenetur eo ftare, ne quod in favorem Ecclefiarum introductum eft, in earum odium detorqueatur contra *reg.* 61. *in* 6. Unde in praxi is, qui res alienatas fine folemnitatibus ab Ecclefia accepit, nullo dolo, & læfione contra æqualitatem rei, & pretii interveniente, rem acceptam retinere poteft cum animo eam reddendi, fi revocetur; cum jus nullum acquifiverit, fed folam permiffionem detinendi, feu jus conditionatum, fi contractus confolidatus fuerit. Item reftituere tenebitur fructus, deductis expenfis, fi quas in rem fecit: ita in re comm. DD. etiam adverfæ fententiæ; cum etiam fententia declaratoria nullitatis retrotrahatur ad tempus celebrati contractus.

22. ℞. 4. In dubio, an alienatio fit valida, fi nullus objiciat defectum, præfumitur valida, & rite celebrata; quia actus præfumitur rite fieri, donec probetur contrarium. At fi pars adverfa intentionem fuam fundet fuper folemnitatibus, eas probare debet per teftes: vel inftrumentum publicum; quia folemnitates iftæ funt facti, adeoque probari debent, contra eum, qui negat aliquam folemnitatem fuiffe adhibitam.

23. Q. VII. *Quid fentiendum de re data, vel legata cum conditione, ut femper, vel ut nunquam alienari poffit?* ℞. 1. Si res legata cum conditione *alienabilis* nunquam incorporata eft rebus Ecclefiæ, probabiliter valide alienatur fine folemnitatibus; cum talis conditio nec fit turpis, nec contraria juri, Palao, de Luca, Petra contra Quar. Bonac. &c. 2. Res legata cum conditione *inalienabilis*, ex jufta caufa, & de confenfu Papæ circa hoc informati, valide alienari poteft, maxime in cafu neceffitatis: nam talis conditio ne juri repugnet, benigne eft interpretanda, quod res in cafibus ordinariis non fit alienanda, bene vero in cafu neceffitatis, vel magnæ utilitatis.

24. Q. VIII. *Quis fit effectus alienationis?* ℞. 1. Alienatio valide facta transfert dominium, vel jus aliud in eum, in quem facta eft; modo traditio fubfequuta fuerit, *l.* 20. *C. de pact.* At fi alienatio fuit invalida, nihil juris transfert juxta dicta, nifi ob favorem Ecclefiæ confolidetur. 2. Ecclefia per alienationem invalidam læfa habet ordinarium remedium nullitatis, & revocationis *cap. fin. h. t. in* 6. uti etiam rei vindicationem, imo & interdictum *Unde vi;* quia hoc modo cenfetur fpoliata. 3. Ecclefia per alienationem validam læfa, præter remedium ordinarium perfonale contra Prælatum male alienantem, ut is de fuo damnum reparet, habet etiam remedium extraordinarium reftitutionis in integrum, ficut minor ex contractu læfus, cum gaudeat jure minoris *c.* 1. *de in integr. reftit. cap.* 11. *h. t.* fi autem una via Ecclefia fuum recepit, altera via non debet id ipfum repetere contra *reg.* 83. *in* 6. licet agere poffit ad pœnam Prælati male fuo officio fungentis. 4. Male alienatum revocare debet Prælatus *cap.* 6. *hoc tit.* quia dum agitur de favore publico, præfertim Ecclefiæ, allegans propriam turpitudinem audiendus eft. In defectum Prælati revocare poteft capitulum etiam fede plena, fucceffor Prælati, & his deficientibus, quilibet Clericus: tandem Princeps territorialis, & quilibet extraneus Clericus, aut laicus; cum ad agendum pro jure publico quilibet admittatur.

25. Q. IX. *Quæ fint pœnæ male alienantium?* ℞. 1. Jure antiquo alienator, & alienatarius excommunicabantur, *Can.* 13. *v. quifquis.* 12. *quæft.* 2. etiam fubfcribentes, & per *Clem.* 1. *h. t.* Prælatus ipfo facto incurrebat fufpenfionem ab officio. Hodie per *Extravag. Ambitiofæ h. t.* alienans, & alienatarius, fi fint Epifcopo, & Abbate inferiores, incurrunt excommunicationem latæ fententiæ, fi id faciant fine licentia Papæ, quæ excommunicatio refervatur Papæ per Trident. *Seff.* 22. *cap.* 11. *de refor.* Epifcopi vero, & Abbates ipfo jure interdicti funt ingreffu Ecclefiæ: & fi fub hoc interdicto fex menfibus fteterint, ipfo facto fufpenduntur ab adminiftratione & regimine Ecclefiarum. Infuper Prælati inferiores, & rectores Ecclefiarum ipfo facto privantur beneficiis; ita ut hæc abfque ulla declaratione vacantia, libere aliis conferri poffint *cit. Extravag. Ambitiofæ.* Omnes hæ pœnæ locum habent in Regularibus, & aliæ expreffæ in decreto S. Congr. ut fupra dictum *n.* 14.

☞ *Quas itidem ex decret. Cong. Conc.* 1. *Septemb.* 1657. *&* 2. *Mar.* 1689. *in Romana pro Cifterciensib. incurrunt abfque præcedenti declaratione fuperiores, fi negligentes fint in redimendo cenfus paffivos, licet tempore fuorum anteceſſorum impofitos.* ☜

26. Excufant autem ab his pœnis contraria confuetudo locorum, bona fides alienantis, & recipientis; quia nefciverunt rem effe Ecclefiæ, ignorantia juris, & facti; modo non fit fupina, & affectata, imperfectio actus, ut fi alienatio attentata fit, non tamen confummata per traditionem, aut faltem celeriter revocata *cap.* 6. *hoc tit.*

Connexio præcedentium, & confequentium.

Actum eft in præcedentibus titulis de caufis beneficialibus; nunc fequitur nova tractatio de contractibus ufque ad *tit.* 24. quæ materia communis eft Clericis & laicis; & potiffimum defcendit ex jure civili.

TITULUS XIV.

De Precariis.

Antequam de contractibus in fpecie agere incipiam, hic revocata cupio ea, quæ fcripfi *lib.* 1. *tit.* 35. *de Pactis;* quibus hic addo brevem tractationem de contractibus in genere, potiffimum defumptam ex jure civili *lib.* 3. *inftit. tit.* 14. & in Pandectis *lib.* 2. *tit.* 14. *libr.* 44. *tit.* 7. In Codice *lib.* 2. *tit.* 3. *& lib.* 4. *tit.* 10.

§. I.

De natura, & varietate contractus.

1. Q. I. *Quid fit contractus?* In hoc definiendo variæ funt fententiæ, quibus omiffis, placet antiqua definitio a jure prodita. Hinc ℞. Contractus eft *ultro, citroque obligatio,* feu mutua conventio pariens obligationem: ita Ulpian. ex Labeone *lib.* 19. *ff. de V. S. Dicitur* 1. *ultro, citroque;* quibus verbis fignificatur *mutua conventio* tanquam genus, in quo contractus convenit cum pacto fimplici. *Dicitur* 2. *obligatio* metonymice effectus pro caufa: quia contractus in recto, & formaliter non eft obligatio, fed caufaliter, quatenus parit obligationem; non qualemcumque, v. g. naturalem, fed efficacem ad agendum, feu a jure comprobatam; cum *obligatio* folitarie in jure pofita fupponat pro principali, feu obligatione efficaci, quæ parere poffit actionem civilem, *l.* 7. §. 4. *ff. de pactis.* ibi: *igitur nuda pactio obligationem non parit. & tot. tit. ff. de O. & A.* Et per hoc contractus differt a pacto fimplici: quod non parit obligationem *cit. lib.* 7. puta civilem, & efficacem, cui jus affiftat; licet pariat obligationem naturalem, cui ob æquitatem fæpe prætor affiftat, ut in conftituto. Pacta vero legitima, feu veftita, quibus fpecialiter jus affiftit, in effectu non diffe-

differunt a contractibus; cum etiam actionem civilem, seu efficacem pariant, *l. 6. & l. 7. §. 2. & seqq. ff. de pactis*, ubi Ulp. pacta cum interventu *causa*, seu rei datæ, aut factæ, ut vicissim aliquid detur, vel fiat, exæquat contractibus.

Dices: Multi sunt contractus, qui tamen non sunt *synalagma*, *seu ultro, citroque obligatio*, ut stipulatio, mutuum, depositum &c. ℞. Ad synalagma plus non requiri, quam ut sit mutua, seu reciproca obligatio, in uno contrahente *activa*, & in altero *passiva*: & hoc modo *ultro citroque obligatio* in omni contractu datur: sic enim in stipulante consurgit obligatio activa efficax ad agendum, & in promittente obligatio passiva juris necessitati subjecta. Et in hoc sensu JCtus mira brevitate dixit contractum, seu synalagma esse ultro citroque obligationem. Duplex vero obligatio activa, & passiva ex parte singulorum contrahentium non datur, nisi in contractibus, quos vocamus *bilaterales*, in quibus alter alterum obligat, & alter alteri obligatur ad aliquid præstandum; uti est emptio-venditio, locatio-conductio, sponsalia &c.

2. Q. II. *Quæ sint de essentia contractus? Ante responsum*, *nota* in contractibus tria potissimum considerari: *substantialia*, seu *essentialia*, *naturalia*, *& solemnia*. *Substantialia* sunt ea, quæ de jure naturali ita requiruntur ad contractum, ut sine eis essentia contractus poni non valeat; uti sunt consensus mutuus signo externo manifestatus, & materia vera, seu objectum substantiale, super quo consentitur; ita ut consensus sit conformis tali objecto; cum errantis nullus sit consensus, *l. 9. C. de J. & F. ignor.* Sic in mutuo requiritur res fungibilis, in emptione, venditione merx, & pretium, seu pecunia &c. & res ista debet esse vera; secus emendo vitrum pro gemma, æs pro auro dando, nullus efficitur contractus. Insuper requiritur, ne jus naturale irritet conventionem: cujusmodi est illa, quæ perpetuam continet turpitudinem, & in consensu, & in usu; ut conventio usuraria, polygamia, contractus concubinarius, matrimonium patris cum filia &c. nam non tantum contrahere, sed etiam exigere, & retinere usuras, plures uxores, concubinam, filiam instar uxoris perpetuo turpe est; & consequente contractus super tali materia initus jure naturali est invalidus; cum jus naturale in se sanctissimum ad aliquod malum obligare nequeat. *Naturalia* sunt, quæ connaturaliter instar proprietatum insunt contractui, licet de illis nulla fiat mentio. Sic venditioni inest evictio, emptioni periculum rei emptæ, feudo obsequia personalia &c. Hæc naturalia per speciale pactum tolli, & impediri possunt, salva contractus substantia; quia contractus ex conventione legem accipiunt *reg. 85. in 6.* ut si emptor in se recipiat periculum evictionis, venditor periculum rei venditæ, vel si dominus vasallo remittat obsequia personalia, ut in feudo franco, seu libero. *Solemnia* sunt, quæ a jure positivo introducta sunt, vel *per modum formæ substantialis;* ut sine his contractus valide non celebretur; sicut matrimonium sine præsentia proprii Parochi, & testium: vel *per modum formæ accidentalis*, sine quibus actus valide quidem, at plerumque illicite celebratur; ut matrimonium sine denuntiationibus, electio Prælati sine missa, & hymno: *Veni Creator* &c. Et in hoc sensu jus civile, aut Canonic. dicitur aliquid addere, vel detrahere juri naturali *l. 6. ff. de J. & J.*

3. ℞. 1. Ad essentiam contractus validi de jure naturali requiritur *consensus internus*; nam contractus est ex diversis animi motibus in unum consensus *l. 1. §. 3. ff. de pactis* 2. Ut consensus iste signo externo manifestetur; cum alteri contrahenti naturaliter, & more humano aliter innotescere non possit, nec acceptari, *cap. 23. de Sponsal.* 3. Requiritur *materia apta*, super qua consentitur, non vero impossibilis; sive ex natura, ut digito cœlum tangere, sive impossibilis de jure, seu turpis, ut homicidium, fornicatio, cum ad impossibile nulla sit obligatio, *reg. 6. in 6.* Unde si dedisti puellæ pecuniam, ut tecum fornicaretur, contractus est invalidus, & puella in conscientia tenetur tibi pecuniam restituere; nisi jam dederit usum corporis, utpote pretio æstimabilem, *l. 4. §. 3. ff. de cond. ob turp. caus.* S. D. 2. 2. *q. 62. a* 5. *ad* 2. Insuper requiritur, ut talis substantialiter sit materia, qualis in mente repræsentatur; alioquin non consentitur in rem ante non præcognitam; & consequenter contractus ex defectu consensus jure naturali est invalidus; ut si emas vasa tanquam argentea, quæ reapse sunt stannea. His concurrentibus, contractus de jure naturali est validus; dummodo contrahentes usu rationis utantur in actuali contractu. ℞. 2. Si jus positivum præscribat contractui formam substantialem, maxime addendo decretum irritans, actus non ponitur valide: nisi solemnitates a jure præscriptæ observentur; ut patet in matrimonio, ubi Trid. viget; in contractibus pupillorum, & minorum &c. Quo casu, nisi jus aliud innuat, contractus isti nec jure naturali valent, ut dictum de legibus irritantibus *tit. de constit. n.* 23. licet enim jus naturale permittat contractum esse validum sine his solemnitatibus, tamen in hac circumstantia, in qua jus positivum aliter disponit, & materiam subducit juri naturali, hoc non extendit se ad tales contractus.

4. Q. III. *An dolus, vel error vitiet valorem contractus? Ante responsum. Nota* 1. quod dolus malus est calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita, *l. 1. §. 2. ff. dolo malo. Calliditas* committitur in tacendo, *fallacia* in mentiendo, & *machinatio* in faciendo, seu in opere. 2. Dolus est duplex: *substantialis*, qui afficit ipsam substantiam contractus, maxime in ipsa materia, ut si vendas vitrum pro gemma, Bertam pro matrimonio substituas loco Cajæ. *Accidentalis*, qui versatur circa qualitates, & accidentia contractus, ut si vendas vinum austriacum pro rhenano. Et hic, vel est dolus *antecedens*, seu *dans causam contractui*, sine quo contractus non fuisset initus, v. g. Cajus non duxisset puellam, si scivisset non esse nobilem, aut divitem. Vel est *incidens*, seu *concomitans*, quo stante, contractus fuisset quidem celebratus, sed forsan alio modo, verb. gr. emisses vinum austriacum, quod tibi persuasum est esse rhenanum, sed minori pretio. Quod si qualitas, de se accidentalis, transeat in substantiam objecti, ita ut intentio contrahentis per se feratur in objectum, ut vestitum tali qualitate, tunc dolus circa qualitatem non est accidentalis, sed substantialis; ut si præcise intendas emere vinum rhenanum, & dolo tibi vendatur austriacum. Quando autem qualitas transeat in prædicatum essentiale, seu in substantiam objecti, certa regula statui non potest, sed id desumendum erit ex communi usu, & modo contrahentium. 3. Error est defectus notitiæ circa materiam contractui substratam. Et quæ modo dicta sunt de dolo substantiali, & accidentali, antecedente, & incidente, eadem errori applicanda sunt: cum hoc discrimine; quod dolus ex malitia, & error ex naturali defectu contingat, & ex illo dicatur contractus dolo initus; ex isto vero contractus errore celebratus;

5. ℞. 1. Dolus circa substantiam objecti, vel circa qualitatem moraliter substantialem, ipso jure naturali reddit contractum invalidum: nam tali casu deficit consensus, ut terminatus ad tale objectum; cum aliud sit in re, aliud in intentione: sed consensu deficiente, ipso jure naturali deficit contractus, qui essentialiter est consensus duorum *l. 1. §. 3. ff. de pact. l. 15. ff. de jurisd.*

6. ℞. 2. Dolus accidentalis, sive antecedens, sive incidens, ipso jure naturali relinquit contractum validum: nam talis dolus relinquit consensum liberum circa substantiam actus; ergo & contractum validum. Imo dolus accidentalis incidens etiam jure positivo non vitiat contractum *l. 9. ff. de dolo*, ubi ex simili contractu datur actio circumvento.

7. ℞. 3. Dolus accidentalis antecedens non vitiat valorem contractus stricti juris, imo nec bonæ fidei etiam de jure positivo. Prima pars est communis, & expresse traditur §. 1. *Inst. de except. & l. 5. C. de inutil. stipul.* ubi ex stipulatione, quæ est contractus stricti juris, dicitur nasci obligatio, & actio contra eum, qui dolo inductus promisit, licet actor doli mali exceptione repelli possit. *Secunda pars* est Ignei, Laym. Haunold. Schmalz. & aliorum contra Covarr. Gail. Harppr. & RR. Legistas: & prob. ex *l. 5. C. de rescindenda vendit. & l. 10. eod.* ubi venditio, quæ est contractus bonæ fidei, si dolo adversarii celebrata est, dicitur rescindenda; ergo ipso jure positivo valet; quod enim invalidum est, rescindi non potest. Nec ulla hic est necessitas

cessitas impropriandi jura ista, quasi procederent de rescissione facti, non juris; cum propria significatio optime sustineri possit. Ratio etiam est, quia contractus, bonæ fidei dolo accidentali celebrati jure naturali subsistunt, ut ante dixi jure autem positivo clare non irritantur; ergo ne divortium faciamus inter ista jura, dicendum est vos validos esse etiam de jure positivo; non secus ac contractus bonæ fidei metu initos. At quoad effectum contractus isti recte dicuntur invalidi; quia ob causam doli rescindi possunt, exceptis iis, qui ex natura sua sunt insolubiles; ut matrimonium, & professio religiosa. Argumenta in contrarium vel procedunt de nullitate quoad effectum, vel de dolo substantiali: quo modo explicantur *l. 7. pr. ff. de dol. malo*, *l. 16. §. 1. ff. de minor. l. 3. §. fin. ff. pro Socio* &c. Hæc eadem doctrina contractibus errore initis applicanda est. Relege hic *tit. ff. & C. de dolo mal. tit. ff. de doli mali except. tit. ff. & C. de J. & P. Ignor.* Vide etiam Laym. *l. 3. tr. 4. c. 3. & seqq.* & in controversiis meis civilib. *Disput. 9.* De personis, quæ contrahere possint, vel non, idem tene, quod de paciscentibus dixi *tit. de pactis*.

8. Q. IV. *Quæ sint divisiones contractuum?* ℟. Contractus dividitur 1. in *realem*, *verbalem*, *litteralem*, seu *chirographarium*, *& consensualem* §. *fin. In de oblig. Realis* est, qui re, seu traditione rei perficitur, & consequenter ante rem traditam non est substantialiter completus, uti sunt: *Mutuum*, *commodatum*, *depositum*, *pignus*, *indebitum solutum*, *permutatio*, *& precariæ* in jure Can. *Verbalis* est, qui verbis, seu certa verborum solemnitate a jure præscripta perficitur; ut stipulatio, & fidejussio. Hodie, cum formulæ verborum exoleverint, omnis seria promissio vim habet stipulationis. *Litteralis* est, qui litteris, seu instrumento perficitur, estque fere unicus *non numeratæ pecuniæ tit. In. de litter. oblig. & tit. C. de non num. pec.* At ex speciali conventione partium, vel præcepto juris quandoque scriptura desideratur ad valorem contractus, ut in alienatione rerum Ecclesiæ, *c. 1. de his, quæ a Præl. Consensualis* est, qui solo consensu partium substantialiter perficitur, integraliter vero completur traditione rei; uti sunt emptio, venditio, locatio, conductio, emphyteusis, feudum, societas, mandatum; & si qui alii his similes sunt. 2. Dividitur in *Verum*, qui fit expresso consensu utriusque contrahentis; seu dum obligatio oritur ex eo, quod agitur; ut mutuum &c. & *quasi contractuum* quasi fit tacito, seu præsumptio consensu partium, ex dispositione juris introducto. Cujusmodi quasi contractus sex numerantur *tit. In. de oblig. ex quasi contr. Negotiorum gestio*, *tutela*, *rei communio*, *hæreditatis communio*, *additio hæreditatis*, *& indebiti solutio*. Ceteri ad hos, præsertim ad negotiorum gestionem referuntur; ut quasi contractus inter Ecclesiam, & Prælatum, inter judicem, & rempubl. confessarium, & pœnitentem, medicum, & ægrum, magistrum, & discipulum &c. 3. In *Onerosum*, in quo utrique imponitur onus dandi, vel faciendi: ut in emptione, venditione, & *Lucrativum*, in quo una tantum pars gravatur ad aliquid dandum, vel faciendum; ut stipulatio, donatio. 4. In *Unilateralem*, qui unam tantum partem stricte obligat; ut mutuum, stipulatio, aditio hæreditatis, solutio indebiti, & omnes contractus innominati: item commodatum, depositum, pignus &c. sic enim, v. g. creditor non obligatur ad pecuniam repetendam, sed solus mutuatarius ad eam restituendam: & *Bilateralem*, qui utramque partem stricte obligat ad aliquid præstandum; ut emptio, venditio, locatio conductio, societas, hæreditatis, & rerum singularum communio: ex quibus contractibus utrinque per se nascitur actio directa: sic enim vendens obligatur ad tradendam rem venditam, & emens ad tradendum pretium. Quidam contractus *unilaterales* per accidens ex consequenti fiunt *bilaterales*, quatenus uni contrahenti conceditur *actio directa*, & alteri *actio contraria* ad repetendum id, quod in rem alterius impendit, vel quod sua interest. Sic commodanti datur actio directa ad repetendum, v. g. currum; commodatario vero datur actio contraria commodati ad repetendas impensas, si quas pro curru fecit. Tales contractus sunt: commodatum, depositum, mandatum, pignus, negotiorum gestio, tutela &c. 5. Contractus dividitur in *Nominatum*, qui in jure habet proprium specificum nomen; ut emptio, mandatum &c. & *Innominatum*, qui in jure non habet proprium specificum nomen, sed generaliter vocatur *permutatio*; & actio inde orta dicitur *actio præscriptis verbis*, seu *in factum tit. ff. & C. de rer. permut. & tit. de præscript. verb.* ubi tales contractus innominati numerantur 4. *Do*, *ut des*, *do*, *ut facias*, *facio*, *ut facias*, *facio*, *ut des*. 6. In contractum *bonæ fidei*, *& stricti juris*. Contractus *bonæ fidei* est, in quo admittitur lata interpretatio ex æquo, & bono circa ea, quæ expressa non sunt; & consequenter judex in illo habet amplam potestatem judicandi secundum æquitatem, non attento rigore conventionis. *Stricti juris* est, in quo adhibetur stricta interpretatio præcise secundum id, quod verbis expressum, & conventum est. Ex quo patet, *bonam fidem* hic non accipi, prout opponitur dolo, & fallaciæ; quia hoc modo omnes contractus debent esse bonæ fidei; sed prout *bona fides* opponitur stricto juri, seu rigori conventionis secundum verba expressa, v. gr. emisti hortum nulla facta mentione fructuum pendentium; in hoc contractu bonæ fidei lata est interpretatio, ut nomine horti veniant etiam fructus pendentes, seu accessorii. At si donasti hortum, non expressis fructibus pendentibus, in hoc contractu stricti juris, stricta est interpretatio, ut nomine horti non veniant fructus pendentes. Sic etiam venditor tenetur de evictione rei venditæ, etsi de hac nihil sit conventum: at donator non tenetur de evictione rei donatæ, si id expresse non fuit conventum. Actiones, & contractus bonæ fidei numerantur §. 28. & 29. *In. de action.* emptio, venditio, locatio, conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, pro socio, tutela, commodatum, pignus, familia herciscunda, seu hæreditatis communio, rei singularis communio, contractus æstimatorius, permutatio, pacta dotalitia. Ceteri omnes contractus sunt stricti juris, ut mutuum, stipulatio, donatio, indebiti solutio, aditio hæreditatis pro exolvendis legatis. 7. In contractum *purum*, seu *absolutum*, cui præter propriam obligationem nihil extraneum admiscetur: & *nonpurum*, cui conditio, modus, causa, vel dies exolvendæ obligationis adjicitur. De his plura in *lib. 4. tit. de condit. appos.* 8. Denique contractus a causa efficiente alii sunt *jurisgentium*, qui ex hoc jure originem ducunt, ut fere omnes contractus *l. 5. ff. de J. & J.* alii sunt *juris civilis*, qui a Romanis introducti sunt, & perpauci, ut stipulatio, sponsalitia largitas, donatio propter nuptias, emphyteusis, & probabiliter etiam litterarum obligatio; cum de jure naturali, & gentium scriptura non requiratur ad valorem contractus.

§. II.

De culpa, casu fortuito, & obligatione contractuum

9. Culpa alia est *theologica*, quæ coram Deo est peccatum mortale, aut veniale: alia *juridica*, seu *civilis*, quæ est omissio diligentiæ debitæ, ex qua sequitur aliquod damnum proximo; puta dum quis per imprudentiam, vel negligentiam omittit ea facere, quæ facere deberet, vel facit ea, quæ facere non deberet. Culpa juridica licet sæpe conjungatur culpæ theologicæ, sæpe tamen fit absque omni peccato coram Deo; ut si ex naturali oblivione omittas custodiam alicujus rei. 2. Culpa juridica est triplex: *Lata*, *levis*, *& levissima*. *Lata* est omissio diligentiæ, quam communiter homines talis conditionis adhibere solent; ut si craterem aureum tibi commodatum relinquas ante domum, & is perdatur: hæc culpa saltem in civilibus æquiparatur dolo *l. 226. ff. de V. S. magna negligentia culpa est*, *magna culpa dolus est*: imo, si quis data opera omitteret diligentiam, ut alteri damnum eveniat, esset culpa latissima, quæ est apertus dolus. *Levis* est omissio diligentiæ, & circumspectionis, quam solet diligens paterfamilias, aut homines diligentiores ejusdem conditionis, & artis rebus suis adhibere; ut si perdatur crater aureus tibi commodatus in cubiculo, quod abiens non clausisti. *Levissima* est omissio diligentiæ, & circumspectionis, quam solent homines diligentissimi suis rebus adhibere; ut si craterem aureum cistæ inclusisti, & manu non tentasti, an bene sit obserata.

10. Q. I.

10. Q. I. *Quæ culpa in quolibet contractu sit præstanda?* seu quod damnum culpa datum in contractibus sit reparandum? ℞. Id generaliter desumi ex tribus sequentibus regulis: 1. Si contractus celebretur in gratiam solius dantis, hoc est, qui dat alteri aliquid custodiendum, vel administrandum, nulla mercede constituta, regulariter præstatur solus dolus, & culpa lata, ut in deposito *l.* 5. §. 10. *ff. commodat.* excipe *tutelam, mandatum, & negotiorum gestionem*, in quibus ob specialem rationem præstatur etiam culpa levis: & quidem in tutela ob favorem pupilli; in mandato autem, & negotiorum gestione, ob specialem diligentiam promissam. 2. Si contractus celebretur in gratiam solius accipientis, cui ex contractu fit quoddam beneficium, præstatur non tantum culpa lata, & levis, sed etiam levissima *l.* 5. §. 5. *ff. commodati. l.* 1. §. 4. *ff. de O. & A. cap. un. de commodat.* quibus juribus statuitur, ut in commodato in gratiam commodatarii celebrato præstetur culpa levissima. 3. Si contractus celebretur in gratiam utriusque contrahentis, ita ut uterque emolumentum ex illo habeat, regulariter præstatur culpa lata, & levis, non tamen levissima. *l.* 18. *pr. ff. commodati*, ut in locatione, venditione, societate, pignore &c. nisi nominatim conventum fuerit plus, vel minus præstandum, *l.* 23. *ff. de R. J.*

11. Q. II. *Quid sit, & an præstetur casus fortuitus?* ℞. *Ad* 1. Casus fortuitus est eventus inopinatus, qui nulla humana industria, aut providentia caveri, aut averti potest, *l.* 2. §. 7. *ff. de adm. rer. ad civit. pertin.* Sæpius in jure vocatur *fatum*, seu quædam necessitas: cujus exempla sunt: naufragia, inundationes, chasmata, seu absorptiones fundorum, incendia ex fulmine orta, insultus hostium, prædonum impetus, fugæ servorum, pestis animalium &c. *l.* 23. *ff. de R. J.* quibus additur furtum domesticum *arg. l.* 14. §. 6. *ff. de furtis.*

12. *Ad* 2. Casus fortuitus regulariter non est præstandus: ut si equus tibi commodatus fulmine extinctus est: nam talis casus humana diligentia averti non potuit. Unde periculum, seu damnum inde secutum, est domini, cujus res casu periit, vel deteriorata est. Hæc tamen regula suas patitur exceptiones. Unde.

13. ℞. 3. Si alter periculum rei in se suscepit, damnum est illius, & non domini: nam contractus ex conventione legem accipiunt *reg.* 85. *in* 6. & quidem si generaliter in se suscepit omne periculum, tenetur præstare quemcumque casum fortuitum, etiam insolitum; quia omnes species in genere continentur *l.* 147. *ff. de R. J.* idque aperte docet Ulp. *l.* 9. §. 2. *ff. locati.*

14. ℞. 4. Si debitor fuit in mora restituendi, tenetur præstare omnem casum, quo res periit apud illum, non peritura apud creditorem ex regula generali *l.* 23. *ff. de V. O.* nam æquum est, ut mora culpabilis debitori potius noceat, quam creditori. At si res casu fortuito, v. gr. incendio, peste, chasmate, æque peritura fuisset apud creditorem, sicut apud debitorem, multi indistincte dicunt, periculum, seu damnum esse creditoris: sed melius alii distinctione utuntur: si creditor rem interim distrahere non potuit, periculum est ipsius: at si interim distrahere potuit vendendo, permutando, tunc periculum est debitoris: ita docent JCti *l.* 47. §. *fin. ff. de Legat.* 1. *l.* 20. §. *fin. & l.* 40. *ff. de hæred. petit. & l.* 15. §. *fin. ff. de R. V.*

15. ℞. 5. Si res missa est per nuntium creditoris ad hoc destinatum, & pereat in via, damnum est creditoris; qui sibi imputare debet, quod meliorem nuncium non elegerit. Item si debitor elegit nuncium, qui communiter habitus est pro fideli, & industrio, periculum rei perditæ in via est creditoris. *l.* 20. *ff. commodati*, cum debitor in eligendo nuncio non deliquerit. At si debitor non elegit nuncium fidelem, & industrium, vel rem deferendam commisit ei, quem creditor misit tantum ad monendum debitorem, non vero ad ferendum, periculum rei in via perditæ est debitoris, *l.* 10. *in fin. ff. commodat.* nam tunc debitor est in culpa. Jam de obligatione, quæ est præcipuus effectus contractuum.

16. Q. III. *Quid, & quotuplex sit obligatio?* ℞. *Ad* 1. Est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura, *pr. In. de oblig.* Dicitur 1. *Juris vinculum*, ut excludantur vincula materialia, quia *verba ligant homines, taurorum cornua funes:* contractus enim, licet ab initio sit libertatis, ex postfacto tamen necessitatis, & vim habet legis privatæ, qua vinculum istud necessarium inducitur, *l.* 17. §. 3. *ff. commodat. Dicitur* 2. *solvendæ:* quo *solutionis* nomine generaliter venit omne id, quod vi contractus præstandum est. Dicitur 3. *Secundum nostræ civitatis jura*, hoc est secundum jura civilia, & Canonica, quæ modum exolvendis obligationibus præscribunt, v. g. ne quis propria auctoritate jus sibi dicat &c.

17. ℞. *ad* 2. Obligatio est triplex: *Pure naturalis, pure civilis, & mixta* ex utraque. *Naturalis est*, quæ a solo jure naturali inducitur, ut ex pacto nudo. *Civilis pura* est, quæ a solo jure civili inducitur, itaut de jure naturali nulla subsit obligatio: ut in contractu litterario pecuniæ non numeratæ. *Mixta* est, quæ ex jure naturali, & civili inducitur, quatenus jus civile naturalem obligationem approbat, ei assistit, & ex ea actionem efficacem concedit; ob quod etiam dici solet quasi antonomastice *obligatio civilis:* imo in jure *obligatio* solitarie posita, plerumque significat obligationem mixtam *l.* 1. *& seqq. ff. de O. & A.* & huic proprie competit definitio supra tradita: nam si obligatio est tantum naturalis, actionem non parit *l.* 7. §. 4. *ff. de pact.* si vero est obligatio tantum civilis, actionem quidem parit, sed sine effectu, quia agens doli exceptione repelli potest. Hæc divisio ab antiquis tradita retinenda est, eamque defendo in Controv. Civilib. *Disput. X. controv.* 4. licet Zoes, Schamb. & alii contendant non dari obligationem pure civilem.

18. Q. IV. *Unde dignosci possit qualitas obligationis?* ℞. Ex seqq. 1. Si jus alicui conventioni nec resistit, nec assistit, oritur ex illa obligatio pure naturalis; ut ex pacto nudo, ex contractu inter patrem, & filium, inter dominum, & servum inito; item si verus debitor per sententiam absolutus sit, quia natura manet debitor &c. 2. Si lex assistit alicui actui, in quo deficit æquitas naturalis, ex eo oritur sola obligatio civilis; ut ex litteris, in quibus quis confitetur se accepisse pecuniam mutuam, vel dotem; quam tamen re ipsa non accepit: item si non debitor per sententiam condemnatus est, *l.* 56. *ff. de re judic.* item ex culpa mere juridica, ex ficto contractu; & generaliter in iis, quæ fiunt contra legem in præsumptione facti fundatam, si præsumptio fallat. 3. Si lex, aut Canon assistit actui, in quo simul adest æquitas naturalis, obligatio inde orta est perfecta, seu ex naturali, & civili mixta; ut ordinarie accidit fere in omnibus contractibus. 4. Si lex resistit actui, eum irritando, inde nulla oritur obligatio, nec naturalis, nec civilis in probabiliori sententia; quia materia subducta est juri naturali; *l.* 5. *C. de LL.* multi tamen TT. & Juristæ docent, actus tantum communiter irritatos, validos esse pro foro interno; & consequenter obligationem naturalem ex iis oriri; ut sunt contractus pupillorum, & minorum, alienationes rerum Ecclesiæ: electiones, testamenta sine solemnitatibus a jure præscriptis facta.

19. Q. V. *Quis sit effectus harum obligationum?* ℞. 1. Naturalis obligationis effectus sunt: 1. Exceptio contra agentem, *l.* 7. §. 4. *ff. de pactis:* sic agenti creditori opponi potest exceptio pacti de non petendo. 2. Soluti retentio *l.* 10. *ff. de O. & A.* 3. Compensatio *l.* 6. *ff. de compens.* sic Cajus, si debuit Titio 100. & Titius ei 100. promisit, debitum hoc compensare potest cum 100. promissis. 4. Obligationi naturali accedere potest fidejussor §. 1. *In. de fidejuss.* 5. Constitui pignus, *l.* 14. §. 1. *ff. de pignor.* 6. Sufficit ad novationem, *l.* 1. §. *illud. ff. de novat.* 7. Sufficit quoque ad constitutum, *l.* 1. §. *debitum ff. de const. pecun.*

20. ℞. II. Effectus obligationis mere civilis sunt: 1. Parit actionem: sed plerumque per exceptionem doli elidi potest; adeoque non habet exactionem. 2. Potest ei accedere fidejussor, & pignus §. 1. *In. de fidej.* at in constitutum, vel compensationem deduci non potest, *l.* 3. §. 1. *ff. de const. pecun. l.* 14. *ff. de compens.* nec solutio per errorem parit retentionem, sed civiliter tantum debitum, si solutum est, repeti potest; aut saltem in foro conscientiæ compensari, *l.* 16. §. *indebitum ff. de condict. indeb.*

21. ℞. III. Effectus obligationis naturalis, & simul civilis est, quod pariat actionem, & nisi elidatur per exceptionem, etiam habeat exactionem, *l.* 27. §. 2. *ff. de pactis.*

pactis. Hinc obligatus ex contractu, si non velit satisfacere, pulsari potest actione talis contractus.

Tandem nota, obligationem dividi posse iis modis, quibus contractus dividitur: nam *re*, *verbis*, *litteris*, *& consensu* obligatio paritur. Item alia est prætoria, quæ ex jure prætorio, prout civili contradistincto, descendit: alia *civilis*, quæ descendit ex aliqua specie juris civilis, puta ex lege, plebiscito, SCto, constitutionibus Principum, & responsis prudentum.

§. III.

De Precariis.

22. Nota 1. hæc duo: *precarium* in neutro, & *precaria* in feminino singulari, seu *precaria* in plurali esse diversa: nam *precarium* est, quod precibus petenti utendum gratis conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, Ulp. *l.* 1. *ff. de precar.* ut si tibi petenti concedam usum libri ad meum placitum revocabilem. Differt a *commodato*, quia hoc conceditur ad certum tempus, & certum usum expresse, vel tacite; ita ut citius revocari non possit: *precarium* vero ad nutum est revocabile. Item commodatum est contractus pariens obligationem: precarium vero est tantum umbra contractus, seu species liberalitatis *l.* 14. *ff. de precar.* cum nullam obligationem pariat, sed ad placitum concedentis revocari possit. *Precaria* sunt contractus realis bilateralis jure Can. inductus, quo alicui ad preces, ac plerumque causa remunerationis usufructus prædii Ecclesiastici conceditur; ea tamen lege, ut singulis quinquenniis petitio renovetur. Ex qua definitione colligitur discrimen inter *precarium*, *& precarias*: nam precarium fit circa res mobiles, vel immobiles, regulariter ad tempus indeterminatum, & semper revocari potest, ac juri civili est cognitum *tit. ff. de precario*: at precariæ de jure Can. fiunt circa res immobiles, ad dies vitæ, vel aliud tempus; ita tamen ut de quinquennio ad quinquennium renoventur, neque pro placito revocentur. Utrumque tamen dicitur a *precibus*, vel a charta, quæ precaria, seu precatoria dicebatur.

23. *Nota* 2. has voces: *precarium*, *commodatum*, *depositum*, &c. tripliciter sumi posse: 1. *Materialiter*, seu *objective* pro ipsa re precario data, commodata, deposita &c. 2. *Formaliter* pro ipso contractu, seu actu celebrato. 3. *Effective* pro ipso effectu, seu jure ex tali actu acquisito; seu pro obligatione, ut satisfacere precario, mutuo &c. Agemus hic 1. de precariis, de quibus etiam agitur *c.* 4. *& seqq.* 10. *q.* 2. *&* 12. *q.* 2. *Can.* 44. *precariæ*: deinde de precario, de quo in Pandectis tractatur *tit. de precario*, *& C. eod.*

24. Q. I. *Qua solemnitate constituantur precariæ*? Præter causam precum, aut remunerationis, requiruntur ad concessionem precariarum solemnitates pro alienatione rerum Ecclesiæ præscriptæ: nam per illas alienatur usufructus, vel usus ad longum tempus *c.* 2. *h. t.* Nec obstat, quod in Synodis quandoque *precariæ* dicantur *Ecclesialis pecunia*: nam nomine *pecuniæ* etiam venit *res immobilis frugifera*, quæ in precariam conceditur *l. pecuniæ* 222. *ff. de V. S.* 2. Hodie precariæ non in perpetuum, sed in quinquennium conceduntur: si vero ad longius tempus concessæ sunt, renovari debent singulis quinquenniis: secus precarista cadit suo jure; nisi alia esset loci consuetudo, *c.* 2. *h. t.* In hac tamen renovatione non sunt necessariæ solemnitates, sicut in renovatione feudi Ecclesiæ; cum hic nova alienatio non intercedat.

25. Q. II. *Quis sit effectus precariarum*? ℟. 1. Ex parte concedentis est obligatio ad permittendum usum rei usque ad tempus conventum, quo finito datur Ecclesiæ *actio precariarum* contra precaristam, ejusque hæredes ad præstandum id, quod exigi potest ex natura hujus contractus. 2. Ex parte accipientis est jus reale ad usum, vel usumfructum rei. An vero usus, vel usufructus sit concessus, id ex mente verbis & aliis circumstantiis colligi debet. Item obligatio ad rem diligentissime sine culpa etiam levissima custodiendam argumento commodati, & ad petendam renovationem de quinquennio in quinquennium. Competit etiam accipienti actio, saltem indirecta contra Ecclesiam ad præstandum id, quod ex natura hujus contractus æquum est præstari. Utraque ista actio est Canonico-civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, perpetua, & in successores transitoria. Ex his patet precarias differre ab emphyteusi: nam hæc inventa est ad agros colendos, conceditur ex quacumque justa causa, sub annuo Canone, ad tempus etiam longum sine quinquennali renovatione: secus accidit in precariis, licet & in his aliqua pensio reservari possit.

26. Q. III. *Quid in specie requiratur ad naturam precarii*? ℟. 1. Traditio rei ad usum indeterminatum: alioquin si tibi roganti dedi breviarium ad dicendas lectiones hujus diei, non tam est precarium, quam commodatum. 2. Nulla merces, quia est conventio gratuita, & quædam species liberalitatis. 3. Ut dans pro placito possit rem revocare; non tamen in continenti; alias non esset beneficium, nisi urgens causa revocandi purgaret præsumptionem doli *c. fin. h. t.* tempus determinatum non adversatur precario; dummodo dans ad citius non revocandum non obligetur, *l.* 4. §. *fin. ff. h. t.* tempore determinato elapso, si dans non revocat, præsumitur precarium ex tacito consensu innovari: secus est in commodato. Pactum vero de non revocando citius, adversatur naturæ precarii, & vel habetur pro inutili, vel precarium transfert in commodatum; sicut donatio mortis causa cum pacto de non revocando transit in donationem inter vivos, *lib.* 26. *ff. de mort. caus. donat.* 4. Res omnis, sive mobilis, sive immobilis, imo & jura in precarium dari possunt; uti etiam res propria in eo casu, quo alter jus aliquod habet in tali re; sicut fructuarius domino proprio concedere potest usum rei fructuariæ, & creditor usum pignoris precario dare potest domino debitori, *lib.* 11. *ff. de precar.* Nec obstat *l.* 4. §. 3. *ff. eod. & l.* 45. *ff. de R. J.* ubi negatur pignus, depositum, precarium &c. in re propria constitui posse: nam id intelligitur de re propria, cujus alter jus aliquod, vel possessionem non habet.

27. Q. IV. *Quis, & cui concedere possit precarium*? ℟. 1. Concedere potest quicumque habet liberam facultatem usum rei alteri communicandi; uti est dominus, & fructuarius. At pignoratarius, seu creditor usum pignori non alteri, quam domino pignoris concedere potest, nisi consensus domini accederet *l.* 11. *ff. de precar.* ℟. 2. Precarium recipere potest omnis ille, qui acquirere, etiam pupillus, filiusf. & servus: & hi quidem, si rogent nomine proprio, obligantur peculiotenus; si nomine patris, aut domini, pater, & dominus in solidum.

28. Q. V. *Qui sunt effectus precarii*? ℟. 1. Ex parte accipientis est jus utendi re precario data, & possessio rei, quoad hoc jus utendi, vi cujus possessionis habet interdicta *uti possidetis*, *& unde vi* contra tertium, *l.* 17. *ff. de precar.* Ipsam vero proprietatem non possidet precarista nomine suo, sed nomine concedentis *l.* 6. §. 12. *ff. eod.* 2. In precarista nascitur obligatio restituendi rem ad placitum revocantis, & obligatio præstandi culpam latam, non tamen levem, aut levissimam, *l.* 8. §. 6. *ff. eod.* tum quia precarium non est stricte contractus, sicut est commodatum; tum quia est species beneficii pro placito revocabilis; adeoque jura noluerunt precaristam obligari, nisi ad ordinariam custodiam rei, seu ad præstandum dolum, & culpam latam dumtaxat. At si precarista sit in mora restituendi, præstare debet omnem culpam, & casum, *ibid.* quia mora culpabilis ei nocere debet, non domino. 3. Concedens, revocato precario, habet pro re sua recuperanda interdictum restitutorium de precario, *l.* 14. *ff. de precar.* quod vocatur *actio præscriptis verbis lib.* 2. §. 2. *& lib.* 19. *ff. eod.* non utique civilis, & ordinaria, sed prætoria, & irregularis ex bona fide, & æquitate naturali descendens; quatenus, revocato precario, æquum est possessionem rei restitui; eo quod post revocationem incipiat esse vitiosa.

29. Q. VI. *Quibus modis solvatur precarium*? ℟. 1. Revocatione. 2. Morte rogantis, cum precarium sit beneficium personale. 3. Morte concedentis, si concessit cum clausula: *usque ad meum beneplacitum*; quia hoc cum morte expirat. At si absolute concessit, vel cum clausula: *donec revocavero*, non solvitur morte concedentis, sed tacite per hæredem innovatur; nisi hic expresse illud revocet, *c. fin. h. t. l.* 8. §. 1. *ff. de precar.* 4. Alienatione rei precario datæ. 5. Solutione debi-

debiti; si dominus rem suam pignoratam precario habens, debitum exsolvat, *l.* 11. *ff. eod.*

TITULUS XV.

De Commodato.

Agitur de hac materia in Pandectis & Codice *h. t.* & in Instit. *lib.* 3. *tit.* 15. §. 3.

1. *Commodatum*, quasi commodo datum, est contractus realis, juris gentium, & bonæ fidei, quo res aliqua ad certum usum, & tempus gratis conceditur ea lege, ut eo finito, eadem res in specie restituatur; com. Differt a *mutuo*, quia in hoc res datur fungibilis cum translatione dominii, ut eadem res in genere restituatur: at in commodato datur res usu non consumptibilis, sine translatione dominii, & cum obligatione, ut eadem species, seu idem numero corpus restituatur. Differt etiam a locatione, quia in hac merces datur locanti; commodatum gratis. Tempus vero certum præfigitur commodatario, vel expresse; ut si librum commodes pro una septimana; vel tacite, ut si librum commodes ad aliquid ex illo describendum.

2. Q. I. *Quis, & cui commodare possit*? ℞. *Ad* 1. Commodare potest omnis, & solus ille, qui liberam rerum administrationem habet, sive sit dominus, sive fructuarius, sive alius administrator. In specie commodare prohibentur infans, furiosus, pupillus, absque auctoritate tutoris, monachus sine licentia superioris, uxor sine consensu mariti; secus res perdita compensabitur in dote, *l.* 24. §. 6. *ff. solut. matrim.* ℞. *Ad* 2. recipere commodatum possunt omnes, qui ex contractu obligari, vel saltem lucrari: & ita pupillus commodatum pro sua utilitate accipere potest absque tutoris auctoritate; sed actione commodati non tenentur, sed sola actione ad exhibendum, & rei vindicatione, sicut furiosus *l.* 2. *ff. h. t.* quia iniquum est rem alienam a pupillo detineri. Servus vero cum domino obligari nequeat, nec ab illo commodatum recipere potest, *l.* 13. §. 2. *ff. eod.* ubi limitatio ponitur; nisi servus tantum putatitius esset.

3. Q. II. *Quæ res in commodatum veniant*? ℞. 1. Res permanentes, seu non fungibiles, sive mobiles, sive immobiles; ut domus: res vero fungibiles, ut pecunia, non commodantur nisi per accidens, v. gr. ad pompam, vel ostentationem *lib.* 3. §. *fin. ff. h. tit.* 2. Res etiam alienæ, quarum possessionem habet commodans, *l.* 15. *&* 16. *eod.* ubi furibus, & prædonibus conceditur actio commodati, sicut & depositi *l.* 1. §. 39. *ff. depositi*: nam actio ista oritur ex contractu bona fide inito: quia vero malæ fidei possessor tenetur rem domino restituere cum fructibus; ideo commodare in foro conscientiæ ei non licet, cum ex alieno donare non liceat *lib.* 54. §. 1. *ff. de furtis*. 3. Res sacræ ad usum sacrum, ut calix ad missam. 4. Jura, servitutes, & redditus annui, cum & ista finito usu, reddi possint.

4. Q. III. *Quæ sit obligatio commodantis*? ℞. 1. Tenetur rem tradere, & non revocare ante tempus, & usum finitum, *l.* 17. §. 3. *ff. h.t.* ubi dicitur commodatum ab initio esse voluntatis, ex postfacto necessitatis, & *c. un. h. t.* ubi ratio additur: *quia non decipi beneficio nos oportet, sed adjuvari*. Si autem tempus præfixum elapsum est, revocari potest commodatum; etsi illo tempore commodatarius re commodata usus non fuisset: nam contractus ex conventione legem accipiunt, *reg.* 85. *in* 6. Item in casu extraordinario non prævisο, quo commodans æquale, vel majus damnum pateretur, commodatum revocare potest ante tempus, *arg.* locationis *l.* 3. *C. de locat.* nam commodans non præsumitur voluisse commodare pro tali casu non prævisο; cum nemo præsumatur velle jactare suum *l.* 25. *pr. ff. de prob.* sed tale commodatum tacite ex communi usu hominum est conditionatum, *si casus inopinatus non superveniat*; ergo. Ex quo solvitur *c. un. h. t. l.* 17. §. 3. *ff. h. t. reg.* 33. *in* 6. & argumentum a donatione. ℞. 2. Commodans tenetur actione contraria commodati, ut reparet ea, quæ commodatarius in rem commodatam impendit: item ut resarciat damna, quæ dolo, vel culpa lata causavit, ut si sciens commodavit vasa vitiosa pro vino, vel servum furem, qui commodatario furtum fecit, *l.* 18. §. 3. *&* *l.* 22. *ff. h. t.*

5. Q. IV. *Quæ sint obligationes commodatarii*? ℞. 1. Tenetur taliter uti, qualiter ei concessum est. Unde si re aliter utatur, quam sit concessum, furtum committit; ut si utatur equo ad sex milliaria, cum ei concessum fuerit equo uti ad duo milliaria, *l.* 5. §. 8. *ff. h. t.* 2. Tenetur rem diligentissime custodire, & finito usu, ac tempore, eandem in specie restituere, cum invito creditori aliud pro alio solvi non possit *l.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred.* 3. Tenetur præstare culpam, de quo mox.

6. ℞. 2. Si commodatum est celebratum in favorem, & utilitatem solius commodatarii, ut ordinarie fit, is tenetur præstare omnem culpam, etiam levissimam, *c. un. h. t. l.* 5. §. 5. *ff. eod.* Si celebratum est in gratiam utriusque, præstatur culpa lata, & levis *l.* 18. *pr. ff. eod.* ut si Cajus vasa aurea commodet Titio ad communem utriusque amicum splendida mensa excipiendum. Si tandem celebratum est in gratiam solius commodantis, præstatur solus dolus, & culpa lata *lib.* 5. §. 10. *ff. eod.* ut si sponsus commodet ornamenta suæ sponsæ, ut honestius in domum suam deducatur, vel instrumenta musicis, ut sibi musicam producant. Ratio horum est, quia in primo casu commodatarius accipit maximum beneficium, in secundo minus, in tertio minimum; ergo etiam in primo casu levissimam, in secundo levem, in tertio latam culpam præstare tenetur, si res per ejus negligentiam periit, vel deteriorata est. An, & quando casus fortuitus præstetur, vide superius dicta in *tit. præced. a num.* 11. Porro si in commodatario nulla culpa theologica, sed mere juridica intervenit, probabilius est, quod in foro conscientiæ non teneatur ad reparandum damnum, nisi post sententiam judicis, sicut plurimi tenent de obligatione L. Aquiliæ.

7. ℞. 3. Si res duobus commodata est, & alter commisit culpam, is solum tenetur damnum reparare. Si uterque culpam commisit, uterque in solidum obligatur; uno autem solvente, alter dimidium compensat solventi *l.* 5. §. *fin. ff. h. t.* quod etiam servatur in locato, & deposito. Si uterque periculum, seu casum fortuitum in se suscepit, quilibet tantum pro parte tenetur, nisi aliter convenisset, Gloss. *in cit. l.* 5. *v. pervenietur*.

8. ℞. 4. Si res commodata æstimata est in ordine ad venditionem, si fortuito pereat, periculum est commodatarii; si æstimata est ad explorandum pretium, ut communiter fit, ne commodans teneatur apud judicem pretium probare, periculum casus fortuiti est commodantis, qui sibi imputare debet, quod rem non æstimaverit per modum venditionis; vel non institerit, ut commodatarius in se susciperet periculum rei commodatæ. Quodsi taxatio non præcessit, facienda est a tempore moræ etiam extrajudicialis, quanti res eo tempore valuerit, *l.* 8. §. 2. *ff. de cond. furt.* nam obligatio restituendi currit a tempore moræ commissæ.

℞. 5. In commodato non admittitur compensatio, si res ipsa commodata existat *l. fin. C. h. t. &* *l.* 18. *ff. de pignor. act.* ubi a materia compensationis expresse excipitur *corpus*, seu res in specie debita: tum ne aliud pro alio invito creditori obtrudatur; tum quia dominus rei potest habere specialem affectum, & speciale interesse circa ipsam speciem, seu corpus; tum ne commodatarius quasi propria auctoritate debitum sibi exolvat. Unde pro debito 100. florenos non potes tibi retinere equum commodatum constantem 100. florenis. At si res commodata periit, vel deteriorata est, & consf. loco illius debeatur quantitas, v. gr. 100. poterit ista quantitas cum debito priori compensari: nam quantitatis ad quantitatem datur compensatio ex §. 39. *Inst. de action. l.* 1. *& seqq. ff. de compens. l.* 4. *C. eod.* & clarius *l. fin. C. eod.* ubi in omnibus actionibus admittitur compensatio; *excepta actione depositi* propter exuberantiam bonæ fidei, & ne depositarius, qui fidem suam obligavit ad restituendum, contractui depositi contraveniat. Ex quo solvitur §. 2. *In. quib. mod. re contr. l. fin. C. de commod. & arg. ex l.* 15. *in fin. &* *l.* 59. *in fin. ff. de furtis*.

10. Q. V. *Quæ dentur actiones ex commodato*? ℞. 1. *Actio directa commodati* datur commodanti, ejusque hæredibus contra commodatarium, ejusque hæredes ad rem finito usu recuperandam, & damna per culpam data resarcienda. *Actio contraria commodati* datur commodatario contra commodantem ad interesse, si res prius revocetur, vel si commodatarius in eam sum-

sumptus extraordinarios fecit *l.* 3. 5. 13. 14. *ff. hoc tit.* Utraque ista actio est civilis, quam prætor suo interdicto adjuvat, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, & perpetua. 2. Si commodatarius re aliter usus sit, quam fuerit concessum, datur contra eum actio furti *l.* 5. §. 8. *eod.* si rem culpa sua destruxit, vel deterioravit, datur actio legis Aquiliæ; quæ tamen conformatur principali actioni commodati; & contra tertium rei detentorem datur rei vindicatio: una autem ex his actionibus electa, ceteræ consumuntur; nisi quid speciale per aliam actionem peteretur, *l.* 7. *in fin. l.* 18. §. 1. *eod.* Casus speciales in materia commodati vide in *ff. h. t.*

TITULUS XVI.

De Deposito.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 14. *ne quis.* 22. *q.* 2. In Institution. *lib.* 3. *tit.* 15. §. 3. in Pandect. & Codice *h. t.*

1. *Depositum* quasi de manu in manum positum, est contractus realis, quo res alicui gratuito custodienda traditur ea conditione, ut eadem in specie ad deponentis placitum restituatur. Differt a commodato, quia in hoc traditur res ad certum usum; at in deposito traditur res ad puram custodiam. Ex data definitione colliges omnia necessaria requisita ad substantiam depositi.

2. Depositum dividitur 1. In *judiciale*, seu *sequestrum*, quo res litigiosa apud tertium deponitur, ut dictum *lib.* 2. *tit.* 17. sub quo etiam continetur *depositum juris*, quo res debita, creditori juste oblata, & ab eo injuste rejecta deponitur in æde sacra (ob quod etiam *sacramentum* dicitur) vel apud magistratum ad sistendum cursum usurarum; & si pereat, perit creditori, quia fictione juris censetur ab eo acceptata, *l.* 19. *C. de usur.* & *extrajudiciale* dum privatus apud privatum quidpiam custodiendum deponit. Aliter vocatur *conventionale*, *commendatum*, *receptum*, vel *depositum facti*. 2. In *regulare*, quod servat totam naturam depositi: & *irregulare*, quod ex aliquo adjecto alteratur; ut vel assumat aliquid ex alio contractu, vel transeat in alium contractum. Et quidem, si pro custodia merces detur, erit locatio; si quid aliud, erit contractus innominatus; nisi quid gratuito daretur permodum honorarii. Si usus rei non fungibilis concedatur, erit commodatum: si vero usus rei fungibilis permittatur, erit mutuum, saltem participative.

3. Q. I. *Qui possint deponere, & depositum recipere?* ℞. Illi, & soli, qui ratione utentes contrahere valent, etiam pupillus, vel minor sine auctoritate tutoris, vel curatoris: quo casu non obligatur deponenti, nisi ex dolo, vel si ex re deposita locupletior factus est, *l.* 1. §. 15. *ff. h. t.* Si vero religiosus sine sui Superioris, vel Clericus sine sui Prælati licentia, vel ipse Prælatus sine consensu capituli depositum suscepit, Ecclesia, vel monasterium exinde non obligatur; ne delictum personæ redundet in detrimentum Ecclesiæ contra *reg.* 76. *in* 6. nisi Ecclesia ex tali deposito facta fuisset locupletior *c.* 1. *h. t.*

4. Q. II. *Quæ sit materia depositi?* ℞. Omnis res sub custodiam cadens, etiam aliena, dummodo fur non deponat apud dominum, *l.* 1. §. 39. *l.* 31. §. 1. *ff. h. t.* Et quamvis plerumque res mobiles deponantur, tamen res immobilis potest esse materia depositi, cum & ista tradi possit custodienda, *lib.* 72. *pr. ff. de V. O.* ibi: *fundum tradi c.* 2. *de dolo c.* 1. *de sequestrat.* Nec obstat, quod JCti non ponant exempla in rebus immobilibus: nam exempla ponuntur in notioribus, & frequentioribus; neque regulam restringunt, sed illustrant. 2. Accessoria depositi non censentur deposita, *l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* ubi Ulp. subdit: *si homo vestitus deponatur, vestis non est deposita, nec si equus cum capistro: nam solus equus depositus est.* Hæc tamen accessoria restituenda sunt cum ipsa re, vel eorum æstimatio, si dolo depositarii perierint, *arg. l.* 5. §. 9. *ff. eod.* 3. Si cista sigillata deponatur, etiam res in ea contentæ sunt depositæ: adeoque si sigillum fractum est, & aliquæ res non reperiantur, præsumitur dolus, & culpa depositarii, & deponens admittitur ad juratam rerum amissarum probationem, *l.* 1. §. 41. *eod.* & *arg. l.* 9. *C. unde vi.* nisi sigillum fuisset valde fragile, & depositarius integræ famæ, & fidei: quo casu, sicut etiam si, integro sigillo permanente, res aliqua deperdita sit, dolus non præsumitur, sed probari debet a deponente.

5. Q. III. *Quæ sit obligatio depositarii?* ℞. 1. Tenetur rem depositam custodire; non vero illa sine licentia deponentis: secus utendo furtum committit, *l.* 29. *pr. ff. depositi:* si tamen res fungibilis, v. g. pecunia sit deposita permodum generis, ut eadem in genere restituatur, tunc usus talis pecuniæ censetur concessus depositario, & periculum pecuniæ est illius, non deponentis, sicut in mutuo *l.* 24. 25. 26. §. 1. *ff. h. t. l.* 7. 8. *C. eod.* quo casu egreditur ea res depositi notissimos terminos, & in effectu est mutuum. An vero administratores pecuniis, & rebus sibi commissis uti possunt, vide Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 25. *a n.* 4. In praxi ob multa mala, quæ timentur, non est attentandus usus talium rerum.

6. ℞. 2. Tenetur ad nutum deponentis rem depositam reddere, non obstante termino præfixo, cum hic gratia deponentis apponatur, ne ante illum reddere attentet, *l.* 1. §. 22. *ff. h. t. c.* 2. *eod.* nisi ratio altior, vel æquitas dictet depositum non esse reddendum; ut hosti Reipubl. damnato, cujus bona confiscata sunt, furi, si dominus cum illo in petitione rei concurrat; vel alias damnum passurus sit; vel si res furto ablata deposita sit apud dominum, vel ejus servum, aut filiumf. *l.* 31. *ff. eod.* Cum re etiam fructus ejus restituendi sunt, ut partus cum ancilla &c.

7. ℞. 3. Regulariter tenetur præstare solum dolum, & culpam latam, *l.* 1. §. *fin. ff. h. t. l.* 31. *eod. l.* 1. §. 5. *ff. de O. & A.* quia depositum regulariter in gratiam solius deponentis celebratur; isque sibi imputare debet, quod minus diligenti amico rem custodiendam tradiderit, §. 3. *In. quib. mod. re contr.* Tunc autem etiam præsumitur culpa lata, dum depositarius majorem suis, quam depositis rebus diligentiam adhibet, *cit. l.* 32. imo si in rebus suis negligens, nihilominus commissam culpam latam in rebus depositis præstare tenetur; cum ex natura hujus contractus culpa lata præstanda veniat. Per accidens præstatur culpa levis; ut si depositarius mercedem accepit, si se ipsum pro custodia obtulit, vel si ita conventum sit, *c. fin. h. t.* Item præstatur culpa levissima, si ita convenit expresse, aut tacite; ut si deponens quærat custodem diligentissimum, & depositarius se offerat ad rem custodiendam; vel si res tradatur nautis, stabulariis, cauponibus, qui ex officio obligantur ad res custodiendas, *l.* 1. & *seqq. ff. Nautæ:* licet hodie hospites, accepta clavi a cubiculo, plerumque in se suscipiant custodiam, & periculum rerum suarum.

8. ℞. 4. In casu periculi, v. g. incendii, naufragii &c. si res depositæ sunt pretiosiores, quam propriæ, & utrasque salvare non potest, tenetur depositarius salvare res pretiosiores depositas præ suis; alioquin, si suæ sint pretiosiores, vel æque pretiosæ, suas salvare poterit præ depositis: nam hoc modo quilibet prudens, & diligens paterfam. operaretur. Quo casu, si res alienas salvavit, suis consumptis, ratione damni emergentis petere potest compensationem. Idem dic in conductore, pignoratario, & commodatario: excepto ultimo casu, si res æque sint prætiosæ; tunc enim commodatarius obligatur ad salvandas res commodatas præ suis, cum teneatur ad diligentiam exactissimam. At casum fortuitum regulariter non præstat depositarius secundum alias dicta.

9. ℞. 5. Depositarius in uno casu tenetur ad duplum: si depositum miserabile tempore incendii, aut similis periculi perfide neget se recepisse: & hæc actio dupli est prætoria uno anno durans *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. l.* 23. *In. de action.*

10. Q. IV. *Quæ actiones nascantur ex contractu depositi?* ℞. 1. *Actio directa depositi*, quæ competit deponenti, contra depositarium ad rem suam integraliter recipiendam, vel ad ejus æstimationem, si culpa lata depositarii periit, vel deteriorata est, *l.* 1. §. 16. & *l.* 24. *ff. h. t.* & quidem si res in se extet, deponens præponendus est omnibus creditoribus depositarii, etiam uxori *l.* 7. §. 2. *ff. eod.* quia jus dominii est fortius omnibus juribus creditorum. At si res deposita consumpta est a depositario, deponens nullam hypothecam legalem, seu tacitam habet in bonis depositarii, ratione cujus præferatur ceteris creditoribus, cum id nullo jure concedatur. 2. *Actio contraria depositi*, quæ competit depositario con-

contra deponentem pro resarciendis impensis, si quas fecit in rem depositam; ut equum alendo, servum infirmum curando &c. *lib.* 5. *pr. ff. eod.* Quo casu depositarius non tenetur rem restituere, donec sibi expensæ refundantur; sed instar pignoris eam retinere potest ex regula generali *l.* 18. §. 4. *ff. commodati.* At in recompensationem debiti non venit depositum *c.* 2. *h. t. l.* 11. *C. eod.* ibi: *nullamque compensationem*, *& lib. fin. C. de compens.* nam exuberantia bonæ fidei, & specialis obligatio ad rem depositam restituendam, non admittit hanc compensationem. 3. Utraque ista actio est civilis, quam prætor suo interdicto adjuvat; personalis, utpote ex contractu rei persecutoria, bonæ fidei, perpetua, & transitoria. *Directa*, si in sententia condemnatoria est expressa causa doli, infamat §. 2. *Instit. de pœn. temer. litig. l.* 10. *h. t.* Dolus autem probari potest ex confessione depositarii, ex conjecturis; ut si, rebus suis salvis, alienas interire permisit, *c. fin. h. t.* si actum prohibitum posuit, ex quo damnum secutum est &c. Ceterum licet dolus præteritus remitti possit, non tamen futurus; quia talis remissio invitaret ad delinquendum *l.* 1. §. 7. *ff. h. t.* Vide Reiff. a *n.* 32. & selectos casus, qui afferuntur in *ff. & C. h. t.*

Connexio præcedentium, & consequentium.

Compilator noster tres contractus reales tribus præcedentibus titulis complexus est, ceteris omissis, vel in alium locum rejectis: nam de mutuo agetur *lib.* 5. *tit. de usuris*, & de pignore hic infra *tit.* 21. Nunc in seqq. tractationem aggredior de contractibus consensualibus in specie.

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

Agitur de hac materia in Extravag. com. *h. tit.* in Decreto *Can.* 21. *eos.* 1. *q.* 1. *&* 1. *q.* 3. sed potissimum tractatio ista desumitur ex jure civili in Institutionibus *lib.* 3. *tit.* 24. in Pandectis *lib.* 18. *per tot. lib.* 19. *tit.* 1. *lib.* 21. *per tot.* In Codice *lib.* 4. *tit.* 38. *usque ad tit.* 63.

1. *Nota* 1. Emptionem-venditionem apud veteres usurpatam fuisse pro quacumque permutatione, & alienatione §. 2. *In. h. t.* hodie emptio venditio est contractus consensualis bilateralis super re pro certo pretio extradenda. Ex qua definitione patet tria esse substantialia requisita hujus contractus, scilicet *mutuum consensum*, *rem*, seu *mercem*, *& pretium*, seu *pecuniam:* traditio vero mercis, & pretii pertinet solum ad integritatem, & complementum emptionis-venditionis.

2. *Nota* 2. Venditionem varie dividi: 1. In *generis*, *& speciei*. *Venditio generis* est, dum ex pluribus ejusdem generis rebus una indeterminate venditur, v. gr. una ovis ex grege. *Venditio speciei* est, dum una numero res venditur, ut hæc ovis. In quibus vocibus nota genus, & speciem apud Juristas idem esse, quod speciem, & individuum apud philosophos. 2. Dividi in venditionem *ad corpus*, & *mensuram*. Venditio autem *ad corpus*, seu *per aversionem*, est, quando plura geneta, aut species sine numeratione, admensuratione, & ad ponderatione per modum unius venduntur, ut totus acervus tritici, omnes imagines in cumulo. Dicitur *ad corpus*, quia non singulæ partes seorsim, sed totum corpus ex partibus conflatum venditur. Dicitur *per aversionem*, quia venditor, & emptor, quasi avertuntur a distincta consideratione partium, & circa rem in confuso paciscuntur. *Venditio ad mensuram*, seu *quantitatem*, seu *ad modum* est, dum venditur certa quantitas specierum sub genere contentarum, ut tradatur per adnumerationem, vel admensurationem, vel adponderationem; ut centum oves ex grege, centum amphoræ vini ex vase, centum libræ carnis ex bove occiso. Ex quo patet, quod in venditione ad corpus non attendatur quantitas numeri, mensuræ, & ponderis; bene vero in venditione ad modum, seu quantitatem. 3. In *œconomicam*, *& negotiatoriam*. *OEconomica*, seu *naturalis*, aut *necessaria* est, qua paterfamilias vendit sua superflua, ut alia necessaria pro se, suaque familia emat. *Negotiatoria*, seu *artificialis* est, qua quis aliqua emit, ut ea carius vendat, vel immutando speciem, ut ex frumento farinam, aut panem faciendo; vel sine mutatione, ut frumentum revendendo. 4. In *Privatam*, quæ fit privata conventione partium: & *publicam*, quæ fit auctoritate judicis: ut si bona debitoris vendantur sub hasta, vulgo *grida*. Scriptura ex conventione partium adhiberi potest in emptione, venditione; de jure autem non est necessaria, nisi ad faciliorem probationem. His præjactis, in hac amplissima materia breviter more meo agam. 1. De substantialibus hujus contractus. 2. De pactis ei admisceri solitis. 3. De obligationibus venditoris, & emptoris, ac resolutione hujus contractus.

§. I.

De personis, merce, & pretio emptionis-venditionis.

3. Q. I. *Qui emere, & vendere possint?* ℞. Regulariter omnes, qui rerum suarum liberam administrationem habent *l.* 14. *C. de contrah. empt.* Qui vero pacisci prohibentur, etiam emere, & vendere sunt prohibiti. Specialiter prohibentur personæ nobiles perniciosum civitatibus commercium exercere *l.* 3. *C. de commer. & mercat.* Milites in Provinciis prædia comparare *l.* 9. *ff. de re milit.* Judex bona a se subhastata emere; uti & alius, qui venditioni auctoritatem præstat: sicut tutor a pupillo *l.* 46. 62. *ff. de contrah. empt.* Porro consensus ementis, & vendentis debet esse verus absque fictione, dolo, & errore substantiali moraliter præsens, & regulariter libera coactione. Sed

4. Q. II. *An quis cogi possit ad venditionem, aut emendum?* ℞. Regulariter non *l.* 13. 14. *C. de contr. empt.* nam contrahere est libertatis. ℞. 2. In casu necessitatis, vel publicæ utilitatis magistratus cogere potest ad vendendum justo pretio taxato, v. gr. frumentum tempore famis, & inopiæ; vel ad vendendam domum pro fortalitio, Ecclesia; & prohibere ne frumentum, vel aliæ merces exteris vendantur. Item si timeatur communis inopia, vel obsidio loci, quilibet civis cogi potest ad res necessarias pro tali casu emendas. In civitatibus habentibus *jus stapulæ* merces certæ illatæ ibi vendi debent, nec inde referri, ut Coloniæ, Hamburgi &c. habentibus vero *jus emporii* merces quidem illatæ vendi possunt, non tamen aliis, quam mercatoribus. Clerici autem, & religiosi in casu necessitatis, non a laico, sed a judice Ecclesiastico cogi possunt ad vendendum, v. g. frumentum; nisi judex Ecclesiasticus id negligeret: tunc enim via defensionis, quam jus naturale permittit, horrea Clericorum aperiri, & frumentum justo pretio divendi posset ad publicæ necessitati consulendum; siquidem necessitas non habet legem.

5. ℞. 3. Princeps laicus, nisi munitus sit indulto Apostolico, non potest ferre legem amortizationis, qua prohibeat suis subditis, ne bona vendant Ecclesiis, & monasteriis; atque ita ea transferant in manus mortuas: nam id adversatur libertati Ecclesiasticæ, & sub excommunicatione prohibetur, *c. fin. de immun. Eccl. in* 6. & in casu 15. Bullæ Cœnæ.

6. Q. III. *Quæ res vendi possint?* ℞. Materia venditionis est omnis res commercio humano subjecta, sive corporalis, sive incorporalis; modo sit certa, & saltem moraliter existens, & vendi specialiter non prohibita, *l.* 34. §. 1. *ff. de contr. empt.* nam sicut venditio, ita & materia venditionis est de genere permissorum. Unde I. Vendi potest res non tantum propria, sed etiam aliena *l.* 28. *ff. de contr. empt.* nam tali venditione non præjudicatur domino; cum is rem suam a quocumque repetere possit, *ibid.* neque enim talis venditio est alienatio, cum jus in re non tribuat, sed hoc maneat penes dominum rei *l.* 1. 2. 5. 6. *C. de reb. non alienand.* Sed in effectu est discrimen; nam si venditor, & emptor scit rem alienam, neuter obligabitur; puta nec venditor ad rem tradendam, nec emptor ad pretium solvendum: si emptor solus scit, non obligabitur venditor: nec tamen ex vendito quidquam consequetur, puta pretium. Si venditor scit, & emptor ignorat, utrimque obligatio contrahitur: quo casu emptor bonæ fidei accipit vacuam possessionem rei cum conditione usucapiendi; nisi interim dominus rem vindicet, *l.* 34. §. 3. *ff. de contrah. empt.*

7. II. Vendi poteſt res, quæ ſperatur extitura; ut partus ancillæ, fructus naſcituri &c. dummodo aliquid naſcatur; ſecus emptio utpote conditionata ſolveretur. At ſi vendatur ſpes, ſeu jus, cujus effectus ex natura ſua eſt fortuitus, ut jactus retis, luſus aleæ, captura volucrum, venditio eſt firma, etſi nihil capiatur, *lib. 1. ff. de condit. & demonſtr. lib. 8. in fin. ff. de contrahend. empt.* In eo tamen caſu, quo empta eſt captura piſcium, ſi quid pretio ſi loco piſcium, vel cum piſcibus extractum ſit, non erit emptoris, ſed piſcatoris; cum ſuper hoc non ſit actum, Zoes *ff. hoc tit. num. 26.*

8. III. Vendi poteſt jus venandi, lignandi, & alia ſimilia jura pretio æſtimabilia: uti & hæreditas delata, *toto tit. ff. de hæredit. vel action. vendit.* non tamen hæreditas viventis *l. 1. eod. & l. fin. C. de pact.* niſi teſtator conſentiat. Porro ſi hæreditas vendita eſt cum modo, & quantitate, ſeu determinatione rerum hæreditariarum, res ſolum determinatæ cenſentur emptæ, & non aliæ *lib. fin. ff. de hæredi. vendita*. At ſi hæreditas, prout eſt jus, indeterminate, & ſimpliciter vendita eſt, omnia jura, & onera tranſeunt in emptorem, ſicut tranſiviſſent in hæredem; adeoque emptor tenetur de evictione, ſi res aliena in hæreditate reperta fuerit *lib. 2. princ. ff. eod.* An vero jus accreſcendi tranſeat in emptorem, acriter in utramque partem diſputant Civiliſtæ. Negant Jaſon, Cujac. Gomez. Vinn. & alii, ſed Bartoli, Hunn. Harppr. Schmier. & aliorum affirmantium opinio videtur probabilior ex *lib. 2. §. 3. 4. 9. ff. eod.* ubi Ulp. docet emptori obvenire omne jus venditoris, *non ſolum quod jam pervenit, ſed & quod quandoque pervenerit;* ergo etiam jus accreſcendi, cum portio deficiens, quaſi jure alluvionis adhæreat alteri portioni in emptorem translatæ. Nec obſtat, quod hæres poſt venditionem adhuc maneat hæres *lib. 88. ff. de hæredib. inſtitut. lib. 43. §. fin. ff. de vulgar. ſubſt.* nam in effectu non manet hæres, ſed in locum ejus emptor ſurrogatur, ejuſque nomine jus habet ad portionem alteram a cohærede repudiatam.

9. IV. Vendi poſſunt actiones reales, & perſonales *lib. 17. ff. de hæred. vendit.* paucis exceptis; uti ſunt litigioſæ, populares, criminales, actio retractus jure ſanguinis competens, quæ ex communi DD. a materia venditionis eximuntur. Porro ſi nomina, ſeu chirographa debitorum ſint liquida, & facile conſequibilia, tanti emenda ſunt, quanti conſtant, ut debitum 100. pro centum. At ſi difficulter, & moleſte ſint conſequibilia, per lites, & alia incommoda, ex communi hominum perſuaſione minus valent, & conſ. minoris emi poſſunt. Ne autem fraudibus, & cupiditatibus, lucriſque improbis indulgeretur, Imper. Anaſtaſius *lib. 22. C. mandati*, & Juſtinian. *lib. fin. eod.* conſtituerunt, ut emptor nominis, qui non juſto, ſed viliori pretio emit, plus a debitore ceſſo non peteret, quam dederit venditori, reſiduumque pretii eidem venditori reſtitueretur.

10. Q. IV. *Quæ res vendi ſint prohibitæ?* ℞. 1. Omnes res extra commercium humanum exiſtentes; ut res ſacræ, religioſæ, & ſanctæ, & publicis uſibus deputatæ: cujuſmodi ſunt gratia divina, miſſa, abſolutio, templa, cœmeteria, fora &c. *l. 6. ff. de contrah. empt.* res tamen ſacræ ſecundum materiam æſtimabiles; ut calices, caſulæ &c. in caſu neceſſitatis vendi poſſunt: & quidem, ſi vendantur ad uſum profanum, prius confringi, & execrari debent; ſi ad uſum ſacrum, integra vendi poterunt, modo ratione conſecrationis majus pretium ſimoniace non exigatur, *Can. 70. aurum. 12. q. 2. Can. hoc jus 10. q. 1. Auth. præterea C. de SS. Eccl.* 2. Res de ſe malæ, ut philtrum amatorium, proſtitutio corporis &c. 3. Liber homo, *l. 6. ff. de contr. empt.* cum libertas ſit res inæſtimabilis, *l. 106. ff. de R. J.* 4. Fundus dotalis, *l. 3. ff. de fund. dot.* 5. Res propria emptoris, *l. 61. ff. de contrah. empt.* nam quod meum eſt, ex alia cauſa fieri meum non poteſt, niſi ſub conditione, *quia forte ſperatur meum eſſe deſinere, cit. l. 61.* 6. Denique vendi non poſſunt res, quæ ſpecialiter a jure, teſtatore, vel ex pacto vendi prohibentur. Sic barbaris purpura, ſericum, vinum, ſal, ferrum, arma, & ſimilia vendi prohibentur *tit. C. quæ res venire non poſſ. & tit. C. quæ res exportar.* Item a teſtatore prohibentur vendi fideicommiſſa, confirmante hanc prohibitionem conſuetudine, & lege Principum. Denique ex pacto poteſt res aliqua dari cum conditione, ne vendatur, & alienetur.

11. Lex, & teſtator beneficio juris, ipſam rem afficiunt, ut venditio ſit irrita: pactum vero privatum non videtur obſtare valori venditionis *l. 3. C. de cond. ob cauſ. l. pen. ff. in fin. ff. de pact.* nam pactum non afficit ipſam rem; ſed contra violatorem pacti datur condictio perſonalis; non vindicatio: quo ſenſu explicatur *l. fin. C. de reb. alien. l. fin. C. de pactis. inter empt.* Paritas vero a ſervo manumitti prohibito non tenet; quia talis conditio oſſibus, ſeu perſonæ ſervi cohæret. *l. 5. C. ſi mancipium ita:* pactum vero rei non cohæret, ſed perſonam obligat.

12. Q. V. *Quo pretio res vendi poſſint?* Ante reſp. *nota*, pretium eſſe duplex: *legale*, ſeu *legitimum*, quod a lege, ſeu republica taxatum eſt: & *naturale*, ſeu *vulgare*, quod, attenta rerum natura, neceſſitate, utilitate, aliiſque circumſtantiis ex communi privatorum judicio taxatur. Prius conſiſtit in indiviſibili, nec a privatis mutari poteſt; poſterius habet latitudinem *ſummi*, *medii*, *& infimi*, ita ut quodlibet ex his juſtum ſit, v. g. ſummum pretium eſt 100. medium 98. infimum 94.

13. ℞. 1. Pretium hodie conſiſtit in pecunia *l. 1. ff. de contr. empt.* ſive ſit pecunia propria, ſive aliena: nam & fur aliena pecunia emere poteſt, v. g. equum, *l. 1. & pen. C. ſi quis alteri:* quo caſu res empta cum fructibus cedit emptori, pecunia vero furtiva non fit venditoris, niſi bona fide eam conſumat, alienando, vel ſuæ permiſcendo, ut diſcerni nequeat. Ipſe autem emptor aliena pecunia emens tenetur reparare omnia damna, quæ, ſive domino talis pecuniæ cauſa, ſive venditori acciderunt. 2. Pretium pecuniarium debet eſſe *verum*, *& ſincerum*, non fictum, & ſimulatum; ut ſi quis una drachma domum venderet: nam donare potius, quam vendere cenſeretur. 3. *Juſtum*, ſeu *æquale merci:* & ideo, maxime in foro conſcientiæ reprobatur pretium arbitrarium, ut quidlibet quolibet pretio vendi, aut emi poſſit. *lib. 63. ff. ad L. Falcid.* nam emptio-venditio eſt actus juſtitiæ commutativæ; ergo exigit æqualitatem inter mercem, & pretium, vel naturalem, vel legalem a republ. definitam. Unde nec mercatores merces exoticas quolibet pretio vendere poſſunt, ſed juſto dumtaxat, computatis omnibus ſumptibus, periculis, novitate, utilitate, & aliis adjunctis. 4. Si pretium juſte taxatum eſt a Principe, illud obſervare tenentur ſubditi, exteri, cum ratione contractus ſortiantur forum: imo & Clerici, ac Religioſi, ſaltem indirecte, ut ſunt membra communitatis: neque indigenæ carius debent vendere exteris ſub pœna excommunicationis, *cap. 1. hoc tit.* 5. Si pretium legale eſt minus vulgari, tenetur venditor ſequi pretium legale juſte taxatum; ſecus peccat contra legem, & ad reſtitutionem tenetur, niſi mutatis circumſtantiis, pretium legale evaderet injuſtum. At ſi pretium legale eſt majus vulgari, & taxatum fuit in gratiam emptorum, venditor tenetur ſequi pretium vulgare, ne lex volens favere emptoribus, in eorum odium detorqueatur. Si vero taxatum eſt in favorem venditorum, poteſt exigere pretium legale, ut 100. pro jure exigendi quinque annuos florenos.

14. Q. VI. *Ex quibus cauſis variari poſſit pretium?* ℞. I. Augeri poteſt ob inopiam mercium, & emptorum copiam, ob majores labores, pericula, ſumptus, in eis colligendis, & conſervandis, ob lucrum ceſſans, & damnum inde emergens, ob periculum amittendi, vel diu, & difficulter obtinendi pretii, dum merces dantur ad creditum moroſis debitoribus &c. Decreſcit vero pretium, ſi adſit mercium copia, ſi res cumulatim, & non ſingulatim vendantur &c. nam licet res eamdem retineat intrinſecam bonitatem, hæc tamen ſola non attenditur in taxatione pretii, ſed etiam aliæ circumſtantiæ.

15. Sola indigentia, neceſſitas, vel utilitas particularis non ſufficit, ut res carius vendatur, vel vilius ematur, S. D. 2. 2. q. 77. a. 1. nam talis indigentia, vel utilitas non eſt aliqua pars mercis; ergo non ſufficit, ut v. gr. venditor vendat carius, quia emptor tali re indiget; vel emptor emat vilius, quia venditor opus habet pecunia.

16. III. Privata notitia de pretio brevi minuendo, vel augendo, per ſe non obeſt, quo minus currenti

pretio

pretio venditor vendere, & emptor emere possit, ut fecit Joseph *Gen.* 41. nam currens pretium est justum; notitia vero privata non facit illud injustum, nec ponit aliquod vitium intrinsecum in merce; ergo. Per accidens autem charitas suadet contrarium agere pro casu, quo per hujusmodi emptiones venditiones proximus in extremam, vel gravem necessitatem redigeretur. Et hæc de substantia emptionis-venditionis, de qua plures selecti casus legi possunt *tit. ff. & C. de contrah. empt.*

§. II.

De pactis venditioni admisceri solitis.

Pacta ista sunt: arrha, lex commissoria, additio in diem, retrovenditio, & jus retrahendi.

17. Q. I. *Quid sit, & quid juris circa arrham?* ℞. 1. Arrha, seu arrabo, est id, quod datur in securitatem, vel confirmationem contractus; & quandoque computatur in sortem pretii, quandoque non, sicut convenit inter contrahentes, *pr. Inst. h. t.* 2. Si arrha datur in securitatem contractus faciendi, licet quidem a contractu abstinere, sed emptor arrham datam perdit: venditor vero resiliens, duplum arrhæ pendere cogitur; nisi adesset justa causa resiliendi; quo casu nulli pœnæ locus est, *pr. Inst. h. t. l.* 11. §. 6. *ff. de action. empt.* At si arrha data est in confirmationem contractus jam initi, non licet, altero invito, a contractu resilire *l.* 3. 6. 7. *C. de rescind. vend.* nam contractus ex post facto sunt necessitatis; quam necessitatem non tollit, sed firmat arrha, nisi aliter conventum fuisset.

18. Q. II. *Quid sit, & quid juris circa legem commissoriam?* ℞. 1. Lex commissoria est conventio, ut, nisi emptor intra præfixum tempus solverit, res sit commissa, seu venditio resoluta, & nulla *l.* 2. 5. *ff. de lege commissor.* In jure Canon. vocatur *pactum legis commissoriæ*, seu conventionis privatæ de committenda, seu resolvenda venditione, cum etiam pactum sit lex privata *l.* 20. §. 1. *ff. de pact.* 2. Pretio intra præfixum tempus non soluto, venditor vi legis commissoriæ in arbitrio habet, vel irritare, seu resolvere venditionem, vel ea stando agere ad implementum contractus, seu ad solutionem pretii, *l.* 2. 3. 4. *& seqq. ff. de leg. commiss.* electione autem facta, variare non potest *l.* 4. 6. 7. *eodem.* Quod si venditor eligat resolutionem contractus, non tantum res, sed etiam omnes fructus rei ad eum redeunt *l.* 4. 5. *eod.* quia emptor non acquisivit dominium rei, & fructuum irrevocabile, sed revocabile, resoluto titulo emptionis.

19. Q. III. *Quid sit, & quid juris circa addictionem in diem?* ℞. 1. Addictio in diem est conventio, ut venditor rem primo emptori venditam, licite possit vendere alteri emptori, si is intra præfixum tempus meliorem conditionem obtulerit, hoc est majus pretium, vel faciliorem solutionem, vel generaliter quamcumque meliorem utilitatem; sicut accidit in venditione publica sub hasta, a qua hoc pactum originem habet. Dicitur *in diem addictio*, quia res primo emptori non attribuitur perpetuo, sed in certum diem, si interim alius meliorem conditionem non obtulerit, *l.* 1. *ff. de in diem addict. l.* 2. §. 4. *ff. pro emptor.* 2. Hoc pactum de se est licitum, cum nullibi a jure Canon. reprobetur: & regulariter venditionem non facit conditionatam suspensive, sed absolutam relinquit: nam eventus melioris conditionis non suspendit, sed resolvit contractum; adeoque est tantum conditio resolutiva, quæ non officit contractui absoluto, *l.* 1. *ff. de in diem addict.* Unde emptor statim fit dominus rei, dominio saltem revocabili, fructus suos facit, jus habet rem pignorandi, vindicandi, agendi interdicto *quod vi, aut. clam*, & tanquam dominus suscipit periculum rei emptæ, *l.* 2. 4. *eod.* At si venditio celebraretur sub conditione suspensiva, nihil horum, pendente conditione, haberet emptor, *ibid. & l.* 2. §. 2. *ff. pro emptor.* 3. Si tempore lapso, melior conditio non est oblata, res fit emptoris irrevocabiliter; at si melior conditio oblata est, venditio resolvitur, res cum fructibus extantibus etiam virtualiter, seu in augmento restituitur venditori *l.* 4. 6. *ff. de in diem addict.* ubi de hac materia plures casus legi possunt.

20. Q. IV. *Quid sit, & quid juris circa pactum de retrovendendo?* ℞. 1. Pactum retrovendendi est conventio, ut emptor vel possit, vel debeat rem emptam revendere venditori, *l.* 2. *C. de pact.* Fieri potest, vel *in gratiam solius venditoris*, ut ei petenti res empta revendi debeat; vel *in gratiam solius emptoris*, ut is eam rem venditori revendere possit; vel *in gratiam utriusque*, dum uterque se obligat; emptor quidem ad revendendum, si venditori placuerit; venditor vero ad redimendum, si placuerit emptori. Frequenter adjicitur etiam tempus, v. g. ut intra tres annos revenditio celebretur. 2. Pacta hæc de se sunt licita *l.* 2. *C. de pact. int. empt. & c.* 10. *de fid. instrum. & Extravag.* 1. & 2. *h. t. int. com.* nam sicut venditor potestatem habet rem absolute vendendi, ita quoque vendendi cum certo modo, & pacto: & similiter emptor cum, vel sine tali pacto liber est ad emendum; modo æqualitas utrinque servetur. Si pactum adjicitur gratia venditoris, pretium minuitur, v. g. hunc hortum, qui constat 200. vendo tibi 100. ut eodem pretio mihi illum revendas, quandocumque mihi placuerit. Si vero pactum adjicitur gratia emptoris, pretium augetur, v. g. emo a te hortum 200. qui tanti non valet, ut quandocumque illum tibi revendere possim. Vitanda autem est palliata usura, & iniquitas, cujus signa sunt: pretium vile ab emptore oblatum pro re diutius retinenda: item si emptor, alias usuris assuetus, nolit mutuum dare, sed rem emere cum pacto retrovendendi *c.* 5. *h. t. c.* 4. *de pignor.* Porro servata utrinque justitia, emptor fit dominus rei, & fructuum perceptorum: fructus vero immaturi pendentes, facta revenditione, pro rata inter utrumque dividuntur §. 41. *Inst. de R. D.* Reiff. *a n.* 279.

21. Q. V. *An licitus sit contractus mohatræ?* Contractus iste est species revenditionis, seu conventio, qua, v. g. mercator vendit merces summo pretio justo emptori ad creditum, ut statim ab eod. emptore, numerata pecunia indigente, easdem merces emat pretio infimo, dando pecuniam numeratam; ut si vendidit pro 100. & emat pro 90. Aliter vocatur *Varatra*, vel *Baratra*, Italis *Stocco*, *stoccola*, *verachola*, Gallis *vente, revente* & apud Hispanos multum viguit. ℞. Negative, nam contractus iste ob palliatam usuram damnatus est ab Inn. XI. *propos.* 40. & a Covar. dicitur latrocinii genus maxime execrandum, & justis pœnis vindicandum. Vide Carden. in dissert. ad dictum *propos.* 40.

22. Q. VI. *Quid sit retractus, & quid juris circa eum?* ℞. 1. Retractus est jus redimendi rem venditam, oblato eodem pretio, *l.* 9. §. 1. *ff. de administr. rer. ad civit.* Aliter vocatur *jus congrui*, *& protimeseos*, seu *prælationis*; estque vel *conventionalis* ex pacto partium, vel *legalis*, tam scriptus, quam *consuetudinarius*, & conceditur certis personis, & ex certis causis. Sic dominus directus pro emendo dominio utili a vasallo, vel emphyteuta, creditor pro bonis subhastatis, socius, vel cohæres pro re communi ceteris emptoribus præferuntur, *l. fin. C. de jur. emphyt. l.* 16. *ff. de reb. auth. jud. poss.* Sed hodie celeberrimus est *retractus gentilitius* totius Germaniæ consuetudine firmatus, vi cujus propinquior consanguineus legitime natus, sive mas, sive femina, sive laicus, sive Clericus, rem venditam retrahere potest, & ceteris emptoribus præferri debet: si vero plures sint ejusdem gradus, præventioni locus est; & si æqualiter concurrant, res sorti committi solet. 2. Retractioni substant bona immobilia: & quidem intra annum, & diem, ut moribus, & praxi receptum est: quod tempus a principio utile, deinde continuum est: nec rei obstat, quod interim emptor tertio vendiderit, quia tempore necdum elapso, consanguineus primi venditoris retrahere potest a quocumque, dummodo offerat idem pretium, quod primo venditori datum est; & interea retractui non renuntiet expresse, vel tacite; ut si delatam sibi emptionem post duorum mensium deliberationem recuset. De retractu copiose, & erudite scribit Zoes in *ff.* post *tit. de leg. commiss.*

23. Q. VII. *An licita sint monopolia*, in quibus unus, vel alter sibi vendicat jus vendendi certas merces, ita ut omnes alii ab illo emere teneantur? ℞. Si erigantur auctoritate publica Principis ex justa, gravi, & necessaria causa, licita sunt; quia onus illud, quod subditis imponitur, cohonestat justa causa, & necessa-

ria

ria pro bono communi. Secus, si causa gravis absit, plerumque illicita sunt monopolia, præsertim si notabiliter gravent subditos. 2. Si quis privata auctoritate erigat monopolium, & vendat merces ultra justum pretium, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur: ita comm. TT. & Canonistæ.

24. Q. VIII. *An licita sit olla fortunæ?* Italis *lotto, lottaria*, in qua pro certa pecunia data extrahuntur schedæ signatæ valore, vel vacuæ. ℞. De se non est illicita: nam in illa non emitur res, sed spes rei extrahendæ, sicut emi potest jactus aleæ, captura piscium, vel avium, *l. 8. §. aliquando ff. de contrah. empt.*

§. III.

De obligationibus venditoris, & emptoris, ac resolutione venditionis.

25. Q. I. *An venditor vitium rei teneatur manifestare emptori?* ℞. 1. Si vitium est in substantia, ut si vitrum habeatur pro gemma, tenetur illud manifestare; secus jure naturali contractus est nullus, & venditor doli tenetur. 2. Si vitium occultum est in quantitate, ut si 90. urnæ vendantur pro 100. venditor tenetur id manifestare, vel pretium diminuere; secus deficeret æqualitas. At si venditio fiat ad corpus, falsa demonstratio modi, seu quantitatis regulariter non vitiat actum, nec obest venditori, sed emptori, qui suæ facilitati imputet, quod quantitatem non exploraverit, sed per aversionem emerit. Sicut e contra, si venditor minorem modum dixit, cum esset major, excessus prodest emptori, *l. 33. pr. ff. de condit. & demon. l. 42. ff. de action. empt.* nam in utroque casu corpus, non quantitas venditur; & si de corpore constet, de demonstratione falsa, an vera sit, non curatur. 3. Si vitium occultum est in qualitate accidentali, ita ut res non prosit ad finem emptoris, v. g. equus morbidus, venditor tenetur id manifestare *l. 1. §. proinde, ff. de edil. edict.* ubi fit limitatio, si vitium esset modicum, & parum, vel nihil officeret fini, & utilitati rei. 4. Si mercibus optimis misceantur minus bonæ, ut frumento optimo, vel vino, aliud minus bonum, defectus iste vel manifestari debet, vel pretium diminui. 5. Denique si emptor expresse interroget de quibusdam vitiis, ea manifestare debet venditor, alias dolo suo dabit causam contractui. At si vitium est patens, & venditor non interrogetur, de hoc admonere emptorem non tenetur, cum ipsa res loquatur; nisi emptor esset valde rudis, & insufficiens ad vitium deprehendendum, S. D. 2. 2. q. 77. ar. 3. ad 1. & *l. 43. ff. de contrah. empt.*

26. Q. II. *An emptor teneatur manifestare bonitatem mercis, & vitium pretii, seu monetæ?* ℞. I. Si venditor ignorat præstantiam mercis, emptor alternative tenetur, vel illam manifestare, vel augere pretium æquale merci: ita comm. TT. & JCti, cum S. D. 2. 2. q. 77. ar. 2. secus enim emptio esset inæqualis, & conf. injusta. Nec obest, quod venditor determinate debeat vitium rei detegere: nam venditor tacendo posset decipere emptorem, hic vero tacendo, & tamen justum pretium, saltem infimum offerendo, non decipit venditorem. Ceterum ex communi sententia emptor non est tutus in conscientia, si minus pretium offerat, & excessum sibi condonari petat; quia condonatio ista est tantum palliata, plus de ignorantia, quam de consensu venditoris obtinens, nisi emptor nesciret, an res pluris valeat, vel non.

27. II. Si bonitas, vel commoditas latens est extrinseca merci, v. g. thesaurus in fundo latens, vel aurifodina, emptor de hoc admonere non tenetur venditorem, sed fundum emere potest currenti pretio justo, S. D. 2. 2. q. 66. ar. 5. ad 2. nam justitia pretii non desumitur præcise ex majori utilitate rei, sed ex communi æstimatione; ergo si pro tali fundo detur tantum pretium, quantum communiter taxatur, justa est emptio, & latens thesaurus per accidens se habet; nec scientia illius nocet emptori; sicut nec pharmacopæo peritia artis, si inter herbas communiter taxatas vendit unam aptam pro medicina pretiosa.

28. ℞. 1. Si moneta est adulterina, vel in loco, ubi contrahitur, non currit, emptor de hoc admonere debet venditorem: nec emptor ab alio deceptus monetam adulterinam distrahere debet, cum per hoc non acquisiverit jus alios decipiendi. At si moneta est vera, sed minoris valoris, id non est necesse manifestare; dummodo justum pretium pro merce detur; cum hoc modo nulla injustitia committatur.

29. Q. III. *Completa substantialiter emptione-venditione, qualis actio, & obligatio competat venditori, & emptori?* ℞. I. Actio *venditi, seu ex vendito directa* competit venditori ad consequenda ea omnia, quæ ei emptor præstare debet. Actio *empti, seu ex empto* pariter *directa* competit emptori ad consequenda ea omnia, quæ ei venditor præstare debet vi hujus contractus *l. 11. & l. 13. §. 19. ff. de action. empt.* neutra autem actio efficaciter intentatur, nisi venditor mercem tradiderit, & emptor pretium, sed saltem paratus sit tradere, *cit. l. 13. §. 8. & l. 25. eod.* Qui autem agere vult, & alterum ad impletionem contractus cogere, ipse prior contractum implere debet, *ibid.*

30. ℞. II. Venditor ab emptore pecuniam tradente conventus obligatur rem ipsam tradere, nec satisfacit volendo præstare interesse: ita Abb. Felin. Harp. & communior contra Covar. Mynsing. Fachin. &c. nam necessitas hujus traditionis clare insinuatur §. 1. *Inst. h. t. §. 2. Inst. de donat. l. 11. §. 2. ff. de act. empt.* nullibi vero in toto jure exprimitur alternativa obligatio, vel rem tradendi, vel præstandi interesse: nam emptio-venditio ex natura sua ad hoc tendit ut merx pro pretio commutetur: secus nunquam esset emptor securus. Jura contraria non obstant; quia procedunt pro illo casu, quo vel non adest facultas tradendi, eo quod res periverit, vel deteriorata sit, vel post moram commissam emptori non expedit rem tradi, sed potius præstari interesse. Sic explicantur *l. 1. pr. l. 11. §. 9. l. 12. ff. de act. empt. l. 4. C. eod. l. 25. §. 1. ff. de contrah. empt.* item *arg. ex l. 22. ff. de R. C. l. 15. C. de R. V. &c.*

31. II. Si res alteri emptori vendita, & tradita est, prævalet secunda venditio, utpote completa jure reali, per traditionem quæsito secundo emptori ex, *l. 15. C. de R. V.* at primus emptor agere potest ad interesse, & crimen falsi contra venditorem intentare *l. 21. ff. ad L. Corn. de fals.* Si vero secunda venditio non est completa per traditionem, prævalet prima, & res primo emptori tradenda est; *arg. reg. 54. qui prior. in 6.* uti etiam, si res vendita sit Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, aut civitati, cum sine traditione acquiratur eis dominium *l. 23. C. de SS. Eccl.* Præterea secunda venditio, traditione completa, rescindi potest, si primus emptor rem specialiter sibi hypothecatam habuit *l. 12. §. fin. ff. qui potior. in pign.* vel si emptor scivit rem esse alteri venditam, vel si æquitas, & justa causa id suadeat.

32. III. Venditor post perfectam venditionem fructus rei venditæ, necdum traditæ, non tantum pendentes, sed & de novo natos, ac perceptos tenetur integraliter emptori restituere, *l. 44. ff. de R. V. l. 13. §. 18. ff de act. empt. l. 13. C. eod.* nam emptor, post perfectam venditionem, fictione juris censetur dominus rei venditæ; ergo sicut ad illum spectant incommoda, ita æquum est, ut ad eum spectent omnia commoda, & fructus rei, non solum naturales, sed & civiles, ut mercedes locationum. Præterea venditor tenetur de evictione, & ad interesse, si rem vitiosam vendidit, vel læsit emptorem, ut infra dicetur.

33. ℞. III. Emptor a venditore conventus, tenetur ad solutionem, seu traditionem in moneta proba, & usuali in loco contractus: quæ solutio facienda est eo tempore, & loco, ejusque expensis, sicut conventum: secus in loco contractus, & præsenti moraliter tempore, si de his nihil convenit §. 3. *inde V. O. l. 41. ff. eod.*

34. II. Si emptor fuit in mora culpabili solvendi, non secus ac venditor, tenetur præstare non solum culpam latam, & dolum, sed etiam levem; cum contractus iste in gratiam utriusque celebretur, *l. 3. & 11. ff. de peric. & com.* item a tempore moræ tenetur præstare usuras, ut 5. pro 100. sive usuræ istæ sint compensatoriæ fructuum, sive lucrativæ in pœnam morosi debitoris *l. 13. §. 20. ff. & lib. 5. 13. C. de action. empt.*

35. III. Emptor sentire debet periculum, seu damnum rei

rei venditæ, nondum traditæ; modo res sit certa in specie, & venditor periculum rei in se non susceperit, §. 3. *Inst. h. t. l.* 8. *pr. ff. & l.* 1. *& seqq. C. de peric. & com. rei vend. l.* 35. §. 4. *ff. de contrah. empt.* nam emptor sentit commoda, & fructus rei; ergo etiam sentire debet incommoda, & pericula: adeoque si res apud venditorem pereat, vel deterioretur, periculum est emptoris; nisi venditor fuisset in culpa lata, & levi, vel in mora culpabili tradendi, *cit.* §. 3. *In h. t. l.* 17. *ff. de pericul.* Nec obstant jura in contrarium; nam procedunt de re vendita in genere, vel alternative, vel sub conditione suspensiva, *l.* 1. 12. *& l.* 14. §. 1. *ff. de peric. & com. l.* 2. *C. eod. & l.* 8. *pr. ff. locati. l.* 5. *C. eod. & l.* 34. §. 6. *l.* 35. §. 5. 7. *ff. de contrah. empt.* & tunc perit venditori: uti etiam, si ante traditionem publicetur, seu confiscetur. *l.* 33. *ff. locati*. Circa periculum rei venditæ selecti casus legi possunt in *tit. ff. & C. de peric. & com. rei vend.*

36. Q. IV. *Quæ remedia competant emptori, aut venditori læsis in contractu emptionis-venditionis*? ℞. 1. Si emptor læsus est ex eo, quia venditor scienter ei vendidit rem vitiosam, usui, & fini ementis ineptam, competit ei *actio redhibitoria* ex ædilitio edicto, ad hoc, ut venditio rescindatur, pretium cum interesse reddatur, & res vitiosa vendenti rehabeatur, seu reddatur, ob quod actio ista dicta *redhibitoria* a magistratu ædilitio introducta *l.* 1. §. 1. *ff. de ædilitio edict.* ut si venditor, non manifestato latente vitio, scienter vendidit animal, vel servum morbidum, furiosum, fugitivum, furacem &c. vel si dixit, certam qualitatem esse in merce, quæ tamen non est, ut equum esse itinerarium, & domitum, qui tamen est vectuarius, & indomitus, fundum esse culturæ aptum, qui est ineptus &c. Hæc actio est personalis, bonæ fidei, utrinque transiens ad hæredes: non tamen durat ultra 6. menses; quia intra tantum tempus vitium facile deprehendi, potest; secus censetur vitium, non antecedens, sed consequens venditionem, factaque redhibitione, omnia redintegrantur *l.* 19. §. *fin. lib.* 60. *ff. eodem*.

37. ℞. 2. Si emptor, sciendo vitium, rem vitiosam emisset, sed pretio minori, competit ei *actio quanto minoris* ex eodem ædilitio edicto, ad hoc, ut venditor restituat excessum pretii, *l.* 48. §. *ff. eod.* v. g. dedisti 50. flor. pro equo vitioso, si vitium scivisses, equum quidem emisses, sed minori pretio, ut 30. flor. ergo ad recuperandos, 20. *flor.* agere potes actione *quanto minoris*. Hæc actio est personalis, bonæ fidei, utrinque transitoria ad hæredes; sed non durat ultra unum annum *cit. l.* 19. §. *fin. ff. eod.* Habet locum etiam in eo casu, quo venditor ignoranter vendidit rem vitiosam, quam alias emptor, cognito vitio, non emisset, *l.* 13. *pr. ff. act. empt.* Aliter vocatur *actio æstimatoria*; quia illa agitur ad æstimationem minoris pretii. Porro dum jura post lapsum temporis negant has duas actiones redhibitoriam, & æstimatoriam, non id faciunt ad tollendam obligationem naturalem in foro conscientiæ, in quo læsio reparanda est, sed ne litibus tribunalia onerentur, & fraudibus porta aperiatur; quia emptores post longum tempus similia vitia prætexere possent. De hac materia pulchros casus reperies in *tit. ff. de ædilit. edict.*

38. ℞. 3. Venditor in quantitate pretii læsus ultra dimidium habet celebre remedium ex *l.* 2. *rem majoris pretii C. de rescind. vendit.* quo agere potest alternative, vel ad supplementum pretii justi, vel ad rescissionem venditionis, prout lædenti placuerit; non vero determinate ad hanc, vel illud. Quod remedium firmatum est jure Can. *c.* 3. *&* 6. *h. t.* v. g. vendidisti prædium 49. flor. quod constat 100. flor. pro reparanda læsione, hoc remedio agere poteris, ut emptor vel suppleat defectum 51. flor. vel si non vult, ut venditio rescindatur.

39. Licet autem *cit. l.* 2. expresse loquatur de solo venditore, tamen ob identitatem rationis, & æquitatem naturalem comprehensive intelligitur de emptore læso ultra dimidium, ut & huic idem beneficium competat; cum venditor, & emptor sint correlativa, & æquiparata, & conf. dispositum pro uno, sit quoque dispositum pro altero per *c.* 3. *de constit.* Cessat hoc remedium, si res vendita casu fortuito periit; cum res, quæ restitui posset, non existat. Computatio læsionis probabilius in venditore, & emptore facienda est æqualiter per ordinem ad pretium; ut, si pretium, seu æstimatio ultra dimidium excedat valorem rei, emptor dicatur læsus ultra dimidium; ut si pro prædio constante 100, dedit 151. sed Abbas, Cujac. & alii computationem istam in emptore desumunt a re vendita; ita ut res nec medio pretio valeat; ut si emptor pro prædio constante 100. dedit 201. Prior tamen opinio æquior, & probabilior videtur; maxime cum in puncto læsionis æqualitatem observet inter venditorem, & emptorem.

40. III. Si venditor, aut emptor læsus est infra dimidium, pro foro externo nullam actionem habet ex jure civili *l.* 2. 8. *ff. de rescind. vendit.* cui consonat jus Canon. *c.* 3. *&* 6. *h. t.* ne litibus tribunalia onerentur. Excipe minorem, & Ecclesiam, quibus notabiliter læsis salva est restitutio in integrum. At pro foro conscientiæ lædens jure naturali obligatur læsionem reparare; cum ista adversetur justitiæ commutativæ; & ratione peccati implorari potest officium judicis Ecclesiastici *c.* 13. *de judic.* maxime si lex taxans pretium non est observata, vel læsio contingit per dolum, aut in æstimatione dotis *l.* 6. §. *fin. l.* 12. §. 1. *ff. de jure dot.* quibus casibus nec judex actionem denegabit. Si vero læsio est modica, vel intra limites pretii summi, & infimi, nec in foro interno facienda est restitutio, ex communi usu hominum, qui modicum excessum censentur sibi condonare, cum omnimodam æqualitatem in contractibus servare vix sit possibile. Et hoc sensu explicatur *l.* 16. §. 4. *ff. de Minor. & l.* 22. §. 3. *ff. locat.* ubi dicitur naturaliter licere contrahentibus se circumvenire. Tunc autem venditor dicitur læsus, dum pro merce, nec infimum pretium accepit; emptor vero, dum supra summum pretium aliquid solvit. Si uterque est bonæ fidei, emptor fructus rei suos facit, venditor vero ad usuras non tenetur, Reiff. *a n.* 343.

41. Q. V. *An remedium læsionis concedatur etiam in aliis contractibus onerosis, & reciprocis*, ut in locato, permutatione, cambio &c.? ℞. Affirmative cum Fachin. Gomez. &c. contra Hunnium: nam æquitas naturalis, in qua fundatur *cit. l.* 2. *C. de rescind. vendit.* id ipsum exigit in his contractibus, ne alter cum alterius jactura locupletetur. At in contractibus lucrativis, & non reciprocis non est locus huic remedio; ut in donatione, mandato, deposito, commodato &c. nam in his non fiunt commutationes; & læsio, siqua accidit, actione horum contractuum reparari potest. Porro remedium, seu actio ista ob læsionem data est civilis, personalis, bonæ fidei, perpetua, seu 30. annis durans, utrinque transitoria ad hæredes. Si vero dolus intercessit, nullo unquam tempore ei præscribitur, quia cum mala fide non currit præscriptio *regul.* 2. *in* 6.

42. Q. *Quid sit evictio, & quis de illa teneatur*? ℞. 1. Evictio est rei nostræ ab alio, non domino alienatæ vindicatio, seu recuperatio in judicio facta, v. g. Titius vendit equum Cajo, Sejus agnoscit equum istum esse suum, ideoque agit in judicio, & probato dominio, equum recuperat. Porro ad judicium evictionis rite instituendum requiritur: 1. Ut actor sit persona civiliter distincta a venditore, ac proinde non sit hæres venditoris, cujus factum præstare tenetur *l.* 14. *C. de R. V.* neque fidejussor promittens venditionem salvam fore *l.* 11. *C. de evict.* licet hæres fidejussoris non prohibeatur ab evictione *l. fin. C. eod.* salvo tamen regressu contra illum, sicut erat contra fidejussorem. 2. Ut emptor conventus laudet venditorem, seu denuntiet illi, ut vel litem in se suscipiat, vel positive assistat liti motæ, *l.* 29. §. 2. *ff. & l.* 23. *C. de eviction. c. fin. de empt. & vend.* sic laudatus venditor, etsi esset Clericus, tenetur sequi forum emptoris, ceu rei principalis.

℞. 2. Re in effectu evicta, venditor tenetur emptori de evictione, hoc est, tenetur emptori restituere pretium, & insuper compensare interesse singulare quoad damnum emergens, lucrum cessans, expensas &c. *l.* 61. *&* 70. *ff. de evict.* nam bona fides emptionis-venditionis exigit, ut emptor servetur indemnis. Licet autem interesse quandoque majus sit ipso pretio, nihilominus venditor, modo fuerit bonæ fidei, non condemna-

demnatur, nisi in duplum, simplum pro pretio, & simplum pro interesse *l.* 43. *in fin. ff. de action. empt.* quia iniquum videtur ad tantam summam teneri venditorem, v. g. equus venditus est 100. flor. post evictionem computatis omnibus expensis, & damnis constat 300. flor. venditor bonæ fidei non tenetur nisi ad 200. flor.

℞. 3. Venditor in certis casibus non tenetur de evictione; ut si ita convenit, si emptor ei litem non denuntiavit, vel rem emptam, quam usucapere potuit, pro derelicta habuit; vel si malitia judicis contra emptorem judicatum est: quo casu emptor regressum habet contra judicem &c. Sententia lata pro emptore, venditor non compensat expensas *l.* 18. *C. de evict.ion.* quia non erat causa injuriæ emptori ab actore illatæ. Donator, ne liberalitas sua sibi noxia sit, non tenetur de re donata evicta, *l.* 18. §. *fin. ff. de donation.* neque hæres de re legata evicta, in specie tali, *l.* 71. §. *fin. ff. de legat.* 1. Pulchros casus de hac evictionis materia perlege in *tit. ff. & C. de evict.ion.*

43. Q. VII. *Quibus aliis modis resolvi possit emptio-venditio?* ℞. 1. Mutuo consensu, si res est integra, puta re-non tradita, & pretio non soluto, *l.* 3. *ff. de rescind. vend.* impleto autem contractu ex una parte, opus est restitutione mercis, vel pretii *l.* 58. *ff. de pact. l.* 1. *C. quando lic. ab empt. disced.* 2. Si contractus ex utraque parte impletus est, mutuo consensu resolvi nequit, sed opus est nova emptione-venditione, *l.* 2. *ff. de rescind. vend.* nam quod complete factum est, infectum fieri nequit. Præterea emptio-venditio rescindi potest ratione erroris, doli, metus &c.

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto.

Agitur de hac materia in Institutionibus *lib.* 3. *tit.* 25. in Pandectis *lib.* 19. *tit.* 2. in Codice *lib.* 4. *tit.* 65. *& lib.* 11. *tit.* 70. 71. 72. Et de Emphytheusi agitur in Pandectis *lib.* 6. *tit.* 3. in Codice *lib.* 4. *tit.* 66. *Nov.* 120.

1. *Nota* 1. Præsentem rubricam esse strictiorem nigro, cum in hoc agatur etiam de emphyteusi, de qua infra. *Locatio-Conductio* est contractus consensualis, quo res aliqua utenda, vel fruenda, vel opera personæ datur pro certo pretio, seu mercede. Ex qua definitione facile colligitur discrimen hujus contractus ab aliis contractibus. Dicitur *utenda*, vel *fruenda*, quia aliquæ res locantur tantum ad usum, ut domus, equus, instrumenta musica, vel rustica &c. aliquæ vero locantur ad fructus ex iis percipiendos, ut vineæ, pascua, jura, redditus &c. *l.* 9. *&* 19. *ff. locati*, & aliquando locatur opera, seu labor personæ, ut laborare in vinea, famulari domino &c. Is qui dat rem, vel operam, vocatur *locator*; is vero, qui dat mercedem, seu pretium, aut pecuniam vocatur *conductor*: cujus nomina subalterna sunt varia: nam si conduxit prædium urbanum, vocatur *inquilinus*, si rusticum, *colonus*, si vectigalia, publicanus &c.

2. *Nota* 2. Locationem-conductionem varie dividi: 1. In *Regularem*, in qua eadem res specie restituitur: & *Irregularem*, in qua contra naturam hujus contractus tantumdem, seu eadem res in genere restituitur: & conf. dominium rei conductæ transit in conductorem; ut si locetur instrumentum æstimatum per modum venditionis *l.* 2. 20. 65. *ff. h. t.* §. 4. *In eod.* 2. In *Perpetuam*, quæ pro semper; & *temporalem*, quæ pro certo tempore fit. 3. In *publicam*, qua prædium fisci; & *privatam*, qua prædium privati locatur. In quibus hoc est discrimen, quod conductor prædii fiscalis, si finita conductione, offerat tantum, quantum alii, præferatur aliis: quæ prælatio non competit conductori prædii privati, *l.* 32. *C. h. t. l.* 4. *C. de location. prædior. civil.* 4. In locationem *rei*, dum res; & *facti*, dum opera conceditur pro certa mercede: aliquando utrumque mixtim convenit: ut si auriga se offerat ad me vehendum; tunc enim est conductor operis, & locator operæ, ego vero sum locator operis, & conductor operæ: vel si auriga conducat meum currum, & locet suam operam ad me vehendum. 5. In *expressam*, quæ verbis expressis; & *tacitam*, quæ ex præsumpto consensu initur; ut si, elapso tempore locator sinat conductorem re uti. Item in scriptam, & non scriptam, puram, & conditionatam &c.

3. Q. I. *Quæ sint de substantia locationis-conductionis?* ℞. 1. *Mutuus consensus*, quo contractus iste ante traditionem perficitur: si tamen res secundo conductori tradita fuisset, is præferendus est primo *arg.* rei venditæ, & traditæ *l.* 15. *C. de R. V. l.* 26. *ff, & l.* 21. *C. h. t.* 2. *Res*, vel *opera* apta locationi. 3. *Merces*, seu pretium verum, certum, & justum, quod regulariter consistit in pecunia: si tamen res frugifera locetur, merces consistere potest in alia re fungibili, scilicet in parte fructuum, vini, olei, frumenti &c. *l.* 2. *C. h. t.* at si loco mercedis daretur alia res non fungibilis, ut bos, equus, & similia, non locatio esset, sed contractus innominatus, §. 2. *In. h. t.*

4. Q. II. *Qui locare, & conducere possint?* ℞. Regulariter omnes, qui vendere, & emere, nisi specialiter prohibeantur. Et quidem prohibentur. 1. Tutores, & curatores prædia fiscalia conducere, ne vel fisco, vel pupillo noceatur *l.* 49. *pr. ff. h. t.* 2. Milites terrestres *l.* 31. *C. h. t.* curiales *l.* 30. *eod.* & milites cælestes, seu Clerici negotiationis causa prædia rustica conducere, nisi necessitas excuset, *cap.* 1. *ne Clerici*, quia non decet, ut personæ istæ ab officiis suis ad rus avocentur. 3. Fabri, vietores, & strepentem artem exercentes prohibentur conducere domum vicinam habitationi magistrorum; & a fortiori Religiosorum, ne eorum studia, & maxime spiritualia exercitia impediant, *l. un. C. de studiis liberalib.* Hoc tamen hodie difficulter obtinetur, nisi magistri reclament, eisque assistat magistratus.

5. Q. III. *Quæ res, & operæ locari possint?* ℞. I. Omnes res in commercio humano existentes, etiam alienæ, dummodo conductor servetur indemnis *l.* 7. 8. 9. *ff. h. t.* Si quis tamen mala fide rem alienam locavit, dolum, imo furtum committit, utpote invito domino contrectans rem lucri faciendi causa.

6. ℞. II. Res incapaces locationis sunt. 1. *Res fungibilis*; ut vinum, pecunia, nisi locetur præcise ad pompam, & ostentationem, *arg. l.* 3. §. *fin. ff. commod.* 2. *Res sacræ* ad usum profanum, cum sint extra commercium humanum; sicut & jurisdictio Ecclesiastica *tit. ne Prælati vices suas*: at jurisdictio temporalis, aut patrimonialis, cum, vel sine territorio locari potest, cum non excipiatur. 3. Res Ecclesiarum immobiles, vel mobiles pretiosæ ultra triennium sine solemnitatibus Canonicis, *Extrav. Ambitiosæ de reb. Eccl. alien.* Quodsi locatio esset dividua ad duo triennia, ita ut singulis trienniis assignaretur determinata merces, subsisteret pro primo triennio: secus, si esset individua pro utroque triennio, *Clem.* 1. *de reb. Eccl.* nam secunda prohibetur a jure, non prima, in qua alterum triennium, tanquam inutile rejicitur.

7. Quia vero prohibitio ista est de rebus Ecclesiarum, non vero de proventibus ad mensam rectoris pertinentibus, poterit rector Ecclesiæ proventus suos locare ultra triennium absque solemnitatibus Canonicis; dummodo anticipatam mercedem, seu solutionem non accipiat, Trid. *S.* 25. *c.* 11. *de reform.* nam hoc modo nec noceretur Ecclesiæ, nec successori in beneficio. 4. Servitus prædialis sine prædio locari nequit *l.* 44. *ff. h. t.* bene vero servitus personalis, ut ususfructus, & habitatio §. 5. *Inst. de usu, & habit.* non tamen ultra vitam fructuarii; cum resoluto jure dantis, resolvatur etiam jus accipientis, §. 3. *Inst. de usufr.* 5. Jus cudendi monetam; alias locator jure monetæ excidit, & conductor decem auri marcis mulctatur, *R. J. ann.* 1551. 6. Operæ subditorum domino debitæ. 7. Res propriæ conductoris *l.* 20. *C. h. t.* nam iniquum est, ut quis pro usu rei suæ mercedem solvat, nisi forsan res istæ jure pignoris, vel alio in alterum translatæ fuissent, *l.* 35. §. 1. *l.* 37. *ff. de pignor.*

8. ℞. III. Operæ *simplices*, quæ fiunt sine productione operis, ut ire Viennam; & operæ *prægnantes*, quibus opus externum producitur, ut pingere, locari possunt, dummodo sint *honestæ*, cum ad operam turpem nulla sit obligatio: & *mercenariæ*, quæ æstimationem recipiunt. At operæ *liberales*, magis ingenio, quam corpore exerceri solitæ, sicut æstimationem non recipiunt, ita proprie non locantur; ut docere liberalia studia, mederi, advocare &c. sed quod pro eis solvitur,

tur, honorarium potius, & salarium, quam merces vocatur; & non actione locati, sed condictione certi, vel ex stipulatu, vel officio judicis petitur, *l.* 38. §. 1. *ff. h. t.* Ceterum operæ non solum ad tempus, sed in perpetuum locari possunt; cum nihil obstet. De qualitate mercedis præter dicta hic *q.* 1. nihil speciale examinandum restat.

9. Q. IV. *Quæ actiones oriantur ex contractu locationis-conductionis, & quid vi illarum debeatur?* R. 1. Oriuntur duæ actiones, ambæ directæ *locati, & conducti*, quibus locator, & conductor agere potest ad ea omnia, quæ ex natura hujus contractus præstanda veniunt.

10. R. II. Locator actione conducti conventus tenetur I. Tradere rem conductori ad liberum ejus usum: & si locator est operarum, tenetur eas præstare convento tempore, & modo; secus ex culpa etiam levi tenetur ad interesse, *l.* 15. §. 8. *& l.* 19. 30. *& seqq. ff. h. t.* De famulis infra dicetur.

11. II. Rem locatam regulariter ante tempus conventum alteri, etiam majorem mercedem offerenti, locare nequit cum effectu, ut simul eodem tempore re utatur, *c.* 1. *h. t. l.* 3. 21. *C. eod.* nisi superveniat justa causa, non prævisa, ob quam locatio ante tempus elapsum revocari permittitur; ut si ædes necessario reparandæ sint, si locatori, vel patri ejus domus exusta sit, si conductor male domo utatur, vel eam diffamet per inhonestam societatem, vel si mercedem non solvat, *l.* 3. *C. h. t. l.* 54. §. 1. *ff. & cap.* 3. §. *verum eod.* quibus casibus ad expellendum inquilinum necessaria est judicis auctoritas, ne locator jus sibi dicat contra *l. un. C. ne quis in sua causa.*

12. III. Tenetur conductori refundere expensas necessarias, & utiles, quas in rem conductam fecit, uti & præstare dolum, culpam latam, & levem; ut si vasa vitiosa locavit pro oleo, vino &c.

13. IV. In casu sterilitatis, vel incursionis hostilis, si colonus ex re frugifera absolute nihil percepit per annum, locator tenetur totam pensionem remittere: secus partem pro rata gravis damni, nisi præcedens, aut consequens magna fertilitas damnum hoc compensasset; at si modicum damnum colonus passus est, nihil de pretio remittitur *l.* 25. §. 6. *ff. h. t.* Quæ æquitas, ut sit reciproca, pariter suadet, ut pensio augeatur, si ex casu fortuito notabiliter fructus crescant, v. g. quia alia molendina destructa sunt &c. at si fructus augeantur ex industria conductoris, vel ex fœcunditate fundi, non est augenda pensio; cum fœcunditas ista ab initio contractus prævisa censeatur: industria vero obesse non debeat conductori.

14. V. Si conductor re uti non potuit, quia locator justum posuit impedimentum, vel quia hoc causatum est a tertio, vel ex defectu rei; ut quia equus infirmatus est, locator tenetur remittere pensionem pro rata temporis *l.* 13. §. 7. *l.* 15. *& seqq. ff. h. t.* At si impedimentum est ex parte conductoris; ut quia is ædibus uti non potuit, vel amplius iis non indiguit, de rigore juris tota merces peti potest, maxime si lucrum cesset locatori *l.* 19. §. 9. *ff. h. t.* de æquitate tamen naturali solet fieri transactio, præsertim si res alteri æque bene locari possit.

15. R. III. Conductor actione locati conventus obligatur: I. Solvere mercedem integram, & ex mora culpabili usuras *l.* 27. *&* 55. *ff. h. t.* quæ solutio facienda est tempore convento, vel secundum consuetudinem loci, pro parte, vel per aversionem pro toto, si operæ prægnantes conductæ sunt; ut ædificatio domus *l.* 30. §. 2. *ff. eod.*

16. II. Finito locationis tempore, tenetur conductor rem eamdem in specie restituere, & præstare dolum, culpam latam, & levem, ex quibus damnum causatum est locatori *l.* 9. §. 3. *l.* 11. *ff. h. t.* Nec obstat §. 5. *Inst. eod.* nam iste superlativus: *diligentissimus paterfam.* vel secundum materiam subjectam accipitur pro positivo, vel restringitur ad eum casum, quo conductor in se suscepit omnem culpam.

17. III. Casum autem fortuitum non præstat conductor, nisi ex pacto super hoc convento, vel nisi causam dederit casui fortuito, v. g. incendio. In dubio an incendium ortum sit culpa conductoris, locator, utpote asserens, eam probare debet: nam licet præsumatur incendium fieri culpa inhabitantium, non tamen culpa conductoris, cum fieri possit incendium culpa, v. g. famularii aliquid in culina coquentis, ad quod officium utique conductus non est a domino *l.* 11. *ff. de pericul. & com.* unde JCti incendium annumerant casibus fortuitis *l.* 18. *pr. ff. commod. l.* 1. §. 4. *ff. de O. A. l.* 23. *in fin. ff. de R. J.* Ex quibus solvuntur, *l.* 3. §. 1. *ff. de off. præf. vigil. l. fin. pr. ff. nautæ.*

18. IV. Conductor operarum, si in causa est, quo minus eas locator præstet, tenetur ei integram mercedem præstare; modo interim operæ istæ non sint alteri locatæ *l.* 19. §. 9. *ff. h. t.* Secus locator ex culpa omittens operas, tenetur conductori ad interesse *arg. l.* 15. §. 6. *eod.*

19. Q. V. *Quomodo domini obligentur famulis conductitiis, & e contra?* R. I. Si famulus ex justa causa, v. g. ob sævitiam domini, ante finitum servitii tempus fugiat, & queratur apud judicem de domino, is tenetur ei salarium totius anni solvere, maxime si interim operas suas alteri locare nequit, *l.* 19. §. 9. *ff. h. t.* nam per talem famulum non stat, quo minus operæ impleantur.

20. II. Si famulus culpabiliter abeat ante finitum servitii tempus; non solum tenetur damnum ex fuga datum domino resarcire, sed insuper perdit salarium præteriti temporis, & de rigore juris solutum repeti potest, *l.* 15. §. 6. *& l.* 55. §. *fin. ff. eod.* nam contractum individuum violavit.

21. III. Si famulus conductus est ad certum, & determinatum opus, ut ad pingendam tabulam, vel plantandas arbores, & propter impedimentum extrinsecum, v. g. propter morbum, operam suam impendere non potest, conductor ad nullum pretium ei tenetur: sicut accidit in contractu innominato, *do, ut facias, facio ut des l.* 5. *ff. de condict. caus. dat.* nam si conductor nullam utilitatem percipiat, nullam mercedem solvere tenetur, *c.* 3. *h. t. l.* 15. §. 6. *ff. eod.* At si famulus conductus est ad operas indeterminatas, v. g. ad servitium unius anni, debetur ei salarium totius anni, etsi ad modicum tempus infirmetur; cum *servire nobis intelligantur etiam hi, quos curamus ægros, l.* 4. §. 5. *ff. de statu liber.* Idem dic de professoribus medicis, advocatis habentibus constitutum salarium annuum; *l.* 15. *C. de advocat. diversf. judicior. l. fin. C. de condict. ob caus. dator.*

22. IV. Famuli, ancillæ, & officiales prætextu tenuis salarii non possunt occulta compensatione sibi augere salarium, sed cogendi sunt ad restitutionem; oppositumque damnavit Inn. XI. *propos.* 37 nec eos excusat gravis necessitas; ut quia salarium non sufficit ad honestam sustentationem propriam, uxoris, liberorum; cum etiam in gravi necessitate non sit licitum furari, ut patet ex *propos.* 36. ab eodem Pontifice damnata: nam dominus conducit eos certo salario, sive hoc sufficiat, sive non ad honestam sustentationem, maxime si plures haberi possint, qui pro eodem salario servire velint; ergo conducti tenentur stare hoc contractu; si quid vero ultra accipiant, furtum committunt. Excipe, nisi quis invitus cogatur servire, & pretium, seu merces non adæquet laborem; vel si dominus mercedem integram non solvat; & generaliter si injustitiam contra famulum committat, quæ via juris reparari nequit: tunc in his casibus licitum est uti occulta compensatione. Vide hic Reiff. *a n.* 93.

23. Q. VI. *An successor locatoris, & conductoris teneatur stare hoc contractu?* R. 1. Successor in dignitate, v. g. in Episcopatu, uti etiam successor universalis tenentur stare hoc contractu legitime inito, *l.* 10. *C. h. t.* cum sicut in jura, ita etiam in onera, seu obligationes suorum antecessorum succedant; nisi forsan Ecclesia tali contractu notabiliter læsa fuisset. 2. Successor particularis, ut emptor, si ita conventum non est, non tenetur stare locatione a prædecessore facta *l.* 9. *h. t.* nam obligatio ex hoc contractu personalis est; ergo ad successorem particularem non transit, cum is fictione juris non sit eadem persona cum antecessore, sicut hæres cum testatore. 3. Si conductor prædium conductum sublocavit, tenet sublocatio, sive major, sive minor merces constituatur: ita tamen ut res secundi conductoris in prædio urbano tacite sint pignoratæ primo locatori *l.* 11. §. 5. *ff. de pignorat. act.* non vero in prædio rustico, ubi pro hypotheca

sunt

sunt fructus, *l.* 24. §. 1. *ff. h. t.* Id tamen conductori non permittitur, ut socium, vel contubernalem assumat in idem cubiculum a se conductum; quia id præjudicaret locatori; nisi de hoc conventum sit, vel id consuetudo permittat.

24. Q. VII. *Quibus modis resolvatur locatio-conductio?* ℞. seqq. 1. Mutuo consensu, §. *fin. Inst. quib. mod. toll. oblig.* 2. Lapsu temporis præfixi, nisi tacite renovetur. 3. Si conductor debito tempore non solvat mercedem: & quidem de jure Can. si per biennium canonem, seu pensionem non solvat, expelli potest. *c.* 3. *h. t.* 4. Si perverse in prædio conducto conversetur, ut admittendo fures, scorta &c. *ibid.* quo casu nihil de pretio convento remittitur. 5. Si conductor re conducta abutatur, eam deteriorando, aut physice destruendo: quo casu merces pro rata temporis remittitur, sed pro compensatione damnorum salva est actio. 6. Conductor ante finitum tempus non potest resilire a contractu, nisi adsit justa causa, ut hostilitas, pestis, timor ruinæ, spectrorum &c. Cetera, quæ hic quæri possent, facile ex præced. tit. resolvi possunt, quia *locatio-conductio proxima est emptioni venditioni, iisdemque juris regulis consistit, lib.* 2. *ff. h. tit.* Legi etiam possunt selecti casus in Pandectis, & Codice *hoc tit.*

25. Q. VIII. *Quæ conventiones sint affines locationi-conductioni?* ℞. 1. Conventio *socidæ*, qua pecora certo pretio taxata locantur pro certa quantitate lanæ, butyri, casei &c. 2. *Admodiatio*, qua redditus provinciæ, vel privati pro certo pretio conceduntur. 3. *Afflictus*, quo prædium rusticum pro parte fructuum locatur conductori, seu colono, qui ob hoc dicitur partiarius, seu dimidiarius: quo casu lucrum, & damnum est commune colono, & domino, *l.* 25. §. 6. *ff. h. t.*

De emphyteusi.

26. *Emphyteusis* latine melioratio, seu insitio, quoad rem, est contractus nominatus, quo res immobilis, colenda, fruenda cum translatione dominii utilis conceditur colono in perpetuum, vel ad tempus non minus decennio, sub obligatione annui Canonis, seu pensionis præstandæ domino in recognitionem dominii directi, seu proprietatis. Ex qua definitione colliguntur omnia requisita hujus contractus, & differentia ab aliis contractibus; ut a *locatione*, in qua dominium utile non transfertur: a *feudo*, in quo Canon annuus non præstatur, sed obsequium personale: a contractu censuali reservativo pensionis, in quo dominium plenum transfertur in censualistam &c. Is qui dat fundum in emphyteusim, vocatur *dominus directus*; is, qui accipit, *emphyteuta*; jus inde ortum vocatur *jus emphyteuticum.*

27. Quia vero emphyteusis est quasi mixta ex locatione, & emptione, videtur esse contractus bonæ fidei, & consensualis potius, quam scriptus; cum scriptura per se non fit necessaria, nisi ex conventione partium, vel ad faciliorem probationem *l.* 1. *C. de jure emphyt.* Nec obstat, quod ad emphyteusim Ecclesiasticam requiratur scriptura *Nov.* 7. *pr. & c.* 2. §. 1. *c.* 3. §. 2. *Nov.* 120. *c.* 5. nam non requiritur ex causa contractus, sed ex causa alienationis, sicut ad emptionem *c.* 1. *de his, quæ a Prælato.*

28. Sed circa hoc locorum consuetudo attendi debet. Porro emphyteusis est varia: 1. *Ecclesiastica*, quæ in prædio Ecclesiarum: & *Laica*, seu communis, quæ in fundo mere profano constituitur. 2. *Perpetua*, quæ sine restrictione temporis: & *temporalis*, quæ ad certum tempus datur. 3. *Hæreditaria*, quæ transit in hæredes emphyteutæ, etiam extraneos: & *gentilitia*, seu *familiaris*, seu ex pacto, & *providentia*, quæ transit ad descendentes ejusdem familiæ, etsi hæredes non sint: & *mixta* ex utraque, quæ transit ad hæredes ejusdem familiæ. Dum prædium primo conceditur, est emphyteusis *nova*: dum jam pluries, imo & semel concessum fuit, dicitur *vetus*, seu *ab antiquo.*

29. Q. I. *Quis possit concedere prædium in emphyteusim, & cui?* ℞. 1. Quilibet dominus liberam habens potestatem administrandi, potest prædium suum inemphyteuticare, cum rei suæ dominus sit, & arbiter, *l.* 21. *C. mandati.* Item Prælatus, & quidem cum solemnitatibus solitis, si de novo concedit; & sine his, si emphyteusis est vetus, saltem si semel prædium Ecclesiæ inemphyteuticatum fuit, *Extrav. Ambitiosæ, de reb. Eccl. al. int. com.* dummodo idem modus, qui ab antiquo fuit, in iterata concessione observetur.

30. ℞. 1. Recipere emphyteusim possunt omnes, qui ex contractu obligari queunt, etiam consanguinei Prælati, modo absit detrimentum Ecclesiæ: quo sensu explicatur *Nov.* 120. *c.* 5. *& Auth. quibuscumque C. de SS. Eccl.* talis vero emphyteuta Ecclesiæ videtur exemptus ab oneribus tributorum, sicut emphyteuta fisci *l.* 10. *C. de excusat. mun. l.* 2. *C. de Episc. & Cler.* alias Ecclesia saltem indirecte legibus tributariis obligaretur, & ita declarasse fertur S. Congr. *Immun. die* 8. *Decemb.* 1668. in rescripto ad Episcopum Senogalliensem. ℞. 2. Si emphyteusis reversa est ad dominum, cogruit quidem, ut in nova ejus concessione consanguinei emphyteutæ præferantur aliis: absolute tamen dominus eam conferre potest aliis, cum rei suæ dominus sit; & ita faciendo, nulli faciat injuriam.

31. Q. II. *Quæ successio detur in emphyteusi perpetua?* ℞. Id plerumque desumi ex pactis conventis, & instrumento investituræ, & loci consuetudine. Et quidem. 1. In emphyteusi data *pro te, & filiis*, succedunt etiam fœminæ, quia nomine masculina veniunt, *l.* 84. *&* 116. *ff. de V. S.* 2. In data *pro te, & tuis hæredibus*, succedunt hæredes etiam extranei; nisi particulariter aliud statuatur; sicut pro Ecclesia Constantinopolitana *Nov.* 7. *c.* 3. quæ generaliter numquam recepta est ab Ecclesia. 3. In *data simpliciter*, nulla mentione hæredum facta, succedunt filii, & descendentes, etsi hæredes non sint, vel hæreditatem repudiaverint; quia talis emphyteusis censetur familiaris: in qua tamen non est locus liberis naturalibus illegitime natis, nisi per matrimonium legitimati sint. 4. Emphyteusis simpliciter hæreditaria, vel si familiaris est primum a patre acquisita, potest ab eo donari uni filiorum, vel prælegari; dummodo legitima aliis non minuatur: nam talia bona sequuntur naturam prædii liberi. Hoc tamen discrimen assignari solet, quod emphyteusis familiaris, seu ex pacto, & providentia, prælegata non computetur in legitimam, neque subostet falcidiæ, aut trebellianicæ; secus est in hæreditaria, & mixta. At si est familiaris antiqua, uni filiorum prælegari nequit; cum post mortem primi acquirentis, jus omnibus descendentibus quæsitum sit, quod pater tollere nequit. 5. Si filius professus est Religionem capacem bonorum stabilium, monasterium succedere potest in emphyteusi hæreditaria, vel familiari, *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* ubi dicitur omnia jura professi transire in monasterium. Ne autem domino directo perpetuo præjudicetur, emphyteusis hæreditaria, saltem post mortem professi, intra annum vendi debet; familiaris vero restitui eis, qui ex investitura vocantur. Nec obstat clausula: *ne emphyteusis transferatur ad monasterium:* nam, ut docet Abbas, & alii, clausula ista intelligitur de translatione perpetua, vel libera ad placitum emphyteutæ, non vero de temporali, & necessaria, quæ fit ex dispositione juris post mortem emphyteutæ, cujus filius monachus est. Oppositum tenet Fagn. Petra &c. 6. Emphyteusis vitalitia ad vitam concedentis data, cum ordinaria sit, transit ad quoscumque hæredes emphyteutæ.

32. Q. III. *Qualis actio, & obligatio nascatur ex contractu emphyteutico?* ℞. 1. Utrinque actio emphyteuticaria directa, civilis, personalis, rei persecutoria; & probabilius bonæ fidei, utrinque transitoria ad hæredes, vi cujus dominus, & emphyteuta tenetur facere, & præstare ea, quæ ex natura hujus contractus facienda, & præstanda veniunt. Item ratione dominii utrique competit rei-vindicatio, directa domino, utilis emphyteutæ, & interdicta possessoria. Jam in specie.

33. ℞. II. Dominus tenetur transferre dominium utile, liberumque usum rei permittere, & damna sua culpa data reparare §. 3. *Inst. de locat.* 2. Si emphyteuta fecit melioramenta extraordinaria, ad quæ non tenebatur, dominus obligatur ea compensare, etiam in casu, quo emphyteusis ob culpam emphyteutæ fit caduca, ne cum jactura alterius locupletetur contra *l.* 20. 6. *ff. de R. J.* Quæ autem jura domino competant, colligetur ex obligationibus emphyteutæ. Hinc.

34. ℞. III.

34. R. III. Emphyteuta tenetur. I. Servare pacta conventa: ut si res sterilis data sit ad colendum, colat eandem, & frugiferam reddat; rem vero frugiferam in suo statu conservet, præstando culpam latam, & levem, non tamen casum fortuitum, *l. 2. C. de jure emphyt. l. 7. §. fin. ff. solut. matrim. auth. qui rem C. de SS. Eccl.*

35. II. Tenetur singulis annis pendere domino canonem, seu pensionem *l. 2. C. de jure emph. c. fin. h. t.* in recognitionem dominii directi; non vero juxta æstimationem fructuum, sicut datur merces in locatione. Canon iste si modicus est, præstari debet etiam in casu sterilitatis; non vero si adæquatus sit fructibus, argumento mercedis in locatione *l. 25. §. 6. ff. locati*, cum in tali casu emphyteusis imitetur locationem. Si vero res totaliter periit, sine spe reparationis, extincto jure in re, cessat obligatio pendendi canonem.

36. III. Si emphyteuta vult vendere emphyteusim, regulariter tenetur id denuntiare domino directo cum expressione pretii; cum iste sit primus emptor: secus emphyteusis ipso jure est caduca; nisi aliter conventum sit, vel addita clausula protestatoria: *salvo consensu domini, & non aliter, l. fin. C. de jur. emphyt. c. fin. h. t.* Quod etiam procedit in emponematis, seu melioramentis extraordinariis; quia & in his primus emptor est dominus, *ibid.* Insuper venditio ista fieri non debet personis privilegiatis, ut curialibus, militibus, Ecclesiis, cum id cederet in præjudicium domini. Quia vero citata jura loquuntur de alienatione per venditionem, non videtur emphyteutæ prohibitum rem emphyteuticam alio modo alienare, ut per donationem, legatum, hypothecam: nam denuntiatio ista ideo fieri debet, ut dominus deliberet, an rem emere velit? qui finis cessat in hoc casu. Neque tamen sine consensu domini novus emphyteuta possessionem prædii ingredietur; cum domini intersit scire, quem emphyteutam habeat. Si emphyteusis donata, vel legata est Ecclesiæ, æstimatio ei præstatur, non ipsum prædium contra jus domini.

37. IV. Emphyteuta ad longum tempus nequit locare emphyteusim; quia talis locatio sequitur naturam emphyteusis; nisi accedat consensus domini, Reiff. a *num. 174.*

38. V. Emphyteuta novus tenetur præstare laudemium domino directo toties, quoties emphyteusis ab uno transfertur ad alterum per venditionem, donationem, legatum, idque pro investitura. Et hoc laudemium est quinquagesima pars pretii, quo bonum emphyteuticum taxatur scil. 2. pro 100. *l. 3. C. de jure emph.* alicubi pars vigesima 5. pro 100. in quibus omnibus maxime loci consuetudo attendenda est, v. g. an hæredes necessarii laudemium præstent, an filia per emphyteusim dotata &c. Quodsi res emphyteutica notabiliter crescat, proportionaliter augeri potest laudemium, uti & Canon annuus *arg. lib. 3. C. de jur. emphyt.*

39. Q. VI. *Quibus modis resolvatur emphyteusis?* ℞. 1. Lapsu temporis, ut si concessa fuit ad decennium, vel vicennium. 2. Extincta generatione, ad quam restricta fuit. 3. Totali interitu rei inemphyteuticatæ. 4. Deterioratione rei dolo, vel culpa lata, aut levi facta, *Auth. qui rem C. de SS. Eccl.* nam emphyteusis datur ad meliorationem; ergo qui culpabiliter ei damna infert, meretur ea privari. 5. Si emphyteuta tempore legitimo omittat Canonem solvere, scil. triennio in emphyteusi laica, & biennio in Ecclesiastica, *l. 2. C. de jure emph. & c. fin. h. t.* dummodo dominus declaret emphyteusim esse caducam in pœnam non soluti canonis, *ibid.* Excipe, nisi emphyteuta celeri satisfactione moram purgaverit, vel dominus certo loco, & tempore congruo canonem recipere noluerit, vel pœnam caducitatis dissimulaverit, aut remiserit saltem tacite, acceptando canonem, & jus expellendi emphyteutam sibi non reservando. Actualis autem expulsio fieri debet auctoritate judicis *arg. l. creditores ff. de pignor.*

☞ *Vide addit. par. I. p. 6. 7. post n. 4.* ☜

TITULUS XIX.

De rerum permutatione.

Agitur de his in Sexto, Clement. *h. t.* & potiss. in jure civili in Pandect. *lib. 19. tit. 4. 5.* in Cod. *lib. 4. tit. 64.*

1. *Nota* 1. Permutationem hic non accipi late pro omni contractu, in quo unum datur pro altero, quo sensu includit emptionem, locationem §. 2. *In. de empt.* sed stricte, & proprie: quo sensu definitur, quod sit contractus realis, quo una res datur ea lege, ut vicissim alia detur, v. g. do tibi librum, ut mihi des chartam. Quidam DD. ut Host. Wiestn. Wesenb. Reiff. Engl, & alii dividunt permutationem bifariam, ut alia sit *generis*, alia *speciei*. *Permutatio generice* est, dum res in genere, seu indeterminata datur pro alia re indeterminata, ut equus pro bove neutrum determinando. Permutatio specifice est, dum species pro specie, seu, ut Philosophi loquuntur, individuum pro individuo datur, ut hic equus pro hoc bove.

2. Priorem dicunt non distingui a contractu innominato *do, ut des*, bene vero posteriorem: sed quia distinctio ista non habet fundamentum sufficiens in jure, eam prætereo, dicendo permutationem esse contractum innominatum, quia caret specifico nomine, & non distingui a contractu, *do, ut des* ex *l. 5. §. 1. ff. de præscr. verb.* ubi permutatio specierum, scil. scyphorum pro sticho dicitur contractus *do, ut des*, & e contra: exempla permutationis sæpe ponuntur in generibus *l. 7. C. h. t.* & generaliter *l. 1. ff. eod.* Paulus docet permutationem esse, si res pro re detur. Vide meas disp. civil. *disp. 14. controv. 2.* Porro contractus iste utpote antiquissimus, est juris gentium, bonæ fidei §. 28. *de action.* & realis, quia traditione rei completur, ut ante rem traditam nulla actio oriatur, *l. 3. C. h. tit.*

3. *Nota* 2. Permutationem substantialiter constitui per consensum, formam, & per rem reciprocam, ut materiam: differre vero a *venditione*, quæ solo consensu perficitur; & pretium habet pro materia; a *mutuo*, quia in hoc non est statim traditio reciproca, nec res diversi generis; a cambio, tanquam genus a specie &c.

4. Q. I. *Qui, & quas res permutare possint?* ℞. 1. Soli domini, vel nomine eorum administratores permutare possunt, vel simpliciter, vel cum debitis solemnitatibus, quæ ad alienationem rerum Ecclesiæ, minoris, & similium personarum requiruntur: nam permutatio est species alienationis, *c. 5. de reb. Eccl.*

5. ℞. 2. Materia permutationis est res propria permutantis, non vero aliena *l. 1. §. 3. ff. h. t.* nam permutatio est translativa dominii, quo non translato, pars altera non obligatur ad rem suam tradendam. Et in hoc notabiliter differt permutatio ab emptione, venditione, in qua necessario non fit translatio dominii, *l. 28. ff. de contrah. empt.* Res sacræ, & spirituales licite inter se permutantur; dummodo nihil temporale detur pro spirituali: secus esset simonia, de qua re plurib. agetur *tit. de Simon.*

6. Q. II. *Quid juris in permutatione rerum Ecclesiæ?* ℞. 1. Res mobiles, quæ servando servari non possunt, licite permutantur pro aliis; ut frumentum pro vino, uti etiam res inutiles, ut calix antiquus pro alio novo, & utili. At res immobiles, vel mobiles pretiosæ tantum ex causa justa, & cum sollemnitatibus canonicis permutari possunt, ut dictum *tit. de reb. Eccl. alien.* cum talis permutatio sit alienatio. Circa mancipia Ecclesiæ id speciale est, quod commutari non possint, nisi ad libertatem, *c. 3. h. t.* nam quod semel Deo dicatum est, ad humanos usus transferri non decet, nisi essent servi fugitivi, *Can. 54. fugitivi 12. q. 2.* Cui non obstat *l. 2. ff. & l. 6. C. ad L. Flav. de plag.* nam procedit de actuali fuga; quæ cum sit quædam species libertatis, commutari nequit citra læsionem legis Flaviæ de plagiariis.

7. Q. III. *Quid juris in permutatione beneficiorum?* ℞. 1. Permutatio beneficii cum beneficio, non tamen cum pensione temporali, generaliter est permissa, modo adsit justa causa, jus in re, & consensus legitimi Superioris, aliæque solemnitates ad renuntiationem beneficii

neficii requisitæ, *c. un. h. t. in 6.* imo si magna Ecclesiarum necessitas, & utilitas id exposcat, Episcopus Clericum cogere potest ad faciendam commutationem *c. 5. h. t.* Probabilius autem est, quod Prælatus inferior carens jurisdictione quasi Episcopali non possit admittere resignationes ex causa permutationis; licet habeat jus conferendi, & instituendi, cum destituere non possit, *c. 4. de renunc. c. 12. in fin. de hæret.*

8. II. Permutantes beneficia auctoritate propria committunt simoniam non quidem juris naturalis, cum non detur spirituale pro temporali, sed juris Ecclesiastici contra prohibitionem Ecclesiæ *c. 5. h. t.* & excommunicantur per *extrav. 2. de simon. int. com.* beneficiis vero non videntur privari ipso jure, cum permutatio nulla nullum sortiatur effectum. Ratio hujus prohibitionis est, quia in talibus permutationibus timetur periculum simoniæ, quatenus latenter admisceri possunt pacta simoniaca; tum quia beneficium Ecclesiasticum sine institutione Canonica non obtinetur, *reg. 1. in 6.*

9. III. Beneficia ita resignata Episcopus conferre debet permutantibus, non vero aliis, *Clem. un. h. t.* Si vero unus resignavit, & alter resignare non vult, vel non potest, prior resignans redit ad suum beneficium, *c. 8. h. t. c. 20. de præb. in 6.* quo casu non opus est nova collatione hominis: tum quia sufficit collatio generaliter a jure facta; tum quia resignatio ista est sub conditione permissa, si non suspensiva, saltem resolutiva, *si & alter resignet cum effectu*; ergo non impleta conditione, perinde est, acsi non fuisset facta, *l. 213. ff. de V. S.*

10. IV. Beneficia obtenta in titulum, si alterum pinguiores, alterum tenuiores redditus habeat, non recipiunt compensationem pecuniariam, nisi de consensu Papæ, *arg. c. fin. h. t. & c. 7. siquis. 1. q. 3.* nam jus percipiendi redditus est spirituale connexive, utpote auctoritate Apostolica annexum juri spirituali officii; ergo, nisi eadem auctoritate separetur, citra simoniam vendi, aut pecunia compensari nequit.

11. At beneficia obtenta jure proprietatis, si possessiones unius pinguiores sint, permutari possunt cum compensatione pecuniaria, vel alia temporali, *c. 6. de except. & c. 6. h. t.* nam tali casu possessiones nullo juri spirituali annexæ sunt, sed per se stant, & sicut vendi, ita & permutari possunt cum compensatione pecuniaria: ex quo disparitas habetur ad casum priorem. Unde si monasterium *A.* jure proprietatis habet Parochiam pinguiorem, servatis servandis, potest eam permutare cum parochia tenuiori monasterii *B.* & pro excessu majoris æstimationis possessionum compensationem petere. Quo casu non tam de necessitate, quam consilio, faciendus est duplex contractus: unus, quo Ecclesiæ simpliciter permutentur, alter, quo ipsæ possessiones, seu fundi, vendendo, aut permutando transferantur *cit. c. 6. h. t.*

12. Q. IV. *Quæ actio oriatur ex permutatione?* R. Actio præscriptis verbis, seu in factum, quæ implenti contractum datur ad hoc, ut nisi alter placitum, seu contractum impleat, præstet interesse, *l. 5. §. 1. ff. de præscr. verb.* quo sensu explicatur *l. fin. c. h. t.* Hæc autem actio non datur ad hoc, ut si alter non det, datum repetatur; quia ex contractu non datur actio ad eum rescindendum, sed tunc locus est condictioni causa data, causa non secuta. Neque actio ista datur præcise ad hoc, ut alter contractum impleat, quia in hoc locus est pœnitentiæ, *l. 1. 4. 7. C. h. t.* bene vero ut præstet id, quod alterius interest contractum non fuisse impletum.

13. II. In eo casu, quo quis vasa aurea dedit pro sticho, & is ante traditionem mortuus est, vasa aurea repetere potest; non quidem ratione causæ non secutæ, cum alter stichum dare non possit, sed ratione pœnitentiæ, quia non impleto contractu, pœnitere potest; adeoque stichus mortuus, periculum est domino suo, nisi res non esset integra; ut quia causa implendi contractus expensas fecit, & damnum sentit, *l. 3. §. 2. & l. fin. §. fin. ff. de condict. caus. dat.* Nec obstat, quod periculum pertineat ad creditorem certæ speciei: nam regula ista locum habet in emptione-venditione, non vero in contractibus innominatis, in quibus licet pœnitere, nisi res non esset integra: quo sensu suppletur *l. 3. §. 1. ff. de præscr. verb.* Hæc de contractu permutationis, seu *do, ut des:* ceteri contractus innominati, *do, ut facias, facio, ut facias, facio, ut des*, nullam specialem difficultatem habent, præter illam speculativam: an ex contractu *facio, ut des*, oriatur actio civilis, an vero tantum subsidiaria de dolo? Examinavi controversiam istam in disput. civilib. *disput. 14. controv. 3.*

TITULUS XX.

De Feudis.

De jure feudali fuse agunt Feudistæ ad libros feudorum: ego generaliora, & magis necessaria pro notitia Canonistæ excerpam. De juramento fidelitatis agitur *Can. 18. & seq. 22. q. 5.*

1. *Nota* 1. Feuda originem suam habere a Longobardis Germaniæ populis, qui sub Justino II. Imp. terram Italiæ ingressi, agros militibus diviserunt; & ideo etiam in libris feudor. vasalli dicuntur *milites*, & fundi eis assignati, *beneficia*, seu *feuda*, ita dicta a voce barbara *fede*, vel *feida*, quæ fidelitatem significat. Jus feudale per se est consuetudinarium quibusdam constitutionibus imperatoriis auctum, licet conscriptum sit a Gerardo Nigro, & Oberto de Orto Consulibus Mediolanensibus; plerumque vim juris habet, ubi particularia locorum statuta deficiunt.

2. *Nota* 2. Quod feudum formaliter sumptum sit contractus, quo alicui liberaliter conceditur dominium utile rei immobilis sub obligatione fidelitatis, & servitii personalis: ita in re com. Is qui concedit, vocatur *dominus directus*, seu *infeudans*: is cui conceditur, vocatur *vasallus*, *feudatarius* vel *miles*; id quod conceditur, vocatur objective feudum, aut beneficium. Sunt autem substantialia hujus contractus consensus mutuus per modum formæ, & translatio dominii utilis sub obligatione fidelitatis per modum materiæ: naturalia vero sunt liberalitas in concedente, & obligatio ad obsequia personalia in recipiente, uti & successio ad hæredes masculos: quæ naturalia, salva substantia feudi, abesse possunt, ut in feudo oneroso, franco, & fœminino. Ex his patet differentia feudi ab aliis contractibus, maxime ab emphyteusi, cum qua multum convenit, puta in dominio utili rei immobilis, & dependentia a domino directo: differt vero, quia in emphyteusi est obligatio præstandi Canonem annuum; in feudo autem est obligatio fidelitatis, & obsequii personalis.

3. Porro feudum est contractus *consensualis*; quia solo consensu substantialiter perficitur: investitura vero, seu extraditio rei pertinet solum ad complementum. *Nominatus*, quia feudum est nomen proprium in jure, & specificum hujus contractus. *Bonæ fidei*, cum sit contractus bilateralis, & interpretationem recipiat ex jure communi secundum bonum, & æquum. Multi tamen, ut Rosenthal, Schrader, Chling. & alii dicunt feudum esse stricti juris, quia descendit ex consuetudine, quæ est stricti juris. Sed hæc ratio nimis probat; alias contractus, qui descendunt ex jure scripto, omnes essent bonæ fidei. Unde sicut jure scripto, ita etiam jure consuetudinario induci possunt contractus bonæ fidei, & stricti juris, sicut cujusque natura exigit. Cum ergo in feudo reciproca sit obligatio ad aliquid præstandum, uti accidit in contractibus bonæ fidei, merito his feudum accensetur.

4. *Nota* 3. Feuda esse varia: nam 1. Feudum est *proprium rectum*, seu *regulare*, in quo substantialia, & naturalia feudi reperiuntur: & *improprium*, seu *irregulare*, aut *degenerans*, in quo aliqua naturalia desunt; uti est feudum francum, seu liberum ab obsequio personali, fœmininum &c. 2. *Nobile*, quod vel invenit, vel facit vasallum nobilem; uti sunt feuda regalia ab Imperatore, vel Rege concessa cum potestate majorum regalium summo principi non reservatorum; qualia habent Electores, & Status immediati imperii. Item non regalia, in quibus vasalli sunt nobiles, sed sine summa potestate territoriali: & *non-nobile*, quod nec requirit, nec nobilitat vasallum. 3. *Ecclesiasticum*, quod proprie ab Ecclesia: & *seculare*, quod a seculari, vel ab Ecclesiastico in bonis secularibus conceditur. 4. *Novum*, quod initium habet in persona vasalli; & hoc solo consensu domini alienari potest,

cum

cum aliis jus non sit quæsitum; alienatum vero sine consensu domini, ad eum revertitur: & *vetus*, quod per successionem ad vasallum devenit; adeoque sine consensu agnatorum alienari nequit, cum eis sit jus quæsitum. Si quartum gradum non excedat, dicitur *paternum*; secus *avitum*: sed hæc divisio videtur arbitraria. 5. *Hereditarium*, quod pro hæredibus etiam extraneis: *gentilitium*, seu *ex pacto*, *& providentia*, quod pro descendentibus ex certa familia: & *mixtum*, quod descendentibus, & simul hæredibus certæ familiæ concessum est. In dubio præsumitur potius feudum gentilitium, quam hæreditarium. 6. *Ligium* a *liga*, seu ligando dictum, quod a principe conceditur ea lege, ut vasallus præstet juramentum fidelitatis contra quemcumque alium, & se cum bonis suis allodialibus submittat principi. Hoc juramentum summæ fidelitatis vocatur *homagium*, quia vasallus facit se hominem alterius; & ideo vocatur *homo ligius*, *Clem.* 2. *de re jud.* Unde idem non potest habere duo feuda ligia a duobus principibus, v. g. ab Imperatore, & Rege Galliæ; alias bello inter eos orto, pro utroque contra utrumque pugnare deberet. In hoc tamen juramento semper exceptus manet Rom. Pontifex *arg. cap.* 19. *de jurejur.* cum sit pater omnium principum. *Nonligium*, in quo vasallus jurat fidelitatem contra alios; non tamen contra dominum, a quo aliud simile feudum habet. In hoc juramento exceptus manet Rom. Pontifex, & supremus princeps, utpote Superiores tali domino, *lib.* 2. *F. tit.* 28. *&* 55. *in fin.* 7. Reliquæ species feudi sunt minus celebres; ut *feudum Guardiæ* pro gubernatore castri, civitatis: *Castaldiæ* pro doctore, aut consiliario: *Cameræ* pro pecunia certa alicui ex camera principis tribuenda: *Cavenæ* pro frumento, aut vino alicui ex cavena, seu cella principis tribuendo: & quidem si jus aliquid percipiendi ex camera, vel cavena sit personalissimum, ut nec ex parte dantis, nec ex parte recipientis transeat in hæredes, vocatur feudum *Soldatæ*. Denique sunt feuda castrensia, aulica, equestria, bursatica, in quibus loco servitii pecunia ex bursa datur &c.

5. Q. I. *Qui concedere, & recipere feuda possint*? ℞. 1. Olim solus princeps, hodie quilibet dominus liberam habens administrationem, potest rem suam in feudum concedere. 2. *F.* 3. *pr.* Imperator potest quidem bona ad imperium spectantia in feudum dare: si tamen feudum aliquod ex regalibus, & majoribus apertum fuerit, non potest illud denuo conferre sine consensu Electorum, sed redditus illius in communes usus imperii applicandi sunt, exceptis electoratibus, qui aperti denuo conferri debent. In capitulatione Leopold. I. *art.* 30. Josephi I. *art.* 29. Caroli VI. art. 11. Prælatus vero Ecclesiæ ad concedendum feudum novum, opus habet justa causa, & solemnitatibus canonicis; at feudum antiquum regulariter sine his reconcedere valet, non obstante juramento de non alienando *c. fin. h. t.* & consequenter etiam promittere potest feudum in casum aperturæ. 1. *F. tit.* 3. *v. sed & illa*: qua tamen promissione non ligatur ejus successor, *ibid.* cum non sit hæres prælati promittentis.

6. ℞. 2. Feudum recipere quilibet potest, qui specialiter non prohibetur. 2. *F.* 3. §. 1. etiam fæminæ, minores, pupilli, furiosi, prodigi, surdi, muti, & cæci, 2. *F.* 36. cum hæ, & similes personæ per substitutum obsequia personalia præstare possint. Communitas vero per quasi vasallum feudum, & investituram accipit, eoque mortuo, investitura renovanda est.

7. ℞. 3. Clerici seculares, & regulares professi per se sunt capaces feudi, 2. *F.* 40. §. *item si*, *& c.* 6.7. *de for. compet. & c. un.* §. *verum de stat. regul. in* 6. quæ jura firmantur consuetudine, & praxi quotidiana: nam si obsequia non dedeceant statum clericalem, personaliter a clerico præstari possunt: si vero dedeceant, præstari possunt per substitutum; nisi tale esset feudum, quod exigeret obsequia personaliter a vasallo præstanda, incompatibilia cum statu clericali: tunc enim ejusmodi feudum non posset clericus recipere; nisi esset minorista non beneficiatus, cui liberum est statum clericalem dimittere; vel nisi re integra, beneficio renuntiet ante mortem domini. Religiosus feudum acquirit monasterio, vel si Episcopus est, suæ Ecclesiæ: eo vero mortuo feudum redit ad eos, qui ex investitura vocantur vel his deficientibus, ad dominum.

8. Q. II. *Quæ res infeudari possint*? ℞. Omnes res immobiles, vel his æquipollentes, ut jurisdictiones, jura venandi, piscandi, redditus annui &c. Porro investitus de sylva, non hoc ipso habet jus venandi; quia hoc jus est diversum, & regalibus accensetur. At investitus de stagno, habet jus piscandi; alias stagnum fere nullam utilitatem ei afferet. 2. Infeudato toto territorio, censetur etiam concessa jurisdictio, tanquam pars cohærens territorio: secus esset si jurisdictio cohæreret personæ. Sed castro territorii a principe infeudato, non censetur concessum totum territorium; quia princeps hæc duo separare præsumitur; cum ad castrum sufficiat, ut sit casa alta sine territorio. At quia privatus hæc duo separare nequit, infeudans castrum, censetur etiam infeudare territorium: ita com. 3. Si res aliena sit data in feudum, valet infeudatio, & loco rei evictæ tenetur dominus aliam similem rem infeudare, 2. *F.* 8. *pr. & tit.* 25.

9. Q. III. *Quibus modis acquiratur feudum*? ℞. I. Contractu, quem sequitur traditio, quæ hic proprie vocatur *Investitura* dans vasallo jus in re. Et hæc, vel *propria* est, seu *corporalis* traditio, & introductio in bonum feudale: vel *impropria*, seu *abusiva*, aut *ficta*, qua feudum conceditur per traditionem signi corporalis, ut sceptri, vexilli, gladii &c. 2. *F. tit.* 2. & hæc *abusiva* sufficit ad feudum acquirendum ex communi praxi conformi, 2. *F.* 31. ibi: *sciendum itaque est feudum acquiri investitura, vel eo, quod habetur pro investitura*. Solemnitates investituræ secundum loci consuetudinem observandæ sunt.

10. II. Feudum acquiritur præscriptione 30. annorum contra privatum, 2. *F.* 26. §. *si quis*: & 40. ann. contra Ecclesiam: & 100. ann. contra Ecclesiam romanam *c.* 8. 13. *de præscr.* At feuda militaria non acquiruntur præscriptione, puta ut servitiis militaribus præscribantur, 2. *F.* 55. ibi: *nullius temporis præscriptione*.

11. III. Feudum acquiritur *successione*, non quidem testamentaria; cum vasallus de feudo non possit disponere, sed ab intestato, seu legitima; nisi esset feudum mere hæreditarium, etiam pro hæredibus extraneis. Regulariter autem succedunt filii justi, & alii descendentes; & probabiliter etiam legitimati per matrimonium, ita ut textus 2. *F.* 26. §. *naturales*, merito restringatur ad legitimatos per rescriptum. Non vero succedunt spurii, vel naturales non legitimati per nuptias, nec adoptati, nec nati ex matrimonio morganatico; & probabiliter nec filii justi, qui patris hæreditate abstinuerunt, 2. *F.* 45. ibi: *aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet*: nam talis repudiatio cederet ad ignominiam patris, quæ ratio cum non currat in agnatis aliis, hi repudiata testatoris hæreditate, succedere possunt in feudo. Item fœminæ regulariter non succedunt, nisi in feudo fœminino, 1. *F.* 1. §. 3. *& tit.* 8. §. *fin.* &c. cum fœminæ nec conservent familiam, nec aptæ sint ad obsequia domino præstanda, ut militare, judicare cum paribus curiæ &c.

12 Porro fœmina, existente masculo excluditur a feudo: attento autem jure, semel exclusa non censetur pro semper exclusa, sed deficientibus masculis, illa succedit, 1. *F.* 8. §. 2. ibi: *succedat filia filiis non extantibus*, *&* 2. *F.* 17. ibi: *non patet locus fœminæ in feudi successione, donec masculus superest*. ergo si non superfit, patet ei locus. Quæ sententia, utpote æque observanda est, ubi contraria consuetudo non viget. Ordo successionis fere idem est, qui in successionibus ab intestato, exceptis feudis regalibus, & majoribus, in quibus primogenitus, vel senior filius ceteris exclusis succedit; obligatur tamen eis congruam sustentationem, seu appanagium assignare.

13. Q. IV. *Quæ sint jura, & obligationes domini*? ℞. 1. Præter jus proprietatis in feudo, habet jus ex contractu exigendi ea omnia, quæ vasallus præstare tenetur, de quibus infra *seq. q.* Obligatur autem 1. dare vasallo investituram, & resarcire damnum, si quod vasallus ex dilatione investituræ passus est; 2. *F.* 7. *in fin.* 2. Dare auxilium, & consilium vasallo, & præcavere, ne vis ei inferatur, 2. *F.* 6. *v. dominus quoque*,

que, & ad hæc a domino obtinenda competit vasallo actio personalis, quæ dici solet *actio feudalis*, seu *condictio ex moribus*.

14. Q. V. *Quæ sint jura, & obligationes vasalli?* R. Hic præter jus dominii utilis, habet jus exigendi ea, quæ sibi a domino debentur. Obligatur autem I. Præstare juramentum fidelitatis, vi cujus dominum, & personas ipsi proxime conjunctas defendat in vita, honore, & bonis; & damna, quantum potest avertat, 2. *F. c.* 5. *& seqq.* in quo juramento excipitur Papa, Imperator, patria, & pater vasalli, non vero pater domini 2. *F. c.* 28. *in fin.* II. Præstare servitia personalia, maxime militaria, saltem per substitutum, 2. *F.* 26. §. 5. &c. nisi bellum esset injustum. III. Tenetur re feudali uti frui, tanquam bonus paterf., & reparare damna per dolum, culpam latam, aut levem data.

15. IV. Tenetur renovare investituram; quæ quidem renovatio facienda est, quoties mutatur sive persona domini, sive vasalli. 2. *F.* 40. *pr. & tit.* 55. *pr.* tum ut novus dominus agnoscatur a vasallo; tum ut novus vasallus recognoscat feudum a domino datum: quod speciale est; cum in aliis contractibus, qui active, & passive transeunt in successores, non sit opus renovatione. Tempus pro renovanda investitura pro vasallo pagano, seu non milite, est annus, & dies; & pro milite annus, & mensis computandus a tempore feudi antiqui sibi delati, vel a tempore, quo dominus novus priori successit. 2. *F.* 22. 40. & 52. secus feudum committitur. In renovatione investituræ præter juramentum fidelitatis præstatur etiam *relevium*, dum scilic. dominus mutatur per mortem, non vero per translationem dominii directi, ne vasalli sæpius vexentur. Nomine autem *relevii* solvitur vigesima pars, seu alia major, vel minor secundum loci consuetudinem.

16. V. Vasallus sine consensu domini non potest alienare, vendendo, donando, locando, legando, oppignorando, servitutem constituendo perpetuam, vel aliud jus transferendo; secus alienatio est invalida, & alienans saltem dominium utile, feudum perdit: emens vero scienter amittit pretium; & notarius conficiens instrumentum punitur privatione officii, & amputatione manus, 2. *F.* 41. 44. 45. nam hoc modo gravis contemptus fit domino. Imo feudum vetus sine consensu agnatorum alienatum, mortuo alienante, vindicari potest ab agnatis sine refusione pretii, ne rem suam emere videantur, 2. *F.* 39. 45. Hoc tamen jus revocandi non competit filiis, qui in jure feudali nomine agnatorum non veniunt, 1. *F.* 8.

17. Q. VI. *Quomodo feudum amittitur?* R. 1. Totali *interitu rei*: si vero ædes solum collabantur, feudum manet in area, sicut dominium: in quo differt ab usufructu, qui in domo constitutus, ea combusta, extinguitur, cum in superficie consistat, non vero ad solum, & aream penetret, §. 3. *Inst. de usufr. l.* 5. §. 2. *ff. eod.* 2. *Morte vasalli*, nullis existentibus hæredibus feudalibus: item *refutatione*, seu renuntiatione, modo fiat absque præjudicio domini, & agnatorum, & potissimum *commissione feloniæ*, seu delicti, cui annexa est privatio feudi. Quale delictum non tantum est contumacia vasalli in dominum, sed quodcumque capitale, vel famosum crimen, ob quod vasallus honeste stare nequit in curia domini, 2. *F.* 1. neque felonia futura remitti potest; quia hoc inhonestum est, invitans vasallum ad delinquendum. 3. Ex persona domini resolvitur feudum, si is moriatur sine hærede, vel feloniam committat in vasallum, seu tale delictum, quod si vasallus commisisset, privatus fuisset feudo: nam in hoc utroque casu dominium directum devolvitur ad vasallum, non ad fiscum, Schmier, & alii. Porro si feudum vacet sine culpa vasalli, dicitur *apertum*, seu *apertura feudi*: si vero vacet ob culpam, dicitur *feudum commissum, caducum*, seu redactum in *pœnam caducitatis*.

18. Q. VII. *In quibus delictis committatur felonia?* R. 1. In delictis commissionis; uti sunt vitam, aut famam domini lædere, ejus uxorem, filiam, neptem, socrum, aut nurum in familia existentes violare, feudum notabiliter deteriorare, subditos male tractare, dominum criminaliter accusare absque jussu Prætoris, crimen famosum committere, maxime in Principem, & sine consensu domini feudum alienare, 1. *F.* 5. & 21. & 2. *F.* 24. §. 2. *v. item si*. Ut autem dicatur feudum alienatum cum effectu, sufficit translatio possessionis titulo constituti, 2. *F.* 42. & 55. neque celeri revocatione jus quæsitum domino, & pœna caducitatis tollitur, 2. *F.* 44. nisi aliud haberet consuetudo, aut venditio; seu alienatio fuisset conditionata *salvo jure domini*.

19. II. In delictis omissionis, uti sunt: non petere renovationem investituræ, nisi justa causa excusaret, non præstare debita servitia, dominum in bello deserere, ei damnum imminens non avertere, vel denuntiare, domino justitiam petenti non satisfacere, 1. *F.* 22. *pr.* & 2. *F.* 24. §. 2. & *tit.* 55. §. 2.

20. In his casibus regulariter ad privationem feudi requiritur sententia condemnatoria ferenda in *laudamento*, seu judicio feudali 1. *F.* 21. & 22. §. 2. excepta felonia, alienatione sine consensu domini, crimine læsæ majestatis: & si feudum est ab Ecclesia datum, crimine conditi statuti contra libertatem Ecclesiasticam, quibus casibus ipso jure feudum amittitur, *ib.* & *l.* 5. *C. ad L. Jul. maj. c.* 53. *de sent. excom.* nisi dominus expresse, vel tacite feloniam remitteret: quo casu jus revocandi feudum non transit ad hæredes domini, sicut nec actio ingrati ad hæredes donantis, *l.* 7. *C. de revocand. donat.*

21. Q. VIII. *Ad quem devolvatur feudum caducum?* R. 1. Si feudum est novum, redit ad dominum, cum adhuc nulli sit jus quæsitum ad successionem, 2. *F.* 24. §. *denique* ibi: *si tamen beneficium fuerit paternum*; ergo si non est paternum, sed novum, redit ad dominum.

22. II. Si feudum est vetus, & ob feloniam non renovatæ investituræ fit caducum, redit ad dominum pro eo tempore, quo vasallus, & ejus descendentes vivunt; his vero mortuis ad agnatos: quo sensu explicatur textus 2. *F.* 55. ibi *transacto* & 2. *F.* 24. Quæ sententia media, utpote æqua, videtur servanda etiam in casu caducitatis ob alienationem male factam, vel ob delictum in ipsam personam domini patratum; ut ob machinationem, vel violentas manus in eum injectas &c. Si vero caducitas accidat ex alio delicto, regulariter succedunt proximiores agnati, exclusis filiis vasalli.

23. III. Si Prælatus commisit feloniam, Ecclesia feudum non amittit; sed interim fructus feudi ad dominum revertuntur, donec novus Prælatus succedat. Quod si feudum fuit commune Prælato, & capitulo, & hoc etiam deliquit, non tantum fructus ad mensam Prælati, sed etiam ad mensam capituli pertinentes redeunt ad dominum, donec delictum purgetur, 2. *F.* 40. §. *item si*. Ceterum fructus ante sententiam condemnatoriam cedunt vasallo, postea vero domino.

24. Si autem feudum aperiatur sine culpa vasalli, annus regulariter incipit computari a Septembri, exceptis vindemiis, quæ ad annum præcedentem spectant. Si ergo moriatur vasallus ante calendas martii, omnes fructus sunt domini; si post calendas martias usque ad augustum inclusive, omnes fructus sunt hæredum allodialium vasalli. Sed in his, aliisque negotiis feudalibus consuetudo, & praxis cujusque loci consulenda.

TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis cautionibus.

De hac materia agitur potissimum in jure civili: in Institutionibus *libr.* 3. *tit.* 15. §. 4. in Pandectis *libr.* 13. *tit.* 7. & *lib.* 20. *per tot.* In Codice *libr.* 8. *tit.* 14. *usque ad* 35. Item de satisdationibus judicialibus in Inst. *libr.* 4. *tit.* 11. in Pandectis *libr.* 2. *tit.* 6. 8. 9. 11. & *l.* 46. *tit.* 6. 7. 8. Item de pignoribus agitur *Nov.* 52. *c.* 1. *Nov.* 97. *c.* 3. 4. *Nov.* 109. *c.* 1. *Nov.* 120.

1. *Nota* 1. in *h. t.* agi principaliter de contractu pignoris, cui in *cap. fin.* additur dispositio de cautione usufructuaria: quia sicut pignoribus, ita quoque cautionibus, & fidejussionibus, de quibus in *tit. seq.* alii contractus firmantur.

2. *Nota* 2. Pignus a pugno dici; quia de manu traditur *l.* 238. §. 2. *ff. de V. S.* formaliter vero esse contractum realem, quo debitor creditori jus in re constituit in securitatem debiti. In hoc contractu consensus pacti habet se instar formæ; res vero obligata instar mate-

materiæ. Pignus, & hypotheca in generica significatione non differunt; nam *inter pignus, & hypothecam tantum nominis sonus differt l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* Specifice vero solent distingui: nam pignus perficitur traditione rei, regulariter mobilis, licet etiam immobilis tradi possit: hypotheca autem nudo pacto, seu conventione constituitur sine traditione rei, §. 7. *Inst. de act. l.* 9. §. 2. *ff. de pignorat. act.* in effectu tamen non differunt; quia & pignus, & hypotheca rem afficit, & gravat, paritque, præter actionem personalem ex contractu, etiam actionem realem ratione juris realis quæsiti in re obligata, *cit.* §. 7. *de action.*

3. *Nota* 3. Pignus, & hypothecam dividi: 1. In generalem omnium bonorum; & *specialem* unius, vel alterius rei determinatæ. 2. In *expressam*, quæ nominatim, & expressa partium conventione constituitur; & *tacitam*, quæ plerumque a jure, seu lege inducitur; & ideo *legalis* vocatur, cujus exempla infra dabo. 3. In *voluntariam*, seu *conventionalem*, quæ ex partium consensu constituitur; & *necessariam*, quæ auctoritate judicis inducitur; uti est pignus *prætorium* ex primo decreto, quo quis mittitur in possessionem bonorum debitoris ex causa contumaciæ, & absentiæ *l.* 1. 2. *C. de prætor. pign.* item *judiciale*, quod inducitur per sententiam condemnatoriam debitoris, & immissionem in ejus bona ad effectum executionis. Judiciale pignus sæpe confunditur cum prætorio, de quo egi *lib.* 2. *tit.* 15.

4. Q. I. *Qui possint rem pignori obligare?* ℞. Generaliter omnes, qui alienare, cum creditor, debito non soluto, pignus distrahere possit. Unde pignorare nequeunt tutor, curator, Prælatus saltem pignore speciali, res immobiles, vel mobiles pretiosas sine debitis solemnitatibus: imo nec res minoris comparari possunt cum conditione pignoris, ut venditor in eis pignus habeat, donec minor solvat, *l.* 1. §. *fin. ff. de reb. minor. non alien.* 2. Procurator, nisi constitutus sit *cum libera*, vel præsumatur consensus domini *l.* 11. & 12. *ff. de pignor. act.* 3. Maritus fundum dotalem, etiam uxore consentiente, *l. un.* §. 15. *C. de rei uxor. act.* Ceterum recipere pignus potest omnis, & solus ille, qui ex contractu obligari: & ideo pupillus sine tutore auctore pignus non accipiet, propter metum pignoratitiæ actionis, *l.* 38. *ff. de pignorat. act.*

5. Q. II. *Quæ res pignori, & hypothecæ subjici possint?* ℞. Regulariter omnes res, quæ vendi, & alienari valent; ut bona immobilia, mobilia, ususfructus, servitutes prædiales, emphyteusis, feudum cum consensu domini, calendarium, seu nomina debitorum; imo ipsum pignus alteri suboppignorari potest *l.* 1. §. 1. *ff. quæ res pignor.* E contra sicut alienari, ita pignorari prohibentur res sacræ, ut beneficia Ecclesiastica, calices, & alia sacra supellex, nisi in casu urgentis necessitatis, res publico usui deputatæ; ut fora, plateæ, res litigiosæ, alienæ sine consensu domini: denique homo liber, *c.* 2. *h. t. l.* 12. *C. de O. & A.* Pater tamen in casu extremæ necessitatis potest filium oppignorare; quod hodie vix est in usu.

6. Q. III. *Qui, & in quibus rebus habeant hypothecam tacitam, seu legalem?* ℞. 1. Maritus in bonis uxoris, vel alterius dotantis pro dote sibi præstanda, *l. un. C. de rei uxor. act.* & e contra uxor in bonis mariti pro dote restituenda; imo & pro bonis paraphernis, quorum maritus administrationem habet, sed sine prælatione, *ibid.* & *l.* 29. *C. de jur. dot. c.* 5. *h. t.* 2. *Fiscus* in bonis subditorum, *l.* 1. 2. *C. in quib. caus. pign. tac. contr.* 3. Pupilli, & minores in bonis tutorum, & curatorum, in bonis matris, si ista tutrix sit; imo & vitrici, si mater nubat, *l.* 20. *C. de admin. tutor. l. fin. C. de legit. tut.* & *argumento* minorum Ecclesia in bonis suorum administratorum. 4. Pupillus in re empta ex pecunia pupillari, *l.* 7. *ff. qui potior. in pign.* 5. Venditor in re vendita, si emptor pretium non persolvit, *l.* 13. §. 8. *ff. de empt.* 6. Dans pecuniam mutuam ad ædes reficiendas in ipsis ædibus, *l.* 1. *ff. in quib. caus. pign.* 7. Redemptor in servo, quem ab hostibus redemit. *l.* 20. §. 1. *ff. qui testam. fac.* 8. Legatarii, & fideicommissarii in rebus a testatore relictis §. 2. *Inst. de legat. l.* 1. *C. commun. de legat.* 9. Locator in rebus a conductore in prædium urbanum; & probabiliter etiam in prædium rusticum illatis invectis, non tantum pro securitate mercedis, sed etiam satisfactionis pro damnis illatis, *l.* 2. *ff.* & *l. fin. C. in quib. caus. pign.* & *l.* 5. *C. de locat.* 10. Dans pecuniam pro militia acquirenda *Nov.* 97. *c.* 4.

7. Q. IV. *Qui creditores sint potiores in pignore?* ℞. Ex regula generali: *Qui prior tempore, potior jure l.* 2. *C. qui potior. in pign.* Ille autem intelligitur prior tempore, qui prius pignus, vel hypothecam accepit; non vero qui prius credidit, *l.* 8. *C. qui potior.* imo hodiernis moribus hypotheca ut rem afficiat, & prælatione gaudeat, constitui debet coram legitimo magistratu. Data regula non est sine suis exceptionibus: nam dantur creditores posteriores privilegio protomiseos, seu prælationis gaudentes, qui creditoribus anterioribus in hypotheca præferuntur. unde.

8. ℞. II. Fiscus in causa primipilari præfertur quibuscumque creditoribus, etiam mulieri agenti de dote sua, *l.* 1. 3. *C. de primipilo, l.* 4. *C. in quib. caus. pign.* Quid nomine primipili significetur, vide in lexico Kahl. Hic *primipilus*, seu *primipilaris*, aut *primipilarius*, est præfectus annonæ, & stipendiorum militarium, quorum causa, utpote publica, præfertur omnibus privatis: imo filii primipili, licet hæredes non sint, tenentur ex causa primipilari, *l.* 11. *C. de compens.* At in aliis causis fiscus, vel respublica generalem regulam sequitur: *qui prior tempore &c. l.* 4. *C. de priv. Fisci, l.* 4. *C. qui potior. in pign.* 2. Dans pecuniam pro emenda militia præfertur doti mulieris, *Nov.* 97. *c.* 4. servata solemnitate instrumenti ibi præscripti. 3. Dans pecuniam pro reficiendis ædibus, in his præfertur aliis, etiam doti mulieris, *l.* 5. 6. *ff. qui potior. in pign. Nov.* 97. *c.* 3. quo privilegio non gaudet dans pecuniam mutuam pro emenda, vel extruenda domo *l.* 7. *C. qui potior.* quia major favor est ædium reficiendarum, quam emendarum, vel extruendarum, *arg. l.* 7. *ff. de offic. præsid.* 4. Pupillus in re nummis pupillaribus comparata, prælationem habet, *l.* 7. *ff. qui potior.* 5. Mulier quo ad dotem suam præfertur omnibus creditoribus anteriorem hypothecam habentibus, saltem si solum tacita sit, exceptis hic enumeratis in *n.* 1. 2. 3. An vero mulier præferatur creditoribus anteriorem expressam hypothecam habentibus, acriter disputant Civilistæ. Ego pro negativa resolvi in meis *disp. civ. disp.* 11. *controv.* 10. Cetera de his vide in Civilistis.

9. Q. V. *Quid juris, & obligationis habeat creditor hypothecarius?* ℞. *ad* 1. Creditor in re oppignorata habet jus reale, & possessionem, qua jus pignoris suo nomine; jus vero proprietatis nomine debitoris possidet: & ideo possessio ista prodest debitori ad usucapionem. Et hoc jus reale extenditur etiam ad ea, quæ postea ex re nata sunt, *l.* 6. 18. §. 2. *ff. de pignor. act.* 2. Vi hujus juris realis creditori non præjudicat debitor rem vendendo, donando, vel aliter alienando; quia a quocumque possessore eam revocare potest, *l.* 17. *ff. de pignorib.* nisi alienationi consentiendo hypothecam remisisset, *l.* 8. §. 6. *ff. quib. mod. pign. solv.* 3. Creditor rem sibi pignoratam potest subpignorare alteri; non tamen pro majori quantitate, nec ultra tertiam pignorationem: soluto aptem debito a primo debitore, extinguitur jus pignoris etiam in secundo, & tertio creditore, quia resoluto jure auctoris, resolvitur jus creditoris, *l.* 2. *C. si pignus pignori.* 2. Si tempore præfixo debitum non solvatur, creditor post trinam denuntiationem, in qua maxime loci consuetudo attenditur, procedere potest ad venditionem rei, & fructuum, ut ita sibi satisfiat pro debito, *l. fin.* §. 13. *C. de jure domin. impetr.*

10. ℞. *ad* 2. Obligatio creditoris est, ut rem diligenter custodiat, & in damnis præstet dolum, culpam latam, & levem *l.* 25. *ff. de pign. act.* 2. Ne re utatur pro suo commodo; secus furtum committit *l.* 23. *ff. h. t. l.* 54. *ff. de furtis*; nisi præsumatur consensus domini, v. g. ad librum legendum &c. 3. Soluto debito, tenetur rem pignoratam, cum omnibus fructibus restituere, *l.* 11. *ff. de pign. act. l.* 16. 21. *ff. h. t.* si vero tantum pars debiti soluta est, non tenetur pignus, utpote individuum, restituere *l.* 6. *C. de distract. pign.*

11. In tribus tamen casibus fructus non sunt restituendi, vel computandi in sortem: *Primo*, si maritus habeat pignus pro dote sibi promissa; cum fructus isti cedant ad sustinenda onera matrimonii *c.* 16. *de usur. Secundo*, si Clericus percipiat fructus ex beneficio, quod lai-

eus injuste detinet, *c.* 1. *in fin. de usur. Tertio*, si vasallus feudum domino oppignoravit, dummodo dominus servitia remittat, *c.* 1. *de Feud.* quia fructus feudi sub hac tacita conditione conceduntur vasallo, si obsequia domino præstet. Denique quod creditor in pignus impendit, modo sint impensæ necessariæ, & utiles, compensare potest ex fructibus; & quod superest, in sortem computabit, *l.* 8. *pr. & 25. ff. de pignor. act. c.* 1. 2. *de usur.*

12. Q. VI. *Quæ actiones oriantur ex contractu pignoris?* ℞. 1. Actio *hypothecaria*, seu *utilis*, vel *quasi serviana* competens creditori, ut ratione juris realis ipsam rem sibi pignoratam, seu hypothecatam persequi, & vindicare possit a debitore, vel alio quocumque possessore, ad eam retinendum, vel alienandum, nisi a debitore redimatur, §. 7. *Inst. de action.* contra tertium tamen non intentatur, nisi prius excusso debitore principali, *auth. si debitor. C. de pignorib.* pro revocandis illatis invectis in prædium competit locatori *actio serviana*, *cit.* §. 7. *de action.* utraque ista actio est realis prætoria, de qua fusius Civilistæ. 2. *Actio pignoratitia* personalis directa competens debitori contra creditorem, ut soluto integro debito, pignus cum fructibus restituat, & damna illata resarciat, *lib.* 11. & 12. *C. de pignor. act. Pignoratitia* vero *contraria* competit creditori contra debitorem, ut impensas in pignus factas resarciat; & si res evicta fuit, præstet evictionem, *l.* 3. 9. & 33. *ff. de pignor. act. l.* 38. *ff. de evict.* An actioni pignoratitiæ directæ, seu juri luendi pignoris præscribi possit, controvertunt Civilistæ; pro negativa steti in meis disp. civil. *disp.* 8. *contr.* 2. Jam de pactis, quæ admisceri solent pignori.

13. Q. VII. *An antichresis*, seu *pactum antichresticum sit licitum*, vi cujus creditor tamdiu fructus percipiat ex pignore, quamdiu debitum non exolvitur? ℞. Negative ex *c.* 4. 6. *h. t. & c.* 1. 2. *de usuris*; ubi pactum hoc tanquam usurarium reprobatur, & fructus in sortem computari jubentur. Atque ita leges civiles, si quid contrarium admittunt, corriguntur, ut *l.* 1. §. 3. *l.* 11. §. 1. *ff. h. t.*; nam usura est, quidquid ultra sortem accipitur: sed fructus pignoris, nisi computentur in sortem, ultra sortem accipiuntur, ergo. Donatio vero frustra hic fingitur: quomodo enim donabit, qui eget, & egestate adactus rem oppignorat?

14. Q. VIII. *An in pignoribus licita sit lex commissoria, seu pactum legis commissoriæ*, vi cujus, si debitor statuto tempore non solvat, res pignorata committatur, & transferatur in dominium creditoris? ℞. Negative, etsi tale pactum ex intervallo adjiciatur, *c.* 7. *h. t. & l. fin. C. de pactis pignor.*; nam hoc pactum est nimis asperum, captionis fœnerariæ, avaritiæ, & usuræ nutritivum; cum pignus fere semper majoris sit pretii, quam debitum; ergo merito ab utroque jure reprobatur. Quia vero in emptione-venditione nullum est periculum usurarum, & fraudium, in ea locus est legi commissoriæ; ut si certo die non solvatur, res sit inempta. Hic excipi solet casus dotis, si socer oppignorat rem, ut, si certo tempore pecuniam pro dote non numeret, res in dotem cedat; nam hic alternative constituitur dos vel in pecunia, vel in re; nisi aliud de mente constituentis constet.

15. Q. IX. *An licitum sit pactum, ut, si certo tempore non solvatur, pignus vendi possit?* ℞. Si venditio fiat justo pretio, valet tale pactum, neque aliquid injustum continet, cum excessus pretii debitori restituatur: onus vero vendendi imponitur in pœnam moræ in solvendo commissæ.

De Cautionibus.

16. I. Cautio est assecuratio partis alterius circa id, quod sua interest, vel quod sibi debetur. Est triplex: cautio *simplex*, seu *verbalis*, quæ fit nuda promissione: *juratoria*, quæ fit promissione juramento firmata: & *idonea*, quæ fit datis fidejussoribus, vel pignoribus, *l.* 1. *ff. de satisdat.* Et hæc cautio *idonea*, seu *sufficiens* proprie, & specifice dicitur *satisdatio*: licet in jure, & communi usu *cautio*, & *satisdatio* sæpe confundantur.

17. II. Satisdatio dividitur 1. In *necessariam*, quæ a lege, vel magistratu imponitur, ut tutoria *rem pupilli salvam fore*, *tit. ff. de satisdat. tutor.* & *voluntariam*, seu *conventionalem*, quæ fit ex consensu partium, v. g. ad securitatem mutui restituendi. 2. In *judicialem*, quæ ad judicia recte, & sine periculo expediendo interponitur; cujus tres sunt species: *judicio sisti*, *tit. ff. qui satisd. rem ratam haberi tit. ff. rem rat. judicatum solvi tit. ff. judic. solv.* quibus additur quarta *de expensis solvendis*: & *extrajudicialem*, quæ in negotiis extrajudicialibus ad securitatem interponitur, ut cautio damni infecti *tit. ff. de damn. infect.* de legato conditionali post eventum conditionis solvendo, *tit. ff. ut legat. nom. cav.* Item satisdationes de re non distrahenda, de securo carcere, de non offendendo &c. Qui notitiam theoricam hujusmodi satisdationum desiderat, consulat Civilistas ad *tit.* hic citatos: practica vero notitia haurienda est ex locorum consuetudine. Pro intelligendo *c. fin. h. t.* aliquid dic de cautione usufructuaria.

18. III. Usufructuarius tenetur præstare cautionem idoneam per fidejussores, aut pignora; quod velit re fructuaria uti frui, salva ejus substantia, finito usufructu eam restituere; & si culpa pereat, æstimationem rei dare, *c. fin. h. t. & tit. ff. usufr. quemad. cav.* si vero habet quasi usumfructum in rebus fungibilibus, cavere debet, quod finito quasi usufructu, v. g. pecuniæ, tantundem restituet, *ibid. & l.* 2. *ff. de usufr. ear. rer.* 2. Hæres remittere potest cautionem fructuario; non vero testator in præjudicium hæredis *l.* 71. *ff. ad L. Falcid. l.* 1. *C. de usufr.* Lex vero cautionem istam remittit *patri* in bonis adventitiis filii *l. fin.* §. 4. *ff. de bon. qualib.* non tamen matri, quæ caret patria potestate. *Donatori* omnium bonorum usumfructum sibi reservanti *l.* 19. §. 1. *ff. de re jud.* Item *fisco l.* 1. §. 8. *ff. ut legat. nom. cav.* cum semper præsumatur esse solvendo. Cetera de his vide in jure civili. Casus speciales de materia pignorum utiliter perlustrabis in juribus in fronte hujus tituli citatis.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

Agitur de hac materia potissimum in jure civili; in Institutionibus *lib.* 3. *tit.* 21. in Pandectis *libr.* 46. *tit.* 1. de Fidejussor. Tutor. *lib.* 27. *tit.* 7. in Codice *lib.* 8. *tit.* 41. Item de Fidejussor. minorum *libr.* 2. *tit.* 21. de Fidejuss. tutor. *libr.* 5. *tit.* 57. In Authentico *Nov.* 4. & 51.

1. *Nota* 1. Fidejussionem dici a *fide*, & *jussu*, quia fidejubens alterum de sua fide jubet securum esse. Fidejussio, quoad rem est contractus verbalis, quo quis rogatus alienam obligationem in se recipit, si principalis debitor manens obligatus non esset solvendo: ita in re comm. Ex qua definitione patet, fidejussorem distingui ab aliis personis, quæ pro altero intercedunt: nam *sponsor* sponte propria intercedit, & actione mandati convenit debitorem, si pro eo solvit *lib.* 18. *ff. mandati*. *Mandator*, qui alteri pecuniam credi, seu mutuam dari mandat; quo casu mandator obligatur danti actione *mandati*; mutuatarius vero actione *mutui l.* 13. *ff. de fidej. & mand. Expromissor* reum liberat, & principalem obligationem in se suscipit. *Constitutor* nudo pacto constituit se soluturum id, quod alter debet, vel quod debet ipse constituens; adeoque in constituto supponitur debitum præcedens; in fidejussione vero debitum potest præcedere, vel subsequi.

2. *Nota* 2. Fidejussionem, non secus ac satisdationem dividi in voluntariam, & necessariam, judicialem & extrajudicialem, ut *tit.* præcedenti dictum. Præterea fidejussor alius est *principalis*, qui obligat se pro debitore principali *l.* 27. §. 2. 4. *ff. h. t.* alius *succedaneus*, seu *Vicarius*, qui obligat se pro fidejussore *l.* 8. §. *fin. ff. eod.* alius *indemnitatis*, qui obligat se in residuum, si hoc creditor consequi non posset.

3. *Nota* 3. Fidejussionem esse speciem stipulationis, & conf. de jure Romano debere fieri per certam verborum formulam, sicut fit stipulatio *lib.* 8. & 12. *C. hoc tit.* sed quia formulæ istæ stipulationum jam exoleverunt, & hodie omnis seria, & deliberata promissio vim habet stipulationis; ideo fidejussio fieri potest quacumque verborum, aut signorum similium

forma,

forma, etiam per epistolam, aut procuratorem, Harpp. Schmier. &c.

4. Q. I. *Qui fidejubere possint*? ℞. Omnes, & soli illi, qui ex contractu obligantur, nisi specialiter a jure prohibeantur. Prohibentur autem, præter infantes, & amentes; 1. *Pupilli* sine auctoritate tutoris, & minores sine auctoritate curatoris, nisi pro patre incarcerato; §. 1. *Inst. de auth. Tut.* Si autem minor curatore carens, fidejubeat, & lædatur, salvum habet beneficium restitutionis in integrum. 2. *Milites*, ne a castris avocentur, *l.* 8. §. 1. *ff. qui satisdar.* 3. *Religiosi* sine consensu Prælati: imo nec consensus iste dari debet in præjudicium monasterii *c.* 4. *h. t. c.* 2. *de solution.* 4. *Clerici c.* 1. *h. t.* ne secularibus negotiis se implicent. Si tamen fidejubeant, tenet fidejussio, cum non irritetur. 5. Prælatus, saltem pro magna quantitate *Can.* 29. *te quidem* 11. *q.* 1. si tamen fidejubeat nomine suo, ille solus obligatur ex bonis patrimonialibus, & fructibus suæ mensæ; si vero fidejubeat nomine Ecclesiæ cum consensu capituli, tunc quidem Ecclesia obligatur, sed læsa restituitur. 6. *Mulier* ex privilegio SCti Vellejani, propter imbecillitatem sexus, ut cum effectu nec pro marito, nec pro extraneo fidejubere possit *l.* 1. 2. *ff. & l.* 1. *C. ad SC. Vellej.* nam licet talis fidejussio mero jure valeat, tamen actio inde orta submovetur exceptione dicti SCti; & si quid a muliere ex causa fidejussionis solutum est, repeti potest: imo solutum, velut indebitum, ante sententiam tenetur restituere creditor *l.* 16. §. 1. *ff. eod.*

5. Cessat autem exceptio SCti Vellejani in multis casibus: 1. Si fœmina est valde illustris, ut regina &c. 2. Si pro fidejussione pretium accepit *lib.* 23. *C. ad SCtum Vell.* 3. Si id, pro quo fidejussit, æquivalenter debeat creditori, *l.* 3. 13. 22. 24. *ff. eod.* 4. Si fidejussit in dotem alterius, ne mulier maneat indotata, *l. fin. C. eod.* 5. Si intercessit pro servo ad obtinendam libertatem *l.* 24. *C. eod.* quod aliqui extendunt ad alias pias causas. 6. In casu, quo privilegium mulieris vincitur a fortiori privilegio; ut si apud creditorem minorem fidejubeat *l.* 12. *ff. de min.* quia privilegium ætatis prævalet. 7. Si renuntiet expresse SCto Vellejano, postquam de illo sufficienter edocta fuit, cum favori suo renuntiare possit, & aliquando teneatur, ut si tutricem agat liberorum *auth. matri C. quando mulier.* vel si judicium sustineat pro debitore *l. fin.* §. 4. *ff. ad SC. Vell.* Plura de hoc SCto vide in Civilistis & in *tit. ff. & C. ad SC. Vell.*

6. Q. II. *Cui obligationi accedere possit fidejussor*? ℞. Regulariter omni obligationi, etiam naturali, vel civili tantum, vel claudicanti, ut in pupillo, vel minori contrahente sine auctoritate tutoris, aut curatoris §. 1. *in h. t. l.* 1. *ff. eod.* ubi Ulp. generaliter dicitur: *omni obligationi fidejussor accedere potest*. Excipitur 1. *Obligatio dotis* ab uxore datæ, pro qua uxor non potest exigere fidejussores a marito, ne causa perfidiæ generetur in connubio, & amor conjugalis minuatur, *l.* 1. 2. *C. ne fidej. dot. dent.* secus si dos daretur ab extraneo. 2. *Causa criminalis* criminaliter intentata ad pœnam corporalem: ad hanc enim fidejussor non potest se obligare, cum non sit dominus vitæ, & membrorum *l.* 56. §. *fin. l.* 70. §. *fin. ff. h. t.* 3. Denique fidejussio corruit, si principalis obligatio nullo modo subsistat, nec vere, nec ficte, seu per translationem obligationis principalis in fidejussorem: nam deficiente obligatione principali, deficit etiam fidejussoria, utpote accessoria, §. 1. 3. *Inst. h. t. l.* 10. 16. 70. §. 4. *ff. eod.* Unde non valet fidejussio in contractu usurarum, in venditione beneficii Ecclesiastici, in promissione rei turpis &c.

7. Q. III. *In quam summam obligari possit fidejussor*? ℞. 1. In eam summam, vel minorem, quam debet reus principalis *l.* 9. *ff. h. t.* nam cum libere fidejubeat, pro toto, vel pro parte debiti se obligare potest. Quodsi fidejussit indeterminate pro tota causa, obligatur etiam ad usuras solvendas, quæ debentur ex mora debitoris *l.* 68. §. 1. *ff. eod.*

8. ℞. 2. Fidejussor non potest obligari in plus extensive, seu in majorem summam, §. 5. *Inst. & l.* 8. §. 7. *ff. h. t.* nam obligatio accessoria nequit excedere principalem. At in plus intensive, seu fortius potest fidejussor obligari v. g. addito juramento, instrumento publico habente paratam executionem; vel si principalis debitor obligatus est tantum naturaliter, fidejussor obligari potest etiam civiliter: quo sensu explicatur *l.* 16. §. 3. *ff. & l.* 2. 25. *C. h. t.*

9. ℞. 3. Fidejussio in majorem summam facta, valet quoad summam debitam, & inutilis est quoad excessum: ita com. contra Fachin. docentem, quod tota fidejussio sit inutilis: nam talis fidejussio quoad totum nullibi irritatur: tum quia quantitas minor inest majori: tum quia utile per inutile non vitiatur; tum quia donatio excessiva, tantum quoad excessum vitiatur *l.* 34. *C. de donation.* ergo. Nec obstat *l.* 8. §. 7. *ff. h. t.* ibi: *placuit eos omnino non obligari*: nam vel legi debet *non omnino*, vel simplex sensus est, quod *omnino*, hoc est, omni modo quoad totum non obligentur, licet obligentur ad summam debitam, secluso excessu.

10. Q. IV. *An, & quomodo creditor convenire possit fidejussorem*? ℞. Jure antiquo *l.* 2. 5. *c. h. t.* creditor æque convenire potuit debitorem, & fidejussorem, imo etiam hunc ante illum; quod jus consuetudine Austriæ dicitur esse firmatum: sed jure novo *Nov.* 4. *c.* 1. & *auth. præsente C. h. t.* fidejussores triplex habent beneficium, scilicet *ordinis*, seu *excussionis*, *divisionis*, & *cedendarum actionum*. Beneficiorum *Ordinis* id operatur, quod creditor prius debeat convenire debitorem principalem, & ejus bona excutere, antequam fidejussorem aggrediatur; nisi fidejussor huic beneficio renuntiet, vel fidejubeat pro eo, qui procul a provincia distat, vel conveniri nequit; vel non solet, ut pupillus, vel pater, pro quo filius intercessit, *cit. Nov.*

11. Beneficium *divisionis* id operatur, quod, si plures fidejusserunt in solidum, unus conventus debitum pro rata dividere possit, v. g. si duo sint pro debito 100. non ultra quinquaginta unus conventus solvere cogetur, §. 4. *Inst. h. t. l.* 3. *C. eod.* nisi alter confidejussor non esset solvendo: vel si quis cum muliere fidejussit, vel pro tutore; vel si beneficio, seu exceptioni divisionis renuntiavit, aut illam ante sententiam, vel executionem non opposuit, *l. fin. ff. rem pupilli l.* 48. *pr. ff. h. t.* §. 4. *Inst.* & *l.* 39. *ff. h. t.*

12. Quod si fidejussor neutro hoc beneficio juvari potest, habet beneficium *cedendarum actionum*, ut solvere non teneatur debitum, donec ei creditor cedat actiones, quas habet adversus principalem debitorem, confidejussores, & pignorum possessores §. 6. *in l.* 13. 17. *ff.* & *l.* 11. 21. *C. h. t.* Si vero solvit, non cessis actionibus, de rigore juris actiones istæ cedi non possunt post executionem solutionis factæ; & consequenter non habet regressum contra alios confidejussores, cum eorum negotium directe non gesserit, sed debitoris principalis, & suum, & facta solutione, omnes actiones extinctæ sint, ut amplius cedi non valeant, *l.* 76. *ff. de solut.* At spectata æquitate fidejussor post solutionem solidi debiti, petere potest cessionem actionum; quia solvendo non intendit extinguere actiones, sed potius emere nomen debitoris; ergo jus istarum actionum quandocumque petere potest a creditore, ceu venditore *arg. l.* 36. *ff. h. t.* Ceterum fidejussor id, quod solvit, actione ordinaria *mandati* repetere potest a debitore, vel actione negotiorum gestorum, si pro absente, & ignorante fidejusserit, aut solverit, §. 6. *Inst. h. t. l.* 18. *ff. mandati l.* 20. §. 1. *& l.* 53. *ff. mandat.*

13. Q. V. *Quomodo fidejussio solvatur*? ℞. Regulariter solutione facta, sive a principali, sive ab ipso fidejussore, *l.* 10. *ff. mandat.* Dantur tamen aliqui casus; in quibus fidejussio expirat, & fidejussor liberatur ante solutionem factam. 1. Si debitor nimis diu, v. g. ad decennium, solutionem protrahat *l.* 38. §. 1. *ff. mandat. c. fin. h. t.* 2. Si ita convenit, ut, nisi certo tempore solvatur, fidejussio expiret, *l.* 38. *ff. mandat.* 3. Si debitor incipiat prodigaliter vivere, inimicitias graves cum fidejussore movere, vel in regionem longinquam proficisci: in his enim, & similibus casibus fidejussor ante solutionem petere potest liberationem. 4. Si creditor contra conventionem proroget terminum debitori, nisi fidejussor datus fuisset simpliciter, & in omnem casum, neque prorogationi contradixisset, *l.* 56. §. 2. *ff. h. t.* Præterea expirat fidejussio, si creditor eam remittat, etiam per legatum *l.* 49. *ff. h. t.* vel si fidejussor fiat hæres debitoris *l.* 21. §. 3. *eod.* vel si obligatio novetur sine consensu fidejussoris, *l.* 4. *C. h. t.* &c.

Connexio praecedentium, & consequentium.

Hactenus Compilator noster egit de contractibus, & obligationibus: jam in *seq. tit.* 23. tractat de modis, quibus obligatio tollitur, scilicet *de solutionibus* ad imitationem juris civilis. Sed priusquam eo accedas, monitum te velim Canonista, quod in jure Can. non omnes contractus expressi sint, sed omissi maneant supplendi ex jure civili, quos hic breviter insinuare placet, ut constet, quid tibi quaerendum supersit. Itaque.

14. I. *Stipulatio* est contractus verbalis, a jure civili introductus, quoad interrogationem unius, & congruam responsionem alterius aliquid promittitur, v. g. spondes mihi dare decem, vel aedificare domum? spondeo. Et quidem, si est stipulatio *dandi*, oritur determinate obligatio ad dandum, & promissor non liberatur praestando interesse, *l.* 75. *§. fin. ff. de V. O.* Si vero est obligatio *facti*, seu *faciendi*, multi docent in arbitrio promissoris esse vel praestare factum, vel interesse; sed probabilius est eum obligari determinate ad praestandum factum, v. g. ad aedificandum, pingendum &c. cum invito creditori aliud pro alio solvi non possit, *l.* 2. *§.* 1. *ff. de R. C. Correi stipulandi* vocantur ii, quibus eadem res in solidum promittitur: *Correi promittendi*, qui eandem rem singuli in solidum promittunt. In aliis contractibus dicuntur: *correi debendi*, qui debent, & *correi credendi*, qui credunt, seu quibus debetur. Porro *stipulatio inutilis* est, qua quis stipulatur rem ex natura, vel de jure impossibilem, vel sacram, publicam, aut hominem liberum; cum talis res dominio non subsit: vel si quis promittat praecise factum alienum &c. Formulae stipulationum hodie sublatae sunt, & conf. omnis seria promissio quibuscumque verbis expressa, vim habet stipulationis. De hoc contractu vide *tit. Inst. de V. O.* cum quatuor seqq. & in Pandectis *l.* 45. *per tot. & lib.* 46. *tit.* 5. *cum seqq.* in Codice *lib.* 8. *tit.* 38. 39. 40.

15. II. *Obligatio litterarum*, seu contractus *chirographarius*, aut *litteralis* est, quo quis spe futurae numerationis dat chirographum, & in eo confitetur, se certam pecuniae quantitatem mutuo, vel in dotem, vel in solutum accepisse, quam tamen non accepit. Haec obligatio est pure civilis, non naturalis: in foro tamen externo parit actionem; sed haec eliditur per exceptionem pecuniae non numeratae, modo in causa mutui, & dotis intra biennium opponatur, *l.* 8. 14. *C. de non numer. pecun.* lapso autem biennio, exceptio ista privilegiata non prodest, sed generalis exceptio doli non est deneganda contra eum, qui pecuniam sibi restitui cupit, quam non numeravit. *l.* 3. *C. eod. l.* 5. *§. fin. ff. de doli mali except.* Ut vero removeatur apocha, in qua creditor confitetur sibi debitum solutum fuisse, quod solutum non fuit, exceptio ista opponenda est intra 30. dies *l.* 14. *pr. §.* 2. *C. eod.* De hoc contractu vide *tit. In. de litter. oblig. tit. C. de non num. pec. tit. C. de dote caut. non num.* Pandectis contractus iste incognitus est, imo aperte omittitur *l.* 1. *§.* 1. *ff. de O. & A.*

16. III. *Societas* est contractus consensualis, quo duo, vel plures conveniunt, ut ex collatis rebus, operisve honestis lucra, & damna inter eos sint communia: ita in re com. Sufficit autem consensus tacitus, dum res in commune conferuntur eo animo, ut lucra, & damna sint communia *l.* 4. *ff. pro socio.* Secus sine conventione saltem tacita nulla est societas, & ideo socius socii mei socius meus non est, *l.* 47. *§.* 1. *ff. de R. J.* Si omnia bona tam praesentia, quam futura conferuntur, est societas *universalis*, seu *omnium bonorum*: si vero quaedam bona determinata conferuntur, est societas *particularis*. Porro pacta specialia in hoc contractu observanda sunt, v. g. ut ad unum duae partes lucri, & damni pertineant, & tertia ad alterum. Item, ut ad unum duae partes lucri, & tertia damni: ad alterum vero duae partes damni, & una lucri perveniat; dummodo in utroque casu is, qui plus lucri vult participare, plus de rebus, vel de operis conferat; alias si unus lucrum, & alter damnum pari debeat, societas est *le onina* ex mente Cassii *l.* 29. *§. fin. ff. pro socio*, sumpta denominatione ex fabula de vulpe, & leone, qui ex capta praeda nihil vulpi dedit. De hoc contractu vide *tit. In. de societ. tit. ff. & C. pro socio.*

17. IV. *Mandatum* est contractus consensualis, quo negotium gratis gerendum alicui committitur. Et de hoc egimus *libr.* 1. *tit. de procurator.* Vide *tit. Inst. de mandato tit. ff. & C. mandati tit. de procurator.*

18. V. Conventio *de eo, quod certo loco dari oportet*, est illa, qua id, quod certo in loco solvendum erat, petitur in alio loco; idque ob causam, & aequitatem, quia debitor ad locum solutioni destinatum forsan nunquam esset venturus. Fit autem solutio, secundum arbitrium judicis in plus, vel minus, prout ipsa pecunia, vel alia commoditas major, vel minor est in uno, quam altero loco. Vide *tit. ff. de eo, quod certo loco, & tit. C. ubi conveniatur, qui certo loco.*

19. VI. *Constitutum* est conventio, seu pactum, quo quis debitum proprium, vel alienum praeexistens constituit, seu promisit se soluturum, vel simpliciter, & pure, vel certo die, aut certo loco. Si dies non est conventa, exactio differtur ad decem dies *l.* 21. *§.* 1. *ff. de pecun. const.* in quo titulo, uti etiam in *tit. C. de constit. pecun.* plura de hoc legi possunt. Nomine autem pecuniae constitutae venit omnis res sive mobilis, sive immobilis *l.* 2. *C. d. t.* & ex tali pacto de se nudo praetor ob aequitatem condictionem concessit.

20. VII. *Sponsio* est conventio, qua duo de veritate, seu eventu alicujus rei altercantes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui verum habebit. Conventio ista de se non est illicita, dummodo neuter spondentium, seu certantium sit certus de veritate; alioquin, si unus certus esset de veritate, non posset hanc conventionem inire propter inaequalitatem justitiae; nisi forsan pertinaciter cogeretur ab altero, qui perditionem rei sponsae deberet suae imputare temeritati. Sponsiones, nisi fiant ad virtutis exercitium, reprobantur a jure civili, *l.* 3. *ff. de aleatorib.*

21. VIII. *Ludus* est conventio duorum, vel plurium, ut victori cedat id, quod positum est. De jure naturali, seclusa fraude, est licitus: quia sicut dominus rem suam potest alteri absolute donare, ita quoque potest illam transferre in alterum sub conditione, *si in lusu vicerit.* Quia vero in ludo periculum est blasphemiarum, perjuriorum, deceptionum, & dilapidationum, merito jure civili prohibetur lusus aleae, seu omnes lusus fortuiti, in quibus plus operatur fortuna, & casus, quam ars, & industria *tit. ff. de aleatorib.* Jure autem canonico lusus fortuiti, imo etiam interesse talibus lusibus prohibetur Clericis *c.* 15. *de vita, & hon. Cler.* quam Concilii lateranensi constitutionem a fortiori observare debent Religiosi ob votum paupertatis, quos Superiorum indulgentia non facile coram Deo excusabit, si pecuniam in lusu dilapident.

22. IX. Dantur contractus, ex quibus alius praeter contrahentem obligatur: 1. Contractus magistri, vel submagistri navis, ex quo obligatur exercitor, seu dominus navis, *tit. ff. de exercit. act.* 2. Contractus institoris, seu praepositi tabernae, vulgo factoris, ex quo obligatur dominus principalis tabernae, seu officinae, *tit. ff. de institor. act.* 3. Contractus filiorumfam. & servorum, ex quibus obligantur paterfam. & domini, & ita nascuntur variae actiones, ut *tributoria*, *de peculio*, *de in rem verso*, *& quod jussu*, de quibus agitur *libr.* 4. *Inst. tit.* 7. & in Pandectis *libr.* 14. & 15. *per totum.*

23. X. *Quasi contractus* est conventio tacita, ex dispositione juris introducta - Hujus sex species enumerantur *tit. Inst. de oblig. ex quasi contra - negotiorum gestio - tutela - rei communio - haereditatis communio - haereditatis aditio - & indebiti solutio. Negotiorum gestio* est, qua quis alterius absentis, & ignorantis negotia sine mandato utiliter gerit. Tunc autem utiliter geritur negotium, quando dominus rationabiliter id ipsum erat facturus, etsi res per accidens effectum suum non sortiatur; ut si medicus filium absentis curet, & is nihilominus moriatur, *l.* 10. *§.* 1. *ff. de negot. gestis.* Ex hoc quasi contractu datur *actio directa* domino, cujus negotia gesta sunt, ut negotiorum gestor rationes reddat, & si quod damnum sua culpa etiam levi causavit, illud resarciat. *Contraria* datur negotiorum gestori, ut id, quod ratione administrationis suae impendit in negotium domini, sibi praestetur, ne officium suum sit sibi damnosum. Vide *tit. ff. & C. de negotiis gestis.*

24. *Tutela* est quasi contractus, vi cujus tutor obligatur ad curandam personam pupilli, ejusque bona. Sub hac etiam continetur *curatela*, qua res minorum curantur, & administrantur. Pupillo contra tutorem datur *actio dicta tutelæ*; tutori vero contra pupillum *actio contraria tutelæ*. De tutelis, & curis vide in Inst. *libr.* 1. *tit.* 13. *usque ad fin.* in Pandectis *libr.* 26. *&* 27. *per tot.* in Codice *libr.* 5. *tit.* 28. *usque ad fin.*

25. *Rei communio* est quasi contractus, quo duo, vel plures unam rem singularem sine societate habent; ut si una vinea duobus donata, vel legata sit. Ex hoc quasi contractu datur actio *communi dividundo* ad commoda, & incommoda, & ad ipsam rem dividendam; cum nemo teneatur in communione vivere. Vide *tit. ff. & C. communi dividundo.*

26. *Hæreditatis communio* est quasi contractus, quo eadem hæreditas ad plures cohæredes pertinet. Ex hoc competit actio *familiæ herciscundæ*, hoc est, hæreditatis dividendæ, ad antiquo *hercíscere*, seu dividere, ut commoda, & incommoda hæreditatis, imo ipsa hæreditas æqualiter dividatur. Vide *tit. ff. & C. famil. herciscundæ.*

27. *Aditio hæreditatis* est quasi contractus, quo obligatur hæres ad præstanda legata, & fideicommissa: nam adeundo hæreditatem, tacite se obligat, quod voluntatem defuncti implere velit. At creditoribus defuncti obligatur hæres ex vero contractu: nam defunctus vere contraxit cum illis; hæres autem est eadem persona cum defuncto. Quia vero nec defunctus, nec hæres contraxit cum legatariis, ideo hæres ad exolvenda legata obligatur tantum ex quasi contractu. De hoc sparsim agitur *tit. ff. de acq. hæred. &c.*

28. *Indebiti solutio* est quasi contractus, quo plus debito solvens, obligat creditorem ad istum excessum restituendum; qui etiam peti potest *condictione indebiti tit. ff. & C. de Condict. indeb.* modo indebitum sit solutum per errorem facti: nam si quis scienter solvat indebitum, præsumitur donare *l.* 1. *ff. h. t.* quæ præsumptio in foro externo etiam est in illo, qui per errorem juris solvit indebitum *l.* 10. *C. de J. & F. ignor.* ut si quis legatum solvat hæredibus legatarii, qui testatori præmortuus est. At in foro interno error juris non nocet; & conf. est obligatio indebitum solutum restituendi. 2. Quod est naturaliter debitum, & tantum civiliter indebitum, ut ex pacto nudo, solutum non condicitur *l.* 13. *d. t.* nam æquitas naturalis non permittit hanc repetitionem. At qui solvit naturaliter indebitum, & tantum civiliter debitum, v. g. ex chirographo, solutum repetere potest, saltem intra biennium *l.* 7. *C. de non numer. pecun.* 3. Si reus conventus fateatur, se pecuniam accepisse, neget vero fuisse indebitam, onus probandi incumbit actori repetenti *l.* 25. *pr. ff. de probat.* ubi ratio additur: *quia nemo ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet, & indebitas effundat.* At si reus neget pecuniam indebitam sibi numeratam fuisse, & de hoc convincatur, probare debet sibi fuisse debitam *c. fin. de Solut. & cit. l.* 25. mentienti enim in uno non creditur in altero. Pupilli, & similes personæ plerumque liberantur ab onere probandi, & alter obligatur probare pecuniam fuisse debitam. *ibid.* 4. Cessat condictio indebiti. 1. Si solutum est ex causa pietatis; ex qua putabatur deberi *l.* 32. §. 2. *ff. de condict. indeb.* quia præsumitur donatio. 2. Si transactum est sine dolo malo, *l.* 65. §. 1. *ff. eod.* 3. Si ex re judicata, vel ex juramento, quo quis juravit se velle solvere, solum est, regulariter non admittitur repetitio. Cetera de hoc quasi-contractu vide in jure civili *locis cit.* Et hæc de contractibus indicasse sufficiat.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

Agitur de hac materia in Institut. *libr.* 3. *tit.* 30. in Pandectis *lib.* 46. *tit.* 2. 3. 4. in Codice *libr.* 8. *tit.* 42. 43. 44.

1. *Nota*, solutionem generice accipi pro quacumque liberatione, seu satisfactione, *l.* 54. *ff. h. t.* quo sensu sub se complectitur novationem, acceptilationem, compensationem, pactum de non petendo, & alios modos, quibus obligatio distrahitur. At *solutio* specifice accepta est naturalis, seu realis, ac legitima præstatio ejus, quod debetur: ita in re com. Erit autem solutio legitima, si solvatur totum, quod debetur eo loco, & tempore, de quo conventum est; cum creditoris multum intersit quo loco, & tempore solutio fiat *l.* 85. *ff. h. t.* Et de tali solutione hic primo agetur, & deinde de ceteris speciebus.

2. Q. I. *Qui possint solvere*? ℞. 1. Debitor liberam habens rerum suarum administrationem: unde pupillus, minor, & prodigus sine auctore tutore, aut curatore solvendo, nihil agunt, & res ab eis tradita remanet in eorum dominio, ut vindicari possit; nisi bona fide consumpta fuisset a creditore: quo casu dominium rei consumptione acquiritur, & solventes liberantur §. 2. *in quib. alien. lic. l.* 14. §. *fin. ff. h. t.* 2. Procurator *cum libera*, vel mandato speciali, *l.* 87. *eod.* 3. Quicumque alius pro debitore etiam ignorante, & invito solvere potest *l.* 53. *eod.* cum liceat meliorem conditionem alterius facere: si tamen pro invito solvit, non repetit solutum, quia præsumitur donasse, *arg. l. fin. C. de negot. gest.*

3. Q. II. *Quibus solvi possit*? ℞. 1. Ipsi creditori res suas administranti, etiam invito, quo pecuniam recipere nolente, potest debitor eam deponere apud magistratum periculo creditoris *l.* 9. *C. h. t.* Ut pupillo, & minori solvatur, requiritur tutoris auctoritas; & insuper, ut plena sit liberatio, decretum prætoris: secus minor, vel pupillus per solutionem læsus restituitur in integrum §. *fin. in quib. alienar. l.* 1. *C. si advers. solut.* 2. *Procuratori creditoris* instructo saltem generali mandato *l.* 12. & 34. §. 3. *ff. h. t.* vel si quis alius ad exigendam pecuniam constitutus est, ut filiusf. servus *l.* 18. 49. 51. *eod.* & qui solutionis causa in contractu adjectus est §. 4. *in de inutil. stipul.* 3. *Creditori creditoris*, si is consentiat: secus debitor ipso jure manet obligatus; licet exceptione doli se tueri possit, quatenus creditor dolo petit, quod mox creditori suo restituere debet *l.* 6. *ff. de doli mal. except.* Aliis, præter hos, non recte solvitur; cum solutio non censeatur fieri creditori.

4. Q. III. *Qua forma, & modo sit solvendum*? ℞. I. Solvenda est res, quæ debetur; quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest, *l.* 2. §. 1. *ff. de R. C.* unde nec pecunia loco vini, aut frumenti, nec e contra recte solvitur, nisi creditor consentiat.

5. II. Solutio debet esse integralis pro toto debito; non particularis per partes *l.* 41. §. 1. *ff. de usur.* quia particularis solutio propter facilem minutæ pecuniæ consumptionem damnosa est creditori *l.* 3. *ff. fam. hercis.* nisi creditor consentiat in particularem solutionem §. 1. *In quib. mod. oblig. toll.* vel nisi per partes sit creditum *arg. reg.* 1. *in antiq.* vel ex diversis causis debitum *l.* 1. *C. de Solut.* vel si altera pars debiti non sit liquida *arg. l.* 21. *ff. de R. C. l.* 8. *ff. si pars hæred.* vel nisi favor libertatis, vel alterius piæ causæ id exposcat *l.* 4. §. 6. *ff. de Statu liber.*

6. III. Si duo debita sint æque principalia, sed disparia, ut unum sub usuris, pœna, aut hypotheca, aliud sine his, solutio censetur debiti durioris, si debitor non exprimat, ex qua causa solvat, *l.* 1. 3. 97. 103. *ff. h. t.* quia præsumitur agere, quod sibi melius est. At si unum debitum est principale, ut sors, & alterum accessorium, ut usuræ, solutio indeterminate facta præsumitur pro usuris, quas creditor juste petere potest, & non pro sorte *l.* 5. §. 3. *ff. de solut. l.* 1. *C. eod.* Si vero ambo debita sint paria, parum refert, quod ex his solvatur, & videtur solvi ex omnibus summis aliqua portio, *l.* 8. *ff. h. t.*

7. IV. Solutio facienda est in loco convento, *l.* 9. *ff. de eo, quod cert. loc.* secus, quantum interest, alibi solutio in plus, vel minus pro arbitrio judicis decernenda, *l.* 1. 2. §. *si quis eod.* si de loco non est conventum, solutio peti potest regulariter in loco contractus, aut domicilii.

8. V. Si obligatio est conditionalis, purificata conditione, si in certum tempus, & diem, adveniente tali die, solutio fieri debet, §. 4. *Inst. de V. O. l.* 44. §. 1. *ff. de O. & A.* Nec ante diem, si is in gratiam creditoris adjectus est, solvi potest *l.* 15. *ff. de annuis legat.* secus si dies in gratiam debitoris adjiciatur *l.* 38. §. 16. *ff. de V. O.* & tunc debitor solvendo non repetit; bene

vero, si per ignorantiam solvit ante eventum conditionis, *l.* 16. 18. 48. *ff. de condict. indeb.* Si tandem obligatio est pura, præsenti die debetur, §. 2. *inde V. O. l.* 14. *ff. de R. J.* Quod intellige moraliter, non ut eodem momento creditor debitum repetat, sed intra competens tempus arbitrio judicis assignandum, v. g. intra 14. dies, vel plures *l.* 105. *ff. de solut.* Ratio horum est, quia in obligatione *pura* statim cedit, & venit dies; in obligatione *in diem*, statim quidem cedit, non tamen venit dies, nisi die statuta adveniente: in obligatione vero sub conditione nec cedit, nec venit dies, nisi eveniente conditione: licet dici possit, quod cedat dies conditionate: ita Ulp. *l.* 213. *ff. de V. S.* Tunc *dies cedit*, quando aliquid incipit deberi, sed necdum peti potest; tunc vero *dies venit*, quando debitum petei potest,

9. ℞. II. Modus etiam ex parte creditoris observandus est, ne is, etiam in debito liquido, propria auctoritate sibi solutionem faciat: secus occupando bona debitoris, pœnas invasorum incurrit, & actionem perdit *l.* 13. *extrem. ff. quod met. caus. l. pen. ff. ad L. Jul. de vi priv.* sed prius amicabiliter debitorem conveniat; & si hoc non sufficiat, tum via juris contra illum agat.

10. Q. IV. *Quomodo debitores condemnandi sint?* ℞. Regulariter in solidum, & ad instantiam creditorum detrudendi sunt in carcerem, donec integre solvant. Pro evitando tamen carcere datur eis beneficium *cessionis bonorum*, cum obligatione residuum solvendi, ubi ad pinguiorem fortunam venerint; salvo tunc beneficio competentiæ, ne ex bonis postea quærendis in plus obligentur, quam possint, salva sua honesta sustentatione, §. *fin. Inst. de action. l.* 4. *ff. de cession. bonor.* Hoc tamen beneficio *cessionis* non gaudent fures, prodigi, & dilapidatores, & alii commiseratione indigni, & qui huic beneficio renuntiarunt *l. fin.* §. *fin. ff. quæ in fraud. creditor. lib.* 8. *& fin. C. qui bon. ced.*

11. ℞. II. Personæ, quibus competit beneficium, seu *privilegium competentiæ*, si salva sua competenti sustentatione non possunt solidum debitum solvere, non debent condemnari in solidum, sed in id, quod facere possunt: nam causa reverentiæ, pietatis, & necessitudinis suadet certas personas non esse condemnandas in solidum. Cujusmodi personæ sunt: 1. Parentes, & liberi, patroni, & liberti, socii ejusdem societatis, & eorum argumento fratres, maritus, & uxor §. 37. *&* 38. *Inst. de action.* Donator conventus a donatario *l.* 19. §. 1. *ff. de re jud.* Socer. utriusque conjugis *l.* 15. §. 2. *ff. soluto matrim. l.* 21. 22. *ff. de re judic.* ubi limitatio ponitur, ut socero mariti, seu patri uxoris hoc beneficium competat solum stante matrimonio. Item milites armatæ militiæ *l.* 6. *&* 18. *ff. de re judic.* quod extenditur ad milites togatos, ut advocatos, & liberalium artium professores; & de jure Canonico ad milites cœlestes, seu Clericos *c.* 3. *Odoardus h. t.* dummodo talis Clericus sit inops, non ex culpa sua, sed ex alia causa inculpabili. Et quia hoc privilegium concessum est in favorem totius collegii Ecclesiastici, Clericus ei renuntiare non potest, ne in opprobrium status Clericalis mendicare cogatur; & ita juri publico deroget contra *l.* 38. *ff. de pactis.* Similiter ob reverentiam, & amorem huic privilegio renuntiare nequeunt parentes, patroni, conjuges; bene vero milites, socii, & donator ex reg. generali *lib.* 29. *C. de pactis.*

12. ℞. III. Beneficium cessionis, & competentiæ, cum personale sit, non competit fidejussori *l.* 7. *pr. ff. de exception.* Unde si bona a debitore cessa non sufficiunt, ad residuum tenetur fidejussor At exceptio *competentiæ*, saltem indirecte prodest fidejussori, si is nomine principalis judicium suscipiat, & in ejus persona exceptionem istam opponat, vel judicium denuntiet principali, ut is in persona sua exceptionem competentiæ opponat, *l.* 10. §. *pen. ff. mandati.*

13. Q. V. *Quomodo successor in prælatura, vel beneficio obligetur ad solvenda debita antecessoris?* ℞. 1. Debita nomine Ecclesiæ pro ejus necessitate contracta, tenetur successor persolvere, *c.* 1. *h. t.* Et licet creditor de rigore juris teneretur probare, mutuum conversum fuisse in utilitatem Ecclesiæ *arg.* civitatis *l.* 27. *ff. de R. C. l. un. C. de solut. debit. civit. lib.* 11. *& auth. hoc jus C. de SS. Eccl.* in praxi tamen non id observatur, dummodo cum solitis solemnitatibus debitum contractum sit, cum præsumatur in utilitatem Ecclesiæ conversum fuisse. 2. Si debita sunt personalia, solvi debent ex bonis patrimonialibus, vel in defectum eorum ex redditibus Ecclesiasticis a Prælato relictis; his vero deficientibus, debita necessario facta, v. g. in infirmitate, vel propter necessariam sustentationem, solvenda sunt a successore ex redditibus Ecclesiæ; idque ob honorem status Clericalis: cetera autem debita voluntaria, v. g. ad splendorem, luxum, & res inutiles facta, non sunt solvenda ab Ecclesia, ne hæc delicto Prælati prægravetur, sed creditor damnum sentiat, illudque suæ imputet facilitati.

14. Q. VI. *Quis sit ordo solutionis faciendæ, si bona debitoris non sufficiunt omnibus creditoribus?* ℞. Ante omnia solvendæ sunt expensæ judiciales, & funerales, & quæ medicis, ac pharmacopæis debentur, *l.* 18. 19. 45. *ff. & l.* 3. *C. de Religios. & sumpt. funer.* Nec obstat, quod actio funeraria sit personalis; actio vero realis ex pignore præferatur actionibus privilegiatis personalibus *l.* 9. *C. qui potior. in pig.* nam ab ista lege generali merito excipitur actio funeraria, & pro sumptibus in ultima infirmitate contractis; idque ob humanitatem, & commiserationem, ne alias ullus reperiatur, qui curare velit ægrum, aut mortuum condigno honore sepelire. Hæc conciliatio inter *l.* 45. *ff. de Religios. & l.* 9. *C. qui potior. in pign.* videtur præferenda conciliationi Zoesii *tit. ff. qui potior. n.* 20. dicentis *l.* 45. loqui de credito personali, non de pignoribus. 2. Solvendi sunt creditores hypothecarii secundum ordinem suæ prælationis, aut temporis, secundum dicta *tit. de pignor. num.* 7. 3. Succedunt creditores personales, seu chirographarii, qui nullo prælationis, aut temporis ordine juvantur: sed si bona non sufficiunt pro rata summæ debitæ fit exsolutio.

15. Q. VII. *Quis sit effectus solutionis?* ℞. Ex parte debitoris est liberatio ipso jure, non solum a debito principali, sed etiam ab obligationibus accessoriis pignoris, hypothecæ, & fidejussionis, *pr. In. quib. mod. oblig.* Ex parte creditoris est dominium rei solutæ, si solvens fuit antea ejus dominus *l.* 10. *C. h. t.* secus in creditorem non transfertur nisi possessio, & condictio usucapiendi, *l.* 46. *ff. de usurpat.*

De modis aliis, quibus tollitur obligatio.

16. Q. VIII. *Quid sit novatio, & delegatio?* ℞. 1. Novatio est prioris debiti in aliam obligationem transfusio, atque translatio, sive prius, aut posterius debitum sit civile, sive naturale, sive claudicans, sicut in pupillo, *l.* 1. *ff. de Novat.* ac proinde novatio non liberat ab obligatione, sed eam in aliam commutat. Est duplex: *necessaria*, quæ non litis contestatione, sed sententia judicis, seu ex re judicata inducitur, ut quod antea debebatur, v. g. ex mutuo, aut empto, jam debeatur ex judicato, *l.* 29. *ff. eod. & l. fin. C. de usur. rei jud. Voluntaria*, quæ inter creditorem, & debitorem volentes, media stipulatione inducitur. Et hæc duplex est: *novatio specifice* talis, dum manente eadem persona, causa debendi mutatur; ut si debeas ex causa mutui, & media stipulatione velis debere ex stipulatu, vel sub conditione, aut in diem, *l.* 5. 8. §. 1. *ff. h. t. Delegatio*, dum mutatur persona debitoris, ut si Titius debitor loco sui substituat creditori Cajum debitorem. Huic affinis est *assignatio nominis*, seu *actionis*, dum debitor debitorem suum creditori assignat, v. g. Titius debet 100. Cajo, & assignat ei Lucium, qui pariter 100. debet Titio. ℞. 2. Effectus novationis est, quod prior obligatio penitus extinguatur, etsi posterior obligatio claudicet, & ex una parte nulla sit, sicut in pupillo, §. 3. *Inst. quib. mod. toll. oblig.* sibi enim creditor imputare debet, quod talem novationem inierit, & v. g. pupillum pro debitore delegatum susceperit, ut consequenter regressum non habeat contra priorem debitorem; cum in eo penitus extincta sit obligatio. In quo delegatio differt ab assignatione *nominis*, quæ debitum ipso jure non extinguit, nisi conditionate, si creditor a debitore debitoris suum consequutus fuerit. Vide *tit. ff. & C. de Novation. & cit.* §. 3. *Inst.*

17. Q. IX. *Quid sit acceptilatio?* R. Est imaginaria solutio, seu liberatio stipulatione perfecta, v. gr. *centum, quæ promisi, accepta fers, vel habes?* si creditor respondeat; *fero*, vel *habeo*, his verbis solutum est debitum, acsi centum creditori numerassem. Acceptilatione extinguitur præcise obligatio verbalis: seu ex stipulatione orta: aliæ vero obligationes ex contractu reali, consensuali, aut litterali ortæ, prius resolvi debent in stipulationem Aquilianam a Gallo Aquilio JCto, qui fuit Ciceroni familiaris, inventam: & debitum ex hac stipulatione per acceptilatione extinguendum est, v. g. debeo centum ex mutuo, & cum creditore facio stipulationem Aquilianam hoc modo: *centum, quæ tibi debeo ex mutuo, visne tibi deberi ex promissione?* si creditor reponat: *volo*, perfecta est stipulatio Aquiliana, & ego debeo centum ex promissione, seu stipulatione: & rursum dico: *centum, quæ tibi promisi, accepta habes?* *habeo*, & hæc est acceptilatio, qua prius debitum verbale extinguitur ipso jure. Sed ambages istæ hodie non curantur; cum quælibet seria remissio, quibuscumque verbis fiat, aut signis, vim habeat solutionis debiti. De acceptilatione vide *tit. In. quib. mod. toll. & tit. ff. & C. de acceptilat.*

18. Præterea modi secundarii tollendi obligationem sunt; *consensus contrarius*, seu *dissensus*, quo obligationes consensuales tolluntur: *confusio*, si debito creditori, & e contra, hæres existat, §. 15. *Inst. de action. oblatio pecuniæ* in judicio; modo sit realis, & non verbalis, *l. 9. C. de solut. redditio chirographi*, qua creditor censetur condonare debitum, & facere pactum de non petendo, *lib. 2. ff. de pactis*. Hanc vero præsumptionem non inducit redditio pignoris, cum hæc ob aliam commoditatem fieri possit: chirographi autem redditio aliam commoditatem non habeat, nisi remissionem debiti. *Pactum de non petendo*, seu repetendo debito, ipso jure non extinguit obligationem, sed tantum præstat exceptionem, uti & compensatio, si opponatur. De hac

19. Q. X. *Quid sit compensatio, & quid juris circa eam?* R. 1. Compensatio est debiti, & crediti inter se contributio, *l. 1. ff. de compensat.* v.g. centum, quos tibi debeo ex mutuo, compensare possum cum centum, quos mihi debes ex empto. Hodie compensatio in omnibus judiciis bonæ fidei, & stricti juris locum habet, ipsoque jure extinguit debitum, dummodo opponatur, cum de se sit exceptio, §. 30. *Inst. de act. l. fin. C. de compens.* ubi solum excipitur actio depositi, & causa momentaneæ possessionis.

20. R. 2. Qui solvit, compensatione non opposita, solutum tanquam indebitum condicere nequit, sed actione sua debitum repetet, *l. 2. ff. & l. 6. C. eod. l. 8. ff. rer. amotar. &* §. 39. *ff. de action.* Imperator requirit compensationem per hominem oppositam; ergo si non opponatur, solvitur debitum, & consf. condictione indebiti repeti nequit. Nec obstat, *l. 10. §. 1. lib. 21. ff. de compens. l. 5. §. 2. ff. de impensis, l. 30. ff. de condict. indebit.* a sensu contrar. nam hæc, & similia jura procedunt in casu, quo lex ipsa absque facto hominis compensationem facit, & debitum, utrinque perimit, dum scil. agitur de damno vitando ratione usurarum ob moram, pœnæ ob delictum, vendendi pignoris ob dilatam solutionem, amittendæ emphyteusis ob non solutum Canonem &c. cum non sit in mora, qui habet exceptionem non solvendi *l. 40. in fin. ff. de R. C.*

21. R. 3. Res, quæ in compensationem veniunt, sunt quantitates, seu res numero, mensura, & pondere constantes; non vero corpora, seu species, ut equus, ager &c. *l. 4. 5. & seqq. C. de compens. l. 18. ff. de pignor. act.* Et compensatio quantitatis opponi potest quandocumque etiam post sententiam ante executionem, *l. 2. C. de compens.*

22. R. 4. Compensatio non tantum publica in judiciis, sed etiam occulta, ex communi DD. est licita, dummodo debitum justitiæ sit certum, & non facile via juris recuperabile: ita textus generales *l. 76. ff. de V. S. l. 4. C. de compens.*: nam jure naturali licitum est se indemnem facere, & ex rebus debitoris sibi solvere, si aliter solutio obtineri nequeat, cum ita nulla injuria fiat debitori. Hoc autem modo compensans tenetur efficere, ne debitor bis eamdem rem solvat, ne gravius damnum debitori eveniat, vel magna suspicio furti contra alterum: item aliqua ratione docere debitorem de extincto debito, ne scil. in mala fide non solvendi perseveret, Reiff. a *n. 41.* Cetera de compensationibus vide in §. 36. & 39. *de action. & tit. ff. & C. de compens.*

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

Agitur de hac materia in Decreto *Can. 7. & seqq. d. 86. & 16. quæst. 1. Can. 42. cum seqq.* in Institut. *lib. 2. tit. 7.* in Pandectis *lib. 39. tit. 5. 6.* in Codice *lib. 8. tit. 54. usque ad 57. nov. 87. 92.*

1. *Nota* 1. Donationem admisceri contractibus, licet de se contractus non sit, sed actus liberalitatis, qui ex privilegio, & assistentia juris parit obligationem, & actionem, sicut pacta legitima *l. 1. C. h. t.* Donatio quoad nomen, est doni datio, quoad rem est liberalis rei datio; nullo jure cogente facta *l. 29. ff. h. t.* Differt a promissione acceptata, quia hæc non habet actualem translationem dominii; bene vero donatio, præsertim perfecta, ut patet ex his actibus: *promitto tibi hoc poculum, dono tibi hoc poculum.*

2. *Nota* 2. Donationem dividi: 1. In *realem*, seu *perfectam*, quæ fit cum actuali traditione rei: & *simplicem*, seu *verbalem*, aut *imperfectam*; qua res actu quidem datur, non tamen actu extraditur; adeoque perficienda erit actuali traditione. 2. In *gratuitam mere*, quam alii *simplicem*, & *proprie dictam* vocant, quæ fit ex puro motivo liberalitatis, & ob nullam aliam causam beneficio extrinsecam: & in *donationem ob causam*, puta extrinsecam, quæ non sistit in puro motivo liberalitatis, & beneficii, sed fit ob causam extrinsecam, & ex quodam debito; uti dos, donatio propter nuptias, collatio beneficii Ecclesiastici &c. Et hæc non est proprie donatio, cum quis ad eam jure cogi possit. Sub hac contineri videtur donatio *antidoralis*, seu *remuneratoria*, quæ fit ex debito gratitudinis ob merita donatarii, vel ejus patris, aut alicujus ex familia, *l. 1. 27. ff. h. t.* nam licet ex justitia non sit obligatio donandi, est tamen ex gratitudine; causa vero gratitudinis extrinseca est beneficentiæ, & liberalitati. Sed cum donatio remuneratoria nullo jure cogente fiat, sine absurdo dici potest vera donatio. 3. In donationem *inter vivos*, quæ fit nullo mortis intuitu, sive illam faciat quis sanus, sive infirmus: & *mortis causa*, quæ fit mortis intuitu sive a sano, sive ab infirmo. Præterea donatio alia est *pura*, alia *conditionalis*: alia *in diem certum*, vel *incertum* &c.

3. Q. I. *Qui donare possint inter vivos?* R. Regulariter omnes, & soli domini, qui rerum suarum administrationem habent, & specialiter a jure non prohibentur, *l. 21. in re C. mandati*; quia *suæ quisque rei moderator, & arbiter existit*. Defectu dominii donare nequeunt 1. Tutores, & curatores, & Prælati ex rebus Ecclesiæ, præter modicas donationes, maxime remuneratorias, quæ secundum morem patriæ admitti consueverunt, *l. 12. §. 2. ff. de admin. tutor. c. 2. 3. h. t.* & procuratores etiam *cum libera* sine specialissimo mandato *l. 7. princ. ff. h. t.* & religiosi sine consensu Superioris, cum per votum paupertatis dominio se abdicaverint. 2. Defectu liberæ administrationis donare nequeunt pupilli, minores, & prodigi, quibus administratione interdictum est.

4. R. 2. Jure prohibentur donare 1. Pater filio in patria potestate constituto, ne sibi ipsi donare videatur, *lib. 11. Cod. hoc tit.* hæc tamen donatio, si non revocetur, convalescit per emancipationem filii, vel mortem patris, *lib. 31. §. 2. ff. hoc tit.* At donatio ob causam valide fit filio, v. gr. propter nuptias, studia, militiam, merita; vel si pater remittat usumfructum in bonis adventitiis, vel si quid donet filio naturali. 2. Uxor marito, & e contra, ne amor conjugalis fiat venalitius, *l. 1. 3. ff. de donation. int. V. & U.* 3. Miles suæ focariæ, seu concubinæ, *l. 2. 5. C. de donat. int. V. & U.* quod speciale est, cum alias donatio facta meretrici valeat. Idem privilegium competit Clerico, seu militi cœlesti. 4. Beneficiatus ex redditibus superfluis ad causas profanas, quia redditus superflui, si non ex justitia, saltem ex præcepto Ecclesiæ expendendi sunt in causas pias; de quo in *tit. seq.* 5. Filiusf. ex bo-

ex bonis profectitiis, & adventitiis, ne præjudicet patri. At ex bonis castrensibus, & adventitiis irregularibus, quorum proprietas, & usufructus ad filium pertinet, libere donare potest, *lib.* 7. §. *fin. ff. hoc tit.* Circa filiosfam. minores, & pupillos pubertati proximos, maxime spectanda est consuetudo patriæ, an, & quantum donare possint.

5. Q. II. *Quo modo, & forma facienda sit donatio?* R. 1. Ex parte rei requiritur, ut sit alienabilis: nam si a jure, vel testatore sit alienari prohibita, nulla erit donatio: privatum tamen pactum de non donando, cum personam, & non rem afficiat, non impedit valorem donationis, sed actioni personali dat locum contra donantem, *lib.* 3. *Cod. de condictione ob caus.*

6. Ex parte donantis, & donatarii requiritur consensus sensibilis; ita ut donatio ante acceptationem non sit perfecta, vel obligatoria *lib.* 19. §. 2. *ff. hoc tit.* & ideo furioso, mente capto, & infanti non donatur, quia intellectu carent; nisi curator, & tutor nomine eorum acceptet §. 8. *In. de inut. stip.*

7. III. Ex parte summæ 500. solidos excedentis requiritur, ut donatio illius fiat cum solemnitate legali, seu cum insinuatione apud judicem; secus donatio regulariter non valet quoad excessum, §. 2. *Inst. hoc t.* ubi corriguntur jura antiquiora exigentia hanc insinuationem pro donatione 200. vel 300. solidorum, *l.* 34. *C. h. t.* Ratio est pro hoc statuto, ne donationes temere, & prodigaliter fiant, ac inde sequatur depauperatio civium. Et quia hic vertitur bonum publicum, privatus huic insinuationi renuntiare non potest. Porro nomine *solidi* communiter intelligitur noster aureus 4. florenis valens: nomine autem judicis venit quicumque judex, alias etiam incompetens *lib.* 30. *Cod. hoc tit.* Ab hac insinuatione excipiuntur donationes Imperatori factæ, remuneratoriæ, modo non excedant merita; ad reparationem ædium, ad redemptionem captivorum; & moraliter interpolatæ, licet simul sumptæ excederent summam 500. solidorum, *cit. lib.* 34. 35. 36. *C. h. t.* & de jure Can. donationes ad quascumque pias causas, *c.* 6. *h. t.* & *argum. c.* 11. *de testam.* Nec obstat *l.* 19. *C. de SS. Eccl. l.* 34. §. 1. *Cod. hoc tit.* nam jura ista, quibus pium opus impeditur, nunquam recepta, & approbata sunt ab Ecclesia.

8. Q. III. *An valida sit donatio omnium bonorum non tantum præsentium, sed & futurorum?* R. Affirmative cum Harppr. Schmier, Stryck, Schmal. Zoes. Kees &c. contra Clar. Gomez, Schneidewin. & alios: nam talis donatio jure naturali valet; jure autem positivo nullibi irritatur, dummodo, si opus est, fiat cum insinuatione: imo donatio universitatis bonorum, si non sit inofficiosa, tenere dicitur *lib.* 35. §. 4. *C. h. tit. l.* 5. *C. de inoff. donat. l.* 8. ibi: *omnia bona C. de revocand. donat. l.* 17. §. 1. *ff. quæ in fraud. creditor.* ergo. Maxime autem talis donatio valet, si fiat ex voto, juramento, vel ad pias causas; item ex causa onerosa matrimonii, transactionis &c. Nec obstat *l.* 3. *ff. qui testam. fac.* nam facultas testandi cuilibet est permissa, non tamen præcepta; ergo indirecte tolli potest per talem donationem. Cetera jura, quæ allegari solent, damnant solum donationes, seu pacta captatoria mortis alienæ; ut *lib. fin. in fin. Cod. de pactis. lib.* 4. *Cod. de inutil. stipul. l.* 63. *ff. de V. O.* & inofficiosas, ob quas legitima liberis non relinquitur, *l.* 1. & *seqq. C. de inoff. donat.* & fraudulentas *lib.* 16. §. 1. *ff. de jure patr.* Ceterum, si facta est donatio omnium bonorum indeterminate, stricte interpretanda est, ut non extendatur ad bona futura *l.* 22. *ff. h. t. l.* 86. *pr. ff. de legat.* 2.

9. Q. IV. *Quis sit effectus donationis?* R. 1. Donatio pura, si verbalis est, parit jus, & obligationem, seu necessitatem tradendi, sicut in emptione-venditione; ita ut donator non satisfaciat præstando interesse, sed rem ipsam tradere teneatur §. 2. *v. perficiuntur Inst. h. t.* 2. Donatio per traditionem completa parit dominium rei donatæ, si donans est dominus rei: secus possessionem cum condictione usucapiendi *tit. ff. pro donato.* Si vero res donata, tanquam aliena evicta est, donans non tenetur de evictione, ne ex beneficio damnum sentiat, *l.* 62. *ff. de ædilit. Edicto*, nisi de evictione expresse conventum sit, vel donatio fuerit ex causa onerosa, ut dotis &c. *ibid.* & *l.* 1. *C. de donat. sub mod.* & *l.* 37. 34. *ff. h. t.* 3. Hoc dominium rei donatæ regulariter est irrevocabile *l.* 2. & *fin. C. de revocand. donat.* nam donatione completa, jus acquiritur in re, quod regulariter nec Princeps tollere potest. Et per hoc donatio inter vivos differt a donatione mortis causa, quæ usque ad extremum donantis spiritum revocari potest, sicut legatum §. 1. *In. h. t.* Data regula non est sine suis exceptionibus.

10. Q. V. *Ex quibus causis revocari possit donatio inter vivos?* R. Ex causa *inofficiosi, ingrati, & supervenientiæ liberorum.* Et quidem 1. Donatio inofficiosa secundum id, quod detrahit legitimæ, mortuo testatore patre, aut matre, revocari potest a liberis, & e contra a parentibus, si quis liberorum inofficiosam donationem fecit, *l.* 2. 4. 5. 7. 8. *C. de inoff. donat.* nam donans recessit a pietatis officio; ergo jus recte concedit, ut post mortem revocetur donatio, non tota, ut vult Clar. Abb. & alii, sed secundum quod inofficiosa, & legitimæ injuriosa est.

11. II. Ex causa ingratitudinis a donatario in donatorem commissæ, revocari potest donatio tantum in quinque casibus: si *atrocem injuriam* committat verbo, vel facto, ut committendo adulterium cum uxore, vel stuprum cum filia donantis: si *grave damnum* ei inferat in bonis fortunæ: si *impias*, & *violentas manus* in eum injiciat, percutiendo: si *fidem*, seu pacta in actu donationis imposita frangat, & observare nolit: si *periculum necis* donanti struxerit. Ceteræ autem causæ ingratitudinis, etsi essent majores, non sufficiunt ad revocationem donationis *l. fin. C. de revocand. donat.* Hæ causæ seqq. versiculis continentur: Ingratum faciunt: *atrox injuria, damnum, impia dextra, fides fracta, pericla necis.* Actio ingrati non procedit, nisi ingratitudo juridice probetur, neque transit ad hæredes, sive donantis, sive donatarii; nisi donator actionem istam movere cœperit, vel voluerit, sed morte præventus non potuerit, *cit. l. fin.* & *c. fin. h. t.* nam si donator sciens tacuit, præsumitur ingratitudinem condonasse: tum quia actio injuriarum morte extinguitur, & ad hæredes non transit.

12. III. Ex causa insperate supervenientium liberorum, non tantum patronus liberto donans, sed quivis alius donator revocare potest regulariter totam donationem; etiamsi unus tantum filius ei insperate nascatur, sive patri supervivat, sive præmoriatur; ita *l.* 8. *si umquam C. de revoc. donationib.* quæ lex licet expresse loquatur de patrono, tamen ex motivo generali, interpretatione comprehensiva intelligitur de quocumque alio donatore: nam quisque liberis carens, & de illis nihil cogitans, præsumitur a jure donare cum tacita conditione: *nisi liberi nascantur*; ergo si conditio ista existat, ipso jure evanescit donatio; licet donatarius non obligetur restituere, donec res donata repetatur. Si tamen donatio est jurata, remuneratoria, vel compensativa Ecclesiæ, vel filio emancipato facta, tota non revocatur; sed quatenus est proli inofficiosa, & legitimæ injuriosa. Et hæc de donatione inter vivos, ex quibus nonnulla applicari possunt donationi mortis causa. Sed.

13. Q. VI. *Quæ specialia sint in mortis causa donatione?* R. I. Donatio mortis causa quoad modum, & formam imitatur partim contractus, quia consensus, & acceptatio donatarii requiritur; partim ultimam voluntatem, quia instar legati fieri debet cum solemnitate quinque testium *l. fin. C. de donat. mort. caus.* in effectu autem æquivalet legato, quia a donatario quandocumque revocari potest: nec confirmatur, nisi morte donantis §. 1. *Inst. h. t.* & *l.* 16. *ff. de mort. caus. donat.* Unde pactum de non revocando alterat naturam illius, & facit donationem inter vivos, *l.* 27. *eod.* Ex quo patet differentia a *donatione inter vivos*; quia hæc statim firma est, & non differtur in tempus mortis: a *legato*, quia ad hoc non requiritur acceptatio legatarii: quoad cætera æquiparantur; quia & donatio mortis causa, & legatum morte confirmantur, & utrumque subsTat falcidiæ.

14. II. Donare mortis causa possunt non tantum qui testari possunt, *l.* 15. *ff. de mort. caus. donat.* sed etiam qui stari nequeunt, modo alias donatio eis non prohibeatur. Sic filiusfam. pubes de consensu patris potest ex bonis adventitiis mortis causa donare *l.* 25. §. *un. ff. eod.* non tamen testari, etiam patre consentiente, *ibid.*

quia

quia conditor testamenti debet esse paterfam. seu homo sui juris *l. 6. pr. ff. qui testam. fac.*

15. III. Sicut donatio mortis causa tribus modis fieri, ita tribus modis expirare potest: & quidem, si donatio fiat nullo intuitu morbi, vel periculi, sed solius *mortalitatis*, ista non expirat, nisi per revocationem positivam, vel nisi donatarius præmoreretur donanti. *Secundo* si donatio fiat intuitu imminentis periculi v. g. naufragii, morbi, ita tamen ut res donata non fiat statim accipientis, cessante periculo ipso, jure expirat donatio, cum facta fuerit sub conditione resolutiva. *Tertio* si donatio facta est intuitu periculi, ita ut statim res donata fiat accipientis, sublato periculo, ipso jure non expirat, sed res constituta in dominio donatarii revocanda est condictione, vel utili in rem actione: ita hæc omnia habentur *l. 2. 29. 30. 35. ff. de mort. caus. donat.* Cetera de donationibus vide in juribus supra allegatis, & in Zoes, *cit. ff. de donat.* De nuptialibus donationibus commodius agam in *lib. 4. tit. de donat. int. V. & U.*

16. Q. VII. *Quid sit mortis causa capio?* ℞. Est quædam species donationis mortis causa, qua aliquid donatur non tantum intuitu mortalitatis, sed etiam ratione alicujus conditionis implendæ, v. g. Pamphilus servus esto liber, si decem Titio dederit: vel Titio lego 100. si Sejum manumiserit. De mortis causa capionibus agitur *lib. 8. 31. 38. ff. de mort. caus. donat. & capionib.*

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

Agitur de hac materia in causa 12. q. 1. 2.3.4. in Trid. *Sess.* 25. *c.* 1. *de refor.*

1. *Nota* 1. Præsenti titulo concludi materiam præcedentem contractuum, & inchoari materiam ultimarum voluntatum; quia peculium Clericorum expendi potest vel actu inter vivos, vel ultima voluntate. Nomine *peculii*, seu pecuniæ pusillæ veniunt hic bona Clericorum separata a bonis Ecclesiarum, similitudine desumpta a peculio servorum, & filiorum familias, quod pariter separatum est a rationibus dominicis, & paternis, ut traditur *tit. ff. de peculio*. De bonis Ecclesiasticis, quæ ad ipsas Ecclesias pertinent, hic non agitur; sed de bonis Ecclesiasticis, seu beneficialibus, quæ ad ipsos Clericos spectant.

2. *Nota* 2. Bona Clericorum esse triplicia: 1. *Patrimonialia*, quæ obveniunt Clericis ex causa profana, v. g. ex hæreditate, legato, donato, ex operis honestis; ut ex pictione, scriptione, musica &c. 2. *Industrialia*, quæ obveniunt Clericis ex industria in functionibus spiritualibus adhibita; ut ex missis, concionibus &c. redditus stolæ; ut pensiones baptismales, funerales, & hujusmodi: item distributiones quotidianas, licet Host. Van. Espen. & alii bonis beneficialibus; communis tamen sententia bonis industrialibus accenset; quia non dantur intuitu beneficii, sed tanquam stipendia laboris, & interessentiæ in choro. Ad hæc *industrialia*, seu *quasi-patrimonialia* bona reducuntur etiam *parsimonialia* quæ Clericus parcius, & frugalius vivendo, sibi subtrahit de congrua sustentatione. 3. *Beneficialia*, quæ obveniunt Clericis intuitu beneficii; uti sunt fructus grossi, seu fixi, & annui, qui dantur propter residentiam. Et hæc alia sunt *necessaria*, seu *sufficientia*, quæ Clericis præstant congruam, seu honestam sustentationem pro cujusque statu, dignitate, & conditione: alia sunt *superflua*, quæ congruæ Clericorum sustentationi supersunt.

3. *Nota* 3. in primitiva Ecclesia omnia bona Ecclesiastica confusa, & communia fuisse sub dispensatione Episcopi: quia vero communitas ista, aucto fidelium, & Clericorum numero, multis discordiis, fraudibus, & aliis incommodis erat obnoxia, tempore S. Simplicii, & Gelasii Rom. Pontificum circa *an.* 468. *& sequentes*, bona Ecclesiastica divisa sunt in quatuor portiones; quarum una deputata est Episcopo; altera Clericis; tertia fabricæ Ecclesiæ; quarta pauperibus: ita hæc omnia habentur *Can.* 27. *& seqq.* 12. *q.* 2. Tandem circa *an.* 813. ut refert Gonz. *tit. de præb. cap.* 1. *num.* 9. quadripartita illa divisio antiquata fuit, & pro Clericis erecta specialia beneficia, & bona pauperum Episcopis attributa cum onere alendi pauperes. Sane non constat, quo portio pauperum devenerit? Incredibile est, quod portio ista inique sublata, & a pauperibus alienata non fuerit, sed potius confusa cum portione Episcoporum, & Clericorum; cum hi tanquam patres pauperum existimarentur optimi administratores, futuri pro commodo, & necessitatibus egenorum.

4. Q. I. *An, & quorum bonorum Clerici sint domini?* ℞. 1. Sunt absoluti domini bonorum patrimonialium, *Can.* 18. *& seqq.* 12. *q.* 1. nam Clericatus non inducit incapacitatem dominii, sicut professio religiosa. Idem dic de bonis quasi-patrimonialibus, seu industrialibus; quia acquiruntur tanquam stipendia, & merces laboris juxta illud *Luc.* 10. *dignus est operarius mercede sua*. Unde Conc. Toletan. relatum in *Can.* 2. 12. *q.* 3. ita statuit: *Quicumque de Sacerdotibus, vel ministris pro sui utilitate, atque amicitia, vel præstatione, aut quocumque modo, aut per scripturæ seriem aliquid meruerint a quolibet percipere, in rebus Ecclesiæ non poterit numerari*. Atque ita quod Clericus acquirit ex pia fidelium liberalitate, v. g. pro Missis, & anniversariis, aliisque functionibus spiritualibus, pro quibus suam obligationem interponit, dominio ejus cedit: uti etiam illud, quod honestæ suæ sustentationi subtrahit; & consequenter de his bonis libere disponere potest, sicut laici, sive actu inter vivos, sive per ultimam voluntatem *c.* 19. *& seqq.* 12. *q.* 1. *c.* 1. 8. *de testam.*

5. ℞. 2. Clerici sunt domini absoluti bonorum etiam beneficialium, quæ necessaria sunt, & honestæ eorum sustentationi assignata: ita com. sent. cum S. D. 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. Prob. ex Trid. *Sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* ubi Canonicus dicitur fructus facere suos ratione præbendæ, ac residentiæ: & si non resideat, dicitur fructus non facere suos, *Sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* suum autem facere perinde est, ac dominium acquirere. Ratio est, quia miles, & operarius stipendium, & mercedem facit suam quoad dominium; sed Clericus est miles cœlestis, & operarius in vinea Domini; ergo fructus beneficiales congruæ sustentationi assignatos facit suos. Hinc *cap.* 16. *de præbend.* dicitur: *dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in qua, & per quam divinis obsequiis adscribuntur*. Nec obstant antiqui Canones *Can.* 1. 6. 7. 8. *& seqq.* 12. *q.* 1. & alii: nam procedunt pro eo tempore, quo beneficia Ecclesiastica erant indivisa, administr tioni, ac dispensationi Clericorum commissa.

6. ℞. 3. Clerici ratione confusionis, & commixtionis sunt domini bonorum beneficialium etiam superfluorum: ita in re communis; licet modus loquendi DD. sit varius: nam confusio, & commixtio est modus acquirendi dominium §. 27. *&* 28. *In. de R. D.* & ideo etiam fur, vel alius nummos furtivos commiscens nummis suis, ita ut discerni nequeant, ipsa commixtione facit suos *l.* 78. *ff. de solution.* salva domino actione ad tantundem condicendum, quantum ablatum est; sed Clerici bona necessaria, & superflua habent confusa, & commixta; non enim discernitur, an hæc portio sit de necessariis, & illa de bonis superfluis; ergo ratione commixtionis sunt domini etiam superfluorum. Sed hoc dominium valde imperfectum est, & gravatum, cum restitutioni sit obnoxium. Unde.

7. Q. II. *An Clerici sub peccato mortali obligentur redditus beneficiales superfluos expendere in causas pias?* ℞. Affirmative cum communi omnium TT. & Canonistarum. Quam obligationem ex antiquis Canonibus graviter inculcat Trident. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* omnino interdicens Episcopis, & aliis beneficiatis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant. Hoc punctum notatum velim ab iis, qui vel perfunctorie audita, vel male intellecta suorum magistrorum doctrina, perverse, & contra regulas utriusque juris hanc illationem faciunt, *Clerici sunt domini superfluorum, ergo in conscientia non tenentur ea erogare in usus pios*: sane mala illatio, & innumeris exemplis refelli posset, nisi displiceret rem notissimam exemplis illustrare. Superest principalis difficultas, quæ sit, & unde oriatur hæc obligatio? Quidam asserunt, eam oriri ex solo præcepto Ecclesiastico; adeoque ex virtute obedientiæ: ita Soto Covar. Haunol. Schmalz. Pichler, & alii RR. alii ex jure naturali charitatis, ut Molina, Palao &c. alii ex virtute re-

te re-

te religionis, ut Lugo, Schmier cum citt. alii ex virtute justitiæ, cum quibus

8. ℞. 2. Clerici ex justitia obligantur bona beneficialia superflua erogare in causas pias, & consequenter si ea expendant in usus profanos, tenentur ad restitutionem; ita communis sententia veterum DD. cui subscribunt gravissimi TT. & Canonistæ, Reginald. Tanner. Abb. Innoc. Pirhing. Engl. Reiff. Navar. eamque veram esse dicit P. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 3. *a n.* 3. & in hoc sensu intelligendi sunt DD. dicentes, Clericos non esse dominos superfluorum, puta dominio perfecto, & a restitutione libero. Prob. 1. ex antiquis Canonibus 12. *q.* 1. *Can.* 19. *& seq.* ubi *Can.* 22. ex Can. 40. Apostolorum, sola necessaria, non superflua Episcopo conceduntur his verbis: *ex his autem, quibus Episcopus indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus, & ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse: lex enim Dei præcipit, ut qui altario deserviunt, pascantur de ipso;* ergo superflua non conceduntur Episcopo, vel alteri Clerico, sed manent in jure Ecclesiæ pro iis causis per *Can.* 19. *ibid.* id vero quod manet in jure Ecclesiæ, de jure, & justitia ei debetur pro piis causis: tum quia cit. regula: *qui altari servit, de altari vivat*, passim reperitur in jure: ista vero regula: *qui altari servit, superflua capiat de altari*, nullibi reperitur, sed potius reprobatur a jure, tanquam æquitati inimica. Nec obstat, quod Canones isti concepti sint pro statu Ecclesiæ primitivæ; nam Trident. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* revocat se ad Canones antiquos Apostolorum; ergo etiam hodie observandi sunt quoad ea, quæ statui præsenti sunt accommoda; puta ut superflua necessitatibus pauperum, aliisque piis usibus, quibus debentur, applicentur. *Prob.* 2. ex Patribus obligationem justitiæ inculcantibus: nam S. Hieron. relatus in procem. *dist.* 42. de Clerico ait: *aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur:* & pro statu præsentis Ecclesiæ scribit S. Bernard. *ep.* 40. ad Canonicum Lugdunens. *de altario*, inquiens, *non licet comparare aurea frena, & sellas depictas: quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est &c.* Omitto plura similia testimonia, quæ clare nobis indicant, quæ fuerit mens Patrum de bonis beneficialibus Clericorum, ut sane citra periculum relaxationis non sit ab eorum sententia recedendum. *Prob.* 3. Jura recentiora, dum severe prohibent superflua expendi in usus profanos, nulli pro causa assignant solam indecentiam, seu motivum præcepti Ecclesiastici, sed plerumque exprimunt causam justitiæ, ut *c.* 4. *h. t.* ubi ex proventibus Ecclesiasticis res comparans dicitur committere sacrilegium par crimini Judæ furis, & *c.* 16. *de præbend.* Clerici dicuntur vivere, & sustentari de patrimonio Jesu Christi, & Trident. *S.* 25. *c.* 1. *de reform.* prohibet consanguineos ditari ex rebus Ecclesiasticis, quia sunt res Dei &c. ergo præceptum Ecclesiasticum de erogandis superfluis in pios usus nititur altiori præcepto, scilicet præcepto naturali justitiæ, quod dictat Clericum quidem debere sustentari de altari; non vero superflua vane prodigere, & dilapidare. *Prob.* 4. *ex Const.* 19. Innoc. XII. *Romanum decet* 1692. 10. *Kal. Julii*, quam singuli Cardinales in creatione sua, uti etiam in conclavi sede vacante, jurare debent, se illam observaturos. In hac igitur *Const.* §. 1. *habita* Pontifex statuit, & declarat neque Romano Pontifici licere redditus Ecclesiasticos profundere in suos fratres, nepotes, aliosque consanguineos, affines, vel in eorum locum adscitos; nisi remuneratio eis ex lege justitiæ debeatur, vel nisi pauperes sint §. 2. *quod si fratres, aut nepotes inopia laboraverint, poterit Rom. Pontifex pro tempore existens, pro timorata sua conscientia illorum paupertatem eodem omnino modo sublevare, quo pauperum extraneorum inopiæ subvenire fas est.* Quam dispositionem fundari in titulo justitiæ, probat primo motivum *in Const.* expressum, scilicet ut ipse Rom. Pontifex *inveniatur justus; ceteri vero Antistites ejus exemplo de bonis, & rebus Ecclesiasticis juxta æquitatis, & justitiæ leges disponere condiscant.* Probat secundo textus §. 6. *quod si forsan ibi: curæ erit Romanis Pontificibus successoribus donationes gratuitas, seu lucrativas dispositiones, excessivas subventiones rescindere, revocare, & in nihilum redigere, ac donata a consanguineis vindicare, & auferre:* quod sane non liceret, si ejusmodi donationibus jus naturale, & justitia, non læderetur, sed solum præceptum Ecclesiasticum: siquidem Papa, cum juxta plerosque Adversarios legibus suis non ligetur, valide, licite, & irrevocabiliter donationes faceret; ita ut citra injustitiam a successoribus revocari non possent; sicut nec possunt donationes moderatæ pauperibus consanguineis factæ. Si ergo hoc Papæ non licet, quomodo id licebit Episcopis, Prælatis, & beneficiatis inferioribus? *Ratio* est, quia hæc rationabilis fuit voluntas piorum fundatorum pro cultu Dei, & salute animarum bona sua offerentium, ut Episcopi, & Clerici competenter sustentarentur, & quod eis superest, tanquam patres pauperum eis fideliter dispensarent, aliisque piis causis succurrerent: ea vero voluntas, ut superflui redditus in vanos, profanosque usus expenderentur, rationabiliter præsumi nequit in fundatoribus; ergo Episcopi, & Clerici ex quasi contractu obligantur hanc piam voluntatem implere: secus peccant contra justitiam, sicut hæres omittens præstare id, quod ejus fidei a testatore commissum est. Hinc S. D. 2. 2. *q.* 87. *a.* 3. *ad* 1. veram rationem assignat, cur tanta bona attribuantur Clericis: *in nova lege*, inquiens, *decimæ dantur Clericis, non solum propter sui sustentationem, sed etiam, ut ex eis subveniant pauperibus; & ideo non superfluunt, sed ad hoc necessaria sunt, & possessiones Ecclesiæ, & oblationes, & primitiæ simul cum decimis.* Denique pauperes, & piæ causæ quartam portionem suam permixtam habent bonis Episcoporum, & Clericorum: ergo quod Clericis superest, ex justitia debetur pauperibus, & piis causis. Hæc sententia tutissima est, ut omnes concedunt: opposita est probabilis; cujus fundamenta sunt sequentia.

9. I. Trident. *Sess.* 23. *cap.* 1. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* indistincte dicit: quod Clerici residentes fructus suos faciant, & non residentes, fructus non faciant suos; ergo sicut isti nullos fructus faciunt suos; ita illi omnes faciunt suos, & necessarios, & superfluos absque onere ex justitia restituendi. II. Obligatio ex justitia restituendi debet esse certa, sed ex nullo jure claro probatur talis obligatio, cum jura pro nobis allegata sint dubia; ergo. III. Radix restitutionis est injusta acceptio, vel res injuste accepta, quorum neutrum reperitur in Clericis. IV. Si Clerici ex justitia tenentur superflua erogare in usus pios, etiam hi, qui ex causa profana bona ista accipiunt a Clericis, tenerentur ad eorum restitutionem: sequela est contra communem praxim, & usum. V. Papa in jure naturali non potest dispensare *Can. inferior d.* 21. sed Papa dispensat, & privilegia concedit ad bona Ecclesiastica in causas profanas expendenda, ut constat ex Bulla Sixti IV. *Etsi universis* 1744. Julii III. *Cupientes* 1550. Pauli V. *In eminenti* 1606. ergo de jure naturali, & ex justitia non est obligatio ista bona erogandi in causas pias. Sed

℞. *Ad* 1. Clerici residentes omnes fructus faciunt suos, necessarios quidem dominio absoluto, & libero, superfluos vero dominio gravato, seu cum onere restituendi. *Ad* 2. debet esse certa saltem mediate, & illative, non immediate, & directe: si enim bona altaris præter sustentationem Clerici, aliena sunt, illative certa est obligatio ea restituendi. Nec libertas a restituendo, nec obligatio restituendi certa est. Quia vero sententia nostra Juri, Patribus voluntati fundatorum, & rationi conformior videtur, & fere ab omnibus antiquis Doctoribus probata, merito tanquam probabilior, & tutior alteri sententiæ præferenda est. *Ad* 3. Obligatio ista oritur ex re juste quidem accepta, sed cum gravamine restituendi; adeoque in effectu ex re materialiter injuste accepta, nisi voluntas restituendi abesset: quo casu res pauperum formaliter injuste detinetur a clerico. *Ad* 4. Conc. seq. cum P. Laym. & aliis, nisi clericus datum compensaret ex bonis patrimonialibus, vel necessariis. Praxis in contrarium nihil probat: tum quia nescitur, ex quibus bonis clericus det; tum quia *multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debeant tolerari c.* 18. *de præb. Ad* 5. Decantatum est in utroque jure, jus naturale materialiter mutari posse in his, quorum materia pendet a potestate principis: cum jus humanum sit, quod aliquod addit, vel detrahit juri naturali *l.* 6. *pr. ff. de J. & J.* In bullis allegatis

gatis privilegium conceditur quibusdam Clericis, & laicis, ne eorum bona Cameræ Apostolicæ applicentur; an vero bona superflua expendi possint in usus profanos, nihil isti statuitur, sed potius conscientiæ Clericorum relinquitur. Imo fateor, Papam ex causa publica in bonum Ecclesiæ redundante, etiam circa superflua disponenda concedere posse privilegium: qualis causa in citatis bullis insinuatur, ne scilicet Roma idoneis ministris, & viris ad gubernium Ecclesiæ, & urbis decorem necessariis destituatur; cum Princeps ex causa publica etiam jus alteri quæsitum tollere possit. Sed ab his exorbitantibus nulla est consequentia; & ideo Innoc. XII. publice professus est, nec sibi licere bona Ecclesiæ in nepotes non pauperes profundere, ut hoc exemplo alii Prælati discant *de bonis, & rebus Ecclesiasticis juxta æquitatis, & justitiæ leges disponere* cit. Const. *Romanum decet.*

10. *Dices:* S. Thomas stat pro opposita sententia 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *in corp.* ibi: *de his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis.* ℞. S. D. non tantum in loco pro nobis allegato, sed etiam in hoc loco manifeste stat pro nostra sententia: nam bona *usui*, seu congruæ sustentationi deputata (non *abusui*) sunt, sicut bona propria Episcopi. Secus si S. D. loqueretur de bonis etiam superfluis, multum Adversarii probarent, quod scilicet neque ex præcepto Ecclesiastico teneatur ea elargiri, sicut nec propria bona. Præterea S. D. loquitur ibi cum distinctione; si portio pro pauperibus, & fabrica Ecclesiæ sunt separatæ: at si separatæ non sunt, talium bonorum *distributio fidei ejus committitur*; quod & nostra sententia asserit; cum portio pauperum confusa sit cum portione Episcoporum, & Clericorum, & hodierni fundatores bona abundantia Clericis conferentes, conformiter juri censeantur operari, scilicet, ut quod superest, piis causis erogetur. Vide commentarium Cajetani *loco cit.*

11. Q. III. *Quomodo in praxi Clericus uti possit beneficialibus?* ℞. 1. Clericus, deductis bonis patrimonialibus, & industrialibus pro Missis, anniversariis, uti & redditibus stolæ, ac distributionibus quotidianis, videat, quanti sint fructus grossi, qui intuitu beneficii dantur; deductis pariter expensis, & sterilitatum damnis; & ex altera parte videat, quantum Clericus ejus conditionis indigeat pro honesta sustentatione, secundum morem patriæ & praxim piorum, ac timoratorum; & facile deprehendet, an quid notabile supersit suæ sustentationi? In quo regula generalis statui nequit; sed attendenda est qualitas, litteratura, nobilitas, aliæ circumstantiæ personæ, & loci; cum alius præ alio majori sustentatione indigeat: ita tamen ut Clerici nobiles præcise ratione nobilitatis non vivant splendidius, quam laici nobiles ejusdem conditionis. 2. Clericus patrimonio carens, ex superfluis potest sua, & suorum consanguineorum debita exolvere, eosque pauperes, etsi filii spurii essent, alere; non tamen ad majorem splendorem evehere contra Trid. *Sess.* 25. *c.* 1. *de reform.* puellas inopes dotare, moderata convivia secundum morem patriæ instituere, pro necessariis Ecclesiæ, *v. g.* paramentis, aliqua expendere; & denique non tantum pauperibus ostiatim mendicantibus, sed etiam nobilioribus personis succurrere, quæ necessariis carent ad statum suum conservandum &c. 3. Quanta materia sufficiat ad peccatum mortale, definiri generaliter nequit; hoc certum est, quod aliquanto plus requiratur, quam ad furtum, quia Clerici pro filiisfamilias habentur respectu Ecclesiæ, & bonorum beneficialium *Si vero sit multus*, seu notabilis *excessus, non potest latere. Unde videtur bonæ fidei repugnare; & ideo non est absque peccato mortali* S. D. *loc. cit.*

12. Q. IV. *Penes quos sit dominium bonorum ad ipsas Ecclesias spectantium?* ℞. 1. Dominium supremum, & universale est penes Christum, cujus intuitu res donantur Ecclesiis; & ideo talia bona dicuntur patrimonium Christi *Can.* 1. 6. 26. &c. 12. *q.* 2. Dominium altum est penes Ecclesiam Romanam, seu Papam, tanquam Prælatum omnium Ecclesiarum: dominium vero particulare, & proximum est penes ipsas Ecclesias, ut personas fictas, seu penes collegia Clericorum, & Religiosorum; non vero penes muros materiales *cap.* 1. *in fin. de testam. Can.* 11. *non dicatis* 12. *quæst.* 2. Trident. *Sess.* 25. *cap.* 3. *de regular.* Quod si communitas Religiosorum sit incapax dominii, hoc devolvetur immediate ad Sedem Apostolicam, vel ad ipsam Ecclesiam, ut personam fictam: quo modo etiam hæreditas dicitur domina, *l.* 54. & 61. *ff. de acquirend. rer. domin.* ℞. 2. Bona immobilia a Clerico comparata, si is ante promotionem suam nihil patrimonii habuit, pro tempore vitæ conceduntur ad ejus usum; at post ejus mortem cedunt Ecclesiæ; quia præsumuntur ex redditibus Ecclesiasticis comparata *cap.* 1. *& fin. hoc tit.*

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clementinis *h. t.* In Decreto *Can.* 19. *& seqq.* 12. *q.* 1. *& Can.* 46. *& seqq.* 12. *q.* 2. *& q.* 3. 5. *per tot. & Can.* 4. *cum seqq.* 13. *q.* 2. *& Can.* 14. *cum seqq.* 16. *q.* 1. & in Tridentino *Sess.* 22. *c.* 6. 8. *& Sess.* 25. *c.* 4. *de ref.* fusius in jure civili: in Institut. *lib.* 2. *tit.* 9. *& seqq. & libr.* 3. *tit.* 1. *usque ad tit.* 13. in Pandectis *libr.* 28. *usque ad librum* 38. inclusive per totum, in Codice *lib.* 6. *tit.* 9. usque ad finem hujus libri. *Nov.* 1. 2. 18. 115. *c.* 3. *& seq. &c.*

1. *Nota* 1. Ab actibus, & contractibus inter vivos transiri ad ultimas voluntates: quarum quinque sunt species: *Testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum, & mortis causa donatio.* Ultima autem voluntas est postrema dispositio de bonis in tempus mortis. Dicitur *postrema*, seu *ultima* non *ordine*, quasi mutari in aliam dispositionem non posset: *ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum, l.* 4. *ff. de adimend. legat.* sed ultima *firmitate*, quia non aliter, nisi morte testatoris confirmatur: & per hoc differt ab actibus inter vivos, qui statim, non expectata morte contrahentium, firmi sunt.

2. *Nota* 2. Testamenta, & alias ultimas voluntates valde conformia esse rationi, & jure naturali, maxime in eo puncto, quo prolibus necessaria sustentatio relinquitur: per se tamen, & quoad effectum efficacem testamenta sunt juris humani antiquissimi, & fere apud omnes gentes recepti: non vero formaliter juris naturalis, *lib.* 1. *ff. de hæred. petit. l.* 130. *ff. de V. S.* nam inspecto jure naturali, non datur voluntas, nec dominium post mortem; ergo nec dispositio in tempus mortis. Quod ergo ultimæ voluntates sint efficaces post mortem, juri civili humano, præsertim consuetudinario tribuendum est: ita explicantur *cap.* 16. *hoc tit.* ibi: *legitima portio jure naturæ debita, lib. fin. Cod. quor. bonor.* ibi: *lex ipsa naturæ, l.* 43. *pr. ff. de vulg. subst. l.* 1. *C. de SS. Eccl.*

3. *Nota* 3. Testamentum quoad nomen esse testationem, seu testimonium mentis (Grammaticorum derivationem hic non curat Imp. *pr. Inst. de testam. ord.*) at quoad rem *testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult:* ita Modestin. *l.* 1. *ff. qui testam. facer.* Dicitur *justa*, hoc est, juri conformis, qua hæres directe instituitur. Hinc interpretes supplent, seu declarant istam definitionem hoc modo: *testamentum est ultima voluntas directam hæredis institutionem continens*: nam directa hæredis institutio est substantiale testamenti constitutivum, & distinctivum ab aliis ultimis voluntatibus, quibus hæres directe institui nequit, ut ex dicendis.

4. *Nota* 4. Jure antiquo tria fuisse genera testamentorum: quorum primum fiebat tempore pacis, *calatis comitiis*, seu convocato universo populo. Alterum fiebat tempore belli; & *Procinctum* dicebatur, quia a procinctis ad bellum condebatur. Tertium fiebat per *æs, & libram*, seu imaginariam venditionem, ubi tres concurrebant: unus, qui libram tenuit, & *libripens* vocabatur; alter qui vendebat familiam, seu bona sua; & tertius, qui emebat familiam, quinque testibus præsentibus §. 1. *Inst. de testam. ordin.* Sed hæc in desuetudinem abiverunt. Hodie testamentum dividitur in *solemne*, seu *perfectum*, in quo omnes solemnitates a jure præscriptæ adhibentur: & *non solemne*, seu *privilegiatum*, quod ex privilegio juris sustinetur absque dictis solemnitatibus. Hæc testamenta, vel sunt *scripta*, in quibus scriptura adhibetur, quæ etiam dicuntur

tur *clausa*, quia clauduntur, ut eorum dispositio neque testibus pateat, vel sunt *Nuncupativa*, quæ viva voce fiunt, licet per accidens memoriæ, & facilioris probationis causa conscribantur. Præterea testamenta alia sunt *publica*, quæ fiunt apud acta coram judice, vel coram Principe: alia *privata*, quæ coram privatis conduntur: alia *pagana*, quæ a non militibus: alia *militaria*, quæ a militibus conficiuntur. His præjactis, in hac vasta materia, quæ magis utilia, & necessaria per *seqq.* §§. resolventur.

§. I.

Qui, & qua forma condere possint Testamentum?

5. Q. I. *Qui de bonis suis testari possint?* ℞. Omnes, qui specialiter non prohibentur a natura, ut infantes, & amentes, vel a jure: nam testamentum est de genere permissorum. Prohibentur autem in *tit. In. quib. non est permiss.* servi, filiifam. exceptis bonis castrensibus, impuberes, & furiosi, prodigus juridice, surdi, & muti; nisi ante hunc defectum litteras didicissent: tunc enim in scriptis testari possent, sicut cæcus viva voce, captus apud hostes, quia reputatur pro servo, si tamen ante captivitatem fecit testamentum, id sustinetur in patria sua §. *fin. ibid.* masculi anno 14. & fœminæ anno 12. completo, censentur puberes, & ultima dies habetur pro completa, ut de jure communi valeant testari, *lib.* 5. *ff. qui testam. facer.* Etiam probabile est, quod filiusfam. de peculio adventitio irregulari, cujus proprietas, & ususfructus est penes filium, testari possit, per jus novum *nov.* 117. *c.* 1. §. 1. ibi: *licentiam habeant, quo modo, disponere;* ergo & per testamentum, ut insinuatur *lib. fin.* §. 5. *C. de bonis, quæ liber.* quibus juribus specialibus cedunt jura generice prohibentia filiofam. testari, puta de peculio adventitio regulari *princ. Inst. quibus non est*; *lib. penult. & ult. C. qui testam. fac. lib. 6. Cod. de bonis, quæ liber.* 2. Prohibentur testari qui ob crimen redduntur a jure intestabiles; ut rei criminis læsæ majestatis, vel repetundarum, vel famosi libelli, incesta matrimonia contrahentes, deportati, banniti, *lib.* 20, *ff. de accus. nov.* 12. *cap.* 1. &c. Hodie damnati ad ultimum supplicium non fiunt servi pœnæ, & consequenter testari possunt: nisi contraria vigeret consuetudo, vel eorum bona confiscarentur ob crimen, *Nov.* 134. *cap. fin.* 3. De Jure Can. prohibentur testari *hæretici*, *c.* 13. §. *credentes, de hæretic.* quod etiam Jure Civ. statuitur *lib.* 4. §. 5. & *auth. credentes. Cod. de hæretic.* quæ tamen dispositio non est trahenda ad alios excommunicatos. Item manifesti usurarii, nisi prius satisfaciant, *cap.* 2. *de usur. in* 6. & hostiliter persequentes aliquem ex S. R. E. Cardinalibus, *c.* 5. *de pœnis in* 6. Denique Clerici beneficiati de bonis, seu proventibus beneficialibus, *cap.* 1. 8. 9. *h. t.* nisi adesset privilegium Apostolicum, vel consuetudo testandi ad pias causas.

6. Q. II. *An consuetudo ex bonis beneficialibus testandi ad causas profanas possit esse rationabilis, & licita?* Multi probabiliter affirmant, ut Covar. Garc. Gletle, Scamb. Schmalz. Pichler: & alii: sed cum communi antiquorum negant Abb. Tanner. Pirbing, Laym. Zoes, Engel, Schmier, Reiff. &c. cum quibus ℞. negative. Prob. 1. Jus Can. continuo resistit tali consuetudini, ut patet ex Canonibus antiquis *Can.* 19. *& seqq.* 12. *q.* 1. & recentioribus *cap.* 1. 7. 8. 9. 12. *hoc tit.* & alibi frequenter, & sola consuetudo testandi ad pias causas dicitur non improbanda *cit. c.* 12. *h. t.* & merito, quia non est conveniens, ut res de altari quæsita in profanum usum relinquatur, ergo. 2. Consuetudo, quæ gravamina, & damna Ecclesiis affert, est irrationabilis, & mera corruptela per *c.* 1. *de consuetud.* sed consuetudo ista affert Ecclesiis gravamina, & damna: nam dominium Ecclesiarum minuit, & quod in jure earum remanere deberet, ad usum profanum transfert: imo quodammodo Ecclesiam spoliat suo jure, ergo. Unde Alex. III. in Conc. Lateran. relato *cap.* 7. *hoc tit.* pro motivo renovatæ prohibitionis ponit indemnitatem Ecclesiarum, ibi: *nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes* &c. quam indemnitatem Clerici potius augere, quam minuere, aut tollere deberent; & consf. contra faciendo, damnificant Ecclesias; quæ consuetudo non est rationabilis. 3. Non potest induci consuetudo rationabilis, ut Clerici in vivis bona superflua impendant in usus profanos, ut plerique Adversarii admittunt; ergo multo minus per ultimam voluntatem, cum Clericis minor sit potestas disponendi per ultimam voluntatem, quam per actum inter vivos *cap.* 8. *hoc tit.* 4. Contra jus naturale, & justitiam non prævalet consuetudo *cap. fin. de consuet.* sed Clerici de jure naturali, & ex justitia tenentur erogare bona superflua in pios usus, ut *tit. praced.* probavi, ergo.

7. Obj. 1. Quod privilegio acquiritur, etiam acquiri potest consuetudine, saltem immemoriali; sed facultas testandi acquiri potest privilegio, ut dictum *titul. præcedent.* & frequenter Papa dispensat Clericis testari ad causas profanas, ergo. 2. Consuetudo ista viget in multis diœcesibus, neque ei Papa contradicit. 3. Hic in Moravia testari possunt Clerici ad causas quascumque, dummodo tertiam partem Ecclesiæ relinquant. 4. Consuetudo ista est saltem valida, tametsi non licita; ut docent Molina, Azor. & alii, quia multa fieri prohibentur, quæ facta tenent, *c.* 16. *de Regul.*

℞. *ad* 1. Major non est vera in sensu absoluto; nam Presbyter simplex ex privilegio potest conferre ordines saltem minores, & confirmare, non tamen ex consuetudine &c. quando privilegium, aut dispensatio est in iis, quæ de se sunt juris naturalis, & divini, acquisitum privilegio, non est acquisibile consuetudine; ut non residere in Episcopatu, in parochia, habere duos Episcopatus &c. obligatio autem superflua expendendi in usus pios est juris naturalis, & ex quasicontractu; ergo. Præterea dum Papa cum uno, vel altero dispensat ex justa, & gravi causa, dispensatio ista ordinatur ad bonum Ecclesiæ universalis; & conf. in piam causam; neque tantum gravamen infertur Ecclesiis: sicut dum Papa ex justa causa dispensat ad distrahendas res etiam sacras Ecclesiæ; secus accideret in consuetudine, vi cujus omnes Clerici testarentur ad causas profanas. Denique in bullis, & privilegiis, quæ hactenus extant, conceditur quidem Clericis aliquibus facultas testandi, quæ de jure non competit: sed expresse, quod testari possint ad causas profanas, nullibi ponitur, & conf. privilegia ista, & dispensationes, cum exorbitent a jure communi, restringi debent præcise ad facultatem testandi, non vero laxari ad causas profanas, quæ in generali concessione non veniunt ex *reg.* 81. *in* 6. Nec obstat, quod in Constit. Julii III. Cupientes, dicatur: *in favorem consanguineorum, & affinium, & quarumvis aliarum personarum*: nam & consanguinei isti, aliæque personæ possunt esse pauperes secundum suum statum. *Ad* 2. Consuetudo ista difficillime probari posset; quia Clerici, licet aliqua judicent ad causas profanas, id faciunt forsan ex bonis patrimonialibus, aut industrialibus: imo causa, quæ nobis prima fronte apparet profana, sæpe est pia; quia personæ, quibus Clericus relinquit, occulta egestate laborant. Nec obstat, quod testamenta secus facta non rescindantur: tum quia, ut dixi, sæpe non constat, an, & de quibus bonis judicatum sit ad causas profanas, tum quia multa per patientiam tolerantur, quæ tamen Sedis Apostolicæ patientia non est regula honestatis, & licitatis. Cum ergo totum hoc conscientiæ Clericorum relinquatur, recte faciet omnis pius, & salutis suæ memor Clericus, si bona superflua, præsertim in ultima voluntate sua, postquam favor humanus non est expectandus, in pias causas expenderit, nisi in æternitate experiri velit; an consuetudo ista rationabilis fuerit. *Ad* 3. Consuetudo Moraviæ, & aliarum diœcesum, salva portione Ecclesiæ, permittit liberam testandi facultatem, sed conformiter fac. Canonibus, scil. ut superflua judicentur ad causas pias: secus consuetudo ista, tanquam causis piis inimica, reprobanda foret. *Ad* 4. Si consuetudo ista non est licita, sed peccati nutritiva, non est rationabilis, & conf. non prævalet juri positivo per *c. fin. de consuet.* Insuper ex hac sententia sequitur, quod Clericus sic testando, illicite agat, ut fatentur Doctores isti; & cum in hoc peccato notorio moriatur, non debet sepeliri in loco sacro, per *Can.* 16. *quibus* 13. *quæst.* 2.

8. Q. III. *An de jure civili incapax ad testandum, testari possit saltem ad pias causas?* v. gr. impubes puber-

pubertati proximus, prodigus, filiusfam. de bonis adventitiis &c. Affirmant Bartol. Ricc. Engl., Pichler, Reiff. & alii, quorum sententia pia, sicubi usu recepta est, observanda erit, conformiter *lib.* 1. *Cod. de SS. Eccl.* Sed juri conformius ℞. Negative: ita Clar. Tholos. Schmalz. & alii: nam facultas ista incapacibus ad testandum nullibi restituta est a jure Canonico; imo conformiter juri civili denegatur in *cap.* 4. *de sepultur. in* 6. ibi: *quamvis filiusfam. absque patris assensu sibi possit eligere sepulturam; pro anima tamen sua, præter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi-castrense, habeat) aliquid judicare non potest;* ergo. Hæc de causa efficiente testamenti; nunc de forma.

9. Q. IV. *Quæ sit forma substantialis testamenti solemnis?* ℞. I. Ad testamentum solemne *scriptum* requiritur 1. Ut testator illud scribat, vel subscribat; & si scribere nescit, vel non potest, octavus testis loco ejus subscribat. 2. Ut adsint septem testes idonei, & ad hunc actum rogati, seu invitati, quibus testator scripturam clausam exhibeat, dicendo hanc suam esse ultimam voluntatem: illi vero sua, & testatoris nomina subscribant propria manu, sigillumque apponant; & si aliquis scribere nescit, alter loco ejus subscribere potest, facta mentione subscriptionis. 3. Ut totus iste actus peragatur eodem tempore, loco, & contextu sine interruptione; licet modica interruptio ob urgentem necessitatem non obsit. At si testamentum solemne nuncupativum fiat: plus non requiritur, quam ut testator clara voce ultimam suam voluntatem exprimat coram septem testibus idoneis, & rogatis, designando hæredem, & alia, de quibus disponit. Notarius non est quidem necessarius; recte tamen adhibetur ad erigendum instrumentum publicum super testamento facto: ita hæc omnia habentur in celebri *l.* 21. *hac consultissima lege sancimus, C. h. t.*

10. Testes autem idonei debent esse homines *liberi, mares, puberes, sanæ mentis, non mari, surdi, cæci,* non ipse *hæres*, ne in propria causa testem agat; neque *domestici*, hoc est, quorum alter in alterius, vel uterque in tertii potestate existit; sicut pater in filiifam. & e contra, & frater in fratris testamento, si uterque in patris potestate est, testis esse nequit. Legatarius vero cum tantum indirecte, & secundario in causa sua, directe vero, & per se in causa hæredis testem agat, non repellitur a testimonio: ita hæc, & alia exprimunt, §. 4. & *seqq. Inst. de testam. ordin. lib.* 20. & 21. 26. *C. hoc tit.* Formula subscribendi potest esse: Ego N. testor, quod a N. testatore audiverim in præsenti scriptura contineri suam ultimam voluntatem. Hæc ita de jure Roman. quibus solemnitatibus fere ubique derogatum est; adeoque statuta, & consuetudo cujusque loci in condendis testamentis observanda sunt.

11. ℞. II. Testamentum nuncupativum cum relatione ad schedam, v. gr. quæ in scrinio, vel apud confessarium est, tunc non valet, si scheda testibus non exhibeatur; quia tunc testes non sciunt, quis sit hæres; quod tamen requiritur in nuncupativo, *l.* 21. §. 2. & *lib.* 29. *Cod. hoc tit.* & *lib.* 21. *ff. qui testam. fac.* At si testator in manu schedam teneat, sibi præsens, eamque legendam det testibus, perinde est, acsi viva voce testaretur; & conf. sustinetur testamentum cum simili relatione ad schedam: quo sensu procedit *lib.* 9. §. 8. *ff. de hæred. instit. lib.* 6. *ff. de R. C.* ibi: *nihil referre*, Nec obstat *lib.* 77. *ff. de hæred. instit.* nam institutio hæredis cum relatione ad codicillum permittitur, cum codicillus sit scriptura solemnizata, & a periculis fraudium libera: secus est in relatione ad schedam incognitam.

12. ℞. III. Si testator prius testamentum scripsit, & deinde præsentibus testibus interrogatus; an hæc sua esset voluntas? respondet saltem his verbis: *ita, est, placet* &c. valet testamentum: si vero nec ista verba modica reponere potest, sed tantum capite annuit, testamentum est invalidum; quia testator in hoc casu similis est mortuo *lib.* 29. *Cod. hoc tit.* 2. Si testator testamentum non scripsit, & præsentibus testibus interrogatus plene, & articulate respondere nequit, sed tantum capite annuit, vel solum respondet: *ita, placet*, ex communi DD. sententia, testamentum est invalidum; cum de seria ejus voluntate constare non possit; nisi eam scripto exprimere posset *l.* 10. *C. qui testam. facere.*

13. Q. V. *Quæ sit solemnitas testamentorum de jure Canonico?* ℞. I. Hoc jure plus non requiritur, nisi præsentia Parochi, & duorum testium idoneorum *cap.* 10. *cum esses hoc tit.* quod jus observandum est in terris Romanæ Ecclesiæ subjectis. Neque per hanc decretalem correctæ sunt leges civiles, ut vult Fagn. nam leges istæ, cum nullum peccatum contineant, nec solent, nec regulariter possunt corrigi a jure Canonico, sed in hac materia profana quodlibet jus in suo foro observandum est. Vide in meis disput. civ. *disput.* 9. *controv.* 5.

14. ℞. 2. In testamento ad pias causas sufficiunt duo, vel tres testes, qui non tam ad substantiam, quam ad probationem requiruntur *cap.* 11. *relatum hoc tit.* quia bonum animæ subtilitatibus humanis impediri non debet; dummodo testes, sive mares, sive feminæ, de jure naturali capaces ad testificandum, hanc fuisse voluntatem defuncti, etiam nutibus expressam testificentur. Et hoc jus Can. disponens circa materiam ex fine suo spiritualem, servandum est etiam in foro civili, non attentis legibus, si quid contrarium statuant, ut *lib.* 13. *C. de SS. Eccl.* &c. Nec obstat quod *cap.* 10. *h. t.* restringatur ad territorium Papale: nam procedit de testamentis ad causas profanas; at *c.* 11. *cit.* procedit de testamentis ad causas pias, de quibus disponere est solius potestatis Ecclesiasticæ.

15. Q. VI. *An testamentum solitis solemnitatibus destitutum sit invalidum non solum pro foro externo, sed etiam interno?* ℞. Affirmative: ita Clar. Covarr. Menoch. Haunold. Schmier. &c. contra Fach. Lessius, Zoes, Pichler &c. nam leges testamentariæ justæ sunt pro foro externo, in quo testamentum solemnitatibus destitutum, est nullum §. 7. *Instit. quib. mod. testam. infirm.* ibi: *nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est. lib.* 11. *ff. de injusto rupt.* ibi: *quia sequens nullum est. lib.* 21. *C. h. t.* ibi: *ex imperfecto* &c. ergo leges istæ sunt etiam justæ in foro interno, cum nullibi a jure Can. restringantur, & de se nullam injuriam contineant; imo fraudium, & deceptionum periculum avertant. Opposita tamen sententia est tuta in praxi; adeoque vi illius poterit hæres minus solemniter institutus tamdiu detinere hæreditatem, donec a judice declaretur testamenti nullitas. Argumenta pro hac sententia generalia sunt, quæ attuli de legibus irritantibus *tit. de Constit. nu.* 23. Specialia, quæ opponuntur, non sunt ad rem, cum procedant de nullitate, vel valore testamenti in foro externo.

16. ℞. 3. Hæres ab intestato, si certo scit voluntatem defuncti circa hæreditatem, aut legata, tenetur eam adimplere, etsi testamentum defectu solemnitatum sit invalidum: idque pro utroque foro exequi obligatur: ita omnes ex *lib.* 16. *h. t. lib.* 2. *& fin. Cod. de fideicom.* §. *fin. Inst. de fideicom. hæredit.* nam in hoc casu, quo hæres ab intestato, cujus solius interest, confitetur voluntatem defuncti, universaliter cessat omne periculum fraudium, ad quas evitandas solemnitates præscriptæ sunt; ergo ad valorem testamenti nullis solemnitatibus est opus, sed sufficit confessio hæredis contra se ipsum facta. Quod si talis hæres neget, se aliquid a defuncto audivisse; hæres vero scriptus, aut legatarius dicat eum præsentem fuisse, & audivisse, idque aliter probare non possit, potest hæredi ab intestato deferri juramentum super eo, quod nihil a testatore audiverit, §. *fin. Inst. de fideicom. hæred.* Si pejeret, in foro quidem externo absolvitur; at in conscientia tenetur restituere hæreditatem, & legata: & nisi restituere velit non est absolvendus a confessario, cum detineat rem alienam.

17. Q. VII. *Quæ sint, & quomodo sustinentur testamenta privilegiata?* ℞. 1. Primum ex privilegiatis testamentum *parentum inter liberos*, ad quod nuncupative conditum sufficiunt duo testes de jure naturali idonei, non tam ad substantiam, quam ad probationem. Si vero condatur in scriptis, non requiruntur testes; dummodo pater illud scribat, vel subscribat, exprimendo tempus, nomina liberorum, uncias, non cyphris, sed verbis, sive unciæ sint æquales, sive inæquales, *lib.* 21. §. 1. *Cod. hoc tit. & nov.* 107. *cap.* 1. ubi ampliatur dispositio *cit. l.* 21. §. 1. Insuper probabilius requiritur, ut pater, vel mater singulis prolibus portio-

portionem relinquat titulo hæreditatis, & institutionis, non vero titulo legati, aut fideicommissi, ut communis tenet contra Jason. ex *nov.* 115. *c.* 3. per quam *an.* 541. promulgatam corrigitur *nov.* 18. *& auth. novissima*, *C. de inoffic. testam. an.* 536. promulgata. At si liberis misceatur persona extranea pro hærede, non valet ejus institutio in tali testamento privilegiato *lib.* 21. §. 1. *Cod. hoc tit. lib. fin. Cod. fam. herciscund.* legatum vero tanquam accessorium sustinetur, etiam sine solemnitatibus ad legatum requisitis, *Auth. quod sine C. hoc tit.* Nec obstat *nov.* 107. *c.* 3. ibi: *propria manu scripta, dictaque coram testibus*: nam sensus est divisivus, ut legata in testamento scripto sint scripta, & in nuncupativo dicta coram testibus. Hoc privilegium non conceditur patri condenti testamentum inter liberos naturales, & spurios; bene vero matri, respectu cujus habentur pro legitimis ad hæreditatem capiendam, *l.* 2. *ff. unde agnati*, §. 3. *In. de SCto Orphitian.*

18. ℞. 2. Secundum ex privilegiatis est testamentum *militare* in actuali expeditione, aut conflictu factum, ad quod plus non requiritur, nisi ut constet de voluntate testatoris militis, etiamsi quid in vagina, aut clypeo litteris sanguine suo rutilantibus adnotaverit: lapso autem anno expirat tale testamentum, *l.* 15. *C. de testam. milit. l.* 38. *ff. eod.* Ad testamentum militis in castris extra conflictum sufficiunt duo testes, *l.* 24. *ff. de militar. testam.* in hybernis vero, seu fortalitiis necessariæ sunt ordinariæ solemnitates *pr. In. de milit. testam.* ubi de hac materia plura legere poteris.

19. ℞. 3. Tertium ex privilegiatis est testamentum *rusticorum*; & probabiliter nobilium ruri degentium, ad quod, si plures haberi non possunt, sufficiunt quinque testes, non pauciores, *l. fin. C. h. t.*

20. ℞. 4. Quartum ex privilegiatis est testamentum tempore sævientis pestis conditum, ad quod sufficiunt 7. testes successive adhibendi, vel duo, si pestis vehementissime grassetur, ex communi praxi, *l.* 8. *C. hoc tit.*

21. ℞. 5. Quintum ex privilegiatis est testamentum *judiciale*, seu *apud Acta* factum, quod publica fide judicis sustinetur etiam sine testibus, si scriptum judici offeratur, vel oretenus coram eo fiat, *l.* 19. *C. h. t.* cum vero relatio talis testamenti ad acta sit actus jurisdictionis voluntariæ, fieri potest hoc testamentum extra locum judicii, v. g. in domo propria testatoris; dummodo judex, vel ejus delegatus adsit cum duobus, vel tribus assessoribus judicii, ut clare colligitur ex *l.* 19. *C. de testam.* imo ex illis verbis, *cujuscumque judicis* infertur, hoc testamentum fieri posse coram judice alias incompetente, cum & hujus auctoritas cum suo consilio supplere possit defectum testium. Nec obstat, *l.* 19. *in fin. c. h. t.* nam ibi requiruntur testes, non ad valorem testamenti, sed si opus est, ad probationem, quod testamentum fuerit principi oblatum, vel apud acta conditum. Huic testamento judiciali æquivalet, imo prævalet testamentum *principi oblatum*, seu *scriniis insertum cit. l.* 19. cum auctoritas principis omnem defectum solemnitatum abunde suppleat, sive ei libellus testamenti offeratur, sive ore tenus coram eo fiat. Porro, ne fraus ulla accidat, non solum tutius, sed & probabilius est, testatorem teneri personaliter offerre principi, vel judici libellum testamenti, non vero per nuncium, aut litteras; cum facile scriptura pro scriptura supponi posset: ita colligitur ex *cit.* 19. *C. h. t.* ubi verba diriguntur ad ipsum testatorem.

De test mentis privilegiatis ad causas pias dictum est supra q. 3.

§. II.

De Institutionibus, & Substitutionibus.

22. *Nota* 1. Institutionem hæredis esse primam vocationem alicujus ad hæreditatem: secus testamentum sine illa non valet *l.* 3. *ff. de his, quæ in testam. del.* Hæres autem est ille, qui ex testamento, vel ab intestato ex lege, in universum jus defuncti succedit, & fictione juris eadem persona est cum illo *l.* 59 *ff. de R. J. l.* 37. *ff. de acq. hæred.* ipsa vero hæreditas est successio in universum jus, quod defunctus habuit, *l.* 62. *ff. de R. J.* Porro hæredes sunt in triplici differentia: nam 1. Alii sunt *necessarii, tantum*, qui in testamento scripti nolentes, volentes hæreditatem adire debent, ut servi. 2. Alii sunt *necessarii, & simul sui*, qui necessario institui, & necessario hæreditati se immiscere olim debuerunt; ut filiifam. in patria potestate constituti. 3. Alii *voluntarii*, seu *extranei*, qui pro placito testatoris institui, & pro placito suo hæreditatem acceptare potuerunt; ut liberi emancipati, & quicumque alii extranei. Hæc de jure antiquo: jure hodierno omnes liberi, sive sui, sive emancipati exæquati sunt, ut necessario institui debeant, vel nominatim exhæredari; in hoc tamen cum eis dispensatum est, quod cum suo damno non teneantur, si non velint, hæreditatem acceptare: ita hæc habentur *tit. In. de hæred. qual. l.* 57. *ff. de acq. hær.* Illam quæstionem speculativam: an testamentum ipso jure corruat, an vero tantum rescissioni sit obnoxium, si liberi emancipati sint præteriti in eo examinavi in meis Disp. Civ. *disp.* 9. *cont.* 10.

23. *Nota* 2. Quod substitutio est secunda, seu subordinata hæredis institutio in locum primi hæredis. Et hæc est duplex: *Directa*, qua substitutus immediate, & sine facto hæredis primi ad hæreditatem vocatur in casum, si primus non vult, vel non potest hæres esse; & conf. si primus hæres hæreditatem adit, substitutio ista evanescit: *Indirecta*, *obliqua*, seu *fideicommissaria*, qua primus hæres institutus gravatur, ut hæreditatem totam, vel ejus partem substitutio restituat. Is, qui restituit, vocatur *hæres fiduciarius*: is, cui restituitur, *hæres fideicommissarius*: id quod restituitur, vocatur *fideicommissum*; puta ex eo, quia testator fidei hæredis committit, ut alteri substituto hæreditatem restituat. Cape utriusque exemplum: *Titius hæres esto, & si Titius hæres non erit, Cajus hæres esto*: hæc est substitutio directa: rursum: *Titus hæres esto, eumque rogo, hoc est, jubeo, ut hæreditatem Cajo restituat*: hæc est substitutio indirecta, seu fideicommissaria. Ex his patet utriusque discrimen. Directa subdividitur in tres principales species: *vulgarem, pupillarem, & exemplarem*: & tres secundarias: *compendiosam, reciprocam, & militarem*; de quibus infra, cum de fideicommissis agetur *seq.* §.

24. Q. I. *Qui possint hæredes institui*? ℞. Omnes, qui specialiter non prohibentur, sive sint clerici, sive laici, sive religiosi, sive communitates; imo Deus, Sancti in cœlo, & animæ in purgatorio hæredes institui possunt, eisque relicta applicantur cultui divino, aut pauperibus *l.* 26. *C. de Sac. Eccl.* Prohibentur autem aliqui tanquam *incapaces*, qui ipso jure redduntur inhabiles ad institutionem, aliqui tanquam *indigni*, qui mero jure hæredes fiunt, sed sine effectu quia hæreditas eis aufertur: *Incapaces* simpliciter sunt: 1. Judæi *l.* 1. *C. judæis*. 2. Hæretici non tolerati, *l. fin. C. de hæretic. c.* 13. §. *credentes de hæret.* 3. Persecutores S. R. E. Cardinalium *c. fin. de pœn. in* 6. 4. Filii perduellium, *l.* 5. §. 1. *C. ad L. Jul. Maj.* 5. Fratres minores S. Francisci, quibus tantum moderata legata, non vero excessiva in fraudem Constitutionis permittuntur, *Clem. un.* §. *quia igitur de V. S.* At domus professæ S. J. hæredes scribi possunt; sed immobilia vendere tenentur, & pecuniam in usus necessarios convertere. Incapaces secundum quid sunt; Imperator in causa litis §. *fin. in quib. mod. testam. infirm.* Filii spurii, & naturales, de quibus infra. *Indigni absolute* sunt, qui violentam testatoris mortem non sunt ulti, vel tabulas aperuerunt ante quæstionem homicidii, vel testatorem occiderunt, vel qui calumniose testamentum impugnarunt, vel qui testatorem a mutando testamento prohibuerunt: & alii, qui referuntur *tit. ff. de his, quæ ut indignis tit. Cod. de his, quibus ut indignis tit. ff. de SCto Silan. Indigni secundum quid* sunt: capitales inimici testatoris, vel qui ei maledixerunt, vel in odium hæredis testamentum celarunt &c. de quibus *citt. tt.* & alibi suis locis.

25. Q. II. *Qui necessario hæredes institui debeant*? ℞. 1. Hæredes sui, & necessarii, seu liberi in potestate patria constituti; uti filiifam. & nepotes, & qui his exæquati sunt, scil. filii emancipati; & deficientibus descendentibus, pater, mater, & alii ascendentes. Hi ergo necessario instituendi sunt, vel nominatim in testamento exhæredandi *tit. In. de exhæred. liber. nov.* 115. *cap.* 3. *& seq.* Fratres non sunt hæredes necessa-

rii:

rii: si tamen persona turpis, ut meretrix, leno, adulter, & hujusmodi institueretur, agere possunt ad rescissionem testamenti §. 1. *In. l.* 27. *C. de inoff. test.*

26. Q. III. *Quomodo, & ob quas causas fieri possit exhæredatio, seu exclusio hæredis necessarii ab hæreditate?* ℞. 1. Ne hæres necessarius videatur in testamento præteritus, exhæredandus est omnibus bonis nominatim, & cum expressa causa exhæredationis: secus testamentum quoad institutionem hæredis est nullum, vel ipso jure, si hæres *suus* est præteritus, vel quoad effectum rescissionis, si filii emancipati, aut ascendentes sunt præteriti: cetera vero capitula testamenti salva manent, *Nov.* 115. *c.* 3. *&* 4. Deinde causa ista specifica exhæredationis per hæredem probanda est.

27. ℞. 2. Causæ legitimæ, ob quas pater exhæredare potest liberos, ex *cit. Nov.* sunt quatuordecim: Si patri maledixit, vel gravem injuriam intulit, de qua gravitate judex judicabit. 2. Si pro patre incarcerato noluit fidejubere. 3. Si parenti violentas manus intulit. 4. Vel illum criminaliter accusavit, excepto crimine in principem commisso. 5. Si parentem furiosum neglexit. 6. Si ei grave damnum dedit. 7. Vel insidias ei struxit. 8. Si captivum non redemit. 9. Si testamentum condere prohibuit. 10. Si filius, ut maleficus cum maleficis versatus est. 11. Si histrionicam exercuit. 12. Si novercæ se miscuit: hoc tamen in materia ista odiosa non debet extendi ad incestum cum matre, utpote rarissimum. 13. Si fiat hæreticus. 14. Si filia ante annum 25. libidinose vixerit, & ut ita viveret, honestum matrimonium respuerit. Quod non extenditur ad casum, quo filia sine consensu patris nupsit, etiam impari; cum ad matrimonium sit sui juris; nisi particulari statuto aliud caveretur: quod statutum multi probant, multi improbant, utpote inimicum causæ spirituali matrimonii.

28. ℞. 3. Causæ, ex quibus liberi exhæredare possunt parentem, sunt octo: 1. Si pater criminaliter accusavit filium. 2. Si captivum neglexit. 3. Vel vitæ ejus insidiatus est. 4. Si furioso alimenta denegavit. 5. Si testamentum ex pecunio castrensi condere prohibuit. 6. Si matrem interfecit. 7. Si nurui se miscuit. 8. Si factus est hæreticus. Causæ vero, ob quas frater fratrem exhæredare potest, in casu, quo turpis persona hæres instituitur, tres numerantur in *Nov.* 22. *c.* 47. si mortem ei machinatus est, vel grave damnum intulit, vel capitaliter eum accusavit. Præter has ingratitudinis causas aliæ, etsi graviores, non sufficiunt ad exhæredationem per *cit. Nov.* 115. *c.* 3. *pr.* ibi: *ut præter ipsas &c.*

29. Q. IV. *Quo modo, & forma fiat institutio hæredis?* ℞. I. Quacumque verborum formula; dummodo, etiam æquivalenter hæres significetur, v. g. *Titio omnia mea relinquo.* Consultius tamen est hoc nomen *hæres* exprimere, ut non codicillus, sed testamentum reputetur *l.* 15. *C. h. t.*

30. II. Institutio facienda est ex proprio arbitrio testatoris, cum sit ejus ultima sententia, *l.* 1. *ff. qui test. fac.* Unde institutio in alienum arbitrium collata non valet, v. g. *is mihi sit hæres, quem Cajus determinaverit l.* 32. *ff. de hær. inst.* nisi testator in genere instituat hæredes; & electionem unius ex pluribus alteri committat, v. g. *ex fratribus meis is mihi hæres esto, quem Cajus elegerit*: quo casu si Cajus nullum eligeret, omnes fratres ad hæreditatem admittuntur, *arg. l.* 17. §. 1. *l.* 24. 27. § *hæreditatem ff. de legat.* 2. Nec obstat *c.* 13. *h. t.* nam textus iste non procedit de dispositione institutiva hæredis, sed exequutiva, ut hæres bona defuncti expendat pro arbitrio suo, v. g. ad pias causas, vel hæreditatem alteri restituat; vel de illo, qui ex pluribus designatis unum eligere debet in hæredem: vel denique, ut aliis placet, caput hoc restringitur ad institutionem *hæredis pii*, cujus institutio videtur committi posse alieno arbitrio: vide Barb. & Gonz. & alios Interpretes.

31. III. Institutio debet esse de persona, seu personis certis, & demonstratis, *l.* 9. §. 9. *ff. de hær. instit.* alias substantia testamenti esset incerta, v. g. *unum ex agnatis meis hæredem instituo.* Excipe hæredes *pios*, qui generice, & indeterminate institui permittuntur, v. g. pauperes, vel captivos hæredes instituo, *l.* 24. *&* 28. *C. de Episc. & Cler.*

32. IV. Institutio fieri potest non tantum pure, sed etiam conditionate: & quidem hæredes necessarii institui possunt sub conditione potestativa, quam facile implendi potestatem habent, v. g. Titius filius esto hæres, si capitolium ascenderit; non tamen sub conditione casuali, cum ea deficiente, hæres necessarius præteriretur contra *Nov.* 115. *c.* 3. *&* 4. *ff. de hær. inst.* Extraneus institui potest sub conditione tam potestativa, quam casuali, qua deficiente, testamentum resolvitur, & fit nullum v. g. Titius esto hæres, si Cæsar hostem vicerit. Conditio vero impossibilis ex natura, vel de jure, seu turpis adjecta extraneo, rejicitur, & pro non apposita habetur, §. 10. *in. de hær. instit.* apposita vero filio, reddit testamentum nullum, & successio fit ab intestato *l.* 5. *ff. de cond. inst.* ubi Papinianus pulchram rationem dat: *nam*, inquiens, *quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt: nec facere nos posse credendum est.* Ex eodem fundamento conditio ista: *si religionem ingressus non fuerit, habetur pro non scripta*, cum sit majoris boni impeditiva, *Nov.* 123. *c.* 37. ista vero *si non nupserit*, virgini innuptæ adjecta, rejicitur quia restringit libertatem matrimonii, quod innuptis favorabile est: secus si talis conditio apponatur viduæ, *l.* 64. *in fin. &* 72. §. 1. *ff. de cond. & dem. Auth. cui relictum, C. de indict. viduit.* De hac materia institutionum relege *tit. in. ff. & C. de Inst. hær. tit. ff. de cond. inst. & tit. de cond. & demonstr.*

33. Q. V. *Quanta portio relinquenda sit hæredibus institutis?* Ante resp. nota, totam hæreditatem a jure vocari *Assem*, pondo, seu libram, cujus partes, seu unciæ sunt duodecim; unica pars dicitur simpliciter uncia $\frac{1}{12}$ Duæ partes vocantur *sextans* $\frac{2}{12}$ vel $\frac{1}{6}$ seu sexta pars assis. Tres partes dicuntur quadrans $\frac{3}{12}$ vel $\frac{1}{4}$ seu quarta pars assis. Quatuor unciæ dicuntur triens $\frac{4}{12}$ vel $\frac{1}{3}$ seu tertia pars assis. Quinque unciæ vocantur *quincunx* $\frac{5}{12}$ seu quinta pars assis. Sex unciæ vocantur semis $\frac{6}{12}$ vel $\frac{1}{2}$ seu medius as. Septem unciæ septunx $\frac{7}{12}$ Octo unciæ *bes* $\frac{8}{12}$ vel $\frac{2}{3}$ quasi bis-triens, quem veteres dixerunt *bes, bessis*. Novem unciæ dodrans $\frac{9}{12}$ vel $\frac{3}{4}$ quia quadrans ei deest ad totum assem. Decem unciæ dicuntur *dextans* $\frac{10}{12}$ vel $\frac{5}{6}$ quia deest illi sextans ad assem. Undecim unciæ *deunx* dicuntur $\frac{11}{12}$ quia deest una uncia ad assem. Tandem duodecim unciæ simul sumptæ dicuntur *as*, & inde hæres ex toto vocatur *hæres ex asse*. Præterea hæreditas dividi potest in *dupondium* constans duobus assibus, seu 24. unciis, ut si testator 24. millia aureorum haberet, & viginti quatuor hæredes institueret æqua portione: item in *tripondium* constans tribus assibus &c.

34. ℞. 1. Testator hæredibus necessariis tenetur relinquere *legitimam*, hoc est, portionem legibus definitam; scilicet pater, & mater filiis, & nepotibus in locum filiorum subintrantibus; filii vero parentibus, si nulli descendentes adsint. Fratribus, & sororibus nulla de jure debetur legitima, cum non sint hæredes necessarii, excepto unico casu, quo frater personam turpem hæredem institueret. Porro legitima de jure veteri fuit *quadrans*, seu tres unciæ ex duodecim: at de novo jure justinianæo est triens, seu quatuor unciæ pro quatuor, vel paucioribus liberis: *semis* vero, seu medius as pro quinque, vel pluribus filiis: ita *nov.* 18. *c.* 1. *Auth. novissima. C. de inoff. testam.* ex qua nati sunt isti versiculi: *Quatuor, aut infra dant natis jura trientem. Semissem vero dant natis quinque, vel ultra: arbitrium sequitur substantia cetera patris*, seu de illo, quod legitimam superat, pater ad placitum suum in extraneos disponere potest. Hæc dispositio non trahitur ad filios adoptivos, sed his quarta debetur ex jure antiquo, §. 3. *& fin. Inst. de inoff. testam.* neque ad filios naturales non legitimatos per matrimonium respectu patris: mater vero naturalibus liberis tenetur legitimam dare, *l.* 8. *ff. unde cognati, Auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* a sens. contr. Plura de his vide in *Nov.* 18. de Triente, & Semisse. 2. Si filius, vel filia percepit suam legitimam, nihilominus in testamento honorari, & hæres institui debet, hoc ei assignato pro legitima, quod percepit, cum hæres necessarius præteriri non debeat per *Nov.* 115. *c.* 3.

c. 3. estque talis institutio utilis propter jus accrescendi, aliosque favores, quos institutio habet. 3. Legitima computatur ex bonis, ære alieno deducto, extantibus: & quidem ex omnibus, cum sit tertia pars totius hæreditatis, nisi pater legitimam in certa re constituisset, *Nov.* 18. *c.* 1. neque legitima aliquo onere gravari debet, sed tale onus habetur pro non adjecto *lib.* 32. 33. 36. §. 1. *C. de inoff. testam.* Id vero, quod excedit legitimam, sub onere, & conditione relinqui potest, cum libere detur.

35. ℞. 2. Hæres tam necessarius, quam extraneus institui potest in re certa, v. g. Titius hæres esto, eique domum meam in hæreditatem relinquo, *l.* 1. §. 4. *& l.* 9. §. 13. *ff. de hæred. inst. Nov.* 115. *c.* 5. Et si solus instituatur, fit hæres ex asse, etiam quoad alia bona, ne testator partim testatus, partim intestatus decedat, contra *l.* 7. *ff. de R. J.* Si vero plures hæredes instituti sint in re certa, quilibet capit suam portionem: reliquum, quod superest, æqualiter inter se dividunt, tanquam hæredes ex asse, *l.* 9. §. 13. *ff. de hæred. instit.* Secus esset, si unus institueretur in re certa, & alii in re incerta, seu in residua hæreditate; tunc enim ille suam portionem instar legatarii caperet; ad istos vero omnia jura, & onera hæreditatis devolverentur *l.* 13. *C. de hæred. inst.* Si plures instituti sunt simpliciter, succedunt æqualiter; si in certis partibus assis, observatur dispositio §. 6. 7. 8. *Inst. de hæred. instit.* Hic tamen adverte, aliud esse institui in re *certa*, *& parte certa*: nam *res certa* est aliquid in specie, seu ut philosophi loquuntur, in individuo, ut hic ager, hæc domus: *pars certa* est aliquid in genere, v. g. quadrans, triens assis, seu hæreditatis.

36. Q. VI. *Quid sit substitutio vulgaris, & quid juris circa illam:* ℞. 1. Substitutio vulgaris (ita dicta quod vulgo a quovis, & cuivis hæredi suo, vel extraneo, impuberi, aut puberi fieri possit) est, qua instituitur hæres secundus in casum, quo primus hæres non erit. Casus autem iste est duplex: *impotentiæ*, si primus esse non potest hæres, morte, aut lege impeditus: & *noluntatis*, si primus non vult esse hæres. An substitutus expresse in unum casum, v. g. noluntatis, censeatur tacite substitutus in alterum casum impotentiæ, vel e contra, controvertunt Legistæ. Pro negativa steti in *civil. disp.* 9. *contr.* 17. quia ex his duobus casibus diversis omissus habetur pro omisso, sicut in *l.* 10. *ff. de liber. & posth. l.* 101. *ff. de cond. & dem. l.* 21. *ff. de vulgar. subst.* 2. Effectus substitutionis vulgaris præcipuus est, quod deficiente primo hærede, succedat substitutus, & testamentum sustineatur, ut testator nequeat dici decessisse intestatus, *lib.* 69. *ff. de acq. hæred.* 3. Expirat substitutio vulgaris, si primus hæres institutus hæreditatem adeat; quia tunc deficit conditio, *si hæres non erit;* nisi intra annum negligeret exequi voluntatem defuncti: quo casu lex ipsa hæreditatem defert substituto, *auth. hoc amplius C. de fideic.* ibi: *qui defuncti judicium.* Professus religionem hæreditariæ successionis capacem, fingitur adivisse hæreditatem, quia jus succedendi transfertur in monasterium, *Nov.* 123. *c.* 37. *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* Item expirat, si substitutus præmortuus sit testatori, *l. un.* §. 5. *C. de caduc. toll.* non vero si institutus ei præmoriatur; quia tunc substitutus subintrat in locum primi instituti, *l.* 26. *&* 39. §. *fin. ff. de vulg. subst.* ceterum si primus hæres institutus restituatur contra aditionem, probabile est substitutionem reviviscere, cum restitutio omnia reducat in pristinum statum. Oppositum æque est probabile, quod defendo in *disp. civ.* 9. *contr.* 19.

37. Q. VII. *Quid sit substitutio pupillaris, & quid juris circa illam?* ℞. 1. Substitutio pupillaris est, qua parentes liberis impuberibus in patria potestate constitutis substituunt alium sub hac forma, *Titius filius meus hæres esto, & si hæres fuerit, & impubes decesserit, Cajus hæres esto.* Quo casu pater condit testamentum pro se, & filio, ne is intestatus decedat, *l.* 2. *ff. de vulg. subst.* Est autem duplex, *expressa* pro casu pupillari mox allato: & *tacita*, quæ concipitur pro casu vulgari, *si hæres non erit*, jam certum est, quod vulgaris expressa tacite contineat pupillarem, v. g. sub hac, *si filius meus hæres non erit*, continetur hæc pupillaris, *si hæres erit, & impubes decesserit*, *l.* 4. *ff. de vulg. subst. l.* 4. *C. de impub. subst.* nam pater substituendo in unum casum, si contrarium non expressit, interpretatione juris præsumitur substitutum vocasse in utrumque casum. Et similiter ex communi sententia contra Fabrum substitutio pupillaris expressa concepta in casum pupillarem, *si hæres fuerit, & impubes decesserit*, continet tacitam vulgarem, *si hæres non erit:* nam *cit. l.* 4. *de vulgar.* generaliter loquitur, quod pater impuberi filio substituens, *in utrumque casum substituisse intelligatur, sive filius hæres non extiterit, sive extiterit, & impubes decesserit.* 2. Effectus substitutionis pupillaris est, quod substitutus succedat non tantum in bonis patris, sed etiam in omnibus bonis filii impuberis, etiam matre exclusa, saltem si fuit pupillaris expressa *l.* 8. §. 5. *ff. de inoff. test. c.* 1. *h. t. in* 6. quia non filius, sed pater testamentum fecit: is vero non tenetur uxorem suam, matrem impuberis, hæredem instituere. Quod vero in vulgari expressa, quæ est tacita pupillaris, non excludatur mater, ut probabile defendi *disp. civ.* 9. *contr.* 21. ex *l. fin. C. de inst. & substit. & l.* 8. *C. de impub. subst.* Porro subsistunt tabulæ pupillares, nuda existentia hæredis sui, etsi impubes hæreditati se non immisceat; quia ante omnem immistionem est hæres, & cons. si moriatur, facit locum substituto, *l.* 1. §. 7. *ff. si quis omiss. caus. l.* 14. *ff. de suis, & legit. hæred.* 3. Expirat substitutio pupillaris adventu pubertatis, *l.* 14. *ff. de vulg.* §. 8. *In. de pupill. subst.* non tamen tacita vulgaris, nisi pubes actu immisceat se hæreditati, *l.* 4. *ff. de vulgar.* emancipatione, morte substituti ante impuberem *l.* 81. *ff. de acq. hæred.* & morte impuberis, ante patrem, *l.* 11. *ff. de captiv.* cum mortuus impubes ante patrem non possit habere hæredem ex testamento paterno. Hoc tamen casu non expirat tacita vulgaris, cum diversa sit a pupillari, nisi pater testamentum mutet. Si plures sint substituti, & prior moriatur, non evanescit substitutio secundi; cum is subintret in locum primi, & instituto substitutus censeatur, *l.* 13. *&* 41. *ff. de vulgar.*

38. Q. VIII. *Quid sit substitutio exemplaris, militaris, compendiosa, & reciproca?* ℞. 1. *Exemplaris*, seu *quasi pupillaris* ita dicta, quod ad exemplum pupillaris introducta sit, est illa, qua pater, aut mater, & quivis ascendentium filio furioso, aut mente capto, hæredi a se instituto alium substituit in casum, quo filius in tali statu, testamenti faciendi impeditivo, decederet, *l.* 9. *C. de impub. subst.* cessat, si filius ad sanam mentem redeat, uti & illis modis, quibus dixi pupillarem expirare. ℞. 2. *Militaris* est, qua miles ex privilegio juris substituit filio etiam puberi, & sanæ mentis, etiam ex certo tempore, ut hæreditas illius devolvatur ad substitutum, *l.* 15. *ff. de vulg. l.* 28. 41. §. *fin. ff. de testam. milit.* ℞. 3. *Compendiosa* est, quæ verborum compendio plures substitutionum species in se continet secundum diversa tempora, v. g. *Cajus filius meus esto hæres, eique quandocumque decesserit, Titium substituo.* Jam si Cajus decedat ante testatorem est vulgaris; si post testatorem in impubertate decedat, est pupillaris: si tandem post pubertatem moriatur, rursum est vulgaris. ℞. 4. Reciproca est, qua hæredes instituti sibi invicem substituuntur; ut si unus hæres non erit, portio ejus alteri accedat, *l.* 4. §. 1. *ff. de vulgar.*

39. Q. IX. *An substitutio distinguatur a jure accrescendi?* ℞. 1. Affirmative, nam substitutio habetur ex provisione hominis, & de se est pinguior: jus vero accrescendi ex provisione tantum legis, & minus commoditatis affert. Est autem *jus accrescendi*, quo portio unius hæredis deficiens, seu non agnita, accrescit portioni alterius cohæredis, ne testator partim testatus, partim intestatus decedat, *l.* 9. *ff. de suis, & legit. hæred.* 2. Si instituti sunt plures hæredes, eisque alius substitutus est, uno, vel altero deficiente, seu hæreditatem non adeunte, portio deficiens accrescit instituto hæreditatem adeunti; non vero cedit substituto; cum is non censeatur vocatus; nisi in casum, quo nullus ex institutis adiret hæreditatem, *lib.* 30. *& pen. ff. de vulgar.* nisi singulis institutis alius substitueretur, *l.* 34. §. 1. *eod.* De jure accrescendi in legatis dicetur *seq.* §. Hæc de substitutionibus directis, de quibus utiliter legere poteris in Inst. *l.* 2. *tit.* 15. *&* 16. in Pandectis *l.* 28. *tit.* 6. in Codice *lib.* 6. *tit.* 25. 26. 27.

§. III.

§. III.

De Fideicommissis, & Legatis.

40. *Nota* 1. Fideicommissum formaliter esse substitutionem indirectam, seu obliquam, qua hæres sive ex testamento, sive ab intestato succedens gravatur, ut hæreditatem totam, vel partem ejus restituat substituto: imo ipsi substituti, seu fideicommissarii obligari possunt, ut remotioribus substitutis fideicommissum restituant. Et simile fideicommissum est *universale*, quo restituenda venit universitas vel totius hæreditatis, vel certa pars assis; ut quadrans, vel triens: & differt a fideicommisso *particulari*, quo hæres obligatur unam, vel alteram rem singularem restituere; & hodie coincidit cum legato, ut dicetur *n*.42.

41. *Nota* 2. Fideicommissum dividi: 1. In *expressum*, quod fit expressa testatoris oratione: & *Tacitum*, quod fit verbis, & indiciis æquivalentibus: ut si testator velit bona immobilia perpetuo manere intra familiam, & extra illam non alienari. 2. In *Familiare*, seu *Gentilitium*, quo pro certa familia constituitur: & quidem si successio alligata est primogenito cum suis descendentibus, vocatur *Primogenitura*: si vero successio alligata est senioratui, ita ut senior totius familiæ succedat, vocatur *Majoratus*: cujus hodie rarior est usus, sed ipsa primogenia vulgo dicuntur *majoratus*: & in *commune*, in quo specialiter familia non attenditur, sed successio defertur eis, qui ex voluntate testatoris vocantur. 3. In *purum*, & *conditionatum* &c.

42. *Nota* 3. Legatum objective accipi pro ipsa re legata; formaliter vero pro actu legantis: quo sensu secundo legatum est donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præstanda §. 1. *In. de legat.* seu est ultima voluntas, qua defunctus rem singularem alicui ab hærede præstandam, liberaliter relinquit: licet enim res legata mox a morte legantis videatur transire in dominium legatarii, tamen possessio illius tradi debet ab hærede: secus legatarius propria auctoritate rem apprehendens, tenetur eandem hæredi restituere *l.* 1. §. 2. *ff. quod legator.* Differt legatum 1. Ab *institutione directa*, quia huic annexa sunt onera, & commoda hæreditatis. 2. A fideicommisso *universali*, quia hoc fit de re universali, & titulo hæreditatis. 3. A fideicommisso *particulari*, quia hoc fit verbis immediate directis ad hæredem, v. g. Cajum hæredem meum rogo, hoc est obligo, mando, ut Titio post mortem meam det 100. florenos: *legatum* vero fit verbis immediate directis ad legatarium, v. g. Titio lego 100. florenos. Sublatis his formulis, hodie nulla est differentia inter legata, & fideicommissa particularia, sed *per omnia exæquata sunt legata fideicommissis*, *l.* 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 2. *C. commun. de legat.* & §. 3. *In. de legatis.* Tandem legatum differt a donatione mortis causa; quia ad hanc requiritur acceptatio donatarii; non vero ad legatum acceptatio legatarii, licet in effectu parva sit differentia.

43. *Nota* 4. Olim quatuor fuisse modos legandi relatos in §. 1. *Inst. de legat.* 1. *Per vindicationem*, quo modo res propriæ testatoris legabantur his verbis; *do*, *lego*, *capito*, *sumito*. 2. Per *damnationem*, quo modo legabantur res etiam alienæ his verbis: *hæres meus damnas esto dare*. 3. Per *præceptionem*, seu præacceptionem, quo modo aliquid legabatur hæredibus scriptis, ut unus præ altero aliquid præcipuum caperet, v. g. Cajus, & Titius hæredes sunto, Cajus vero præcipito, seu præcipuum habeto fundum tusculanum. 4. *Sinendi modo* his verbis: *sinito illum rem illam sumere, sibique habere*; qualiter legabantur res propriæ etiam hæredis. Sed formulæ istæ sublatæ, & legata ad unam naturam reducta sunt, ita ut peti possint, quibuscumque verbis relinquantur, per actionem personalem, rei vindicationem, & hypothecariam *cit.* §. 1. *de legat.*

44. Q. I. *Quid juris circa fideicommissa*? ℞. 1. Omnis testari valens, cuicumque capaci hæreditatis relinquere potest fideicommissum universale per verba *rogo*, *peto*, *fideicommitto*, vel alia quæcumque idem significantia, sive per testamentum, sive ab intestato, *l.* 14. 29. *C. de fideicom.* §. 10. *In. de fideicom. hæred.*

45. II. Fideicommisso gravari potest hæres institutus, vel ab intestato, imo etiam ipse hæres fideicommissarius §. 2. & 11. *In. de fideicom. hæred.* item legatarius, ut ipse aliquid restituat legatario substituto, *l.* 8. *ff. de jure Codicill.*

46. III. Fideicommissum, quo filius gravatur, est tacite conditionatum; *si filius sine liberis decesserit lib.* 102. *ff. de cond. & demon. l.* 30. *C. de fideicom.* partim ex præsumpta voluntate testatoris, quod si de nepotibus suis cogitasset, filium non gravasset; partim quia incongruum est, ut filius, omissis suis filiis, hæreditatem paternam ad alium transferat. Quod si filius in testamento fuit præteritus, vel alio modo evicit rescissionem testamenti, corruit fideicommissum *l.* 31. *C. de fideicom.*

47. IV. Hæres gravatus fideicommisso sub conditione: *si sine liberis decesserit*, profitendo Religionem, facit evanescere fideicommissum, idque ob favorem Religionis *cap.* 8. *de probat.* ubi ratio additur: *quia intelligendum non erat sine hærede decedere qui monasterium sibi hæredem instituit.* Idem statuitur *Auth. nisi rogati C. ad SC. Trebell.* ex *Nov.* 123. *c.* 36. tum quia ex præsumpta voluntate testatoris sub hac conditione: *si sine liberis* &c. tacite intelligitur altera conditio: *si monasterium ingressus fuerit*; cum in hac materia favorabili monasterium fingatur esse monacho instar filii. Excipe, nisi hæredi substituta fuisset alia causa pia: quia tunc potior est ratio privilegiati expressi, quam taciti. Item quidam excipiunt illum casum, quo fideicommissum absolute est relictum; quia tunc ex aperta voluntate testatoris fideicommissum post mortem monachi deferendum est substituto. Ex his solvuntur *l.* 6. *ff. de his, qui sui*, *l.* 76. *ff. de condit. & demon. l.* 7. §. 1. *in fin. ff. de adoption.* nam adoptivis, & arrogatis, aut naturalibus filiis non est concessus iste favor, ut possint facere fideicommissum deficere; bene vero monasterio.

48. V. Si hæres gravatus ante liberos natos habuit fideicommissum, per illos non evanescit, ut colligitur ex *lib.* 6. *vers. cum autem C. de Instit. & substitut.* quia testator de his liberis facile cogitare potuit: ergo præsumitur hæredem gravasse, non obstantibus istis liberis.

49. VI. Effectus fideicommissi sunt: restitutio hæreditatis: & si hæres adire eam nolit, cogendus est per judicem §. 6. *In. de fideicom. hæred. l.* 6. & 14. §. 4. *ff. SC. Trebell.* neque hæres gravare, alienare, vel oppignerare illud potest *lib. fin.* §. 2. *sed quia Cod. commun. de legat.* nam talia bona vinculata non sunt pure, seu plene in dominio possessoris; & conf. alienari, vel debitis gravari in præjudicium successorum non debent.

5. VII. Expirat fideicommissum morte hæredis gravati ante testatorem, vel ante aditam hæreditatem §. 1. 2. *In. de fideicom. hær. l.* 13. §. 3. *in fin. ff. ad SC. Trebell.* nam tali casu non est, a quo fideicommissum recipiatur, nisi hæres fiduciarius jam accepisset mandatum judicis de adeunda hæreditate *l.* 4. *C. ad SC. Treb.* At si substitutus moriatur post testatorem, non evanescit fideicommissum, sed transmittitur ad hæredem substituti; cum ei dies cesserit, & jus quæsitum sit a morte testatoris, *l.* 3. *C. de fideicom. l.* 27. *pr. ff. ad SC. Treb.* Item expirat eventu, seu existentia conditionis, v. g. si hæredi fiduciario gravato restituere, *si sine liberis decesserit*, nascatur unica proles.

51. Q. II. *Quale beneficium habeat hæres primus gravatus fideicommisso universali*? ℞. 1. Habet beneficium *Trebellianicæ*, seu quartæ partis, quam deducere potest ex omnibus bonis Testatoris: quæ tamen deductio non permittitur hæredibus secundis, seu fideicommissariis, si & isti gravati sunt aliquid restituere, §. 2. *Inst. de fideic. hæred. l.* 22. *ff. ad SC. Treb.* Trebellianica ista dicitur ab auctore Trebellio, & Annæo Seneca Coss. sub quibus factum est SCtum Trebellianum de fideicommissariis hæreditatibus, ut restituta hæreditate, etiam actiones hæreditariæ transirent in hæredem Trebellianum, seu fideicommissarium. At Justinianus in SCtum Trebellianum transtulit etiam *Pegasianum* factum Pegaso, & Pusione Coss. de quartæ deductione; & ideo nunc dicimus ex Trebelliano non tantum transire actiones, sed etiam quartam detrahi, §. 3. 4. 5. & *seqq. In. de fideic. hæred.*

52. ℞. 2. Hæres necessarius fideicommisso universali gravatus, præter legitimam, seu trientem deducere potest

potest trebellianicam: ita expresse deciditur in jure Canon. *c.* 16. *Raynut.* & *c.* 18. *Raynal. h. t.* nam hæredi extraneo permittitur deductio trebellianicæ; ergo a fortiori hæredi suo, & necessario: tum quia hæres ex illa hæreditate deducere potest quartam, in qua gravatur: sed in legitima non gravatur; bene vero in residua hæreditate; ergo ex residua hæreditate quartam potest deducere. Imo si hæredes sint quinque, vel plures, pro legitima accipient semissem, & ex residuo quartam deducent trebellianicam; cum id favor liberorum exposcat. Cape exemplum: testator. in bonis relinquit 30. millia, hæredes necessarii, seu filii pro legitima præcipient trientem, seu 10. millia, residua 20. millia vicem assis habent, ex quibus quarta trebellianica, seu 5. millia pro hæredibus gravatis detrahetur, residuus dodrans, seu 15. millia fideicommissario restituentur. Rursum, si hæredes sunt quinque, vel plures, & in bonis testatoris sunt 40. millia, semis, seu 20. millia præcipientur pro legitima, reliqua 20. millia sunt as gravatus, ex quo deducta quarta, quindecim residua millia hæredi restituentur. Leges civiles, cum in hoc puncto obscuræ sint, explicandæ erunt ex jure Canon. modo dicto, scilicet, ut ex eo, quod post legitimam acceptam superest, dodrans, seu novemunciæ restituantur fideicommissario, ut colligitur ex *Nov.* 108. *pr.* & *c.* 1. item ex *Nov.* 39. *c.* 1. Et ita solvuntur *l.* 41. §. 1. *ff. de vulgar. l.* 10. *C. ad L. Falc. l.* 21. §. 2. *ff. de ann. legat. l.* 24. *C. fam. herc. l.* 6. *C. ad SC. Trebell. l.* 91. *ff. ad L. Falc. l.* 8. §. 15. *ff. de inoff. test. l.* 8. §. *pen. ff. si cui plus* &c. Vide *Disp. Civ.* 9. *Controv.* 24. ℞. 3. Si hæres fiduciarius detraxit trebellianicam, etiam pro rata sentit onus actionum, si non detraxit, omnes actiones passivæ, & activæ transeunt ad fideicommissarium, §. 7. *Inst. de fideic. hæredit.*

53. ℞. 4. Cessat trebellianica, si hæres fideicommissum evertere attentavit, vel hæreditatem adire noluit, idque in pœnam suæ temeritatis, *l.* 4. *ff. ad SC. Trebell.* Item si testator expresse prohibuit detractionem trebellianicæ *Nov.* 1. *c.* 2. *v. si vero expressim*: cum in falcidia, & trebellianica eadem ratio currat. Item in casibus, in quibus cessat falcidia, ut infra *nu.* 64. dicetur. Denique ratione eorum, quæ imputantur in trebellianicam, ut fructus ex hæreditate percepti; si hæreditas non pure, sed sub conditione, aut in diem relicta est, exceptis liberis, qui fructus non imputant in quartam *l.* 6. *C. ad SC. Treb.* Item in trebellianicam imputantur legata, fideicommissa particularia, & probabiliter etiam ea, quæ implendæ conditionis causa accipiuntur, licet ista non imputentur in falcidiam, sed ea solum, quæ jure hæreditario capiuntur, *l.* 74. 76. & 91. *ff. ad L. Falc.* Ratio disparitatis est, quia hæres gravatus legatis sentit totum onus hæreditatis; adeoque non est æquum, legata ei facta imputari in quartam: econtra hæres gravatus fideicommisso, non sentit onus, nisi suæ quartæ, quam habet; ergo ea, quæ capit legata, merito imputantur in quartam trebellianicam, Zoes *tit. ff. ad SC. Treb. in fin.* De fideicommissis utiliter legere poteris in Inst. *l.* 2. *tit.* 23. In Pandectis *l.* 36. *tit.* 1. In Codice *lib.* 6. *tit.* 42. usque ad *tit.* 49.

54. Q. III. *Quis, cui, & quo modo legare possit*? ℞. 1. Quilibet testari valens, etiam legare potest: & quidem cuicumque capaci institutionis, §. 24. *Inst. de legat. l.* 2. *ff. de legat.* 1. Imo etiam servo ex persona domini, & monacho, qui legatum acquirit monasterio, etsi hoc non sit capax hæreditariæ successionis, *Clem.* 1. *de V. S.* Spuriis saltem de jure Can. aliquid in alimenta, vel dotem legari potest, *c.* 5. *de eo, qui duxit in matrim.* 2. Legari potest non tantum ab hærede instituto, vel substituto, ut is legatum præstet, sed etiam ab ipso legatario; non tamen in plus, quam ei sit relictum *l.* 2. *C. de legat. l.* 70. *pr. ff. de legat.* 2. ne plus gravetur, quam honoretur. At a substituto pupilli exhæredati nihil legari potest; quia sicut pupillus exhæredatus gravari non potest, ita nec ejus substitutus, ut legata præstet, *l.* 24. *C. de legat.* 3. Formula verborum in legatis hodie quæcumque esse potest, *l.* 21. *C. eod.* solemnitates vero legatorum in testamento relictorum eædem sunt quæ testamenti; & consf. corruente testamento, regulariter corruunt legata, *l.* 1. *ff. de jure Codicill. l.* 39. *C. de fideic.* nisi testamentum esset nullum ex sola causa præteritionis hæredis necessarii: tunc enim legata, & cetera capitula firma manent *Nov.* 115. *c.* 3. *in fin.* & *c.* 4. *etiam prope fin.* At extra testamentum sufficiunt ad legatum quinque testes simul adhibiti *l. fin.* §. *fin. C. de codicill.* ibi: *in omni autem ultima voluntate* &c. Cui non contrariatur *c.* 4. *h. t.* quia plus non dicit, quam legatum fieri posse nudis verbis sine Scriptura. Hic semper excipe legata pia, ad quæ sufficiunt duo testes etiam feminæ, vel sola manus testatoris: item legata illa, quæ ipse hæres a testatore audivit esse relicta *l. fin. C. de fideic.* Possunt autem legata fieri vel pure, vel sub conditione, vel modo, vel causa, vel in diem, de quibus agit Reiff. a *n.* 642. & ea, quæ hic quæri possunt, solvuntur ex supra dictis *n.* 32. & iis, quæ de contractibus hoc modo initis tradidi in superioribus titulis, præsertim *tit.* 23. *de solut. a num.* 4.

55. Q. IV. *Quæ res legari possint*? ℞. 1. Res non tantum propriæ testatoris, vel hæredis, sed etiam alienæ; dummodo testator sciverit esse alienas, alias haberetur pro errante: ita expresse docet Imp. §. 4. *Inst. de legat.* cui consonant *Can.* 5. *Si Episcopus* 12. *q.* 5. Quo casu, si res aliena scienter legatur, tenetur hæres eam redimere, vel si redimere non potest, æstimationem ejus præstare. Nec obstat *c.* 5. *h. t.* nam ibi reprobatur, non quia legatum est rei alienæ, sed quia, invita Ecclesia, res illius a legatario detinebantur, scil. calix, & puer Ecclesiæ Consentinæ; quæ duo regulariter alienari prohibentur. Ceterum licet testator non possit disponere de re aliena per viam vindicationis, tamen potest per viam damnationis, damnando hæredem ad rem redimendam, vel pretium rei præstandum, Et his explicantur *l.* 8. *ff. de jure codicilli l.* 31. *ff. de bonis libert. l.* 49. *ff. de hær. instit. l.* 25. §. 6. *ff. fam. hercisc. l.* 52. *ff. ad SC. Treb.* At institutio fieri nequit super re aliena; cum hæres succedat in idem jus proprium defuncti.

56. ℞. 2. Res extra commercium humanum existentes legari nequeunt, *l.* 39. §. 8. & *seq. ff. de legat.* 1. nec hæredi sua res propria, §. 10. *in eod. l.* 13. *C. de legat.* cum nihil utilitatis ex tali re proveniat, neque convalescat legatum, si res postea desinat esse hæredis ex regula Catoniana; quæ legatum ab initio nullum, non vult tractu temporis convalescere *tit. ff. de regula Caton.* Similiter si creditori legetur debitum, quod ei debet testator, inutile est legatum §. 14. *In. de legat.* nisi plus esset in legato, quam debito; vel debitum esset sub conditione, aut in diem, & legatum purum, *ibid.* Nec mihi probatur eorum sententia, qui dicunt legato expungi debitum legale; uti est dos, donatio propter nuptias &c. non vero debitum aliud, v. g. ex contractu, ut si testator 100. debuit ex mutuo, & debitum illud legavit creditori; nam quod eo casu creditor possit petere 100. jure debiti, & alios 100. jure legati, nullo textu juris probatur; nisi alia esset expressa voluntas testatoris.

57. Q. V. *Quomodo legatum vitietur*? ℞. 1. Si relinquatur sine debitis solemnitatibus, vel in re non legabili, ut patet ex dictis. 2. Si relinquatur personæ incapaci, vel indignæ *tit. ff. de his, quæ ut indignis aufer.* 3. Si relinquatur loco, vel personæ incertis, *l.* 10. & 28. *ff. de reb. dub.* nam incertitudo vitiat tam institutionem, quam legata; cum non constet de voluntate defuncti. *Excipe* causas pias, quibus indeterminate legata relinqui possunt, *l.* 24. *C. de Episc.* & *Cler.* & quidem si pauperibus relictum est, distribui debet in pauperes hujus loci, *Nov.* 131. *c.* 11. Si Ecclesiæ, vel pio loco, tunc legatum applicabitur ei loco, cui testator specialiter affectus fuit; alias Ecclesiæ Parochiali, vel pauperiori secundum arbitrium Episcopi.

58. Q. VI. *An inter plures legatarios detur jus accrescendi*? seu ut portio unius deficiens accrescat portioni alterius agnoscentis, seu acceptantis legatum? ℞. Affirmative, dummodo legatarii sint conjuncti: nam ex præsumpta voluntate testatoris jus vult portionem deficientem instar alluvionis accedere alteri portioni, *l.* 33. *in fin. ff. de usufr.* Est autem conjunctio ista triplex: *re, verbis, & re & verbis simul.* Illi dicuntur conjuncti *re*, quibus eadem res solida legatur separatim, seu diversis orationibus absque ulla particula conjunctiva. v. g. *Titio lego fundum tusculanum, Cajo lego fundum tusculanum.* Et hi aliter vocatur *disjuncti*, & legatum *disjunctim* relictum, §. 8. *In. de legat. l.* 1. §. 3. *ff. de usufr. accresc.*

Con-

Conjuncti verbis sunt, quibus in eadem oratione conjunctis res una relinquitur, sed assignatis partibus indeterminatis, v. g. *Titio, & Cajo æquis partibus lego fundum Tusculanum*. *Conjuncti re, & verbis sunt*, quibus eadem res in eadem oratione legatur absque partibus expressis, v. g. *Titio, & Cajo lego fundum tusculanum*. Jam certum est inter disjunctos, uti etiam inter conjunctos re, & oratione, dari jus accrescendi. An vero detur inter conjunctos sola conjunctione verbali, dubitatur. Negat Zoes, Govean. Cujac. & alii, sed opposita sententia videtur æque probabilis, vel forsan probabilior: nam jus accrescendi generaliter admittitur inter legatarios conjunctos §. 8. *In. de legat. l. un.* §. 11. *C. de caduc. toll.* sed verbaliter conjuncti sunt vere, & in sensu juridico conjuncti per *l.* 142. *ff. de V. S. & l.* 89. *ff. de legat.* ubi triplex ista conjunctio admittitur, ergo. Neque exempla ab Imperatore allata restringunt istam regulam, neque partes æque assignatæ: nam assignatio partium tunc tantum tollit conjunctionem, quando partes certæ determinantur, v. g. *ex fundo meo Titio lego duo jugera, & Cajo etiam duo jugera*: quo sensu explicantur *l.* 1. *pr. ff. de usufr. accr. l.* 3. *pr. & l. pen. eod.*

59. ℞. 2. Si ambo legatarii conjuncti concurrant, scindunt legatum, *hoc est*, quilibet suam partem capit, *cit.* §. 8. *In. de legat.* si vero unus deficiat, & nolit, vel non possit legatum acceptare, portio illius accrescit alteri collegatario, *ibid.* Est tamen hic notabile discrimen in legata proprietate, & in legato usufructu: nam usufructus, qui non ad semel acquiritur, sed singulis momentis debetur, accrescit alteri collegatario sive a principio, sive post acceptationem repudietur: econtra proprietas, quæ ad semel, seu uno momento acquiritur, si acceptata est a legatario, & postea repudiata, non accrescit collegatario, sed revertitur ad hæredem: usufructus vero, sive ante, sive post acceptationem repudietur, semper accrescit collegatario, ob rationem mox datam; quia singulis momentis debetur, & non uno momento; sicut proprietas in solidum acquiritur, *l.* 1. §. 3. *ff. de usufr. accescendo*. Vide Zoes *tit. ff. de legatis a num.* 35.

60. Q. VII. *Qua actione, & quando legatarius suum legatum petere possit?* ℞. 1. Legatarius tres habet actiones per §. 2. *Instit. de legat. personalem*: ex quasi contractu, quia hæres adeundo hæreditatem, tacite se obligatur legatariis, quod voluntatem defuncti implere velit: *hypothecariam*, quia legatarius in bonis defuncti tacitam habet hypothecam: *rei-vindicationem*: quia legatum a morte testatoris recta transit in dominium legatarii, non re ipsa, sed fictione juris, si hæres hæreditatem adjerit, & si legatarius legatum acceptaverit: nam si hæres hæreditatem non adeat, omnis vis testamenti, & legati solvitur; cum nemo sit, a quo legata petantur, *l.* 86. *ff. de legat.* 1. & *l.* 181. *ff. de R. J.* si vero hæres hæreditatem adeat, & legatarius legatum repudiet, perinde est, acsi ei legatum non fuisset, *l.* 38. §. 1. & *l.* 86. §. 2. *ff. de legat.* 1.

61. ℞. 2. Dies legati puri *cedit* statim a morte testatoris; quia tunc incipit deberi: *venit* vero a tempore aditæ hæreditatis; quia statim peti potest, postquam hæres hæreditatem adivit: si autem legatum est conditionatum, existente conditione, dies cedit, & venit, *l.* 213. *ff. de V. S. l.* 5. *ff. quando dies legator. cedat.* ubi plura de hoc legere poteris.

62. ℞. 3. Fructus, qui sunt pars rei legatæ, v. gr. fœtus ex pecoribus, & fructus pendentes, debentur legatario §. 10. *In. de legat. l.* 20. *ff. de legat.* 1. imo probabiliter alii etiam fructus, cum legatarius sit dominus rei legatæ mox a morte testatoris; ergo & fructuum: nam omnis res suo dominio fructificat. Alii tamen probabiliter tenent, quod hæres illos fructus, qui non sunt pars rei, non teneatur legatario restituere, nisi fuerit in mora restituendi, *arg. l. fin. C. de usur. & fruct. legator.* Reiff. a *n.* 681.

63. Q. VIII. *Quod beneficium habeat hæres excessivis legatis gravatus?* ℞. 1. Beneficium falcidiæ legis, vi cujus ex bonis testatoris quartam partem deducere potest; & conf. si bona non sufficiunt, quarta ista proportionaliter detrahenda erit ex legatis, fideicommissis, & mortis causa donationibus, *tit. In. ff. C. ad L. Falc.* ubi plura de hoc legere poteris. Dicta est *Falcidia*, non a defalcando, sed a Falcidio tribuno plebis, qui libertatem legandi ex L. XII. Tabb. concessam restrinxit, & legem *Furiam*, qua ultra mille aureos legari prohibebatur, legemque *Voconiam*, qua plus legari uni vetitum erat, quam hæredi relinqui, recte emendavit, statuendo, ut hæredi saltem quarta pars bonorum obveniret, *pr. Inst. de lege Falcid.*

64. ℞. 2. Falcidia cessat in multis casibus: 1. In legatis a milite relictis, *l.* 7. *C. ad L. Falc.* dummodo testetur militariter. 2. Si testator expresse prohibuit detractionem falcidiæ, *Auth. sed cum C. eod.* ex *Nov.* 1. *c.* 2. ibi: *si vero expressim*, vel si voluit rem legatam esse inalienabilem, & perpetuo mansuram apud successores, *Auth. sed & ea C. ad L. Falc.* 3. In legata libertate, vel eo, quod præstandum est pro libertate servorum, §. *fin. In. ad L. Falc.* 4. In dote prælegata uxori *l.* 57. *ff. eod.* nam in hac uxor capit, quod suum est. 5. In legatis ad pias causas, *Auth. similiter. C. ad L. Falc.* ubi expresse dicitur: *simililer falcidia cessat in his, quæ ad pias causas relicta sunt.* Et concordat *Authent.* ista cum suo originali *Nov.* 131. *c.* 12. ubi expresse Imperator loquitur in casu *insufficientiæ*, non vero negligentiæ, ut quidam interpretantur: nam pro casu negligentiæ, dum hæres negligit solvere legatum pium, inferius disponitur, ibi: *si autem distulerint* &c. 6. Qui solvit legata solida, vel scienter, vel ex ignorantia juris, quia non scivit sibi competere falcidiam, solutum non repetit: bene vero si solvit ex ignorantia facti, quia putavit plus esse in hæreditate, *Nov.* 1. *c.* 3. Plura de materia legatorum videre poteris in jure civili.

65. Ceterum licet falcidia, & trebellianica origine differant, tamen in effectu æquiparantur; cum hæres per alterutram sibi quartam detrahat, sive ex legatis, sive ex fideicommissis. Imo, ut DD. observarunt, sæpe in jure nomen falcidiæ pro trebellianica, & econtra usurpatur, ut *l.* 41. §. 3. *in fin. ff. de vulgar. l.* 86. *ff. ad l. Falc.* ubi falcidia accipitur pro trebellianica & econtra *l.* 1. §. 20. *ff. ad SC. Trebell.* trebellianica pro falcidia accipitur.

§. IV.

De Codicillis.

66. *Codicillus* est ultima voluntas testatoris de bonis suis disponentis sine directa hæredis institutione. Ad valorem ejus requiruntur quinque testes, etiam non rogati, inter quos etiam mulierem adhiberi posse multi docent: & quidem in codicillo scripto subscribunt se, non tamen necessario sigillant: in codicillo autem nuncupativo præcise intersunt, & audiunt voluntatem testantis, *l. fin. C. de codicill.* Excipe codicillum ad pias causas, & inter liberos, pro quo sufficiunt duo testes.

67. Q. I. *Quis codicillari possit?* ℞. Omnis, & solus, qui testari, *l.* 8. *ff. de jure codicill.* ibi: *codicillos is demum facere potest, qui & testamentum facere potest*. Quodsi quis de Jure communi habilis esset ad testandum, inhabilis vero de jure statutario, posset codicillum facere: quia statutum istud exorbitans restringendum est ad testamentum, non vero ad codicillum extendendum. Porro fieri potest codicillus unus, vel plures, cum, vel sine testamento, ante, vel post illud, nec unus per alterum posteriorem revocatur, nisi sibi contrarii sint, §. 1. *in codicill.* nam codicillus non continet totam voluntatem defuncti, sicut testamentum, sed tantum partem illius.

68. Q. II. *Quid codicillis possit, vel non possit relinqui?* ℞. 1. Relinqui possunt legata, & fideicommissa etiam universalia: item exprimi hæres, quem testator in testamento instituit. Econtra in codicillis fieri nequit institutio, vel substitutio directa: quia *codicillis hæreditas neque dari, neque adimi potest: ne confundatur jus testamentorum, & codicillorum; & ideo nec exhæredatio scribi* §. 2. *In. de codicill.* 2. Si codicillis hæreditas directo datur, flectitur institutio, & substitutio directa in obliquam, seu fideicommissariam *l.* 13. §. *un. ff. de jure eod.* ut scil. sustineatur voluntas defuncti eo modo, quo potest: quo casu hæres ab intestato, detracta trebellianica, hæreditatem restituet fideicommissario in codicillis expresso. At si quis testamentum voluit condere, & illud jure non condidit, non valet tale testamentum in vim codicilli, licet hujus

hujus solemnitates habeat *cit. l.* 13. & clare *l.* 1. *eod.* ubi Ulp. ait: *sæpissime rescriptum, & constitutum est, eum, qui testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse:* nam hic locus est regulæ: *quod voluit, non potuit, & quod potuit, non voluit.* Nec obstat, quod testamentum scriptum invalidum, si solemnitates nuncupativi habeat, in probabili sententia valeat in vim nuncupativi: nam testamentum utrumque in eumdem finem tendit, ut hæres instituatur, & testator non decedat intestatus; econtra testamentum, & codicillus per se primo sunt diversa. Excipe, nisi tali testamento addita sit clausula codicillaris, quæ optima est expressa, v. gr. *si hæc voluntas mea non potest valere ut testamentum; valeat ut codicillus, vel omni meliori modo:* tunc enim testamentum imperfectum valebit in vim codicilli, si hujus requisita habeat. Porro in arbitrio hæredis est, an jure directo totam hæreditatem petere velit, an jure fideicommissi dodrantem ob clausulam codicillarem: semel autem electione facta, extraneus variare nequit; bene vero si quis hæres sit ex agnatis usque ad quartum gradum *l. fin. C. de codicill.* De codicillis vide in Institut. *l.* 2. *tit. fin.* in Pandect. *lib.* 29. *tit.* 7. in Codice *lib.* 6. *tit.* 36.

§. V.

Quæstiones de dissolutione Testamenti, aditione, & transmissione hæreditatis &c.

69. Q. I. *Quibus modis testamentum dissolvatur?* ℞. 1. Olim dissolvebatur lapsu decennii *l.* 27. *C. h. t.* hodie via juris dissolvitur per *ruptionem, irritationem, & destitutionem,* & facto hominis, seu judicis per *rescissionem*, proposita querela inofficiosi testamenti. Tunc *rumpitur* testamentum, dum testator manet in eodem statu civili, & jus testamenti vitiatur vel agnatione posthumi, vel arrogatione alicujus in filium, qui erant præteriti in testamento: vel reali mutatione testamenti, v. g. per lacerationem, vel solemnem confectionem novi §. 1. *Instit. de exhæred. liber.* §. 1. & *seqq. Inst. quib. mod. testam. infir.* Tunc *irritatur* testamentum, dum testator mutat statum civilem per capitis diminutionem: §. 4. *ibid.* nam si patitur maximam capitis diminutionem per servitutem, vel mediam per deportationem, amittit bona, libertatem, & jura civilia: si vero patitur minimam capitis diminutionem per arrogationem, desinit esse paterfamilias, & bona non habet in sua potestate; ergo pariter desinit testamentum. At professione Religiosa non irritatur, sed firmatur testamentum; quia Religiosus capite non minuitur quoad statum civilem, sed tantum quoad certos effectus a votis pendentes. Tunc *destituitur* testamentum, dum hæres simpliciter repudiat hæreditatem sibi delatam, vel præmoritur testatori: ita hæc, & plura his affinia habentur *lib.* 1. & *seqq. ff. de injusto rupto.*

70. ℞. 2. Tunc testamentum *rescinditur*, dum judex ad justam querelam inofficiosi illud cassat. Hodie in communi DD. sententia non est locus *querelæ inofficiosi:* nam si liberi, seu hæredes necessarii præteriti sunt in testamento, vel injuste exhæredati in testamentum ipso jure est nullum per *Nov.* 115. *c.* 3. & 4. *in fin. utrobique;* adeoque non indiget rescissione. Quia vero probabile est solam præteritionem hæredis *sui* facere testamentum ipso jure nullum, dabitur querela inofficiosi aliis hæredibus necessariis, qui in testamento præteriti, vel injuste exhæredati sunt, ut defendi in *Disput. civ.* 7. *controv.* 42. Vide Zoes *ad tit. de inoffic. testam.*

71. Q. II. *Quid sit jus deliberandi?* ℞. Est facultas hæredi ad certum tempus data, ut perpendere possit, an hæreditatem adire velit, necne, ne præponere adeundo decipiatur *tit. ff.* & *C. de jure delib.* Hodie in locum ejus successit *inventarium*, seu *repertorium*, in quo omnes res hæreditariæ in præsentia notarii, vel aliarum personarum secundum loci consuetudinem adnotantur *l. fin. C. de jure delib.* Effectus hujus inventarii est, quod hæres videns hæreditatem sibi fore damnosam, non teneatur eam adire, nec, si adivit, solvere ultra vires hæreditatis. Si tamen, non obstante inventario, petat facultatem deliberandi, conceditur ei a Principe unus annus *cit. l. fin.*

72. Q. III. *Quid sit aditio, & repudiatio hæreditatis? & quid juris circa illam?* ℞. 1. Aditio hæreditatis est illius delatæ agnitio, seu acceptatio, dum quis verbo, vel ipso facto declarat se hæredem esse. Et repudiatio est hæreditatis repulsio, seu non acceptatio, *l.* 10. *&* 88. *ff. de acq. hæred. l.* 1. §. *decretalis ff. de successor. Edicto. Adire, & repudiare* dicuntur hæredes extranei; *sui* vero dicuntur *se immiscere* hæreditati, cum eorum sit, vel ab ea *abstinere* ex beneficio Prætoris §. 2. *in fin. Inst. de hæred. qual. l.* 57. *ff. de acq. hær.* ut proinde hodie solus servus sit hæres necessarius, eo sensu, quod necessario adire debeat hæreditatem, §. 1. *In. d. t.* pro quo incommodo libertatem consequitur, *ibid.* Extraneus pro placito adire potest, nisi sit hæres fiduciarius, seu rogatus hæreditatem restituere: tunc enim ad eam adeundam cogi potest, ne fideicommissario jus suum pereat, *l.* 4. *pr. ff. ad SC. Treb.* 2. Jus adeundi hæreditatem, vel se immiscendi, est de se perpetuum, seu 30. annis durans; nisi judex, vel testator aliud temporis spatium designet; quod *Cretio* a cernendo dicitur: quia hæres sub certa verborum formula cernere, seu decernere debuit, an hæreditatem adire vellet: sed formulæ istæ jam sublatæ sunt, *lib.* 8. 17. *C. de jure delib.* Is autem solum adire hæreditatem potest, qui se obligare valet: non pupillus, vel minor sine auctoritate tutoris, aut curatoris; imo nec tutor sine consensu pupilli, si is infante sit major, & usu rationis pollens, *l.* 5. 18. *C. de jure delib.* 3. Effectus aditæ hæreditatis sunt: *jus, & dominium* rerum hæreditariarum; quia dominium solo animo acquiri potest: possessio autem sine apprehensione non acquiritur, nisi lex, aut consuetudo aliud habeat, & suppleat apprehensionem corporalem, ut plerumque hodie fit, *l.* 1. §. 16. *& l.* 23. *ff. de acq. poss.* item jura omnia activa, & passiva; & quidem hæres tenetur debita solvere ex contractu, ex quo defunctus obligabatur suis creditoribus, *lib. fin. Cod. de jure deliber.* legata vero, & fideicommissa tenetur præstare ex quasi contractu; quia adeundo hæreditatem tacite se obligavit ad ea præstanda, §. 5. *In. de oblig. ex quasi contr.* Ab his oneribus non liberat se hæres, si postea repudiare velit hæreditatem, nisi Prætor ex justa causa concedat restitutionem in integrum, ut minori, Ecclesiæ; & quandoque majori ex gravi causa, ut si æs grande alienum antea latuit, & postea emersit, §. 5. *& seq. In. de hær. qual.* Interim gesta a minore sustinentur, ut si quid bona fide vendidit, vel legata solvit, *l.* 44. *ff. de acq. hæred. l.* 22. *ff. de minor.* licet solutum a legatariis revocari possit condictione indebiti, *l.* 5. *ff. de condict. indeb.* Denique effectus aditæ hæreditatis est transmissio illius in hæredem hæredis, ut *seq. q.* dicetur. 4. Repudiare hæreditatem potest omnis, qui acquirere, *l.* 8. *ff. de acq. hæred.* non tamen pupillus sine auctoritate tutoris, & insuper decreto Prætoris. *l.* 5. *C. de repudiand. hæred. l.* 5. §. 8. *ff. de rebus eor.* Minor vero saltem sine decreto Prætoris valide repudiat *l. fin. C. de repud. hæred. l.* 24. §. 2. *ff. de minor.* læsus tamen restituitur, *ibid.* Et quia Ecclesia comparatur minori, & non pupillo, nisi viduata sit, etiam Prælatus absque solemnitatibus canonicis valide repudiat hæreditatem, ut dictum supra *tit.* 13. *de reb. Eccl.* Effectus repudiatæ hæreditatis est, quod repudians eam amplius adire non possit, nisi esset hæres suus re integra, vel minor contra repudiationem restitueretur, *l.* 4. *& fin. C. de repud. hær.*

73. Q. IV. *Quando hæreditas transmittatur in hæredem hæredis?* ℞. 1. Regulariter loquendo, hæreditas adita transmittitur, non adita, non transmittitur, *lib. un.* §. 5. *in novissimo C. de caduc. toll.* Excipe 1. jus, seu potentiam *suitatis*, vi cujus hæres suus, qui in potestate defuncti fuit, transmittit ad suos hæredes hæreditatem, etiamsi illi se non immiscuerit. 2. Jus, seu potentiam *sanguinis*, vi cujus consanguinei, ut liberi emancipati, hæreditatem non aditam transmittunt ad suos hæredes, *cit. l. un.* §. 5. *C. de caduc. toll. l. un. C. de his, qui ante apert. tab.* 3. *Jus deliberandi*, vi cujus hæreditas deliberantis de illa adeunda transmittitur ad ejus hæredes, *l.* 19. *C. de jur. delib.* Quibus juribus emendantur jura antiquiora, ut *l. un. C. de caduc. toll.* ubi extraneus hæreditatem non aditam non transmittit. Ceterum sive sui, sive extranei repudient hæreditatem, cum omni jure se abdicent, nihil transmittunt ad suos hæredes.

74. ℞. 2.

74. ℞. 2. Substitutus vulgariter non impedit transmissionem ex jure sanguinis, vel ex jure deliberandi, *l. un. C. de his, qui ante apert. tab* imo nec ex jure suitatis *l. 80. ff. de acq. hær.* nam substitutio, *si hæres non erit*, intelligitur positive, *si se abstinuerit*, vel si nec ipse hæres erit, nec nomine suo alium hæredem fecerit per transmissionem. Idem dic de conditione: *si voluerit*, cum satis velle sit per hæredem hæredis. E contra nuda existentia hæredis sui non excludit substitutum, nisi hæres per se, vel per suum hæredem immisceat se hæreditati: alioquin si ille, vel iste abstineat, locus est substituto, cum conditio impleta sit, *si hæres non erit*.

75. ℞. 3. Fideicommissarius mortuus ante hæreditatem a directo hærede aditam, transmittit fideicommissum ad suum hæredem: ita com. contra Azon. ex *lib. 44. pr. ff. ad SC. Trebell.* nam a morte testatoris, sicut dies cedit, ita continuo jus acquiritur fideicommissario universali, *l. 25. pr. ff. ad SC. Trebell.* sed jus quæsitum transmitti potest, ergo. A fortiori legata, & fideicommissa particularia transmittuntur, cum statim cedant a morte testatoris legatariis, & fideicommissariis, *l. un. §. 5. C. de caduc. toll.* In quo puncto fideicommissarius est favorabilior hærede directo, cui ante aditionem nihil juris acquiritur, sed procedit reg. generalis: hæreditas non adita, non transmittitur, *l. 1. C. de jure deliber.* Plura de his vide in Civilistis, *tit. ff. de acq. hæred.*

76. Q. V. *Quomodo tabulæ testamenti aperiantur*? ℞. In hoc potissimum servatur consuetudo cujusque loci: securissimum autem est testamenta aperiri coram magistratu, ut ibi publica fide donentur, vel saltem coram viris honestis, *l. 7. ff. quemadm. testam. aper.* Si tempore aperturæ testes sint mortui, testamentum solemne scriptum videtur subsistere; cum solemnitates adhibitæ etiam post mortem probent, sicut instrumentum publicum: at nuncupativum corruit, quia solemniter constare nequit de mente testatoris; nisi super testamento solemniter facto erectum fuisset instrumentum a notario publico. 2. Aperti testamenti copiam petere possunt omnes, quorum interest *l. 1. ff. eod.* Hæres tamen legatariis non tenetur edere omnia capitula, sed tantum illa, quæ petentem concernunt, *arg. c. 5. de instrum.* 3. Hæres, aperto testamento, si omissa causa testamenti vult ab intestato succedere, non est admittendus in casu, quo fraus cuditur, ne relicta in testamento persolvantur, *l. 1. ff. si quis omissa*, nam prætor voluntates defunctorum tuetur, ut suum effectum habeant. Imo in veriori sententia hæredibus necessariis non permittitur legitimam suam præripere & a reliqua hæreditate abstinere, tum quia hæreditas non est scindenda *l. 1. ff. de acq. hær.* tum quia inconveniens est, ut testator partim testatus ex parte legitimæ, partim intestatus ex reliqua hæreditate decedat, *l. 52. §. 2. & l. 53. ff. de acq. hær.* 4. Ex SCto Sillaniano, & Claudiano testamentum non est aperiendum in casu, quo dominus occisus est, antequam de servis quæstio publica instituatur, & rei, qui dominum non defenderunt, condignis suppliciis puniantur, *tit. ff. de SC. Silan.* De his vide in Pandect. *l. 29. tit. 3. 4. 5.* & in Cod. *l. 6. tit. 29. 32. 35.*

77. Q. VI. *Quid juris in casu, quo quis aliquem testari prohibuit, vel coegit*? ℞. 1. Qui prohibuit testamentum fieri, ut ab intestato hæres esset, vel compulit ad se hæredem scribendum, vel impedivit, ne, cum hæres esset scriptus, testamentum mutaretur, tanquam indignus repellitur ab omni hæreditate; & si solus est, hæreditas tota devolvitur ad fiscum, *l. 1. pr. ff. si quis aliquem testator. prob.* Si vero concurrat cum aliis hæredibus scriptis, vel ab intestato venientibus, portio indigni applicatur fisco; reliqua vero hæreditas ceteris hæredibus insontibus defertur, ne hi alieno delicto prægraventur. Et similiter legata, & fideicommissa innocentibus extradenda sunt, fisco falcidiam præcipiente, *l. 2. §. 1. 2. ff. si quis aliq. testar. l. 3. §. fin. ff. ad SC. Trebell.* 2. Testamentum metu gravi injusto factum de jure naturali subsistit; quia metus non tollit voluntarium, & coacta voluntas adhuc est voluntas *l. 21. §. 5. ff. quod met. caus.* De jure autem positivo Brunem. Schmalz. & alii, dicunt esse invalidum, quod & ego aliquando ut improbabile tenui: sed oppositum videtur probabilius, ut Menoch. Harppr. Peregr. & alii docent; nam tale testamentum nullibi a jure irritatur; tum quia hæredi sic instituto denegantur solum actiones: tum denique quia ceteri hæredes insontes ex tali testam. succedunt, legatarii legata, & fideicommissarii fideicommissa capiunt *l. 1. 2. ff. si quis aliq.* ergo tale testamentum valet: alias institutiones, legata, & fideicommissa corruerent. Argumenta contraria plus non probant, nisi quod portio indigni, qui metum intulit, confiscetur in pœnam delicti *l. 1. pr. ff. & l. 1. C. si quis aliq. testar.* Nec obstat *l. 26. §. fin. ff. qui testam.* nam pro testibus, qui debent esse rogati, id clare expressum est, quod iis coactis, & invitis, testamentum non valeat: de testatore autem id expressum non est. 3. Blanditiæ, quibus maritus uxorem, vel econtra, suaviter inducit ad condendum testamentum, non nocent blandienti *l. fin. ff. & l. fin. C. si quis aliq. test.* nisi blanditiæ, & preces essent armatæ, metui, & coactioni æquivalentes.

78. Q. VII. *An hæres teneatur dare cautionem idoneam de servandis legatis, & fideicommissis, & suo tempore præstandis*? ℞. Affirmative; maxime si legata sint conditionata, aut in diem: vel pura quidem, sed quæ moram in exequendo patiuntur, *l. 1. 14. 15. ff. ut legator.* ne scil. bona ista dilapidentur, & voluntas defuncti pereat. Quodsi cautio ista non præstetur, legatarii, & fideicommissarii mittendi sunt in possessionem bonorum legatorum custodiæ perpetuæ causa, *tit. ff. ut in possessione legator.* Excipe, nisi testator cautionem istam hæredi remiserit, quod & potest lege permittente, *l. fin. pr. ff. ut legator. & l. 2. 4. C. ut in possess. legat.* Quod speciale est, cum testator cautionem remittere non possit fructuario *l. 1. C. de usufr.* disparitas commoda datur ex eo, quia cautio fructuaria datur in favorem hæredis, cui lex præjudicari non voluit per testatorem; econtra cautio legatorum datur in gravamen, & onerationem hæredis, quod onus per testatorem tolli lex permisit.

§. VI.

De exequutione ultimarum voluntatum.

79. Q. I. *Qui constituere, & constitui possint exequutores ultimarum voluntatum*? ℞. 1. Testator constituere potest exequutorem testamentarium, unum, vel plures, mares, vel fœminas, majores, vel minores, *c. 3. h. t. l. 15. ff. de alim. legat.* Imo & Religiosus cum licentia sui superioris potest esse exequutor: sine licentia autem illicite agit: acta tamen sustinentur, cum nullibi irritentur, exceptis Fratribus minoribus seraphici Ordinis S. Francisci, qui nec cum licentia superioris munus exequutoris suscipere possunt, *Clem. 1. §. item quod v. cumque de V. S.* Nemo tamen regulariter cogi potest ad hoc munus, cum de se sit privatum, nisi necessitas aliud exposcat, *c. 19. h. t.* & tunc laicus a judice laico, Clericus ab Episcopo; religiosus a suo Prælato cogi poterit. 2. Si testamento nullus datus est exequutor, exequutio etiam quoad legata est pœnes hæredes, *c. 3. h. t.* exceptis piis relictis, quorum exequutio spectat ad Episcopum *l. 28. C. de Episc. & Cler. nov. 131. c. 10.* nisi aliud habeat consuetudo.

80. Q. II. *Quæ servanda sint in exequutione*? ℞. 1. Si exequutioni non potest præfigi tempus, ista fieri debet quam primum post aditam hæreditatem, saltem intra unum annum; qui a principio est utilis, deinde continuus: secus post negligentiam commissam potestas exequendi, saltem legata pia, devolvitur ad Episcopum *c. 3. h. t.* exequutor vero negligens privatur rebus sibi a defuncto relictis, *nov. 1. c. 1. §. 1. Auth. hoc amplius C. de fideicom. c. 6. h. t.* excepta legitima, qua hæres non privatur. Si tamen neget, vel diu usque ad coactionem judicis differat præstare legata pia, condemnandus est in duplum, *§. 19. In. de action.* Relicta, quibus privatur exequutor negligens, si ad piam causam sunt, vindicat Episcopus pro piis causis: si vero profana sunt, accrescunt hæredibus, vel collegatariis, *Auth. licet C. de Episc. & Cler. & cit. nov. 1. cum Auth. 2.* Exequutor jussus pecuniam expendere in pauperes indeterminate, si nominatim exceptus non est, & vera paupertate laborat, potest sibi aliquam portionem applicare; cum ita vere impleatur voluntas testatoris. 3. Finita exequutione, obligatur exequutor rationes reddere, exceptis minimis, super quibus juramento creditur, & his, quæ secretæ exequutioni defunctus commisit.

Clerici, & Religiosi, etiam exempti, rationem istam reddunt Diœcesano suo, in quo puncto ei subjiciuntur, *Clem. un. h. t.* quæ dispositio a Religiosis exemptis non videtur extendenda ad Clericos seculares exemptos; qui rationem reddent Papæ; quia forsan Religiosi in his executionibus magis delinquebant; & ideo Episcopo suo subjecti sunt.

81. Q. III. *Quis commutare possit ultimas voluntates?* ℞. 1. Princeps secularis quoad relicta profana, modo adsit justa causa, *l. 4. ff. de admin. rer. ad civ. pert.* nam voluntates, & bona subditorum stant sub dominio alto Principis; ergo cum iis disponere potest, prout exigit bonum publicum. Idem potest Papa, & Principes S. R. I. in suis territoriis. 2. Relicta pia commutare potest Papa ob generalem administrationem *Clem. 2. de Relig. domib.* & probabiliter etiam proprius Episcopus ex *Can. 6. v. deinde d.* 32. & Trid. *sess.* 22. *c. 6. de refor.* ubi potestas ista videtur Episcopis delegari, ibi: *tanquam delegati Sedis Apostolicæ*: nam hoc modo, cum relicta convertuntur in meliorem usum, non tam mutatur, quam declaratur voluntas defuncti. At hæredes, & exequutores, nisi specialiter hanc potestatem a testatore acceperint, nullo modo mutare possunt voluntatem defuncti, *c. 3. h. t. cap. 16. de for. comp. Clemen. 2. de relig. domib.* nam munus eorum est exequi, non invertere voluntatem defuncti. 3. Ad commutationem sufficit quæcumque justa, & rationabilis causa; ut si voluntas defuncti impleri non possit, vel non nisi difficillime; cum ad impossibile non detur obligatio; vel si in commutatione adsit necessitas, ut tempore pestis, famis, vel evidens utilitas &c. regulariter tamen minor causa sufficit ad commutanda legata profana, quam pia.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

Agitur de hac materia in Decreto, *Can.* 2. 12. *q.* 3. *& c. fin.* 12. *q.* 5. Jura antiqua de successionibus ab intestato referuntur in Instit. *lib.* 3. *tit.* 1. *usque ad* 13. in Pandectis *lib.* 37. *&* 38. *fere per tot.* in Codice *lib.* 6. *tit.* 56. *& seqq.* sed hodie obtinet jus novum ex *nov.* 118.

1. *Nota* 1. Successionem esse duplicem: *testamentariam*, quæ defertur ex facto, seu provisione hominis, scil. per testamentum defuncti, de qua *tit. præc. & legitimam*; seu *ab intestato*, quæ defertur ex sola provisione legis decernentis, quis in bonis defuncti ab intestato succedere debeat. Tunc autem quis dicitur *intestatus*, dum vel nullum fecit testamentum, vel non jure, seu valide, vel id, quod fecit, ruptum, aut alio modo dissolutum est. Porro illi dicuntur succedere *in capita*, quorum quot sunt capita, seu personæ, tot sunt æquales portiones: illi vero *in stirpes*, in quibus numerus personarum non attenditur, sed solius stirpis, ex qua descendunt: & ita tres, v. g. nepotes repræsentando suum patrem, seu stirpem, cum patruo succedunt avo; idemque capiunt, quod pater eorum accepisset, idque jure repræsentationis; quia omnes simul unam patris personam repræsentant, §. 6. *& fin. In. de hered. ab intest.*

2. *Nota* 2. Edictum, seu jus successorium esse illud, quod ab hæredibus prioribus non volentibus, vel non valentibus succedere deferebat hæreditatem intestati ad hæredes posteriores, *tit. ff. de successorio edict.* Et quidem ex *L. XII. Tabb.* successio fiebat de capite *in caput*, seu *de ordine in ordinem*, ita ut ab uno successionis ordine transiretur ad alterum; puta a *suis* ad proximum agnatum, & hoc deficiente, ulterius non procedebatur, sed hæreditas immediate devolvebatur ad fiscum. Sed hic rigor juris civilis temperatus est per varia edicta Prætorum, & constitutiones Imperatorum, & cœpit successio fieri, non *de ordine ad ordinem*, sed *de gradu ad gradum*, seu *de persona ad personam* intra eumdem ordinem, v. g. ut proximo agnato deficiente, alteri agnato esset jus succedendi. Facti ergo sunt tres ordines. In 1. ordine erant *sui*; quibus deinde exæquati sunt liberi emancipati, eorumque filii: arrogati vero nonnisi existentes in patria potestate. In 2. ordine erant agnati proximi, quibus deinde exæquati sunt remotiores agnati, & agnatæ. In 3. ordine erant cognati per lineam femininam descendentes. De his, si lubet, percurre historiam jurium antiquorum locis in fronte tituli allegatis.

3. Q. I. *Quis sit ordo successionis legitimæ, seu ab intestato de jure novo?* ℞. 1. Succedunt liberi justi cum suis descendentibus. 2. In horum defectu ascendentes. 3. His deficientibus, consanguinei proximi collaterales, sublata differentia inter agnatos, & cognatos, seu progenitos per lineam masculinam, & femininam: ita *nov.* 118. *c.* 1. 2. 3. 4. Tum 4. deficientibus collateralibus, succedit vir uxori, & econtr. *l. un. C. unde vir.* Ecclesia vero Clerico beneficiato, cui instar uxoris est, *c. 1. h. t.* 5. Tandem fiscus secularis in bonis laicorum, & Ecclesiasticus in bonis Clericorum non beneficiatorum *l.* 1. 4. *C. de bonis vacant.* Quæ circa hæc dubia sunt, in seqq. resolventur.

4. Q. II. *Qui, & quomodo liberi succedant?* ℞. 1. Succedunt liberi justi, seu ex legitimo thoro nati, vel legitimati per subsequens matrimonium, sive sui sint, sive emancipati, sive adoptati ab extraneo, vel aliquo ascendente, *Nov. 118. c. 1. l. 10. §. 1. C. de adopt.* Econtra filii naturales non succedunt patri, sed aliis liberis deficientibus, dantur duæ unciæ, inter eos, & matrem concubinam dividendæ: reliquæ vero decem unciæ cedunt consanguineis. Spuriis de jure civ. nihil esset dandum in detestationem tanti sceleris *Nov. 89. cap. fin.* at de jure Can. relinquenda sunt eis alimenta *cap. 5. in fin. de eo, qui duxit.* In matre, & avia aliud obtinet: nam filii naturales, imo & spurii æqualiter cum legitimis succedunt matri, & aviæ, aliisque per lineam maternam ascendentibus, *l. 8. ff. unde cognati*, quia respectu matris reputantur pro legitimis; nisi mater esset valde illustris, habens filios legitimos; tunc enim sola alimenta præstanda sunt naturalibus; *lib. 5. §. 4. ff. de agnosc. liber. lib. 5. C. ad SC. Orfician.* 2. Liberi primi gradus, ut filii, & filiæ, succedunt æqualiter in capita, seu in portiones æquales: liberi vero secundi gradus, ut nepotes, uti & pronepotes, si concurrant cum liberis primi gradus, succedunt jure repræsentationis in stirpes, seu portionem patris, aut matris capiunt, *cit. Nov. 118. cap.* 1. v. gr. tres sunt filii, & mortuo patre intestato, hæreditas est 30. millium; ergo quisque capit 10. millia; quod est succedere in capita. Et econtra duo filii sunt præmortui, & multos liberos relinquerunt, liberi cujusque patris portionem capiunt, scilicet 10. millia: quod est succedere in stirpes. Eadem successio obtinet, si soli nepotes existant: nam *cit. cap.* 1. generaliter, & indistincte asserit liberos secundi gradus succedere in stirpes. 3. Si pater repudiavit hæreditatem, filii ejus non succedent jure repræsentationis; bene vero patruis succedere possunt jure consanguinitatis. *l. 6. C. de legit. hæred.* 4. Liberi ex diversis nuptiis geniti, si parificatio prolium non intervenit, quique suo succedunt parenti: patri quidem, qui ex patre; & matri, qui ex matre sunt geniti, *l. 3. 4. 5. C. de sec. nupt. Nov.* 84. *cap.* 1.

5. Q. III. *Qui, & quomodo ascendentes succedant suis liberis?* ℞. 1. Deficientibus descendentibus, pater, & mater succedunt in capita; avi vero, & aviæ in stirpes: & quia in ascendentibus non est locus juri repræsentationis, ideo proximior ascendens, v. gr. pater, solus succedit, excluso remotiori, ut avo, & avia materna, qui non subintrant in locum filiæ, *Nov.* 118. *c.* 2. 2. Si cum patre, & matre, vel aliis ascendentibus concurrant fratres germani, & sorores defuncti, æqualiter succedunt in capita ex beneficio *Nov.* 118. *c.* 2. *§. si vero*: quod non extenditur ad fratres uterinos ex eadem matre, vel tantum consanguineos ex eodem patre procedentes. At si frater defuncti præmortuus est, relictis liberis, hi subintrant in locum sui patris, & jure repræsentationis cum aliis fratribus succedunt in stirpes *Nov.* 127. *c.* 1. An vero in illo casu, quo omnes fratres germani, & sorores defuncti decesserunt relictis liberis, hi jure repræsentationis cum ascendentibus succedant, dubium est: affirmant Konig, Haunoldus, & alii ex *cit. Nov.* 127. alii vero negant, quia dicta *Nov.* est correctoria Novellæ 118. *cap.* 3. adeoque restringi debet ad casum, quo nepotes cum fratribus defuncti concurrunt: secus si omnes fratres præmortui sunt, soli ascendentes succedent, exclusis nepotibus. 3. Frater utrinque conjunctus,

mortuo patre, non ſolus, ſed cum avo defuncti ſuccedit: ita comm. ex *Nov.* 118. *cap.* 2. ibi; *cum proximis gradu aſcendentibus vocabuntur*. Sed mortuo patre, & matre, avus paternus, aut maternus eſt aſcendens gradu proximior: is enim eſt proximior, quem nemo antecedit, *libr.* 92. *ff. de V. S.* ergo non excluditur, ſed una cum fratre germano defuncti concurrit ab inteſtato. 4. Filio adoptato pater extraneus adoptivus non ſuccedit, ſed pater naturalis, *l.* 10. §. 1. *C. de adopt.* Avus vero adoptans ſuccedit, excluſo patre naturali, *ibidem verſ. ſi vero pater naturalis* &c. filio tamen arrogato, ſi pubes moritur, arrogator ſuccedit: impuberis autem bona reſtituenda ſunt conſanguineis, *ibid. in fin.* & §. 3. *de adopt.* 5. Pater ſpuriis nullo modo, filiis naturalibus in defectu liberorum in duabus unciis, mater vero ex aſſe ſuccedit vel ſola, vel cum fratre germano defuncti *arg. Auth. defuncto C. ad SC. Tertull.*

6. Q. IV. *Qui, & quomodo ſuccedant conſanguinei collaterales in defectu deſcendentium, & aſcendentium?* ℞. 1. Succedunt fratres germani (nomine maſculino etiam femininum hic ſemper intellige) eorumque liberi, excluſis uterinis, & pure conſanguineis, *Nov.* 118. *c.* 3. *auth. ceſſante. C. de legit. hæred.* nam in germanis adeſt duplex vinculum, agnationis per patrem, & cognationis per matrem. His deficientibus ſuccedunt fratres conſanguinei, & uterini; & quidem æqualiter, ſi diſcreti ſunt; ſi vero mixti, tunc conſanguinei in bona paterna, uterini in bona materna; & utrique æqualiter in alia bona communia a defuncto acquiſita ſuccedent, *l.* 13. *C. de legit. hæred.* licet Fach. Schmier, & alii, in omnia bona æqualem ſucceſſionem eis attribuant ex *Nov.* 118. *c.* 3. *v. his autem non exiſtentibus*, ubi *citat. l.* 13. dicunt eſſe correctam. 2. Fratres germani ſuccedunt in capita: filii vero eorum cum aliis fratribus concurrentes tantum in ſtirpes *cit. Nov.* 118. *c.* 3. *auth. ceſſante C. de legit. hæred.* Hoc autem jus repræſentationis in linea tranſverſa non extenditur ultra fratrum, & ſororum filios, licet in linea recta pertingat in infinitum, *Nov.* 127. *c.* 1. At ſi extent ſoli filii fratrum germanorum, illi ſoli ſuccedunt: & quidem in capita, arg. ducto ab aliis collateralibus inferioribus, qui pariter in capita ſuccedunt, *cit. Nov.* 118. *c.* 3. *in fin.* Et hanc ſententiam Carolus V. firmavit in comitiis Spirenſ. *ann.* 1529. nam nepotes iſti, tali caſu, non jure repræſentationis, ſed jure proprio conſanguinitatis ſuccedunt. 3. Liberi ex fratribus conſanguineis, & uterinis, ſi ſoli ſint, ſuccedunt in capita: ſi vero extent fratres conſanguinei, aut uterini, videntur repelli ab omni ſucceſſione cum iſtis habenda: nam jus repræſentationis conceditur tantum liberis fratrum utrinque conjunctorum, ſeu germanorum *cit. Nov.* 127. *cap.* 1. niſi conſuetudo ſit, ut ſuccedant in ſtirpes. 4. Ceteri conſanguinei gradu proximi tandem vocantur: & quidem ſi plures ſint, in capita, *Nov.* 118. *c.* 3. *in fin.* quia ex propria perſona jure conjunctionis, non jure repræſentationis ſuccedunt. 5. Fratres arrogati, ſi non præceſſit emancipatio, ſibi invicem ſuccedunt, *l.* 2. §. 3. *ff. de ſuis l.* 10. §. 1. *& fin. C. de adopt.* 6. Illegitimi habentes communem patrem, ſed non matrem, nullo modo ſibi ſuccedunt; quia nec ſunt agnati, nec cognati; cum agnatio ex nuptiis, cognatio per matrem habeatur. At ſi matrem commune habeant, deficientibus legitimis, tum ſibi invicem, tum etiam cognatis per matrem ſuccedunt, §. 12. *Inſt. de nuptiis*, §. 4. *Inſt. de ſucceſſ. cognat.* 7. Conſanguineis omnibus deficientibus, uxor marito, & e contra ſuccedit, *l. un. ff. & l. un. C. unde vir.* imo ſi uxor pauper ſit, & dote careat, cum tribus liberis ſuccedit in quartam partem, cum pluribus in partem virilem; cujus ſolus uſusfructus debetur matri in vita: proprietas vero eſt liberorum; niſi hi matri præmorerentur, *Auth. preterea C. unde vir Nov.* 53. *c.* 6. *Nov.* 117. *c.* 5.

7. Q. V. *Quomodo, & in quibus bonis Eccleſia ſuccedat Clerico?* ℞. 1. Attento jure communi, Eccleſia Clerico beneficiato ſuccedit in bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis, excluſis etiam legitimis hæredibus, *c.* 1. *& fin. de pecul. Cler.* & hæc bona aſſervantur pro neceſſitatibus Eccleſiæ *c.* 12. *de teſtam.* aut conſignantur ſucceſſori, vel Canonicis in pios uſus eroganda. 2. In bonis patrimonialibus, vel quaſi, ſuccedunt Clerico legitimi hæredes, & in eorum defectu Eccleſia, *c.* 1. *h. t.* vel Camera Apoſtolica, maxime ſi Clericus non ſit beneficiatus per varias Bullas Pontificum Julii III. Pauli III. & IV. Gregor. XIII. &c. quæ tamen dicuntur non eſſe uſureceptæ in Gallia, Luſitania, & Germania. 3. Bona peregrinorum in hoſpitali decedentium, ſi fieri poteſt, tradenda ſunt hæredibus ab inteſtato ſuccedentibus: ſecus per Epiſcopum in pias cauſas eroganda: & ſi hoſpes aliquid ex iis ſurripuit, triplum reſtituere tenetur Epiſcopo, *Auth. omnes peregrini C. commun. de ſucceſſ.*

Hanc auth. approbavit etiam Honor. III. Conſtitut. Has leges *ann.* 1220. *la* 1. *in ordine apud Bullar. Cherub.*

Circa bona decedentium in noſocomiis, ſive condito, ſive non teſtam., ſive ad cauſas profanas, ſive pias, non inutile erit pro praxi ſub oculos habere ſequentia Cong. Conc. reſponſa ad dubia in Pragen facultatis teſtandi 8. Maii 1683. inter Fratres Servorum B. Mariæ Virginis Pragæ, & ſancti Joannis de Deo, prætendentes vigore aſſertorum privilegiorum, atque conſuetudinis, bona morientium in ipſorum noſocomiis, & apud morientes reperta eorumdem noſocomiorum commodo cedere debere.

I. An aliquis decedens in hoſpitali Fratrum Miſericordiæ Ordinis B. Jo. de Deo, qui in eodem hoſpitali prius aſportaverat pecunias, & alia mobilia, poſſit de iiſdem pecuniis, & mobilibus aſportatis diſponere per teſtamentum; ita ut dicti Fratres teneantur tradere dictas pecunias, & mobilia pro adimplenda voluntate defuncti; maxime ſi diſpoſitio teſtatoris fuerit ad pias cauſas, & cum onere miſſarum? Et quatenus affirmative.

II. An idem dicendum ſit, caſu, quo diſpoſitio non fuerit ad pias cauſas.

III. An aliquo decedente in dicto hoſpitali, nullo condito teſtamento, ejus ſubſtantia ibi aſportata cedat totaliter hoſpitali, excluſis omnibus ſanguine conjunctis; præſertim ſi hoſpitale de reliquo ſervetur indemne.

Sac. Cong. ℞. Ad I. & II. Affirmative, etiam de conſenſu Partium.

Ad III. Negative; niſi conſtet de contraria conſuetudine legitime præſcripta.

Agebatur hic de pecunia, & mobilibus pretioſis ſecum ad d. noſocomium aſportatis ab Antonio Eberto Peruſino, quæ morti proximus ibidem teſtamento legavit diverſis perſonis, & ſignanter Ungaricos centum præfatis Fratribus Servorum cum onere miſſarum.

8. Q. VI. *Quomodo monaſterium ſuccedat novitiis, & profeſſis?* ℞. 1. In bonis novitii probabilius nullo modo ab inteſtato ſuccedit, niſi forſan nulli ſint conſanguinei: ita comm. contra Clarum Decium &c. nam ex una parte jura novitii non devolvuntur ad monaſterium, niſi ſecuta profeſſione: ex altera vero parte non conſtat monaſteriis conceſſum privilegium ſuccedendi in bona novitii, vel ex eis legitimam percipiendi. 2. Bona omnia Religioſi profeſſi, ſi ante profeſſionem de illis non diſpoſuit, devolvuntur ad monaſterium, non modo quoad dominium, ſed etiam quoad poſſeſſionem abſque ulla corporali apprehenſione: ita *auth. ingreſſi, & ſeq. auth. ſi qua mulier. C. de SS. Eccl. Nov.* 5. *c.* 5. ibi: *ingredientem*. Quæ jura civilia recepta, & approbata ſunt a jure Can. *Can.* 7. 9. *cauſ.* 19. *q.* 3. nam æquum eſt, ut qui Deo perſonam ſuam obtulit, etiam monaſterio ſua bona relinquat; maxime cum profeſſione ſecuta, jus diſponendi amiſerit, & in monaſterium tranſtulerit. Hinc etiam ſequitur, quod ſi poſtea hæreditas devolvatur ad Religioſum, ea cedat munaſterio, cui liberum erit illam adire. Excipe 1. Regna, ducatus, & ſimilia bona, quibus annexa eſt juriſdictio perſonæ laicæ, & majoratus pro ſplendore, & conſervatione familiæ erectos: hæc enim non devolvuntur ad monaſter. *Excipe* 2. caſum, quo pater profeſſus eſt, & antea liberis ſuis nihil judicavit: tunc enim voluntate Prælati legitimam illis aſſignabit, computato etiam monaſterio, ut ei virilis portio obtingat, *cit. auth. ſi qua, & Nov.* 123. *c.* 38. quæ legitima, cum vicem alimentorum obtineat, ſtatim, non expectata naturali morte patris profeſſi, tradenda eſt liberis, ut colligitur ex *Can. fin.*

19. *q.* 3. *& c.* 14. *de regular.* Porro huic juri, & privilegio, cum sit humanum, consuetudine contraria derogari potest ex *c. fin. de consuet.* non tamen legibus secularibus, ne bona professi devolvantur ad monasterium, quia laici privilegia monasteriis data revocare non possunt *cap.* 10. *de constit.* nisi Papæ auctoritas accedat.

9. Q. VII. ***Quid sit bonorum possessio, & quid juris circa illam?*** ℞. I. Bonorum possessio est ***jus persequendi, retinendique patrimonii, sive rei, quæ cujusque, cum moritur, fuit***, *l.* 3. §. 2. *ff. de bonor. possess.* seu est successio in jus defuncti jure prætorio introducta, & implorato officio prætoris, seu judicis concedi solita. Differt ab hæreditate, seu successione civili, quia hæc introducta est a jure civili, puta ex lege, SCto, vel constitutione principum, hæredem facit, & nuda voluntate, seu solo animo absque imploratione officii judicis acquiritur, *l.* 20. *ff. de acq. hæred.* e contra bonorum possessio introducta est a prætoribus ob æquitatem; hæredem non facit, sed bonorum possessorem: & nuda voluntate non acquiritur, bene vero implorato officio magistratus. In effectu autem non multum differunt hæres, & bonorum possessor, cum in utrumque commoda, & incommoda hæreditaria transeant, *lib.* 1. 2. *ff. de bonor. possessionib.* Item differt a ***possessione rerum***, seu ***bonorum***, quia hæc magis est facti, quam juris, & plerumque circa singulas res; e contra bonorum possessio est jus; & quidem circa universitatem hæreditatis, *l.* 3. §. 1. *eod.*

10. II. Prætor per bonorum possessionem, vel ***adjuvat*** jus civile, dum eam concedit hæredibus civilibus, ut institutis dando bonor. possessionem ***secundum tabulas***, suos ab intestato per ***unde liberi***, & agnatos proximos per ***unde legitimi***, vocando ad successionem; vel ***supplet***, seu emendat jus civile, dum eos vocat, quos jus civile non vocavit ad successionem, ut filios emancipatos per ***unde liberi***, ***vel contra tabulas***, cognatos per ***unde cognati***; vel ***corrigit***, seu mitigat jus civile, dum alieno posthumo, qui jure civili tanquam incerta persona institui non potuit, dat bonorum possessionem, *pr. Inst. de bon. possess.*

11. III. Bonorum possessio est duplex: ***edictalis***, qua jus in edictis proponitur circa successiones: & ***decretalis***, qua prætor actu decernit, seu per sententiam concedit successionem. Item alia ***ordinaria***, quæ certa edicti parte continetur: ***extraordinaria***, quæ in edicto non continetur, sed aliqua lege nova, vel SCto, vel Constitutione conceditur. Item alia ex testamento, ut secundum tabulas: alia ab intestato, ut ***unde legitimi*** &c.

12. IV. Jure novo Justinianæo sex dantur species bonorum possessionis ordinariæ. ***Contra tabulas***, quæ datur liberis in testamento præteritis, ***Secundum tabulas***, quæ datur hæredibus institutis: directa quidem scriptis; utilis vero ex mente legis iis, qui in testamento nuncupativo instituti sunt, *l.* 8. *in fin. ff. de bon. poss. sec. tabul.* ***unde liberi***, quæ datur ab intestato liberis suis, emancipatis, adoptatis, seu capite minutis. ***Unde legitimi***, quæ datur ab intestato agnatis proximis, per lineam masculinam descendentibus. ***Unde cognati***, quæ ab intestato datur cognatis proximis per lineam fœmininam conjunctis: quo etiam spectat successio, qua ex SCto Tertulliano mater liberis, & ex SCto Orficiano liberi matri ab intestato succedebant. Denique ***unde vir, & uxor***, quæ, nullis extantibus cognatis, datur viro, ut uxori intestatæ succedat, & e contra. Denominationes istæ desumptæ sunt a primis verbis edicti, sicut in interdictis, v. g. ***quorum bonorum***, ***unde vi*** &c. Ceteræ quatuor species sunt cassatæ, de quibus vide *tit. Inst. de bonor. possess.*

13. V. Species extraordinariæ bonorum possessionis sunt variæ: ut ***Carboniana***, a Carbone prætore introducta, quæ datur impuberi, qui filius esse negatur, dilato status judicio usque ad tempus pubertatis, *tit. ff. de carbon. edicto.* ***Ventris***, seu existentis in utero in possessionem mittendi, *tit. ff. de ventre in poss. mittend.* ***Militaris***, quæ datur agnatis usque ad quintum gradum, ut possint succedere militi capitis damnato in bonis castrensibus, si bona ejus confiscantur, *tit. ff. de veteranor. militum success.* VI. Hodie bonorum possessiones videntur omnes sublatæ; seu potius per Constitutiones imperiales translatæ in successiones legitimas ab intestato: licet quoad effectum utiliter permaneant pro illis casibus, quibus hæredes apud magistratum auxilium petunt ad tuendam suam hæreditatem, ut non raro fieri videmus. Notitia theorica plenior de bonor. possessionibus haurienda est ex textu edicti Salviani, & juribus supra in fronte tituli allegatis.

14. Q. VIII. ***Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis in ordine ad successiones hæreditarias?*** ℞. Juxta sequentem regulam, quæ valet in linea ascendentium, & descendentium, & etiam in linea collateralium: ***tot sunt gradus, quot sunt generationes***; seu ***tot sunt gradus, quot personæ, una dempta***, v.g. ego, & avus distamus secundo gradu, quia mediant duæ generationes: una, qua pater meus genitus est, & altera, qua ego genitus sum: vel quia sunt tres personæ: ego, pater, & avus, ergo una dempta, remanent duo gradus. Rursum in linea collaterali ego, & patruus meus, seu patris frater, sumus in tertio gradu, quia numerantur quatuor personæ: avus, patruus, pater meus, & ego; ergo una dempta, manent tres gradus: ego vero, & patrui filius sumus in quarto gradu, quia mediant quinque personæ, avus patruus, pater meus, filius patrui, & ego. Nepotes duorum fratrum distant sexto gradu, quia adsunt septem personæ: avus, Titius, & Cajus, filii illius, Titii filius, & ex filio nepos, Caji filius, & ex eo nepos. Vide in hac tabella.

Avus.	
Patruus 4.	*Pater meus* 3.
Patruelis 5.	*ego* 2.
ejus filius 6.	*filius meus* 1.

Horum ultimorum filii distabunt 8. gradu; & sic de ceteris. In praxi scribe personas in tabella, unam deme, & gradum, quo alter ab altero distat, invenisti. Quare autem in jure Canonico in ordine ad matrimonium, ubi semper duæ personæ ad illud contrahendum sunt necessariæ, aliter gradus isti computentur, dicetur in *lib.* 4. *tit. de consanguinit.* Unum adhuc hic interrogabis: cur in linea transversa, v. g. inter duos fratres; non admittatur gradus primus? seu cur duo fratres distent gradu secundo? ℞. Quia duo fratres non sunt inter se proximi cognati, cum tertius mediet, scil. pater, qui singulis eorum est propinquior. Quia vero ex reliquis fratribus, aut sororibus nullus est propinquior fratri eorum, sed æqualiter propinqui, ideo omnes dicuntur æquales gradu, seu in eodem gradu esse, & conf. ad legitimam successionem fratris omnes æqualiter vocantur. Ceterum computatio ista graduum in ordine ad hæreditates servatur etiam in jure Can. cum nullibi sit correcta, sed potius approbata ad Alex. II. *Can.* 2. *ad sedem* 35. *q.* 5. ubi etiam ratio datur, cur aliter computentur gradus in ordine ad matrimonium. De gradibus istis vide in Inst. *lib.* 3. *tit.* 6. in Pandectis *lib.* 38. *tit.* 10. ubi etiam nomina consanguineorum, & affinium reperies, uti etiam in Lexicis, & Dictionariis obviis.

15. Q. IX. ***Quid sit collatio bonorum, & quid juris circa eam?*** ℞. I. Collatio bonorum est quarundam rerum in communem hæreditatis massam illatio; ea de causa facta, ut hæreditas æqualiter absque injustitia inter cohæredes dividatur. Et quidem de jure novo sequentia observantur; quæ strictim comprehendo, &c.

16. ℞. 2. Ad collationem bonorum tenentur omnes liberi, sive emancipati, sive sui, sive ex testamento, sive ab intestato; dummodo concurrere velint jure universali tanquam cohæredes ad hæreditatem paternam, seu judicium familiæ herciscundæ, ***Auth. ex testamento, & l.*** 17. *C. de collationib.* nam liberis inæqualitas fieri potest etiam existente testamento, ut si unus præcipuum quid habeat, alter nihil. Excipe, nisi pater expresse prohibuerit collationem alicujus rei a se datæ, *citat. Auth.*

17. ℞. 3. Illa tantum bona substant collationi, quæ, vivo patre, ab ejus recesserunt patrimonio, seu bona profectitia a patre in liberos profecta. Cujusmodi sunt 1. Dos, & donatio propter nuptias; modo sit profectitia, seu data a patre; & omnia ea, quæ in legitimam imputantur, *l.* 20. *C. de collation.* 2. Bona filio in Clericum ordinando in vicem tituli assignata: uti etiam bona filio, aut filiæ religionem ingressis pro ali-

alimentis perpetuis data: nam talia bona vim habent dotis, & donationis propter nuptias; & nisi conferrentur, magna esset inæqualitas inter liberos; ergo sunt conferenda *arg. l.* 20. *cit.* 3. Sumptus facti pro *militia*, puta palatina, hoc est, pro officio palatino habente suos redditus; ita ut emi, & vendi possit, & ad hæredem transmitti *l.* 22. *ff. de legat.* 2. *l. pen. C. de collat.* nam lucrum talis officii, seu militiæ palatinæ uni filiorum comparatæ, non debet cedere in aliorum detrimentum. 4. Debita omnia inutiliter facta, & a patre soluta; ut si filius pecuniam dilapidet in lusu alearum, in potationibus &c. nam talis nequitia, & lascivia non debet prodesse filio. 5. Omnia illa, quæ filius furto sustulit patri. Et quia furta similia plerumque occulta sunt, confessarii munus erit talem filium obligare, ut vel ex bonis propriis, si quæ habet, restitutionem faciat; vel in divisione hæreditatis tanto minus percipiat, quantum sustulit. 6. Impensæ omnes, quas pater fecit in pœnam delicti a filio perpetrati: nam pietas ista patris solventis non est voluntaria, sed necessaria, ut nocere non debeat aliis prolibus. 7. Lucra omnia profectitia, quæ filius fecit ex administratione bonor. pater. In casu magnæ industriæ, & laboris a filio impensi, æquitas, & benignitas suadet, ut filio pro laboribus præcipuum quid assignetur, sicut assignari deberet institori, seu factori, aut simili administrari. Hæc ergo in collationem veniunt; nisi aliqua ex his pater remittat, vel nisi filius contentus portione a patre sibi relicta, abstinere velit a concursu, & judicio familiæ hercifcundæ: tunc enim filius non tenetur conferre, etsi majorem partem habeat, *l.* 1. §. 6. *l.* 2. §. 5. *ff. de collat.*

18. ℞. 4. Bona quæ collationi non subsunt, sunt: 1. Castrensia, vel quasi-castrensia, & adventitia quoad proprietatem, *l.* 4. *C. fam. hercisc.* imo si pater remisit usumfructum in adventitiis, iste non est conferendus *l.* 4. §. 2. *C. de bonis, quæ liber.* quia videtur non tam amissus a patre, quam non acquisitus illi; cum ususfructus singulis momentis acquiratur, & constituatur, *l.* 1. §. 3. *& l.* 3. *ff. de usufr. accrescend.* 2 Acquisita post mortem patris, & quæ extero, seu jure singulari ex testamento capiuntur, ut legata, fideicommissa, donationes mortis causa *l.* 10. *C. de collat.* nam quæ extero jure capiuntur, ex voluntate patris censentur esse præcipua. 3. Impensæ factæ ad procurandam dignitatem filio, vel pro gradu magisterii, aut doctoratus *l.* 1. §. 15. 16. *ff. de collat.* tum quia dignitas ista cedit in honorem patris; tum quia filio nullum affert lucrum transmissibile: sicut e contra affert militia palatina, quæ longe alia est a dignitate. 3. Impensæ factæ in studia filii, vel in condiscendam artem mechanicam: nam tales impensæ vim habent alimentorum, & quasi castrensis peculii, sicut impensæ factæ propter militiam armatam; maxime cum studia filii cedant in honorem patris. Nec obstat, quod filius per studia deinde multum acquirat: id enim non proficiscitur ex bonis paternis, sed ex industria filii. 4. Impensæ factæ in solemnitatem nuptialem; cum ista cedat in honorem patris. Secus dicendum de pretiosis vestibus, curribus, equis, annulis, & hujusmodi; quæ cedunt in partem dotis, & donationis propter nuptias; & consequenter veniunt in collationem, Gail. & alii. 5. Circa libros, qui dantur filio studenti, est dubium: communior sententia docet, eos non esse conferendos; quia vim habent peculii quasi castrensis, saltem dispositive; præsertim si filii studentes evadant in dignitatem magisterialem, vel fiant advocati, Clerici, aut Religiosi, Gloss. in *l.* 50. *ff. famil. hercisc.* 6. An donatio simplex, seu mere gratuita, quæ non fit ex causa onerosa, seu necessaria, conferenda sit, magnum est dubium. Et quidem donatio facta filio emancipato, vel facta a matre, aut avo materno, regulariter non est conferenda, *l. pen. C. de collat. l.* 35. §. 2. *C. de inoff. testam.* nisi donatum fuisset cum conditione, seu pacto conferendi; vel inæqualitas poneretur inter cohæredes, ut quia isti donationes suas conferre debent. Nec obstat *l.* 17. *C. de collat.* nam loquitur de donationibus ob causam; uti sunt dotes, & donationes propter nuptias, non vero de donatione simplici. Probabile etiam est, quod donatio facta filio suo, seu in patria potestate constituto, non sit conferenda: ita communior sententia ex *l.* 18. *C. famil. hercisc.* ubi filia post mortem patris id præcipuum habere dicitur, quod pater nomine ejus comparavit, & per *l. pen. C. de collatione*, nec suus, nec emancipatus donationem simplicem conferre tenetur; nisi in duplici casu supra dicto, si pater cum tali conditione donavit, vel inæqualitas sequeretur inter liberos, eo quod ceteri accepta a patre conferre deberent; ergo extra hos casus donatio simplex non est conferenda. *Ratio est*, quia donatio *suo* facta, vim habet legati, cum non valeat, nisi post mortem patris; legatum autem non est conferendum: tum quia liberi non debent esse deterioris conditionis, quam extranei: sed hi donationem simplicem non conferunt; ergo nec liberi. Oppositum non improbabiliter docet Zoes *tit. ff. de collat. a n.* 25. ex *l.* 13. *C. de collat.* quæ tamen lex explicari solet de fundo dato in peculium filii, vel propter nuptias: imo aliqui textum legunt negative: *non postulas.*

19. ℞. 5. Modus, quo fit collatio, est varius; ut res ipsas conferendo, tantum remittendo, quantum quis a patre accepit: cautionem dando per fidejussores de tanto conferendo, quantum videbitur &c.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, & Extravag. Com. *h. t.* in Decreto 13. *q.* 2. in Trid. *S.* 25. *c.* 13. *&* 19. *de refor.* in Pandectis *l.* 11. *tit.* 7. 8. in Codice *l.* 3. *tit.* 44. *Nov.* 59. *&* 60.

1. *Nota*, Sepulturam tripliciter posse accipi: 1. Pro ritu sepeliendi mortuos *Can.* 105. *dictum* 1. *q.* 1. 2. Pro jure inferendi cadaver in sepulchrum, *Clem.* 2. *h. t.* 3. Pro loco ad sepelienda mortuorum corpora deputato, *c.* 3. *h. t.* Et quamvis de jure civili, quilibet privata auctoritate, per sepulturam mortui, efficere potuerit locum *religiosum* §. 9. *Inst. de rer. division. & tit. ff. & C. de religios.* tamen de jure Canon. apud Christianos ille solum locus efficitur religiosus, qui auctoritate Episcopi erigitur, & benedicitur ad sepelienda pie decedentium corpora, ut perpetuus usus Ecclesiæ docet. Aliter vocatur *cœmeterium*, seu *dormitorium* a dormitione fidelium, qui in universali resurrectione evigilabunt; soletque construi penes Ecclesiam, nisi necessitas, vel alia causa exigat, ut alibi deputetur.

2. Q. I. *An quilibet eligere sibi possit sepulturam in quocumque loco religioso?* ℞. Affirmative, nisi specialiter prohibeatur, *c.* 1. *h. t.* nam sepultura est pars ultimæ voluntatis; ergo cadit sub liberam electionem; etsi locus sit minus religiosus, ubi, v. g. tantum semel, aut bis per annum missa celebratur, *c.* 2. §. *fin. h. t. in* 6. Cui non obstat *c.* 3. *h. t.* quia videtur loqui de loco minus religioso contrarie, seu non religioso. Prohibentur autem sepulturam eligere infantes, impuberes, & ratione carentes, ob defectum judicii, & Religiosi professi, nisi valde remoti essent a monasterio. Prælati vero, cum in multis proprium velle habeant, absolute eligere possunt sepulturam, licet convenientius in suis Ecclesiis sepeliantur; maxime si regula id statuat.

3. ℞. 2. Filiusfam. pubes eligere potest sepulturam, cum quoad jura spiritualia non subsit patriæ potestati: at pater pro filio impubere nequit eligere sepulturam, nisi consuetudo terræ aliud habeat, *c.* 4. *h. t. in* 6.

4. ℞. 3. Mandatarius ad eligendam sepulturam, si eam ante mortem mandantis non elegit, post mortem ejus eligere non potest; sed mandans sepeliendus erit in Ecclesia Parochiali: ita volunt Lapus, Petra, Pirh. &c. ex reg. generali, quia mandatum, re integra, morte mandantis expirat, *c.* 20. *de offic. deleg.* Sed ego ex hoc fundamento non convincor: quia ob speciales rationes mandata extrajudicialia, etiam re integra, non expirant, *l.* 31. *pr. ff. de procur. l.* 9. §. 1. *ff. de jur. dot. l.* 17. §. 2. *ff. de institor. &c.* atqui etiam mandatum, seu delegatio de funerando, & conf. de sepultura eligenda morte mandantis non expirat, ut expresse docet JCtus *l.* 12. §. 4. *de religios.* cum tale mandatum ex natura sua respiciat tempus mortis; ergo etiam post mortem mandantis sepulturam ei eligere potest, non secus ac bona ejus distribuere *c.* 3. *de testam.* Et cum jure Can. non inveniatur contrarium statutum,

tum, censeo hanc posteriorem sententiam juri esse conformiorem; dummodo simile mandatum, sicut ipsa electio sepulturæ legitime probetur saltem per duos testes, vel per testamentum, aut codicillum, vel aliam scripturam legitimam. Unus autem testis, licet sit confessarius, regulariter plene non probat; nisi alia adminicula concurrant.

5. ℞. 4. Qui voto, aut juramento sepulturam elegit, sponte, & sine dolo, illud observare debet, cum non vergat in dispendium salutis æternæ *c.* 28. *de jurejur.* nisi status mutaretur; ut si talis factus sit Episcopus, aut Religiosus; quia circumstantia ista prævisa non fuit. At si Clericus extraneus, vel Religiosus aliquem inducat, ut relicta Ecclesia Parochiali, voto, aut juramento eligat sepulturam in eorum Ecclesia, votum, & juramentum irritum est: inducens vero ad illud incurrit excommunicationem ipso facto Papæ reservatam, *c.* 1. *h. t. in* 6. *Clem.* 3. *in fin. de pœnis:* qua pœna non tenetur Parochus inducens suum Parochianum ad eligendam sepulturam in Ecclesia Parochiali, licet cogendo, illicite agat.

6. Q. II. *Ubi sepeliendus sit, qui nullam sepulturam elegit?* ℞. 1. In sepulchro suorum majorum, more Patriarcharum *c.* 1. *h. t.* ex Genes. *c.* 25. 49. 50. Quod si diversa sint sepulchra, filius sepelietur in sepulchro avi, & Patris, quibus est propinquior; non vero in sepulchro proavi, & atavi. Si Pater solus sepultus est in alio loco, multi indistincte docent cum Gloss. *c.* 3. *h. t. in* 6. *v. ab antiquo*, filium sepeliendum esse in sepulchro avi, & aliorum majorum: quod verum judico, si Pater fortuito sepultus est in tali loco: at si Pater expresse specialem sepulturam constituit pro se, & suis descendentibus, censeo cum Abbate, & aliis, filium sepeliendum esse in sepulchro patris; quia & hoc antiquum dicitur, & magis congruit filio. 2. Filii naturales, & spurii plerumque sequuntur matrem in sepultura; adoptivi patrem adoptivum, si eo vivente decedant: secus in sepulchro patris naturalis humandi sunt. 3. Uxor ante, vel post maritum mortua, sepelitur in ejus sepulchro: & si hoc maritus non elegit, sepelienda est in sepulchro suorum majorum: maritus vero non est sepeliendus in sepulchro uxoris, sed suorum majorum, nam juxta *c.* 3. 13. *q.* 2. *unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte:* & quidem ultimum, si plures habuit, *c.* 3. *in fin. h. t. in* 6. sed non e contra: cum vir, & uxor æquiparentur solum, quoad jus maritale; non vero quoad alia jura, ut domicilii, fori, sepulchri, in quibus uxor maritum, non maritus uxorem sequitur: quo sensu explicatur *Can.* 2. *Ebron.* 13. *q.* 2. 4. Clericus beneficiatus, si majorum sepultura careat, & aliam non elegit, sepeliendus est in loco beneficii, cum in eo domicilium contrahat *c.* 29. *de rescript.* & Sacramenta administret, atque percipiat, licet alibi habitet, nisi aliud habeat consuetudo.

☞ *Circa infantium sepulturam notandum est statutum Cleri Romani, quod prævio examine Congregationis particularis a Clemente XI. deputatæ, legitur in additionibus ejusd. statuti* §. 7. & 8. *ibi* - Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, retinent domicilium in Parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in aliena Parochia decedant. Patre vero orbatos, quousque apud ipsam matrem aluntur, licet in potestate tutorum, non matris existant, de Parochia matris, non tutorum, esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam Parochiam dentur a matre, domicilium in Parochia matris; si vero utroque parente caruerint, domicilium in Parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod si nec tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur.

Educandæ decedentes in monasteriis monialium, non electa sepultura, nec habentes majorum sepulcrum, sepeliendæ sunt in Parochia, intra quam monasterium situm est, non in Ecclesia monialium: in qua tamen sepeliri poterunt, si ibi eam sibi elegerint: & tunc Parocho ejusdem Parochiæ debetur tantum quarta funeralis ex decreto Cong. Conc. in Feretrana 21. *April.* 1742. *ut in Thesaur. resol. tom. II. pag.* 68. *Idipsum dicendum est de secularibus mulieribus in iisdem monasteriis, vel famulatus, vel alia quacumque causa, legitima facultate commorantibus, ac inibi decedentibus; uti etiam disponitur in additionibus ad statutum Cleri Rom. c.* 3. *de jur. elig. sepult. ad* §. 9. *ut infr. n.* 11. ☜

7. Q. III. *Quibus Ecclesiis de jure communi competat jus sepulturæ?* ℞. Omnibus, & solis Ecclesiis Parochialibus, *c.* 1. 3. 10. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. *Clem.* 2. §. *verum eod.* quæ jura fundant intentionem Parochi; ita ut alius prætendens jus sepulturæ, teneatur illud probare ex jure speciali. Unde in Ecclesia Parochiali sepeliendi sunt omnes Parochiani, qui majorum sepulchro carent, & aliud non elegerunt, *ibid.* hodie tamen consuetudo obtinuit, ut quis ibi sepeliatur, ubi mortuus est. Item quasi incolæ, ut studiosi, famuli, & hujusmodi, qui quasi domicilium fixerunt in loco, ibi pariter sepeliendi sunt, cum & sacramenta inibi perceperint.

8. Q. IV. *Qui ex jure speciali habeant jus sepulturæ?* ℞. 1. Illi solum, quibus id ex speciali privilegio Papa concessit; vel in sua diœcesi Episcopus cum debitis solemnitatibus ad alienationem requisitis. Tale privilegium in corpore juris clausum habent inclytus Ordo Prædicatorum, & Seraphici Ordines S. Francisci, *Clem.* 2. *Dudum v. hujusmodi, & Extrav.* 2. *Super cathedram v. hujusmodi h. t. inter com.* omnesque alii Regulares in privilegiis communicantes: qua communione gaudet etiam Scholarum Piarum Religio ex Const. Gregorii XV. *Ad uberes* 1622. 15. *Octobr.* Clem. IX. Const. *Ex injuncto* §. *nos prospero*, ibi: *ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum.* Vi cujus privilegii Regulares sepelire possunt in suis Ecclesiis quoscumque fideles, qui sponte apud eos sepulturam elegerunt.

9. ℞. 2. In usu hujus privilegii observanda sunt specialia pacta, & consuetudines, quæ inter Parochum, & Regulares introducta sunt *c.* 1. *& fin. de pactis in* 6. quibus seclusis, Regulares in delatione cadaveris ad locum sepulturæ attendere debent dispositionem Leonis X. in Conc. Later. quam renovavit S. Congreg. edito decreto 1604. 20. *Jan.* his verbis: *Declarat, & statuit, quibusvis Regularibus quorumcumque Ordinum tam mendicantium, quam non mendicantium existant, nullo modo licere Parochias cum cruce processionaliter, aut alias, ad efferenda, & levanda defunctorum funera intrare, vel illa levare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsente, vel nisi requisitus dissentiat, aut venire expresse recuset &c.* Quod decretum praxi, & usu regionum nostrarum firmatum est. 2. Nec hæredes, nec Regulares cogi possunt, ut cadaver defuncti prius ad Ecclesiam Parochialem deferatur, ut ex Constit. Sixti IV. *Regimini* 31. *Aug.* 1474. vel ibidem missæ pro defuncto celebrentur: declaravit Rituum Cong. 13. *Julii* 1675. Multo minus, si ex aliena Parochia corpus defuncti devehatur, seu deferatur sine solemnitate funebri ad Regulares in alio loco existentes, requiritur licentia Parochi loci, vel delatio cadaveris ad ipsius Ecclesiam: nam jura plus non requirunt, nisi consensum proprii Parochi, qui in præsenti adest ad hoc, ut corpus parochiani levetur; non vero consensum Parochi loci, ubi Regulares existunt. 3. In actu sepulturæ Parochus nullo modo se immiscebit, sed ipsi Regulares cum sua cruce intra suum territorium corpus defuncti ad sepulchrum comitabuntur, missas, & psalmos cantabunt, ut communiter observatur, ex Constit. Clem. X. *Nuper* 18. Jan. 1672. & Rota coram Ratto *decis.* 84. *n.* 6. Id tamen Parocho permittitur, ut si velit, cum stola Ecclesiam Regularium intrare possit, & ibi sepulturæ interesse, cum hoc modo non exerceat ullum officium. Plura de his vide in Donato *par.* 3. *tr.* 3. *q.* 19. Bordon. Peyr. Barbos. & aliis fusioribus.

☞ *Nota, quod non amplius suffragatur Parocho pro ingressu cum cruce, & stola in Ecclesias Regularium Constitut. Bened. XIII.* Pretiosus *ann.* 1725. *hac enim revocata fuit a Clem. XII. ut notavi lib. V. tit.* 33. *de privil. post n.* 24. *ad cujus revocationis tramitem omnia Urbis tribunalia hodie decidunt, ut videre est in celebri Baren. Juris tumulandi coram Aldrovando* 12. *Jan.* 1733. & 29. *Novemb.* 1743. *coram Vajo; ac in Melevitana funerum coram Mellino* 23. *Novemb.* 1744. *& novissime ita etiam decisum fuit* 4. *Feb.* 1757. *a Cong. Episcop. & Regul. in Pientina* fune-

funerum pro Minoribus Conventualibus, *licet eorumdem conventus subesset jurisdictioni Ordinarii ob defectum præscripti numeri Religiosorum.*

10. ℞. 3. Regulares in suis Ecclesiis sepelire possunt non tantum suos professos, sed etiam novitios; qui in favorabilibus nomine Religiosorum veniunt: item famulos domesticos, & alios familiares: ita comm. ex repetitis privilegiis SS. Pontificum Clemen. IV. Pauli III. &c. Rodriq. Donat. & alii, dummodo famuli Religiosorum intra septa monasterii moriantur. Si Religiosus in loco propinquo decedat, etsi a Parocho Viaticum acceperit corpus ejus, inconsulto Parocho, levari, & ad monasterium deferri potest, nulla pensione data parocho, ut declaravit S. Congreg. 1615. *die* 22. *Maii*, nam talis Religiosus fingitur mortuus in suo monasterio, ejusque sepultura spectat ad Prælatum, tanquam suum proprium Parochum.

11. ℞. 4. Moniales non participant privilegium *Clementin.* 2. *h. t.* adeo ut in earum Ecclesiis sive interioribus, sive exterioribus nec vir, nec femina sepulturam eligere possit, ne quidem puella, quæ educationis causa in monasterium data est: ita hodie comm. ex pluribus declarationibus Sacr. Congregat. in Feretrana 21. *Nov.* 1603. in Maceratensi 1652. *die* 8. *Nov. &c.* *Vide supra n.* 6.

12. Q. V. *Quid juris in dubio de loco sepulturæ?* ℞. 1. Si lis inter contendentes facile decidi nequeat, defunctus sepeliendus est in Ecclesia parochiali, omni appellatione postposita: nam ex una parte Ecclesia parochialis quoad jus sepulturæ habet suam intentionem fundatam in jure, & alteri id prætendenti incumbit opus probandi: ex altera vero parte sepultura hominis non recipit dilationem, *l.* 38. *ff. de religios.* 2. In casu, quo Ecclesia est in possessione juris sepeliendi, corpus in alia Ecclesia sepultum, non est exhumandum, donec titulus proprietatis probetur: nam casus iste, ne vexetur corpus humanum, specialiter exceptus est a regula, quæ jubet, spoliatum ante omnia restitui, ut patet ex *c.* 6. *h. t.* ubi exceptiones contra spoliatum admittuntur. 3. Corpus, sive a Parochis, sive a Regularibus sepultum in eorum Ecclesiis, quod certo in alia Ecclesia sepeliri debuit, exhumandum, & isti Ecclesiæ cum omnibus, quæ ratione funeris accepta erant, restituendum est, *c.* 5. 6. 10. *h. t.* nisi forsan alia compositio fieret: quæ utique ad evitandum scandalum, si quod timetur, rigori juris præferenda est. 4. Ex hodierna consuetudine laici licite sepeliuntur in Ecclesia, ut ea solum de causa non sint exhumandi, & ad commune cœmeterium transferendi, *Can.* 17. *cum gravia* 13. *q.* 2. licet olim in Ecclesiis non sepelirentur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici communiter pro sanctis habitis, *Can.* 15. *&* 18. *ibid.*

13. Q. VI. *Quibus neganda sit sepultura sacra?* ℞. 1. Paganis, judæis, aliisque infidelibus; quorum corpora exhumari, Ecclesia polluta reconciliari, tigna, & parietes radi, atque lavari debent, *Can.* 28. *d.* 1. *de consecr.* 2. Hæreticis, non toleratis, & excommunicatis, saltem si denuntiati sint, & vitandi, nisi in articulo mortis absoluti sint *c.* 3. *& fin.* 24. *q.* 2. *c.* 13. §. *credentes de hæretic.* etsi hæresis primo post mortem innotuerit. Horum corpora exhumanda, cœmeterium, & Ecclesia polluta reconcilianda, *c.* 7. *de consecr. Eccl.* 3. Notoriis, & denuntiatis interdictis; nisi ante mortem signa pœnitentiæ dederint, *c.* 12. *pr. h. t.* 4. Infantibus fidelium sine baptismo decedentibus; uti & catechumenis, licet pro his Ecclesia oret, cum per baptismum non sint ingressi in Ecclesiam. 5. Denique sacra sepultura carent omnes notorii, & publici peccatores sine pœnitentia decedentes, *Can.* 16. *quibus* 3. *q.* 2. cujusmodi sunt usurarii manifesti *c.* 3. *de usur. c.* 2. *eod. in* 6. detentores decimarum Ecclesiasticarum, *c.* 19. *de decim.* raptores, & incendiarii, *c.* 2. 5. *de raptor.* in torneamentis, hastiludiis, & duellis occisi, *c.* 1. *& fin. de torneam. Trid. sess.* 25. *c.* 19. *de refor.* sponte, & deliberate sibi mortem inferentes laqueo, præcipitio, veneno *c.* 12. *placuit.* 23. *q.* 5. nisi delirium eos excusaret a peccato. Is vero, qui tempore incendii, quo mors certa imminet, ex loco alto ad salvandam vitam se præcipitat, non est privandus sepultura sacra, etsi contingat eum ex casu mori: nam sponte id non facit, sed ex gravissima necessitate inter duo mala eligit, quod minus est, & quod probabilius, & certius judicat ad vitam salvandam, quo casu necessitas facit licitum, quod in jure est illicitum. Demum Religiosi proprietarii, *c.* 2. 4. *de statu monach.* & qui negligenter omiserunt confessionem annuam, & communionem paschalem, *c.* 12. *de pœnitent. & remiss.* & quotquot in peccato notorio, & manifesto sine pœnitentia moriuntur.

14. ℞. 2. Ossa illius, qui non potuit, & sepultus est in loco sacro, exhumanda sunt, si ab aliis discerni possint: secus non, ne corporibus aliorum fidelium injuria fiat, *c.* 12. *h. t.* Ecclesia tamen non polluitur, nisi in casibus supra dictis, si infidelis, hæreticus, & vitandus excommunicatus sepeliatur. Si autem hæreticus sit toleratus, ut lutheranus in Germania, illicite quidem sepelitur, Ecclesia tamen non polluitur. In locis, ubi catholicis permixti sunt hæretici tolerati, consuetudo locorum servanda est, quam dira necessitas cohonestat.

15. ℞. 3. Corpora ultimo supplicio damnatorum, si hi contriti Ecclesiastica sacramenta perceperunt, recte donantur sepultura sacra, *c.* 30. *quæsitum* 13. *q.* 2.: nam Ecclesia, quibus sua sacramenta concedit, eis non denegat sacram sepulturam, ergo. Nec obstat *Can.* 12. *ibid.* nam procedit de illis, qui impœnitentes ultimo supplicio affecti sunt. An vero consuetudo illa, vi cujus cadavera mortuorum in patibulo, furcis, & rotis, insepulta manent, sit rationabilis, & tolerabilis, a multis dubitatur: multi negant ex *cit. Can.* 30. *& l.* 1. *& fin. ff. de cadaver. punitor.* quia mors omnem pœnam solvit; adeoque pium, & christianum esset, ut cadavera ista ad Ecclesiam, vel cœmeterium deferrentur a cognatis, vel aliis quibuscumque, qui ea peterent; & missæ cum precibus pro talibus defunctis celebrarentur, ut in quibusdam locis observatur. Multi tamen consuetudinem istam dicunt rationabilem, ut, non quidem passim, sed in atrocissimis, & gravissimis sceleribus cadavera damnatorum, etiam pie decedentium, insepulta ad terrorem, & exemplum aliorum maneant, cum id multum cedat ad utilitatem publicam, Covar, Berez. Petra &c.

16. ℞. 4. Qui scienter, sponte absque vi, & gravi metu, per se propriis manibus in loco sacro sepeliunt, vel mandato suo sepeliri faciunt excommunicatum non toleratum, nominatim interdictum, vel usurarium manifestum, præter culpam mortalem, incurrunt excommunicationem ipso facto; a qua absolvi non debent, donec ad arbitrium Diœcesani satisfecerint his, quibus tali facto injuria facta est, *c.* 2. *pr. de hæretic. in* 6. quæ pœna non debet extendi ad portantes; nisi cum effectu corpus tumulent in loco sacro: multo minus ad crucem ferentes, vel psalmos canentes, aut comitantes; quia hi tantum remote cooperantur tali sepulturæ.

17. Q. VII. *An sepultura emi, vel concedi extero possit?* ℞. 1. Licet locus profanus deputandus in sepulturam vendi, & emi possit; ipsa tamen sepultura, seu locus sacer, citra simoniam vendi, & emi nequit, *Can.* 12. *& seqq.* 13. *q.* 2. nam sepultura est locus sacer, & religiosus; & consf. extra commercium humanum, ut vel ipsi Gentiles agnoverunt, *l.* 6. §. 2. *& seqq. ff. de divis. rer. &* §. 7. *Inst. de rer. divis.* Ex aliis autem justis titulis potest aliquid peti, & accipi pro sepultura, v. g. pro conservatione cœmeterii, aut capellæ, pro sustentatione ministrorum, pro loco digniore, & obligatione alium non admittendi in tale sepulchrum: & si ex pia consuetudine fideles solent aliquid offerre. ℞. 2. Habens proprium sepulchrum, potest alios ad idem admittere: uti sunt sepulchra familiaria, & hæreditaria: nam communicatio, & concessio in his spiritualibus, modo absit simonia, nulli bi vetatur.

18. Q. VIII. *Quid sit portio Canonica Episcopalis, & Parochialis?* ℞. 1. Portio Can. Episcopalis est quarta pars mortuariorum, seu funeralium, hoc est obventionum, bonorum mobilium, & immobilium, quæ inferioribus Ecclesiis, & piis locis intra diœcesim sitis per ultimam voluntatem a defuncto pro anima sua relicta sunt, *Can.* 25. *& seqq.* 12. *q.* 2. *& c.* 16. *de off. ord.* De consuetudine portio ista est varia pro varietate locorum, *c.* 15. *de testam.* imo in multis locis in desuetudinem abiit. Datur autem quarta ista ratione Supe-

Superioritatis, oneris pastoralis, & communicationis inter Episcopum, & inferiores Ecclesias intercedentis, *c.* 15. *de testam.* Cessat autem portio ista in seqq. casibus: 1. Si testator reliquit Episcopo suam portionem cum conditione, ne quartam ex relictis detraheret. 2. Si quid relictum est ex speciali causa, v. g. ex donatione inter vivos, pro anniversariis, pro fabrica, & ornamentis Ecclesiæ, pro pauperibus studiosis, & virginibus dotandis &c. 3. Si quartæ præscriptum est præscriptione quadragenaria, *c.* 4. *de præscript.* 4. Si a tali quarta locus sacer per privilegium eximatur; sicut eximuntur omnia monasteria ex communiori sententia; & maxime monasteria exempta: nam quarta ista pertinet ad legem diœcesanam, a qua monasteria, præsertim exempta, immunia sunt, ut dixi *tit. de off. ord. n.* 17. Nec obstat *Can.* 25. *& seqq.* 12. *q.* 2. *Can.* 6c. *constitutum* 16. *q.* 1. *c.* 15. *de testam.* nam hi, & similes textus generales non includunt monasteria, præsertim exempta, quæ a talibus pensionibus liberantur, consuetudine jura antiqua ita interpretante.

19. ℞. 2. Portio Canonica parochialis est quarta funeralium omnium ex illis rebus, quæ ratione corporis extra propriam parochiam tumulati obveniunt illi Ecclesiæ, in qua corpus Parochiani sepultum est *c.* 8. *h. t.* puta ex intorticiis, candelis circa cadaver accendi solitis, ex pecuniis ratione funeris datis, & similibus: in quibus tamen maxime spectanda est consuetudo. Cessat autem portio ista, si quid ex speciali causa relictum sit, v. g. pro anniversario, pro fabrica Ecclesiæ &c. ℞. 3. Omnia monasteria, etiam exempta a jurisdictione Episcopi, tenentur parocho præstare suam portionem parochialem; nisi specialiter privilegiata sint, & immunia a quarta funeralium; sicut omnia monasteria Mendicantium, & cum his in privilegiis communicantium ex privilegio Julii II. Leonis III. Pauli III. Nicolai V. &c. Donatus, & alii passim ex pluribus declaration. S. Congreg., & decisionibus Rotæ. Quo privilegio etiam Religionem nostram Scholar. Piarum gaudere est extra dubium - Porro circa usum horum privilegiorum attendi debet decretum Trid. *sess.* 25. *c.* 13. *de refor.* juxta quod quarta funeralium, si per 40. annos cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ consuevit solvi ante promulgationem Tridentini *ann.* 1563. factam, imposterum integro jure persolvatur, non obstantibus privilegiis quibuscumque. E contra illa monasteria privilegiata, quæ pluribus annis, quam quadraginta, promulgationem Tridentini præcedentibus non solebant solvere quartam funeralium, vel quæ erecta sunt post Tridentinum, similique privilegio gaudent, non tenentur ad solvendam dictam quartam funeralium. Verum hoc privilegium, quia Ecclesiis parochialibus incæpit esse nimis onerosum, revocatum est a Bened. XIII. Const. *Romanus Pontifex* 1725. 4. *Kalen. Maji.* Sed cum modificatione, & restrictione ad solam Italiam, & insulas adjacentes, ut patet ex §. *præterea* ibi: *ut in Italia, eique adjacentibus insulis* &c. ac proinde in regionibus nostris privilegium hoc manet in suo robore.

20. ℞. 4. Parochus pro actu sepulturæ nihil exigere potest de jure communi, *Can.* 15. *præcipiendum* 13. *q.* 2. nisi consuetudo vigeat, ut moderatum quid petatur; præsertim si parochus non habeat aliunde competentem sustentationem. Hac consuetudine attenta, Parochus pensionem istam exigere potest, etsi defunctus sepeliatur in Ecclesia privilegiata, quæ ad quartam funeralium non tenetur: quia privilegium hoc, licet extinguat jus quartæ, non tamen extinguit jus consuetudine quæsitum ad portionem consuetam ratione Stolæ, ut vocant, secundum morem diœcesis, aut loci, in quo Parochianus mortuus est.

Connexio præcedentium, & consequentium.

Ultimæ voluntates terminatæ sunt in sepulturis, in quibus jura parochialia incipiunt, & continuantur in duobus seqq. titulis.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

Agitur de hac materia in Decreto 13. *q.* 1. 16. *q.* 1. 5. in Trid. *S.* 21. *c.* 4. 5. *S.* 24. *c.* 4. 7. 13. *de reform.*

1. *Nota*, Parochiam aliter olim, aliter nunc in jure Can. usurpari: Parochia olim dicebatur certum spatium, intra quod peregrini recipiebantur, eisque Parochus, seu hospes, aut convivator ligna, salemque, seu necessaria ministrabat: *Parochia* hodie dicitur certus districtus, cui Sacerdos præest. Similiter *paræcia* late significat incolatum, a græco *paræcos*, hoc est, incola *l.* 239. §. 2. *ff. de V. S.* in jure autem Can. *Parochia*, & *paræcia* synonymice adhibentur, vel late pro tota diœcesi *Can.* 14. *&* 33. *Apostol. Can.* 4. *& seq. d.* 92. *& cap.* 3. *h. t.* vel stricte pro certa Ecclesia in diœcesi sita, cui rector presbyter præest: quo sensu Parochia est Ecclesia populo fideli constans, cui præest rector Ecclesiasticus ad sacramenta, & divina officia ministranda. Sufficiunt autem ad Parochiam decem patresfamilias, seu decem familiæ, ut communis docet, & usus Germaniæ probat in locis, ubi catholici permixti hæreticis vivunt.

2. Q. I. *Unde originem suam habeant Parochiæ?* ℞. Ex potestate, & antiquissima praxi Ecclesiæ, jam ab Apostolis cœpta, *Canon.* 1. *& seqq. d.* 80. licet principes laici hortatu Episcoporum multum contulerint ad erigendas, & dividendas Parochias: unde nati sunt limites, seu fines Parochiarum, qui ut perpetuo certi maneant, nulla præscriptione tolli, aut mutari possunt *Can.* 4. 5. *& seqq.* 16. *q.* 3. *c.* 4. *h. t.* ne lites, & confusiones jurisdictionum oriantur. Quæstio autem super limitibus diœcesis, & Parochiæ orta, cum spiritualis sit circa extensionem, vel restrictionem curæ pastoralis, decidenda est a judice Ecclesiastico, *c.* 1. *de pactis c.* 3. *de prob. c.* 1. 4. *h. t.* nisi esset mera quæstio facti, v. g. quando Parochia sit divisa? an iste, vel ille incola ibi receperit sacramenta? de tali enim quæstione, utpote mere temporali, cognoscere potest etiam laicus: siquidem quæstiones meri facti super re spirituali sunt mixti fori, ut alias sæpius dixi.

3. Q. II. *Quæ sint jura Parochi?* ℞. 1. Parochus in Parochia, auctoritate Episcopi constituta per *Can.* 11. *nullus* 16. *q.* 7. habet jurisdictionem ordinariam in foro interno, Trid. *sess.* 23. *c.* 15. *de refor.* vi cujus absolvere potest ab omnibus peccatis Papæ, vel Episcopo non reservatis; etsi Parochianum suum audiat in alieno territorio: cum sola jurisdictio contentiosa fori externi extra territorium proprium regulariter exerceri nequeat, *c. fin. de Constitution. in* 6. *l. final. ff. de jurisd.* 2. Habet jus fontis baptismalis: non tamen necessario, quia possunt dari Parochiæ dependentes ab una matrice Ecclesia, in qua sola sit fons baptismalis. 3. Habet jus dispensandi Eucharistiam, Viaticum, Extremam unctionem, solemnizandi, & benedicendi nuptias, fontem baptismalem, cineres, palmas, & alia hujusmodi benedici consueta; prædicandi verbum divinum, missas solemnes celebrandi, supplicationes, seu processiones consuetas exercendi, aliasque functiones Parochiales libere administrandi. 4. Habet jus sepulturæ, decimarum, primitiarum, & oblationum. 5. Cum Parochus sit ordinarius in sua Parochia, potest delegare suam potestatem alteri sacerdoti idoneo; dummodo sit ab Episcopo approbatus ad curam animarum; maxime ad confessiones audiendas, quam approbationem Parochus dare non potest, cum soli Episcopo sit reservata, *sess.* 7. *cap.* 13. *de refor. & sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.*

4. E contra Parochus non habet jurisdictionem in foro externo, *Can.* 38. *de persona* 11. *q.* 1. & ideo de jure communi non potest causas audire, leges, & censuras ferre, in legibus Ecclesiasticis dispensare; nisi quantum ei permittit consuetudo quoad relaxanda jejunia, festa &c. vel nisi ex præscriptione, privilegio, aut consuetudine, aliqua possit in foro externo: quo sensu explicatur, *c.* 3. *de off. ord. c. nemo* 1. *q.* 6. licet in antiquis juribus nomine presbyterorum sæpe intelligantur Episcopi.

5. Q. III. *Quæ sint obligationes, & officia Parochi?*

chi? ℞. 1. Parochus provisus de beneficio, intra bimestre tenetur coram Episcopo, aut Vicario generali emittere professionem fidei, secus fructus non facit suos, Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de refor.* 2. Tenetur residere in suo beneficio, non tantum materialiter, sedendo, sed formaliter, & cum effectu, præstando suum officium: atque ideo tanquam pastor obligatur diebus festivis populum verbo divino pascere, rudimenta fidei explicare, hora competenti missam celebrare, alioquin si horam pro placito mutet, & anticipet, causa est, quod multi Parochiani missam non audiant; item in paschate, articulo mortis, & quando Parochiani rationabiliter petunt, tenetur eis pœnitentiam, & alia sacramenta administrare; baptizatos, matrimonio copulatos, & mortuos in libro adnotare, dies festos, jejunia, indulgentias, & processiones denuntiare; & cetera omnia, quæ ad boni pastoris officium pertinent, peragere: de quibus suis locis dictum est, vel in decursu dicetur. Vide Barbos. *de officio, & potestate Parochi.*

☞ *Circa obligationem applicandi missam pro populo, vide Elencho VI. n. XLIII. par. I. pag.* 461. ☜

Hæc fere omnia proportionaliter applicanda sunt Vicariis curatis, præsertim perpetuis. Differt autem Parochus a curato, tanquam species a genere: nam *curatus* a cura dictus, vel est talis pro foro externo, & interno, ut Papa in tota Ecclesia, Episcopus in sua diœcesi, Prælatus regularis in suo monasterio; vel pro foro externo tantum, ut Archidiaconus de jure, & Vicarius Episcopi, in quibus ordo Sacerdotalis non requiritur: vel pro foro interno tantum; in qua significatione communiter accipitur *curatus*, cujus principalior species est *Parochus*, qui frequenter in jure vocatur *persona*, seu *rector Ecclesiæ*, *plebanus*, ad differentiam inferiorum curatorum, uti sunt Vicarii perpetui, & temporales.

☞ *Circa Parochum ex decretis S. Cong. per extensum relatis a Benedicto XIV. in Institutionibus Ecclesiast. Institut.* 9. 10. 17. *&* 94. *notanda sunt sequentia.*

I. *Quoad idoneitatem Parochi tam secularis, quam regularis pro audiendis confessionibus vide Elenc. VI. n. XVII. part.* 1. *pag.* 447.

II. *Quoad prædicationem verbi Dei; satis esse, etsi formaliter non prædicet, ut saltem dominicis, & festis diebus plebem sibi commissam pro sua, & illius capacitate pascat salutaribus verbis. A quo onere se eximere nequit prætextu, vel contrariæ consuetudinis immemorabilis, vel quia suppetat copia aliorum habentium S§. Conciones in aliis Ecclesiis ex Constit. Benedicti XIII.* In supremo militantis. 23. *Sept.* 1724.

III. *Quoad residentiam; licet sui loco Vicarium idoneum substituat, justamque habeat causam, abesse tamen non posse a sua Parochia, etiam per hebdomadam, nisi causa cognita, & probata sit ab Episcopo, ejusque accedat licentia in scriptis; quæ juxta Tridentinum sess.* 23. *cap.* 1. *semper debet esse expressa: nisi forte necessitas absentiæ repente se offerret, dilationem non patiens hujusmodi licentiam petendi: quo casu quamprimum certior faciendus est Episcopus de discessu, & necessitate, ut de ea cognoscere possit. Pro absentia tamen modici temporis in casibus repentinis sufficere licentiam Vicarii foranei ex sensu S. Cong. firmat Fagnan. in c.* Relatum *n.* 42.

Nec justam causam habentem abeundi extra Parochiam per duos, aut tres menses satisfacere suæ conscientiæ, si petat licentiam, jurans, se gravem habere causam, quam non expediat manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet Episcopus non concedat; sicuti, & in casu, quo causam rationabilem expressit, ut talem ab aliis cognitam, non autem ab Episcopo; cum tunc possit, & debeat ad Superiorem recurrere.

Neque esse liberum a culpa, & pœna amissionis fructuum, si per longum tempus, puta quatuor mensium, morbo gravi instante, recessisset ad curandam valetudinem, non petita licentia, putans bona fide, satis esse evidentiam causæ, nisi periculum fuisset in mora eam petendi.

Neque tandem, abesse posse sine expressa Episcopi licentia, etiam si Parochialis Ecclesia distet per duo milliaria a civitate, & ipse in hac tam diurno, quam nocturno tempore commoretur, exceptis diebus festis, in quibus ad dictam Ecclesiam se confert: sicuti & si resideat nocturno tempore, summoque mane ibi celebrata missa, postea se conferat in civitatem, in eaque diurno tempore totius, vel majoris partis anni commoretur: vel e contra si in Parochia diurno tempore resideat, nocturno autem per totum, vel per majorem anni partem in civitate moram trahat.

Inter causas autem excusantes a residentia personali S. Cong. sæpius respondit, non annumerari aeris intemperiem, nec ætatem senilem, nec malam Parochi valetudinem, nec parvum Parochianorum numerum; etiam si essent tres tantum, aut quatuor.

IV. *Quoad administrationem Sacramentorum, si magnus sit numerus Parochianorum, cogi posse ab Episcopo, ut alium sibi adjungat Sacerdotem pro iis administrandis, divinoque cultu peragendo, etiam si Parochiæ redditus sint tenues: in quo tamen casu Sacerdoti coadjutori administranda sunt a populo necessaria ad vitæ sustentationem.*

V. *Quoad jura Parochialia functiones, & præheminentias inter ipsum, & Confraternitates laicorum, earumque Capellanos, & Officiales, notanda sunt sequentia decreta Cong. SS. Rituum per extensum relata ab eodem Bened. XIV. Instit.* 105. §. *IV.*

Urbis, & Orbis.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates seculares, earumque Capellanos, & Officiales super juribus Parochialibus, & functionibus Ecclesiasticis, nonnullisque præminentiis, seu prærogativis frequenter exoriri solent in sacrorum Rituum Congregatione ab Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinale Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

I. An Confraternitates laicorum legitime erectæ in Ecclesiis Parochialibus, habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus.

II. An dictæ Confraternitates erectæ in capellis, vel oratoriis, tum publicis, tum privatis, annexis Parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones.

III. An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ.

IV. An Confraternitates erectæ in oratoriis tum publicis, tum privatis, sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho.

V. An benedictiones, & distributiones candelarum, cinerum, & palmarum, sint de juribus mere Parochialibus.

VI. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, & similium, sint de juribus mere Parochialibus.

VII. An functiones omnes hebdomadæ sanctæ sint de juribus mere Parochialibus.

VIII. An celebratio missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini sit de dictis juribus Parochialibus.

IX. An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis juribus Parochialibus.

X. An celebratio missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus Parochialibus.

XI. At expositio Quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super populo, sit de dictis juribus mere Parochialibus.

XII. An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel sacris imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super populo, sit de dictis juribus Parochialibus.

XIII. An functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressæ, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente Parocho.

XIV. An in dictis oratoriis privatis Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horæ canonicæ cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochi.

XV. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio

bratio missae privatae, assentiente Ordinario loci, & contradicente Parocho.

XVI. An capellani Confraternitatum possint populo denuntiare festivitates, & vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi.

XVII. An Parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis, & oratoriis publicis, vel privatis, a Parochiali divisis, & separatis.

XVIII. An in saepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae, vel Adventus cum licentia Ordinarii, & absque licentia Parochi.

XIX. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari missa sive lecta, sive cantata, ante missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam.

XX. An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis Ecclesiis, & oratoriis publicis Confraternitatum.

XXI. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint processiones juxta cujusque Confraternitatis institutum, absque interventu, vel licentia Parochi.

XXII. An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est.

XXIII. An in dictis processionibus capellani Confraternitatum possint deferre stolam.

XXIV. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cujus territorio sunt sitae dictae Ecclesiae.

XXV. An earumdem Ecclesiarum, & Confraternitatum rectores, & capellanos possit Parochus, cessante alio speciali, ac legitimo titulo, & ex solo jure Parochialitatis compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae Parochialis.

XXVI. An in saepedictis Ecclesiis Confraternitatum neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri possit sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae.

XXVII. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii.

XXVIII. An possit Parochus se in gerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in saepedictis Ecclesiis recollectarum; vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere.

XXIX. An in Ecclesia Parochiali confratres, vel eorum capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiae functionibus, sive Parochialibus, sive non Parochialibus.

XXX. An Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libito, & juxta uniuscujusque peculiaria statuta, congregationes suas facere absque interventu, vel licentia Parochi.

XXXI. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho.

XXXII. Quando Parochus eisdem congregationibus interfit de mandato Ordinarii, & tanquam ejus delegatus, an non possit suffragium decisivum ferre. Et quatenus affirmative.

XXXIII. An etiam Suffragium duplex.

Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, respondendum esse censuit.

Ad primum Affirmative.

Ad secundum Affirmative.

Ad tertium Negative.

Ad quartum Negative.

Ad quintum Negative.

Ad sextum Negative; sed benedictiones mulierum, & fontis baptismalis fieri debere a Parochis.

Ad septimum Negative, prout jacet.

Ad octavum Negative, prout jacet, sed spectare ad Parochos.

Ad nonum Negative, prout jacet, sed spectare ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. l. 22. §. 14.

Ad decimum Negative, prout jacet; sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiae, vel oratorii, ut in Brundusina sub die prima Junii 1601.

Ad undecimum Negative.

Ad duodecimum Negative: & quoad benedictiones cum Reliquiis, & imaginibus serventur decreta.

Ad decimum tertium, satis provisum in Superioribus.

Ad decimum quartum, Affirmative; nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.

Ad decimum quintum Affirmative.

Ad decimum sextum Affirmative.

Ad decimum septimum Negative.

Ad decimum octavum Affirmative.

Ad decimum nonum Negative; nisi aliter Episcopus disponat.

Ad vigesimum Affirmative; quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel oratorium.

Ad vigesimum primum Affirmative.

Ad vigesimum secundum Negative; nisi adesset licentia Episcopi.

Ad vigesimum tertium Negative, extra propriam Ecclesiam.

Ad vigesimum quartum Negative.

Ad vigesimum quintum Negative.

Ad vigesimum sextum Negative.

Ad vigesimum septimum Negative.

Ad vigesimum octavum Negative.

Ad vigesimum nonum Negative.

Ad trigesimum Affirmative; dummodo non impediant functiones, & divina officia.

Ad trigesimum primum Affirmative.

Ad trigesimum secundum Negative.

Ad trigesimum tertium Negative.

Et ita; salvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, & a S. Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus synodalibus, ac provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, ac decrevit, si SS. Domino nostro videbitur. Die 10. Decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SS. Domino Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, Sanctitas sua laudavit, benigneque approbavit, & publicari, & non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. Die 12. mensis Jan. 1704.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami S. Rit. Cong. Secr.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, Extravag. comm. *h. t.* In Decreto 13. *q.* 2. *&* 16. *q.* 1. *a Canon.* 42. *cum seqq. & q.* 7. *ibid. & Canon. quadragesima* 16. *d.* 5. *de Consecr. & de oblationib.* 10. *q.* 1. 2. *& Canon.* 28. *odi.* 24. *q.* 1. Trid. *S.* 23. *c.* 18. *& S.* 25. *c.* 12. *de refor.*

1. *Nota* 1. Decimam quoad nomen, esse partem decimam cujuscumque rei, *l.* 2. *§. fin. ff. de pollicitat.* Decima quoad rem, est decima pars fructuum ex certo titulo alicui praestanda. Sunt autem decimae aliae *profanae*, seu *dominicales*, aut *indominicatae*, quae a dominis instar tributi imponuntur agris, & praediis. His affines sunt decimae *temporales*, seu *laicales*, quae primitus debebantur ministris Ecclesiae: sed postea legitima auctoritate separatae sunt a titulo spirituali, & attributae laicis, vel per donationem, vel venditionem, vel in feudum, vel alio modo: & hae fere in omnibus imitantur naturam decimarum dominicalium. Aliae sunt *sacrae*, *spirituales*, seu *mere Ecclesiasticae*, propter connexionem cum titulo spirituali, quae ex omnibus fructibus dantur Ecclesiae, ejusque ministris in recognitionem supremi, ac universalis dominii divini: & de his in praesenti.

2. *Nota* 2. Decimas Ecclesiasticas dividi 1. In *praediales*, seu *reales*, quae dantur ex fructibus praedii, seu rei; ut agrorum, vinearum &c. & *personale*, quae dantur ex opera, seu industria personae: quibus aliqui

addunt *mixtas*, quæ partim ex prædiis, partim ex industria hominis debentur; ut lana, lac, caseus &c. sed hæ communiter accensentur decimis realibus. 2. In *ordinarias*, quæ stabiliter debentur; & *extraordinarias*, quæ in casu necessitatis a Papa imponuntur. 3. In decimas *materialiter*, & *quoad substantiam* spectatas in quantum important necessariam sustentationem ministrorum Ecclesiæ; & *formaliter* spectatas, in quantum important determinationem quotæ, seu certæ partis decimæ, vel majoris, aut minoris.

3. Q. I. *Quo jure debeantur decimæ in lege nova?* ℞. Decimæ materialiter spectatæ, debentur jure naturali, & divino: at formaliter spectatæ, debentur solo jure Ecclesiastico; ita comm. cum S. D. 2. 2. *q.* 87. *ar.* 1. *Ratio* primi est, quia jus naturale dictat alendos esse ministros Ecclesiæ, qui fidelibus, ministrando spiritualia, deserviunt: nam dignus est operarius mercede sua, & bovi trituranti non est claudendum os: sed decimæ materialiter spectatæ important necessariam sustentationem ministrorum Ecclesiæ; ergo debentur jure naturali: quod jus expressum, & roboratum est in Sacr. Scriptura *Matth.* 10. *v.* 10. & 1. *Cor.* 9. *v.* 7. & 9. ubi Apost. ait.: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Ratio secundi*, quia in lege nova nullum reperitur præceptum divinum de quota decimæ partis: præceptum vero veteris legis de quota decimæ, utpote judiciale, jam expiravit; ergo restat, ut determinatio ista quotæ, v. g. decimæ, nonæ, vel duodecimæ, aut alterius partis sit juris ecclesiastici, non solum in decimis personalibus, sed etiam realibus, ut communis tenet contra Host. Innoc. & alios paucos; cum neque pro decimis prædialibus hactenus inventum sit aliquod præceptum Christi; nisi lato modo, quo jus Ecclesiasticum solet *Divinum* dici *c.* 2. *de privil. in* 6. Ex his explicantur *Can.* 47. *decimas*, 16. *q.* 1. *Canon.* 1. *decimas*, 16. *q.* 2. & *c.* 14. 25. 26. *h. t.* & pro his solvendis sufficit auctoritas S. Th. *loc. cit.* nec curandus est P. Reiff. sentiens hic *n.* 15. distinctionem illam quoad decimas formaliter, & materialiter spectatas a solis recentioribus inventam esse.

4. Q. II. *Cui debeantur decimæ?* ℞. De jure com. proprio Parocho; ita ut is super jure decimandi habeat intentionem suam fundatam in jure, *cap.* 24. 29. *h. t.* nam decimæ ex prima sui origine solvendæ sunt Clerico, Sacramenta populo ministranti; sed proprius Parochus ministrat Sacramenta suo populo; ergo. Excipe quartam partem decimarum, quæ debetur Episcopo; nisi quadragenaria præscriptione sublata sit, *c.* 16. *de off. Ord. c.* 4. *de præscr.* At de privilegio, præscriptione, aut alio modo, decimæ quandoque debentur Episcopo, vel alteri Clerico. 2. In concursu plurium decimatorum decimæ prædiales, utpote fundo inhærentes, debentur Parocho, in cujus territorio prædium existit, *c.* 18. 20. 29. *h. t.* personales vero debentur Parocho, a quo sacramenta percipiuntur. In fructibus animalium; ut lana, lacte, butyro &c. distinguendum est: nam pro rata temporis, quo pecora in diversis Parochiarum territoriis pascuntur, decimæ proportionaliter dividendæ sunt inter Parochos, S. D. *art.* 3. *ad* 2. at si tantum alibi cubant, alibi vero pascuntur, ei Parocho decimæ integræ præstandæ sunt, in cujus territorio pecora pascuntur; cum decimæ istæ sequantur naturam realium, nisi aliud habeat consuetudo. Porro Parochus pro exigendis debitis non solum habet titulum *Religionis*, quatenus dandæ sunt in recognitionem dominii divini, & supremæ excellentiæ, sed etiam titulum *justitiæ*, quatenus dandæ sunt ut merces pro sustentatione Parochi.

5. Q. III. *Qui obligentur ad præstandas decimas?* ℞. Omnes, & soli fideles, qui a Parocho sacramenta percipiunt; etiam hæretici, quia, si vellent, Parochus paratus est eis digne dispositis, sacramenta ministrare. 2. Clerici simplices, ut Clerici, seu ex bonis titulo spirituali acquisitis, v. g. ratione beneficii, vel functionis spiritualis, non tenentur decimas dare; nam *novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant*, *c.* 2. *h. t.* At Clerici simplices ex bonis patrimonialibus, titulo temporali acquisitis, v. g. ex contractu, donatione, hæreditate, legato, aut simili titulo, tenentur decimas dare, *cit. c.* 2. *in fin.* nam tales Clerici subsunt Parocho, & spiritualia ab eo recipiunt, sicut alii fideles; ergo obligantur ratione personæ suæ ad decimas. Insuper Episcopi, curati, & quicumque Clerici tenentur ad decimas prædiales ex fundis patrimonialibus solvendas, ut *seq. q.* dicetur. 3. Monasteria omnia de jure comm. tenentur ad decimas, *c.* 3. 4. 8. 10. *h. t.* nam etiam a Parocho divina recipere deberent. Varia tamen privilegia jus istud immutarunt, ut infra dicetur. 4. Pauperes in extrema necessitate, ubi omnia sunt communia, non tenentur solvere decimas; bene vero in necessitate communi, & etiam gravi, cum nullo jure excusentur: licet necessitas gravis cohonestet dilationem solvendæ decimæ. 5. Si dominus, & colonus percipiunt fructus ex fundo locato, uterque pro rata tenentur ad decimas: at si dominus percipit solum pretium, istud recipiet indecimatum; decimas vero ex fructibus præstabit colonus, *c.* 24. 26. *h. t.* 6. Successor singularis in prædio, si ita non est conventum, non tenetur solvere decimas, prioribus annis ab antecessore non solutas *arg. c.* 33. *h. t.* ubi onus decimarum imponitur fructibus; ergo ille tenetur solvere decimas, qui fructus percepit indecimatos, scilicet antecessor. *Nec obstat*, quod tributa non soluta exigi possint a possessoribus, *l.* 7. *ff. de publican.* nam decimæ non proprie, sed similitudinarie tantum dicuntur tributa *Can.* 66. *decimæ* 16. *q.* 1.

6. Q. IV. *Ex quibus bonis solvendæ sunt decimæ?* ℞. Ex omnibus bonis, seu fructibus, natura, vel industria acquisitis, *c.* 6. 21. *h. t.* modo sint juste acquisita; cum aliena suo domino restituenda sint. Quæsita ex operis illicitis, v. g. ex quæstu corporis per se subsunt deberent decimationi; ne turpis lucrator melioris sit conditionis, quam honestus: Ecclesia tamen ex talibus turpibus lucris non solet decimas accipere, *c.* 23. *h. t.* ibi: *de omnibus, quæ licite potest acquirere, decimas erogare tenetur.*

7. II. Ex prædiis decimatione gravatis solvendæ sunt decimæ, ad quemcumque possessorem prædia ista devenerint, sive ad Christianum, sive ad judæum, sive laicum, sive Clericum, vel monasterium, sive bonæ, sive malæ fidei possessorem, *cap.* 16. & 32. *hoc tit.* nam res cum suo onere transit: secus Ecclesiæ sæpius defraudarentur, translatis prædiis in privilegiatos. Unde si fundus translatus est in Episcopum, vel Parochum alienum; imo etiam si pro dote alterius beneficii, vel Parochiæ deputatus est, subsTat decimationi; cum transeat cum suo onere reali; nisi auctoritate legitima decimæ extinctæ, vel in alium translatæ sint; *Can.* 42. & *seqq.* 16. *q.* 1. *c.* 34. *h. t. ratio* est supra indicata: quia *res cum onere suo transit c.* 33. *h. t.* In divisione parochiæ communiter Episcopus subtrahit fundos, eorumque decimas attribuit Parocho novo in suo territorio; nisi alia sustentatio illi assignaretur, ut decimæ manerent penes priorem Ecclesiam: ita colligitur ex Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de refor.* & praxis docet id ipsum. Vide Reiff. a *n.* 103. At decimæ personales semper debentur Parocho, a quo sacramenta recipiuntur, *c.* 20. *h. t.* Hæc ita de jure communi: hodie in solvendis decimis maxime attenditur consuetudo locorum, juxta quam personales fere ubique, & prædiales minutæ ex certis fructibus dari solitæ, in multis locis abrogatæ sunt: & consuetudo ista approbatur a jure Can., *c.* 18. 20. & 32. *in fin. h. t.*

8. *Dices*: 1. Episcopus ex fundo decimali in se translato non tenetur Parocho solvere decimas: nam Parochus non est pastor ordinarius Episcopi. 2. Si fundus decimalis transferretur, v. g. via legati ad ipsum Parochum, is sibi ipsi deberet dare decimas, quod nugatorium est. 3. Fundi in aliena parochia existentes, etsi antea decimales fuerint; si tamen fiant dotales alterius Ecclesiæ, non subsunt decimationi; quia novum exactionis genus est Parochum a Parocho ex fundis Parochialibus decimas exigere per *c.* 2. *h. t.* ergo fundi non transeunt cum suo onere. Idem dic in casu, quo Parochia una in duas divideretur.

℞. *Ad* 1. Nego antecedens: nam decimæ prædiales dantur non ex solo titulo pastoris ordinarii, sed etiam in signum recognoscendi dominii divini: item ratione oneris realis, quo fundus antea gravatus fuit, & cum eodem transit *c.* 33. *h. t.* Sic Parochus non est pastor ordinarius monasterii exempti, vel judæi; & tamen ex fundo decimali in eos translati decimas per-

percipit. *Ad* 2. Parochus, ut dominus solvit decimas sibi ipsi ut Parocho, sicut tutor sibi ipsi solvere potest secundum jus Pandectarum *l.* 19. *ff. de administr. tutor.* & ideo decimæ ex tali fundo numerandæ sunt inter bona Ecclesiastica, & non patrimonialia. *Ad* 3. neg. ant. quia fundi transeunt cum suo onere, nisi auctoritate legitima ab onere isto liberentur: quod plerumque fit, maxime in divisione Parochiarum.

9. Q. V. *Quibus modis detur liberatio a decimis solvendis?* ℞. Quatuor modis: *privilegio Apostolico*, *consuetudine*, *præscriptione*, *& transactione*; dummodo ministris Ecclesiæ congrua sustentatio aliunde competat: quæ cum jure naturali sit debita, citra injustitiam nullo privilegio, aut facto hominis tolli potest.

10. ℞. 2. Regulares omnes exempti sunt a solvendis decimis personalibus; item a prædialibus illis, quæ dari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, & de novalibus stricte talibus, quæ fiunt ex terra prorsus inculta, quam suis manibus, seu sumptibus excolunt. Ita constat ex privilegio corpori juris inserto, *c.* 3. 10. *h. t.* 2. Regulares quicumque, nisi quoad hoc specialiter privilegiati sint, tenentur solvere decimas ex fundis decimalibus, qui ad eos cum tali onere translati sunt, *c. pen. h. t.* Si autem terræ antea non erant decimales, ex his in se translatis Regulares non tenentur decimas solvere, ut clare colligitur ex *cit. c. pen. h t.* cujus dispositionem, uti & sententiam Fagnani, Pirhing, & aliorum restringit Reiff. *n.* 65. ad Cistercienses, & Hospitalarios: sed non videtur advertisse ad generalem textum *c. fin.* §. *pen. h. t. in* 6. ubi hæc habentur: *Ceterum iidem Religiosi tam exempti, quam non exempti, de terris, & possessionibus acquisitis hactenus, & modo acquirendis decimas integre solvant illis Ecclesiis, quibus eædem possessiones, & terræ prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio sint muniti.* Ubi vides, quod Regulares ex solis fundis, qui antea erant decimales, decimas solvere teneantur; non vero ex fundis, qui antea non erant decimales. Porro privilegium non solvendi decimas, cum sit exorbitans a jure comm. ultra propriam significationem extendi non debet nec ad illum casum, quo Ecclesia enormiter læderetur *c.* 9. *h. t.* Amittitur autem præscriptione extinctiva, seu usu contrario, dum privilegiati per 40. annos decimas solvunt, *cap.* 15. *de privileg.* quo corrigitur jus antiquius admittens contra Ecclesias præscriptionem trecenariam *cap.* 6. *eod. cap.* 3. *de præscr.* nisi velis *cit. cap.* 6. loqui non de præscriptione, sed tacita renuntiatione. Specialia privilegia extra corpus juris vagantia quæque Religio inspiciat: quia teste Barbos. *de off. & potest. Episc. p.* 3. *cap.* 28. §. 30. hodie fere omnes Regulares exempti sunt a solvendis decimis prædialibus ex fundis, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt. Vide Portel. *v. decima*, Rodriq. Donat. &c.

11. ℞. 3. Consuetudine non solum particulares personæ, sed integræ etiam communitates liberari possunt a solvendis decimis: dummodo ministris Ecclesiæ aliunde provisum sit de competenti sustentatione: ita comm. licet speculative oppositum teneat Reiff. a *nu.* 86. nam talis consuetudo nullibi reprobatur a jure: imo in materia decimarum maxime spectandam esse consuetudinem expresse asserunt Sacr. Canones *c.* 18. 20. 32. *h. t.* Idem dic de præscriptione; cum hoc discrimine, quod ad præscriptionem requiratur titulus cum bona fide; tempus vero 40. annorum contra Ecclesiam videtur etiam ad consuetudinem requiri; cum ista consuetudo sit præjudiciosa ministris Ecclesiæ, & renuntiatio tacita non facile præsumi possit. *Dices:* laicus per præscriptionem acquirere nequit jus activum decimandi *cap.* 7. *de præscr.* ℞. Neg. con. nam jus decimandi est spirituale connexive, quod sicut laicus nequit possidere, ita nec præscribere; e contra libertas, seu immunitas a solvendis decimis est quid temporale, seu deobligatio pretio æstimabilis; cujus possidendæ, & præscribendæ laicus capax est. Et quidem, si præscriptio currat contra Ecclesiam Parochialem, requiruntur 40. anni cum titulo, vel tempus immemoriale sine titulo *c.* 1. *de præscr. in* 6. contra Ecclesiam aliam 40. anni, & contra privatum Clericum 10. anni inter præsentes, & 20. inter absentes, ut dixi *tit. de præscr.*

12. ℞. 4. Transactione extingui possunt decimæ præteritæ: sic enim transigere non prohibetur partibus: at super decimis futuris ultra triennium sine auctoritate Episcopi, & in perpetuum sine consensu Papæ transigi nequit, *c.* 8. *de transact. extrav. Ambitiosæ de reb. Eccl.* nam talis transactio vim habet alienationis. Pecunia vero jus decimandi remitti non potest citra simoniam; quia daretur temporale pro spirituali, *c. fin. de rer. permut.*

13. Q. VI. *Quibus modis acquiri possit jus activum decimandi?* ℞. seqq. 1. *Collatione*, seu unione beneficii Parochialis, cui per se annexum est jus decimandi. Quale jus acquirit etiam Episcopus in loco nullius Parochiæ; vel si Parochia unita sit Episcopatui, vel mensæ capitulari, vel beneficio cujuscumque Clerici; tunc enim obtinens officium, hoc ipso etiam obtinet jus decimandi tali beneficio annexum. 2. *Permutatione:* & quidem si Ecclesiæ teneantur jure proprietatis, admittitur compensatio pecuniaria pro excessu secundum dicta *tit. de rer. permut.* ipsum autem jus decimandi, utpote spirituale, citra simoniam permutari, & vendi non potest *c.* 15. 17. 19. *h. t.* nisi auctoritate Apostolica separetur a titulo spirituali: quo casu, cum fiat pure temporale, licite vendi, aut pro aliquo temporali permutari potest. 3. *Infeudatione*, qua Papa ex generali administratione etiam laicis decimas infeudare potest, separando illas a titulo spirituali. Hæc vero potestas de novo infeudandi decimas sublata est Episcopis, & aliis Prælatis, *c.* 15. 17. *&* 19. *h. t. & lib.* 1 *Feud. tit.* 6. ne scil. Ecclesiæ per nimiam Prælatorum prodigalitatem graventur, & suis juribus spolientur. Si autem decimæ ab antiquo sunt infeudatæ, in casu aperturæ ab Episcopo reinfeudari possunt; nisi jam incorporatæ essent mensæ Episcopali. 4. *Donatione* cum solitis solemnitatibus facta. Quodsi laicus justo titulo decimas possidet, eas utpote temporales, non solum cuicumque monasterio, vel Clerico, sed etiam laico donare, vel alio modo transferre potest; cum rei suæ dominus sit. At si decimas injuste detineat, eas propriæ Ecclesiæ restituere tenetur, *c.* 19. *h. t.* si ad hoc induci nequeat, de consensu Episcopi permittitur eas transferre ad quemcumque Clericum, præsertim ad conventum Religiosorum; & donatio firma erit, *c.* 7. *de his, quæ a Prælato*; quæ decisio est in jure specialis. 5. *Transatione*, modo fiat cum cognitione causæ, & de consensu Papæ, vel Episcopi. 6. *Privilegio Apostolico*, quo multi Episcopi, & Regulares acquisiverunt jus decimandi. 7. *Præscriptione legitima:* & quidem ad præscribendum jus decimandi in aliena Parochia requiruntur 40. anni cum titulo, & tempus immemoriale sine titulo, quiscumque præscribat, sive Papa, sive Episcopus, sive Religiosi, sive Clerici, etiam Parochi alterius Parochiæ, *cap.* 1. *de præscript. in* 6. nam Parocho quoad decimas in sua Parochia sitas jus positive assistit: ceteris vero omnibus resistit: Quando autem jus decimandi præscribitur contra alium, & non contra proprium Parochum, requiruntur consueta tempora; scilicet centum anni contra Romanam Ecclesiam. 40. anni contra inferiores Ecclesias, & 10. vel 20. anni contra privatum. Laicus vero, sicut incapax est possidendi jus spirituale decimandi, ita nullo unquam tempore illud præscribere potest; nisi habilitatus sit privilegio Apostolico? quia sine possessione non currit præscriptio *reg.* 3. *in* 6. secus dicendum de decimis laicalibus. Quia vero ex tempore vetustissimo præsumitur, quod laici justo titulo, v. g. ex privilegio Apostolico, vel ex donatione, aut infeudatione ab Episcopis facta, (hoc enim ante Concil. Lateranense, & decretum Urbani II. eis licuit) decimas obtinuerint: ideo eas pacifice possidentes, adhuc hodie licite retinere possunt: licet titulum probare non valeant; neque extet fama talis tituli, & privilegii: ita Covar. Joann. Andr. Layman. Reiff. & alii communiter: nam *quibus auctoritatem vetustas dedit, licet jus non probetur, tuendi sunt l. fin. ff. de aqua pluv. arcend.*

14. Q. VII. *An præscriptio, vel privilegium percipiendi decimas extendat se ad decimas novalium?* *Nota* ante resp. *novalia* aliter accipi de jure civili, aliter de jure Can. *novalia* de jure civ. sunt *terra præcisa, quæ anno cessavit, id est inculta jacuit l.* 30. *ff. de V. S. novalia* stricte, & proprie talia de jure Can. sunt terra,

terra, seu ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, *c.* 21. *de V. S.* novalia vero largius accepta sunt terra prius culta, quæ aliis fructibus deputatur; ut si ex pratis, vineis, aut pomariis fiant agri; vel si in agro frumentario plantentur vites, feratur cannabis, aut linum, vel inseratur lupulus &c.

15. ℞. 1. Præscriptio, aut privilegium non se extendit ad novalia stricte talia, *c.* 29. *h. t. c.* 2. *pr.* §. *statuimus eod. in* 6. nam decimæ novalium non erant antea possessæ, ut suppono; ergo nec præscribuntur, nisi ab initio novalium quasi possessio decimandi legitimo tempore, bona fide continuetur. Privilegium vero decimandi restringi debet: tum quia tempore dati privilegii necdum extiterunt novalia: tum quia jus decimandi privilegio translatum, valde præjudiciosum est Parocho.

16. ℞. 2. Si novalia facta sint ex fundis non decimalibus, jus exigendi decimas ex novalibus pertinet ad Parochum, sive sint novalia stricte, sive late talia, *c.* 25. 29. *h. t. c.* 2. *pr. h. t. in* 6. nam Parocho jus assistit quoad omnes decimas suæ Parochiæ. Excipe Regulares, qui ex novalibus stricte talibus, quæ suis manibus, & sumptibus colunt, nullas decimas pendunt, ut supra dictum *n.* 10. at si ex fundis decimalibus fiant novalia, decimæ ei debentur, qui antea eas percipiebat, sive sit Parochus, sive alius privilegiatus: nam fundus decimalis ei fructificat, qui habet jus decimandi, quisquis ille sit.

Dices: Privilegium non solvendi decimas extendit se etiam ad decimas novalium *c.* 12. *h. t.* 22. *de privil.* ergo etiam privilegium percipiendi decimas extendi debet ad decimas omnium novalium, utpote accessorias: quæ enim hic disparitas? imo *c.* 17. *h. t.* id probare videtur. ℞. Conc. ant. & n. c. ratio disparitatis desumitur ex JCto, *l.* 20. *ff. de LL. non omnium, quæ a majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.* Congruentia aliqualis datur: quia privilegium percipiendi decimas magis est præjudiciosum Parocho, quam privilegium non solvendi decimas; ergo illud, & non istud merito a jure restrictum est. Nec *cit. cap.* 27. aliquid probat in contrarium: nam Abbas ibi fuit Parochus; ergo sicut aliæ, ita & decimæ novalium ei debebantur.

17. Q. VIII. *Quid juris in executione solutionis decimarum?* ℞. 1. Decimæ prædiales solvendæ sunt ex fructibus integris, nulla facta impensarum deductione, *cap.* 7. 21. 26. 33. *h. t.* Circa devehendas decimas in horreum Parochi, consuetudo servanda est, licet de jure comm. impensis Parochianorum devehi deberent. 2. Personales decimæ præstantur ex solo lucro; adeoque deductis expensis, quas, v. g. opifex facit in calceos, pannos &c. *cap.* 18. *hoc tit.* & præstantur in fine anni: licet fere ubique abrogatæ sint. Fœtus animalium tunc præstandi veniunt, dum sine matre vivere possunt.

18. Q. IX. *Quis sit judex causarum decimalium?* ℞. 1. Parochus, vel alius decimator non potest propria auctoritate sibi decimas accipere, sed expectare debet, donec sibi a debitore, vel hoc negligente, a judice assignentur: nam generaliter utroque jure prohibetur, ne creditor jus sibi dicat, vel quid ex bonis debitoris vi, aut clam rapiat, *l.* 13. *ff. quod met. caus.* 2. Petitorium, seu actio confessoria, vel negatoria utilis, super causa decimarum spiritualium institui debet coram judice Ecclesiastico privative, ex regula generali, quæ causas Ecclesiasticas solis judicibus Ecclesiasticis attribuit, *c.* 2. *de judic.* Idem dic de possessorio, cui admiscetur quæstio juris, utpote spiritualis. At possessorium super mero facto, cum temporale sit, est mixti fori; ut alias sæpe dictum. Hinc Parochus laicum convenire potest coram judice seculari, ut debitas decimas sibi solvat, a turbatione cesset, decimas non defraudet &c. 3. Lata sententia super solvendis decimis, non conceditur appellatio quoad effectum suspensivum, ut executio solutionis retardetur, *cap.* 26. *in fin. h. t.* ibi: *appellatione remota compellas*; nisi duæ Ecclesiæ contenderent de decimis, vel Clericus reus ad potiora sua jura se revocaret, Barbos. Host. & alii.

19. Q. X. *Quæ sint pœnæ defraudantium decimas?* ℞. 1. Præter peccatum mortale, jubentur excommunicari, nec absolvi citius, donec satisfaciant, nisi satisfactio esset impossibilis, *cap.* 5. 21. 26. *h. t. sess.* 25. *cap.* 12. *de refor.* 2. Carere debent sepultura sacra, *cap.* 19. *h. t.* cum decedant in peccato notorio. 3. Religiosi non solventes decimas, vel alios solvere prohibentes, si moniti intra bimestre non solvant, suspendendi sunt ab officiis, & administrationibus; si vero his careant, excommunicari debent, donec satisfaciant, *Clem.* 1. *h. t.*

20. Q. XI. *Quid juris circa primitias, & oblationes?* ℞. 1. *Primitiæ*, quæ sunt primi fructus ex agris, & animalibus, in lege nova solo jure Ecclesiastico præceptæ sunt, & pro quadragesima, vel sexagesima parte determinatæ *c.* 1. *h. t.* ad imitationem legis veteris, quæ præcipiebat dari Sacerdotibus primitias, & primogenita, *Exod.* 23. *v.* 13. *n.* 18. Hodie in plerisque locis primitiæ abrogatæ sunt: sicubi tamen vigent, observari debent. 2. *Oblationes* proprie tales sunt illa dona, quæ fideles, sive per se, sive per diaconum ad altare offerunt. De his nullum extat præceptum Ecclesiasticum, ut fiant, v. g. diebus dominicis, & festivis solemnibus, nisi indigentia ministrorum, & consuetudo tale jus induxerit: nam oblationes istæ ex natura sua sunt spontaneæ juxta illud; *ab omni homine, qui ultroneus est, accipietis*, *Exod.* 25. *v.* 2. Porro oblationes intra fines Parochiæ factæ, sive in Ecclesiis, sive ad imagines, de jure comm. pertinent ad Parochum *arg. c.* 9. *de his, quæ a Prælato*, *c.* 10. *de præscr.* nisi aliud de mente offerentium constet, v. g. ut oblatio cedat ad certum usum Ecclesiæ, Sacerdoti celebranti; maxime neo-mystæ: & generaliter, quidquid in Ecclesiis Regularium offertur, eis cedit *arg. c.* 1. *de stat. Monach.* cum hæc sit intentio offerentium, Abb. Fagn. Reiff. & alii: vide S. D. 2. 2. *q.* 86. *ar.* 1.

Connexio præcedentium, & consequentium.

Hactenus de Clero sæculari, ejusque juribus, & obligationibus: nunc a *seq. tit. usque ad tit.* 38. agendum erit de Clero regulari; licet quæpiam inserantur etiam Clericis, & laicis communia.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, & Extrav. Com. *h. t.* in Decreto *Can.* 2. *& seq.* 1. *q.* 2. *&* 18. *q.* 1. 2. *&* 19. *q.* 1. 2. 3. *&* 20. *q.* 1. 2. 3. 5. *&* 27. *q.* 1. 2. In Trid. *S.* 15. *de Regular. per tot. & S.* 6. *c.* 3. *S.* 14. *c.* 10. 11. *& S.* 7. *c.* 14. *de refor. Nov.* 5. *&* 123.

1. *Nota* 1. *Religionem* hic non accipi pro virtute morali, qua Deum colimus ob summam ejus excellentiam; nec pro communitate omnium fidelium: quo sensu dicitur Religio Christiana; sed pro certo statu in Ecclesia erecto, quo sensu *Religio*, seu ordo religiosus est status ab Ecclesia approbatus, in quo fideles per stabilem vivendi modum, editis votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, tendunt ad perfectionem divinæ charitatis: ita in re comm. ex qua definitione colliges omnia substantialia requisita status religiosi. Porro hic status originem habet ex jure divino, seu institutione Christi, qui in Evangelio posuit tria consilia *Matth.* 9. & quidem castitatis *v.* 12. *sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum*; paupertatis, & obedientiæ *v.* 21. *vade, & vende omnia, & sequere me: & Matth.* 16. *qui vult venire post me, abneget semetipsum &c.* atque ita quoad substantiam hujusmodi status est juris divini, cujus primi professores erant Apostoli *Matt.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* At quoad determinationem, & particularem vivendi modum est juris Ecclesiastici, cum pendeat ab approbatione Ecclesiæ, quam præstare olim poterant Episcopi; hodie solus Papa, saltem a temporibus Innocentii III. & consequentium Pontificum, ut continua praxis probat, & decretum Concil. Gener. Lugdunensis sub Gregorio X. *cap. un. de religios. domib. in* 6. *& c. un. de voto eod.*

2. *Nota* 2. Ad substantiam status religiosi requiri tria vota antedicta, *c.* 6. *de stat. monach.* non tamen neces-

necessario solemnia, sed saltem simplicia, quibus quia Deo, & Religioni se devovet ex fine tendendi ad perfectionem charitatis: ita hodie certa sententia, quam desinivit Gregor. XIII. Const. incip. *Ascendente Domino*, declarans scholasticos Societatis Jesu, & coadjutores non formatos, esse vere, & proprie religiosos; licet tantum tria simplicia vota emiserint. An vero professio per vota solemnia intrinsece quoad speciem, vel quoad modum differat a professione per vota simplicia, an vero solum extrinsece penes solemnitates ab Ecclesia inductas? Theologis discutiendum relinquo, cum quibus in theologia steti pro differentia intrinseca. Vide *resolut. Can. h. t. resol.* 3. ubi sententiam mistam theoricam probo. Pro praxi nota, quod vota simplicia Societatis Jesu hoc ipso resolvantur, cum quis ex ea dimittatur, Vasquez, & alii DD. Societ. Jesu.

3. *Nota* 3. Tria esse genera vitæ religiosæ; scilicet *contemplativa*, quæ ex primario fine ordinatur ad contemplationem rerum cœlestium, ut sunt Ordines monastici SS. Basilii, Benedicti, Brunonis &c. *Activa*, quæ ex primario fine ordinatur ad exteriora opera charitatis erga proximum; ut in Ordinibus militaribus, hospitalariis, Redemptionis captivorum &c. *Mixta* ex utraque, quæ contemplationem suam ordinat ad docendum, & prædicandum; qualem habent ordines S. Augustini, Mendicantes, Societas Jesu, & Scholarum Piar. &c. Ex his *Mixta*, utpote Episcopis propria, de se est perfectior; tum sequitur *contemplativa*, & *activa*. Regulæ autem communiter quatuor numerantur: *SS. Basilii*, *Augustini*, *Benedicti*, & *Francisci*, quibus multæ Religiones, additis suis statutis, utuntur: aliquæ tamen nullam ex his regulis sequuntur, sed suas peculiares Constitutiones a Sede Apostol. approbatas habent, ut Religio Carthusianorum, Minimorum S. Francisci de Paula, Societatis Jesu, Scholarum Piarum, cujus Constitutiones approbavit Gregor. XV. Const. incip. *Sacri Apostolatus* 1621. *die* 18. *Novembr.* Præterea Ordines alii sunt *Canonicales*; ut Canonici S. August. & Præmonstratenses; alii *Clericales*, ut S. Cajetani, Clerici de Somascha, Societatis Jesu, Scholarum Piarum &c. alii *monastici*, ut SS. Benedicti, Basilii &c. alii *mendicantes*, ut SS. Dominici, Francisci, Carmelitæ, Augustiniani &c. de quorum præcedentia hic non disputo. Plura de his vide in Scriptoribus, præsertim regularibus, qui ex professo scribunt de statu religioso; & præ ceteris S. D. 2. 2. a q. 179. *usque ad finem*. Resolvam magis præcipuas quæstiones ad praxim facientes.

§. I.

De Novitiis.

4. Q. I. *Qui possint amplecti statum religiosum?* ℞. Regulariter omnes Christiani, qui specialiter non prohibentur: nam Religio cum sit de meliori bono, cuivis est permissa. Prohibentur autem 1. Infantes, furiosi, amentes, *c.* 15. *h. t.* quia se obligare non possunt defectu judicii 2. Episcopi confirmati; nisi per Papam a vinculo suæ Ecclesiæ absolvantur, *c.* 18. *h. t. cap.* 2. *de translat. cap.* 10. *ante fin. de renunt.* 3. Conjuges post consumatum matrimonium; nisi de mutuo consensu; vel nisi justum, & perpetuum divortium adesset: quo casu innocens ingredi potest Religionem, *c.* 3. & 12. *de convers. conjug.* 4. In præjudicium tertii servus sine licentia domini: liberi, quorum opera indigent parentes in extrema, vel gravi necessitate; & e contra parentes, quorum educatione, & subsidio indigent liberi: debitor antequam creditoribus satisfaciat: nam Religio ita est permissa, ne tertio sit præjudiciosa: sublato autem tali impedimento, liberum est Religionem ingredi. 5. Ratiociniis publicis, aut privatis obnoxii, donec ea reddant, Const. Sixti V. incip. *Cum de omnibus*. Criminosi, quibus debetur gravis pœna, ut triremium, mutilationis, vel capitis, *ibid.* Cetera impedimenta recipiendorum ex cujusvis Religionis statutis attendenda erunt.

5. Q. VII. *An novitiatus, seu probatio necessario præmitti debeat professioni religiosæ?* ℞. De jure novo affirmative, Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de Regular.* Et quidem 1. probatio ista debet esse unius anni completi matematice de momento ad momentum, ut hodie communis docet; quia Trid. *loc. cit.* expresse dicit *qui minori tempore, quam per annum* &c. si autem etiam unum momentum deesset, jam esset tempus minus, quam unius anni. 2. Annus probationis debet esse continuus, & non interruptus: ita comm. DD. quia jura designantia annum probationi, cum non distinguant, intelligunt tempus continuum; cum & ista continuatio sit una ex majoribus difficultatibus. Porro ex recepta sententia tunc censetur annus probationis interruptus, dum novitius cum, vel sine veste exit ex novitiatu cum animo deliberato deserendi Religionem; etsi facti pœnitens statim revertatur. E contra, si Superior dimissionis causa novitium vestiret vestibus secularibus, & ante actualem dimissionem mentem mutaret, non censeretur tempus interruptum: quia dimissio non est facta cum effectu. Item, si quis explevit tempus probationis, & ante professionem egressus, vel ejectus est, sine nova probatione admitti potest ad professionem; dummodo notabilis mutatio non sit interposita: ita sæpius declaravit S. Congr. teste Fagn. *c. fin. n.* 52. *qui Clerici, vel vov.* Similiter, qui ob defectum ætatis invalide professus est, non obligatur repetere novitiatum; sed si in proposito manet, adveniente ætate legitima, profiteri poterit. Secus, si probatio fere totius anni præcessisset, & ultima die interrupta fuisset, repeti deberet ad effectum professionis. 3. Probatio facienda est in habitu religioso, Trid. *loc. cit.* ibi: *post susceptum habitum*: nam & iste numeratur inter majores Religionis difficultates a novitio superandas. Nec obstat *Can. un. d.* 53. & *Can.* 23. *d.* 54. nam Canones isti loquuntur, non de habitu seculari proprio, sed de habitu novitiorum distincto ab habitu professorum; & si quid contrarium indicant, derogatum est eis per jura recentiora. 4. Probatio regulariter facienda est in domo religiosa, seu novitiatu, *c.* 1. *h. t. in* 6. ibi: *quod si per totum sequentem annum in monasterio permanserit*: secus nec Religio novitium, nec novitius Religionem experiri posset. Si tamen novitius de licentia legitimi Superioris per aliquam anni partem abesset, id non officeret probationi; quia absens ex licentia fingitur esse præsens. Sic novitio non obstat, etsi suscepto habitu per potiorem anni partem in lecto æger decumbat; cum per ipsum non stet, quo minus austeritates Religionis experiatur.

6. Hæc ita de jure communi: nam de jure speciali Societas Jesu, & Scholarum Piarum Religio habent biennium pro novitiatu: quia vero apud nos non ponitur in Constitutionibus clausula irritatoria; ideo valida foret professio, si expleto uno anno probationis, novitius, & Religio sponte in illam consentirent. Item Soc. Jesu id speciale habet, quod novitii ejus in habitu seculari, & extra domum religiosam novitiatum peragere valeant. Ordines militares, cum in decreto Trident. non comprehendantur, sua specialia statuta observant: Commendatarii vero, qui sunt capita Ordinum, intra semestre ad professionem talis Ordinis obligantur; secus commenda privantur, Trid. *sess.* 25. *c.* 21. *de Regular.*

7. Q. III. *Quid juris circa dispositionem bonorum a novitiis faciendam?* ℞. 1. Observandum esse novum jus Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regg.* ubi ita statuit: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.* Ratio hujus decreti fuit, ne, alienatis bonis, novitio impediretur libertas exeundi, & defectu sustentationis imponeretur invito necessitas profitendi. Et cum sola Societas Jesu in dicto decreto excipiatur, sequitur alios omnes Religiosos sub illo comprehendi; licet illa solemnitas, ut renuntiatio ista fiat coram Episcopo, vel ejus Vicario, seu de eorum licentia, in multis locis abrogata sit.

8. ℞. 2. In decreto Trident. non comprehenduntur testamenta, & aliæ ultimæ voluntates, quas novitius ante, vel in novitiatu quandocumque fecit; cum ad placitum ejus revocari possint: neque contractus onerosi,

quibus

quibus non plus datur, quam accipitur; nec modicæ eleemosynæ; sed solæ donationes, aut renuntiationes, quibus patrimonium novitii notabiliter minuitur. Quod ipsum dic de renuntiatione beneficii: cum enim Trid. indistinctè dicat: ***nulla renuntiatio valeat***, sequitur nec valere renuntiationem beneficii, nisi forma Tridentini observetur, ut pluries decidit S. Rota, & declaravit S. Congregat. Concilii, licet forsan S. Pius de hoc dubitaverit. Nec officit, quod renuntiatio beneficii debeat esse absoluta: nam non obest ei conditio, quæ de jure inest, sicut ista Tridentini: ***nisi secuta professione***.

9. ℞. 3. Renuntiatio bonorum legitime facta subsistit, nec revocari pro placito potest a novitio; alias frustra istæ solemnitates adhiberentur: perfectè autem confirmatur, secuta professione valida, vel invalida quidem, sed deinde legitime ratificata: nam hoc modo conditio Tridentini purificatur; nisi professio fuisset invalida defectu ætatis; quia tunc renuntiatio fieret ante, non vero intra duos menses proximos ante professionem. E contra corruit ista renuntiatio, vel donatio, si professio, quoad effectum non sequatur, cum conditio deficiat; quo casu novitio omnia sua bona libera manent; & si, v. g. monasterio, vel alteri quoad custodiam tradita sunt, eidem integre restitui debent, Trident. *ibid.* Societas tamen Jesu non tenetur ea restituere, quæ novitius secundo anno probationis, vel post emissa vota biennii ei donavit, etsi professio solemnis non sequatur; nisi æquitas egeno donatori aliquid restituendum suadeat: ita DD. S. J. ex suis Constitut. oppositum tamen docet Vinc. Petra.

10. ℞. 4. Dispositio per actum inter vivos probabiliter corruit, si novitius moriatur ante emissam professionem: ita communior; nam tali casu deficit conditio secutæ professionis: opposita sententia, quam docent Suar. Engl, & alii magna nititur probabilitate, quia ex mente Trid. irritatio ista concepta est pro casu, quo novitius vult, vel potest libere exire, ne propterea ab exitu impediatur: quæ ratio cessat in casu, quo quis post talem dispositionem moritur. Unde sub illa conditione: ***nisi professione secuta***; rectè intelligitur velut de jure inexistens altera conditio: nisi ***morte secuta***. Hac secunda sententia stante, novitius donationem prius legitime factam revocare non potest, nec de bonis ita dispositis ante mortem testari: quod tamen potest juxta fundamentum prioris sententiæ; secus, si de talibus bonis per ultimam voluntatem non disponat, bona devolvuntur ad hæredes ab intestato.

11. ℞. 5. Renuntiatio, & dispositio de bonis, quam quis fecit ut candidatus Religionis, sive extra, sive intra monasterium ante susceptum habitum, non continetur sub decreto Concilii; ac proinde mero jure subsistit: ita Menoch. Garz. Petra, Schmier, & alii contra Navar. Flam. Lessium, Reiff. &c. nam Trid. *loc. cit.* loquitur de renuntiationibus, quas facit novitius: tum quia *cap.* 15. præcedens continuatur cum seq. *cap.* 16. per verba: ***nulla quoque***: tum quia sermo ibi est de illis, qui ante professionem egredi possunt; quales utique sunt novitii: atqui candidatus ante susceptum habitum non est novitius proprie, & cum effectu; ergo dispositio illius ante facta non continetur sub decreto Concilii. Et pro hac sententia dicitur constanter stetisse S. Congr. præsertim in Romana 1613. *die* 22. *Jan.* teste Petra, Donato, Sanchez, Fagn.

12. *Dices*: Decretum Tridentini est favorabile, & eadem militat ratio pro renuntiationibus candidati, & novitii, ut salvis suis bonis, liberum habeat egressum; ergo talis renuntiatio comprehensive stat sub decreto Trid. præsertim cum proxime accingendus pro accincto habeatur, *l.* 43. *ff. de testam. milit.* ℞. Decretum istud, utpote exorbitans, & correctorium juris naturalis, & positivi, est odiosum, & strictæ interpretationis; adeoque ad casum candidati disponentis non expressum non debet extendi; & si forsan esset similis ratio, cum tamen sit diversa: nam ante noviatum rarissime fiunt tales renuntiationes; frequenter vero in novitiatu, & sæpe in favorem Religionis. Neque tali modo libertas novitii constringitur: quia egredienti datur in integrum restitutio, etiam majori, ex clausula generali *l.* 1. *in fin. ff. ex quib. caus. major.* ibi: *si qua alia mihi justa causa esse videbitur &c.*

Ceterum donationes causa ingressus religiosi factæ non substant solemnitatibus civilibus per *Nov.* 5. *c.* 5. & ita sæpe decidit Rota.

13. ℞. 6. Dispositio per ultimam voluntatem a novitio facta, v. g. per testamentum, aut codicillum, omni jure subsistit; etsi novitius moriatur ante professionem. Unde, si quid judicavit pro anima sua in favorem monasterii, id ex bonis illius integre extradendum est monasterio: nam talis dispositio nullo jure irritatur; modo debitis solemnitatibus sit subnixa. Sufficiunt autem ad testamentum novitii solemnitates juris Can. ex communi DD. & recepta praxi: secus si testamentum in seculo fiat, necessariæ erunt solemnitates civiles secundum leges loci.

14. ℞. 7. Circa exequutionem voluntatis novitii observantur seqq. 1. Si novitius disposuit per actum inter vivos, res donatæ non traduntur donatario, aut cessionario ante professionem, etiam quoad dominium revocabile, cum ex decreto Trid. donatio nullum sortiatur effectum, nisi secuta professione. Possessio tamen custodiæ causa tradi potest donatario, quod Trid. supponit; dum abeuntibus ante professionem omnia eorum bona restitui jubet. At secuta professione, statim facienda est executio dispositorum, cum donatio absoluta, & perfecta evadat. 2. Si novitius per actum ultimæ voluntatis disposuit de bonis actu suo dominio subjectis, secuta professione, statim facienda est executio quoad ea, quæ pro monasterio judicavit, cum statim jus ad monasterium devolvatur, *Auth. si qua mulier. C. de SS. Eccl.* cetera vero bona, saltem in Religionibus dominii capacibus, theorice loquendo, primo post mortem naturalem professi deferenda essent hæredibus, & legatariis extraneis; & interim in dominio monasterii conservanda: nam ultima voluntas non est efficax ante mortem naturalem testantis. Excipe, nisi novitius expresse cavisset, ut voluntas sua statim post professionem effectum sortiretur: vel nisi esset alia loci consuetudo. Legitima vero, cum vim alimentorum habeat, statim post professionem tradenda videtur, uti & dos uxori. Quodsi pater de bonis suis ante professionem non disposuit, omnia bona, excepta legitima liberorum, devolvuntur ad monasterium, *Auth. ingressi*, *& si qua mulier. C. de SS. Eccles.* de æquitate autem professus cum licentia Prælati de bonis istis inter liberos disponere poterit; dummodo monasterio partem virilem relinquat, *cit. Auth. si qua mulier.* quæ saltem tacite approbatur ab Ecclesia. Quomodo feuda, emphyteuses, & fideicommissa devolvantur ad monasterium, suis locis dictum fuit. 3. Dispositio novitii circa legitimam, & aliam successionem a patre, matre, vel consanguineis obventuram, ita demum valet, si Religiosus supervivat parentibus, vel consanguineis: ita comm. nam præmortuo nulla debetur successio, nec legitima ante mortem parentum *lib.* 1. *§.* 21. *ff. de coll. bon.* Neque locum hic habet jus repræsentationis, seu fictio, quasi monasterium repræsentaret monachum in se viventem, sicut filii repræsentant Patrem; quia fictio ista a nullo jure exprimitur. Si tamen cum parentibus facta est transactio super jure legitimæ, observanda erit; etsi religiosus præmoriatur parentibus. 4. Si Pater habuit usumfructum in bonis adventitiis filii, & vel Pater, vel filius Religionem professus est, ususfructus videtur dividendus inter eos. Ita inter duas extremas media docet sententia ex *l.* 6. §. 3. *C. de bonis quæ liber.* ubi patri filium emancipanti medietas usufructus attribuitur; sed in dato casu filius ipso facto emancipatur, quia, sive pater, sive filius profiteatur, patria potestas solvitur: & quidem ex parte patris, quia is constitutus in potestate Prælati alium in potestate habere nequit: ex parte vero filii, quia is constitutus sub obedientia Prælati, totaliter eximitur ab obedientia patris in seculo remanentis, ergo. Quia vero in hoc puncto jura obscura sunt; optimum erit ad amicabilem compositionem, vel consuetudinem loci recurrere: vide Engl. a *n.* 41.

15. Q. IV. ***An novitius absque causa gravi, & licentia Prælati libere, & licite redire possit ad seculum?*** ℞. Affirmative, *c.* 23. *h. t. c.* 1. *eod. in* 6. nam per se nullum est præceptum de perseverando in statu religioso: per accidens vero talis exitus potest esse illicitus; ut si novitius ex odio, vel alia prava passione egrediatur;

vel prævideat se rediturum ad occasiones peccandi; vel si emisit votum de perseverando: quo sensu procedit *cap.* 20. *&* 23. *h. tit. & cap.* 2. *eod. in* 6. Si autem in ipsa Religione experiatur difficultates valde graves, antea non prævisas, ita ut eis ferendis moraliter non sit par, non obligatur tali voto ad perseverandum: tum quia votum hoc non fuit conceptum pro statu tam gravi, & importabili; tum quia materia voti redditur moraliter impossibilis, & consf. subducitur ab obligatione naturali. Jam si novitius exeat, omnia sua bona sub pœna anathematis ei restituenda sunt; & Episcopus per censuras Ecclesiasticas ea reddere recusantes compellere potest.

☞ *Vestis autem regularis propriis novitii pecuniis confecta, ex decreto Cong. Conc. in dubio Restitutionis vestis* 28. *Sept.* 1686. *non est ei restituenda, sed ejus valor juxta præcisum tempus vestitionis.* ☜

Neque novitius egressus regulariter tenetur solvere victum pro eo tempore, quo in noviciatu fuit; præsertim si per hoc libertas exeundi ei minueretur, Trid. *S.* 25. *cap.* 16. *de regul.* ubi tamen admittit pro victu, & vestitu novitii aliquid recipi posse. At si quis ficto animo ingrederetur Religionem, is tanquam dolosus deceptor, teneretur monasterio omnes expensas refundere.

16. Q. V. *Quæ onera, & favores sint novitiorum?* ℞. 1. Novitius, licet regulæ non subdatur, sicut professi, tamen subest potestati Prælati: non exempti quidem, quantum Episcopus permiserit; exempti vero plene quoad jurisdictionem quasi-Episcopalem, Laym. Cordub. Engl; Schmier & alii communius: nam, ne dicamus novitios vagis annumerari, necesse est eos subjici jurisdictioni Prælati, præsertim exempti; cum tempore novitiatus a jurisdictione sui ordinarii judicis subtracti sint, ergo. Unde Prælatus potest novitiis justa præcepta imponere, etiam sub censura, delinquentes punire, excommunicare, suspendere, casus reservare &c. & licet novitii non obediendo, non peccent contra obedientiam religiosam, quam necdum voverunt; peccant tamen contra jurisdictionem Prælati, sicut alii subditi non obedientes suo legitimo judici.

17. ℞. 2. Favores novitiorum complures sunt: 1. Gaudent privilegiis, & indulgentiis suæ Religionis. 2. Privilegio fori, & Canonis. 3. Possunt a Prælato Ordinis absolvi a reservatis, dispensari in votis aliisque, sed juxta tenorem privilegiorum. 4. Fructus grossos ex beneficio percipiunt. 5. Habent jus quæsitum ex receptione in novitiatum, ut sine justa causa dimitti non possint. Hinc capitularis in dubio, an novitius sit idoneus ad professionem, tenetur potius dare calculum favorabilem, si adhibita diligentia, non deprehendit indignitatem, seu incapacitatem subjecti: quia per causam dubiam non debet novitius spoliari jure quæsito. Secus dic, re integra, dum agitur de susceptione in novitiatum; tunc enim causa etiam dubia sufficit ad illum excludendum; cum nihil juris habeat ad susceptionem. 6. Ex communicatione privilegii, quod S. Pius V. dedit monialibus S. Dominici, in articulo Mortis ante expletum annum probationis, potest professionem emittere: si autem convalescat, tenetur novitiatum continuare, & denuo profiteri, Donat. Cetera de educatione novitiorum petenda sunt ex decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. ubi usu recepta sunt, & ex propriis cujusque Religionis statutis.

§. II.

De Religiosis professis.

18. *Nota*, Professionem religiosam esse actum Religionis, quo homo fidelis, emissis, & acceptatis tribus substantialibus votis, se totum Deo, & Religioni approbatæ tradit; atque ita perfecte transit in numerum rerum, seu personarum sacrarum. Et quamvis professio simplex in Societ. Jesu claudicet, ut ex parte profitentis sit obligatoria, non vero ex parte Religionis acceptantis; tamen professio solemnis in aliis Religionibus, uti etiam in Societ. Jesu, est quasi contractus utrinque obligatorius: ex parte professi, ut Deo, & Religioni perpetuo deserviat: ex parte vero Religionis, ut professum retineat, alat, & tanquam filium tractet; sive professio fuerit expressa, sive tacita, v. g. per assumptionem habitus, quo soli professi utuntur, vel per exercitium actus solis professis communis.

19. Q. I. *Quid requiratur ad valorem professionis?* ℞. 1. De jure naturali requiritur persona capax, usu rationis prædita, seriam habens intentionem se obligandi; & e contra acceptatio legitimi Prælati: item ut absit dolus, vel error substantialis, uti & conditio contraria substantiæ professionis: ut siquis profiteretur sub conditione, aut modo, ut proprium possit habere, uxorem ducere, pro placito Religionem deserere &c. nam ad valorem contractus obligatorii requiritur consensus mutuus, ab omni dolo, vel errore substantiali, & a pactis sibi contrariis liber, ut supra dixi de contractibus. De jure positivo requiritur ætas legitima sexdecim annorum expletorum, & prævia probatio in habitu religioso per annum, Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* & ut professio spontanea absque vi, & metu gravi emittatur *cap.* 1. *de his, quæ vi*. Uno ex his deficiente, professio est invalida, ob expressam irritationem jurium. Cetera impedimenta, quæ exprimuntur in Const. Sixti V. incip. *Cum de omnibus* non vitiant valorem professionis: nam quoad clausulas irritantes correcta est, & ad terminos juris communis reducta per Const. Clem. VIII. incip. *In suprema:* nisi in aliqua Religione specialia essent impedimenta irritantia; quæ occultata utique invalidarent professionem.

20. ℞. 2. Si professio invalida fuit ex quocumque capite, nullam coram Deo inducit obligationem. Et quidem si defectus notorius est, licet etiam in foro externo ex Religione egredi; si vero occultus est, & non facile in jure probabilis, v. g. ficta professio sine animo se obligandi, tunc professio præsumitur valida in foro externo; & ita profitens tenetur se gerere ut religiosum: si tamen exeat, & ignotus vivat, non peccat.

21. ℞. 3. Si professio invalida fuit ex parte Prælati acceptantis, convalidari potest per ratihabitionem ex *reg.* 10. *in* 6. si invalida fuit ex defectu intentionis in profitente, convalidatur per remotionem fictionis, & novum consensum religiosi, qui tacite acceptatur a Religione; vel saltem a Papa, ceu Prælato supremo omnium Religionum; adeo ut circa hunc defectum intentionis non sit necesse certificare Prælatum religiosum. Si tandem professio fuit invalida ex alio defectu, non convalidatur, nisi tali defectu sublato.

22. ℞. 4. Religiosus, elapso quinquennio professionis, non potest reclamare contra nullitatem illius, Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* nam intra tantum tempus præsumitur professio convalidata. Idem dic de Religione, ut identitate relativorum nec ista audienda sit, probare volens nullitatem professionis. At remedium extraordinarium restitutionis in integrum non est sublatum a Trid. adeoque potest quis ex justa causa restitui adversus lapsum temporis, v. g. si toto quinquennio metus gravis injustus duravit, propter quem non licuit reclamare.

Circa nullitatem professionis in Constit. Bened. XIV. Si data 4. *Martii* 1748. *statuitur*.

I. *Quod superior regularis, detecto aliquo impedimento ante professionem a religioso occultato, de quo prius interrogatus fuerit, etiam ipso non reclamante, procedere possit in causa super nullitate professionis intra quinquennium in judicium deducta, una cum Ordinario loci.*

II. *Quod quinquennium, cum agitur de nullitate professionis ob metum, computandum sit a die emissæ professionis, non a die, quo professus liberam reclamandi facultatem habere cœpit.*

III. *Quod causa nullitatis agi possit, etiam post elapsum quinquennium, dummodo a reclamante intra illud serio intentata fuerit, judiciumque prosequi neglexerit, aut nequiverit.*

IV. *Quod judices debeant esse Ordinarius loci, etiam Romæ, ac in ejus districtu, & actualis Superior illius monasterii eo tempore, quo causa in judicium deducitur. Quoad moniales Ordinario subjectas judex sit solus ipse Ordinarius: quoad subjectas vero Regularibus,*

bus, Superior regularis, cui universi monasterii regimen creditum est, una cum Ordinario loci.

V. *Quod Superior regularis, si judicium assumere nolit, aut nequeat, possit loco sui alium subrogare, sive regularem, sive secularem Ecclesiasticum juris Canonici peritum: non tamen jus suum Ordinario loci cedere, ut solus procedat.*

VI. *Quod si judicia Ordinarii, & Superioris discrepantia fuerint, causa ad Sedem Apostolicam devoluta censeatur.*

VII. *Quod itidem ad eandem Sedem privative spectet causa nullitatis professionis, ex quo hæc emissa fuerit extra cœnobium pro novitiatu assignatum.*

VIII. *Quod sub pœna nullitatis processus, & sententiæ non fundetur judicium in extrajudicialibus attestationibus, etiam juramento firmatis, quæ ad perpetuam dicuntur, sed instituatur processus verus, & judicialis, in quo & articuli exhibeantur ex parte reclamantis, & interrogatoria dentur abeo, qui stat pro validitate professionis, & testes tam super articulis, quam juxta data interrogatoria examinentur: qui tamen processus juxta Trident. sess. 25. c. 19. de Regular. nunquam instrui potest, nisi constet, reclamantem in Religionis suæ claustris morari, & regularem habitum resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.*

IX. *Quod sub eadem nullitatis pœna citentur tum defensores monasterii, in quo reclamans vota suscepit, tum ipsius consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus sua bona donavit, aut cessit, ceterique omnes, quorum interest professionem sustineri: inprimis autem ii, si superstites fuerint, qui indicati erunt, tam auctores, aut complices metus eidem reclamanti incussi, ut votis invitus se obstringeret.*

X. *Quod a locorum Ordinariis deputetur defensor professionum ea lege, eoque modo, quo ex altera ejusdem Pontificis Constit.* Dei miseratione, *quam vide lib. 4. tit. 19. de divortiis, deputandus est defensor pro validitate matrimonii: cui honorarium, expensæque occurrentes exsolvendæ erunt ab illis, quibus professus bona sua renuntiavit; vel a Religione, si ii non existant, aut nihil a professo renuntiatum fuerit: vel si Ordo regularis nihil possideat, ex multis illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, ut in citata Constit.* De defensore matrimonii.

XI. *Quod post sententiam latam a Superiore regulari, & Ordinario loci pro validitate professionis, causa finita intelligatur, si professus nullam interposuerit appellationem: si vero interposuerit, serventur præscripta in dicta Constit* De defensore matrimonii.

XII. *Quod non nisi post duas sententias conformes pro nullitate professionis, professus discedere possit a Religione, vel habitum dimittere sub pœnis contra apostatas latis.*

XIII. *Quod judices in secunda, aut ulteriori instantia esse debeant ii, ad quos de jure aliæ omnes causæ Ecclesiasticæ post sententiam Ordinarii, in gradu appellationis devolvuntur, una cum Superiore regulari, non illius monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii ejusdem Ordinis in eorum civitate, aut diœcesi existentis: vel eo non extante, cum Superiore vicinioris monasterii ejusdem Ordinis, seu persona ab eodem Superiore deputanda: qui tamen Superior ad ferendam sententiam non admittitur, si causa in secunda, aut ulteriori instantia ad Sac. Congregationes, aut Rotam devolvatur.*

XIV. *Quod si judicium nullitatis institutum fuerit post elapsum quinquennium, recurrendum omnino sit a locorum Ordinariis, & Superiore regulari pro facultate restitutionis in integrum adversus illius lapsum.*

XV. *Quod sub pœna nullitatis actorum, etiam in causis discutiendis super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii ex commissione regularibus Superioribus, ac locorum Ordinariis a S. Sede directa intervenire debeat, tam in prima, quam in ulterioribus dubiis propositionibus defensor professionis.*

XVI. *Quod idem servetur, tam a Cardinalium Congregationibus, quam a Rotæ Auditorio, sive quacumque Congregatione specialiter deputata. Et defensor deputetur ab eo, qui est caput tribunalis, expensis eorum, de quibus supra.*

XVII. *Quoad fruendum beneficio restitutionis in integrum præcedere debeant duo conformes favorabiles resolutiones, sub pœnis pariter contra apostatas latis: si reclamans post primam e claustris migrare, multoque magis si habitum dimittere præsumpserit.* ✠

23. Q. II. *Qui sint præcipui effectus validæ professionis?* ℞. seqq. 1. Obligatio ex genere suo gravis ad servanda vota. 2. Vinculum perpetuum cum Religione ex ipsa natura professionis, seu status religiosi; sicut ex nuptiis sequitur vinculum conjugale perpetuum. 3. Causat in subjecto apto plenam remissionem peccatorum quoad omnem pœnam, ut tenet pia sententia: quod beneficium multi extendunt ad illos actus, quibus professio religiosa, pro more religiosorum, publice, aut privatim serio renovatur. 4. Extinguit ipso jure alia vota, & juramenta *cap. 4. de voto.* 5. Dissolvit matrimonium ratum, & dirimit contrahendum, *cap. 2. 7. 14. de convers. conjug.* 6. Abolet maculas, & defectus civiles, ut irregularitatem ex natalibus, *c. 1. de fil. presbyt.* notam ingratitudinis ad exhæredationem de jure sufficientem *Can. fin. 19. q. 3. Nov. 125.* inhabilitatem ad actus temporales ex crimine ortam, v. g. ex furto, perjurio, falso testimonio *Nov. 5. pr.* &c. 7. Reddit religiosum capacem participandi omnia privilegia suæ Religionis, quæ privatis, & singulis communicantur. Neque tollit nobilitatem ex sanguine traductam; quia jura sanguinis de se perpetua compatibilia sunt cum statu religioso *arg. l. 34. ff. de pact.* Cessat vero dignitas temporanea ex officio descendens; quia extincto officio, v. g. consulis, gubernatoris &c. extinguitur talis dignitas, & denominatio. Hi sunt effectus professionis solemnis. At professio simplex in Societ. Jesu non inducit perpetuitatem ex parte Religionis, nec absolutam obligationem servandi vota, sed conditionatam, donec quis in Societate vixerit: nec dissolvit matrimonium ratum, licet ex speciali privilegio dirimat contrahendum: ita DD. Societ. Jesu.

24. Q. III. *Ad quid obligetur professus ratione votorum?* De hac materia pro foro conscientiæ fusius agunt Moralistæ: ego pro foro Can. præcipuas qq. hic resolvam. Unde.

℞. 1. Religiosus ratione castitatis obligatur abstinere ab omni voluptate venerea tam interna, quam externa; secus peccando, duplicem malitiam committit, scil. luxuriæ contra temperantiam, & sacrilegii contra votum Religionis. Sola castitas conjugalis, quam quidam Ordines Equitum conjugatorum observant, non sufficit ad verum, & proprie statum religiosum, S. D. 2. 2. *q.* 186. *ar.* 3. *& seqq.*

25. ℞. 2. Religiosus ratione paupertatis obligatur, ne proprium quid habeat ex bonis fortunæ, vel aliquo, tanquam proprio utatur, *Can. 11. non dicatis 12. q. 1. & c. 2. 4. 6. de stat. monach.* Unde 1. quidquid religiosus acquirit undecumque, modo tamen justo, monasterio, & non sibi acquirit; adeo ut ad rem per se acquisitam nihil juris habeat; licet conveniens sit, ut Superior ex acquisitis ei aliquid dispenset ad usus necessarios. 2. Peccat religiosus contra paupertatem, si sine licentia exerceat actus proprios dominii, v. gr. alienando, vendendo, donando, permutando res sibi ad usum concessas: ut si breviarium venderet, aut permutaret &c. item si recipiat res a secularibus, & pro iis retinendis licentiam superioris non petat; vel si rebus sibi concessis abutatur, vel per dolum, aut culpam latam eas destruat &c. nam solus usus facti ei concessus est, & tanquam diligenti usufrario incumbit onus bene rebus uti, non abuti. Sufficit autem licentia Superioris non tantum expressa, & tacita, sed etiam rationabiliter præsumpta; licet modus aliqualiter displiceat Superiori. Sed in hoc puncto religiosi sint timorati: nam si superflua retineant, vel ea, quæ difficulter sine expressa licentia concedi solent, non tam facile præsumere possunt de licentia Prælati; etsi is res istas forsan in cubiculo videre, aut de illis notitiam habere possit; quia tacens sæpius non habetur pro consentiente; cum tacere, & tolerare possit minus malum ad evitandum majus, quod sequeretur, si religiosis, præsertim inquietis, & correctionis impatientibus auferret ea, quæ sine licentia habent. 3. Prælatus dispensare non potest, ut religiosus superflua, & præsertim pauperem statum reli-

religiosum dedecentia penes se habeat, vel aliqua in usus vanos, & illicitos expendat: ita certa, & com. sententia: nam Prælatus non est dominus, sed dispensator *c. 2. de donat.* si vero tales licentias daret, non dispensator, sed dissipator, & paupertatis religiosæ eversor esset. Hinc bene dixit Clem. VIII. in decreto incip. *Nullus omnino* non esse credendum Superioribus, etiamsi asseverent, se posse hujusmodi dispensationes concedere; cum re vera talis Superior, & subditus se ipsos, & non Deum decipiant. 4. Attento jure scripto, Superior privato religioso non potest concedere peculium, cujus administratio sit penes ipsum religiosum, etiam dependenter a voluntate Superioris, uti sunt annui redditus, administratio villæ &c. ita Less. Lopez, Molin. Fagn. Donat. Reiff. & alii communiter contra Navar. Rodrig. Sanch. Pron. ex Trid. *sess.* 25. *c.* 2. *de Regul.* & decreto Clementis, & Urbani VIII. incip. *Nullus omnino* §. 3. *neque Superioribus*, ubi prohibetur, ne Superiores bona ad usum, vel usumfructum concedant privatis religiosis, sed acquisita incorporentur conventui, & per officiales ipsius administrentur. Stant pro hac sententia plures declarationes Sacr. Congregat. quas affert Petra: nam tale peculium valde adversatur perfectioni paupertatis religiosæ; ergo merito sublatum est per *cit. Trid.* & Decretum *Clem.* Ceterum si Superior, vel officialis administret talia bona, & inde necessaria det personæ, ratione cujus bona sunt acquisita: id non contrariatur citatis juribus; uti nec illa consuetudo, vi cujus Superior concedit mobilia necessaria religioso, in usus necessarios, aut honestos expendenda; dummodo non concedat superflua, Trident. *loc. cit.* ibi: *Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superfluum in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur*. Dixi attento jure scripto, quia consuetudo habendi peculium dependenter a voluntate Superioris, præsertim apud moniales in multis locis toleratur tanquam licita: ejus tamen extirpatio optanda, & procuranda foret. Vide Reiff. *tit. de stat. monach. a num.* 5. Laym. & alios. 5. Quanta materia, seu quantitas requiratur ad peccatum mortale contra paupertatem, certa regula statui non potest. Regulariter DD. docent idem sufficere, quod ad furtum mortale. Nec te decipiat Diana, obiter assignans duos aureos, quia in Doctoribus, quos citat, id non inveni: nam aliqui ex illis duos julios, alii quatuor assignant, qui in nostra moneta nec medium, aut unum florenum faciunt. Nec etiam se explicat, quales aureos intelligat: nam aurei, vel ducati in Italia sunt diversi: aliqui non excedunt valorem 30. grossorum nostræ monetæ. Quia tamen religiosus comparatur filiof. censeo aliquantum plus requiri ad mortale, quam ad furtum; dummodo monasterium non sit nimis pauper. 6. Pœnæ religiosi proprietarii sunt: privatio vocis activæ, & passivæ, Trid. *S.* 25. *c.* 2. *de regul.* expulsio e conventu *c.* 6. *de stat. monach.* cui hodie successit carcer, vel alia similis pœna: & tandem sepultura asini, si apud mortuum, seu in morte proprietas aliqua reperta fuerit; & saltem aliquid de ista proprietate cum religioso in sterquilinio sepeliendum est, *cit. c.* 6. ut fecit S. Gregor.

26. ℟. 3. Religiosus ratione obedientiæ obligatur parere Prælato præcipienti secundum regulam, & proprias Constitutiones: id vero, quod in reg. FF. Minor. S. J. & in Constit. nostris *p.* 2. *c.* 2. dicitur, ut obediamus Superiori in omnibus, ubi peccatum non est, intelligendum est de obedientia supererogatoria, & in gradu excellenti, ut docet S. D. 2. 2. *q.* 104. *ar.* 5. *ad* 3. & in 2. *d.* 44. *q.* 2. *ar.* 4. ubi distinguit triplicem obedientiam: *Indiscretam*, seu *illicitam*, quæ obedit in illicitis contra legem Dei, vel Ecclesiæ, vel contra propriam regulam: *sufficientem*, seu *necessariam*, quæ obedit in his tantum, in quibus secundum propriam regulam obedire tenetur: & *perfectam*, seu *excellentem*, quæ obedit Prælato in omnibus, in quibus non subest peccatum. Religiosus vi voti obligatur ad obedientiam sufficientem, quæ ad salutem sufficit; non vero ad perfectam, quæ est extra præceptum, & pertinet ad cumulum perfectionis; licet suadenda sit omni religioso, sicut nobis in Const. *l. c.* fere per totum inculcatur, ut integre, prompte, fortiter & cum humilitate debita Superiori obediamus. 2. Subditus tenetur obedire Prælato non tantum in his, quæ *expresse*, sed etiam quæ tacite continentur in regula: nam quæ tacite insunt, perinde est, acsi expressa essent, cum taciti, & expressi eadem sit vis ex *l.* 3. *ff. de R. C. l.* 156. *ff. de R. J.* Illa autem tacite, seu implicite censentur contineri in regula, quæ moraliter necessaria sunt ad instituti, & regulæ observantiam. Hinc pro varietate temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum varia a capitulis generalibus, & provincialibus conduntur statuta, ad conservationem, & observantiam instituti necessaria; ad quæ utique religiosi obligantur, uti & ad pœnas in eis statutas. Quodsi autem regula notabiliter relaxata sit, maxime per Sedem Apostolicam, professi regulariter loquendo, non tenentur ad suscipiendam reformationem primitivæ regulæ: nam regulam non aliter professi sunt, quam sicut hic, & nunc communiter observata fuit.

27. Q. IV. *An, & quomodo professio religiosa dissolvi, aut dispensari possit?* ℟. 1. Vota professionis quoad accidentalia dispensative relaxari possunt, maxime per Sedem Apostolicam: sic enim Papa potest religiosum subtrahere actuali obedientiæ suorum Superiorum, dispensare cum eo ad condendum testamentum de rebus per se acquisitis, cum dispositio ista fieri possit nomine Papæ, vel monasterii; non vero nomine proprio, & jure dominii. 2. Promotio ad Episcopatum, vel Papatum non solvit professionem religiosam, S. D. 2. 2. *q.* 185. *ar.* 8. nam status religiosus non repugnat; imo maxime convenit statui Episcopali, ut patet in Apostolis. Unde religiosus factus Episcopus obligatur voto castitatis, ut de se patet: voto paupertatis, quia non sibi, sed Ecclesiæ acquirit, & superflua vane expendendo peccat contra paupertatem: voto obedientiæ, quia tenetur obedire Papæ, non tantum obedientia communi, sicut alii Episcopi, sed speciali descendente ex voto: at respectu Superiorum regularium obedientia manet tantum in habitu, sicut in Generali; ita ut, si absolveretur a vinculo Ecclesiæ, recideret in actualem potestatem Prælatorum regularium. Porro eo casu, quo religiosus in Episcopum promovetur, omnia ei concessa ad usus necessarios, ut libri & alia supellex, subtrahenda sunt eidem, ne illius promotio sit monasterio damnosa; nisi Religio ex benignitate velit ei relinquere ad usum; non tamen donare aliqua majoris momenti; cum Superioribus administratio, non donatio sit permissa, *cap.* 2. *de donat. cap. fin. de off. Vicar. in* 6.

☞ *Ex constitutione Benedicti XIII.* Postulat 7. *Mart.* 1725. *interdicitur quibuscumque Regularibus ad quamcumque Ecclesiasticam dignitatem extra suum Ordinem assumptis secum asportare, propriisque usibus applicare*, Libros, pecunias, credita, deposita, & bona mobilia, seu immobilia cujuscumque generis, & speciei, quæ eos tempore suæ promotionis penes se, vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis, & breviario; sed ea omnia statim, ac suæ promotioni consenserint, & antequam consecrationis munus suscipiant, Superiori locali, & capitulo cœnobii, conventus, aut domus, ubi degunt, integra, & intacta absque ulla prorsus diminutione, cum eorum notula, seu inventario bona fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum cœnobio, conventui, vel domui applicari possint, ac debeant, cui juxta Constitutiones, & consuetudines cujusque Ordinis; Congregationis, ac Instituti applicanda esse constiterit. Quod si secus fecerint, & huic nostræ ordinationi non obtemperare præsumpserint, contrafacientes, ultra pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalis ministerii in Præfat. Clement. IV. litt. constitutam, suspensionis insuper a divinis pœnam ipso facto incurrant - *Papæ reservatam; sublata etiam Majori Pœnitentiario eam relaxandi facultate: & dd. rerum usum nec ad tempus Superipres concedere possunt. Et ex Constit. ejusdem* - Custodes - 7. *Martii* 1725. *iisdem Regular. tam ad Episcopatum, quam ad Cardinalatum evectis præcipitur in virtute S. obedientiæ sub pœna suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto incurrenda Papæ reservata; ut* - Singulis suæ regulæ officiis, obligatioibus, quæ pontificale, sive cujuscumque alterius dignitatis, aut cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint:

& pro-

& proinde sui monastici Ordinis, seu alterius regulæ Mendicantium, insignia, & propria indumenta lanea, suoque peculiari colore distincta: rasilem quoque ad cutis planitiem in summo vertice, vel eo giro, & forma expressam coronam præseferant, quibus antea intra eorumdem regularium Ordinum claustra militabant.

Nota, quod ab hac vestiendi lege eximuntur Clerici Regulares, cum eorum Ordinum habitus idem revera sit cum habitu presbyterorum secularium, ut animadvertit Bened. XIV. in epistola decret. ad Joachinum Cardinalem Portocarrero 13. *Octobr.* 1745. *sicuti & Canonici Regulares ex privilegio Leonis X. Constit.* 34.

Præcipitur ulterius in citat. Constitut. Custodes *ut dimisso Episcopatu, seu quacumque alia dignitate, ad quam evecti fuerunt, vel perfuncti munere sibi extra claustra commisso, ad eadem claustra redire teneantur sub pœna privationis usus pontificalium: etsi permanserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis.* ℟.

28. ℟. 3. Papa non potest dispensare in substantia alicujus voti religiosi pro sensu composito, *hoc est*, ut quis maneat religiosus, & habeat, v. g. proprium, vel uxorem ducat: ita com. sententia, quam amplectitur Innoc. III. in *cap.* 6. *cum ad monasterium de stat. monach.* in fin. dicens: *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachi* (observa hic sensum compositum) *ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* In qua decretali doctrinam suam fundat S. D. 2. 2. q. 88. *a.* 11. & solide probat per Ecclesiam non posse dispensari in voto castitatis religiosæ: quia *debitum continentiæ est essentiale statui Religionis*, seu ut dicit decretalis, *quia castitas est annexa regulæ monachali*. Quod argumentum manifeste procedit de dispensatione in sensu composito; cum nulla res sine suis essentialibus subsistat. Ita intelligenda mihi videntur cetera omnia in *d. art.* 11. expressa; utpote ab hac ratione pendentia; præsertim illa verba: *Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit religiosus*: nam hoc assertum probat S. D. per principale argumentum statim subjectum: quia continentia essentialiter est annexa statui Religioso; ergo verba ista intelligenda sunt in sensu composito, acsi dicerem: Deus non potest facere, quod ille, qui est homo, non habeat animam rationalem, seu non sit homo; quia sicut anima rationalis est de essentia hominis; ita castitas, & alia duo vota sunt de essentia professi, seu hominis quare ligiosi. Ex quibus hanc elicio rationem: Papa dispensando, non potest id tollere, quod est de essentia rei; sed tria vota sunt de essentia status religiosi, ut supra dixi ex communi doctrina; ergo dispensando, non potest Papa tollere votum, v. g. castitatis, vel paupertatis, ut eo sublato maneat quis religiosus: tunc enim esset ex supposito, & non esset religiosus, cum essentialia constitutiva religiosi non haberet.

29. ℟. 4. Papa potest dispensare in votis religiosis pro sensu diviso, hoc est, potest tollere totum vinculum professionis religiosæ, & hominem religiosum secularizare: ita hodie communior sententia: quam etiam ex Thomistis multi defendunt, Cajet. Andreas a Matre Dei in Salmantic. Moral. *tract.* 15. *c.* 1. *punct.* 3. *a num.* 40. cum *citt.* contra Altisiodorensem, Turr. Sot. Joan. a S. Th. Salmantic. speculativ. *tr.* 20. *de stat. relig. cum citt.* quam sententiam, utpote probabilem docui in theologia; licet nunc alia mihi videatur mens S. Thomæ, ut eam *num. præced.* exposui. *Prob.* 1. Papa habet a Christo domino generalem potestatem gubernandi Ecclesiam, & ea faciendi, quæ magis expediunt tum privatæ, cum etiam publicæ felicitati fidelium, ut patet ex *Matth.* 16. *quodcumque solveris super terram &c. & Joan. ult. pasce oves meas*: sed sub hac generali potestate continetur hæc potestas particularis dissolvendi vinculum professionis religiosæ, ergo: probo minorem. 1. negative, quia nullibi excipitur. 2. positive, quia voluntates fidelium substant supremæ potestati Papali, ut, prout melius videtur, eas commutare, relaxare, & totaliter irritare possit: atque ita in consequentiam jura quæsita tollere, ac materiam subducere ab obligatione juris naturalis; ut patet in irritatione votorum simplicium, juramentorum, & contractuum; ergo ob eandem rationem Papa habet potestatem irritandi consensum religiosi, quo se Deo devovit, cum nullo jure divino scripto, aut tradito ostendi possit, casum istum exceptum fuisse a generali potestate irritandi. Quo casu jus naturale, & divinum non mutatur formaliter, & directe, sed materialiter, & indirecte; & in consequentiam, quatenus irritato consensu, seu contractu, nulla restat materia, super quam obligatio juris naturalis cadat. 3. Quod hæc potestas particularis contineatur sub generali a Christo data, si non per definitionem, saltem ipso facto declararunt Summi Pontifices, dispensando cum religiosis ad matrimonium; sicut Benedictus IX. cum Casimiro II. Rege Poloniæ, monacho Cluniacensi; Cœlestin. III. cum Constantia Moniali Rogerii Siciliæ Regis filia, & postea uxore Henrici VI. Imp. Innoc. III. conditor decretalis: *cum ad monasterium*, cum Ramiro II. Arragonum Rege Abbate, & Episcopo; Gregor. XIII. cum Provinciali Cappuccinor. Fratre Cardinalis Joyosæ, & alii cum aliis, ut Historici memorant, quorum auctoritas, quam nonnulli in dubium vocant, si non plene probat, saltem multum adjuvat præsentem sententiam. 4. Non minus Episcopus per confirmationem contrahit vinculum spirituale juris divini cum sua Ecclesia, quam religiosus per professionem cum Religione; utrumque enim ex natura sua, & jure divino est perpetuum, ac indissolubile; imo fortius videtur esse vinculum Episcopi, quam religiosi, ut docet S. D. 2. 2. *q.* 174. *a.* 5. *&* 6. sed Papa, ut Vicarius Dei, seu potestate a Christo accepta, dissolvere potest vinculum Episcopi cum Ecclesia, ut clare docet Innoc. III. *cap.* 2. *& fin. de translat.* ergo etiam dissolvere potest vinculum professionis religiosæ, ut recte argumentatur S. D. *cit. art.* 6. in corp. ibi: *Episcopi autem, quia sunt in statu perfectionis, non nisi auctoritate summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis* (qualia hic veniunt religiosa, ut ex contextu patet) *dispensare, possunt Episcopalem curam deserere.* 5. Plerique RR. id ipsum probant ex ea ratione; quia Papa dispensare potest in votis simplicibus: sed solemnia religiosa non differunt ab eis, nisi penes solemnitatem extrinsecam, ab Ecclesia introductam, *c. unic. de vot. in* 6. ergo etiam dispensare potest in votis solemnibus religiosis. Sed hæc ratio merito rejicienda est; quia incertum per magis incertum probat: nam verior videtur sententia eorum, qui vota religiosa, quæ ab extrinseco dicuntur solemnia, asserunt intrinsece distingui a quibuscumque votis simplicibus, & solemnibus non religiosis: siquidem solemnitas extrinseca, sicut in matrimonio, non mutat, sed determinat vota religiosa, quæ specifice talia important perpetuam traditionem, & acceptationem, perpetuamque obligationem ex parte religiosi, & Religionis, ut a principio Ecclesiæ Christi observatum fuit; quæ perpetuitas reciproca in nullis aliis votis simplicibus reperitur. Melius sententia ista confirmatur auctoritate S.D. in 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *qu.* 1. *ad* 3. inquientis: *Et ideo alii dicunt probabilius, si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provinciæ exposceret, posset convenienter, & in voto Religionis, & in voto continentiæ dispensare, quantumcumque esset solemnizatum.* Ex quo patet ad valorem hujus dispensationis requiri gravem, & publicam causam, sine qua Papa in jure divino, & naturali dispensando, nihil agit, ut alias sæpe dictum. Talis causa esset: tranquillitas totius regni, defensio fidei catholicæ: ut si in regno succedere deberet hæreticus, aut infidelis, nisi monachus, ducta uxore, regnum susciperet &c.

30. *Obj. contra resp.* 4. Pro sensu composito: 1. Papa potest totum vinculum professionis relaxare, quod est plus; ergo etiam in uno voto, v. g. castitatis dispensare, quod est minus. 2. Non repugnat, ut quis sit maritus in habitu, & religiosus in actu: ut si conjugatus, consummato matrimonio, de licentia uxoris fieret monachus; quo casu vinculum matrimonii non dissolvitur; ergo neque repugnat, ut quis sit castus, seu monachus in habitu, & maritus in actu; quia tali casu votum castitatis non tollitur, sed tantum obligatio ejus suspenditur, sicut votum castitatis perpetuæ non tollitur, sed suspenditur, si vovens ad matrimonium dispensetur: quo casu talis monachus, mortua uxore, teneretur votum reddere Domino; sicut etiam monachus factus Papa, resignato Papatu, teneretur ad obe-

obedientiam, quæ per Papatum suspensa fuit. 3. Licet obligatio radicalis, seu in actu primo annexa sit regulæ monachali, non tamen obligatio exercita, & in actu secundo; ut patet in voto obedientiæ, & paupertatis; sed radicalis obligatio castitatis componi potest cum conjugio, & usu ejus, ut patet in marito, qui prius vovit continentiam; ergo etiam hæc duo componi possunt, ut monachus fiat maritus, & conf. in sensu composito Papa dispensare potest in votis religiosis. 4. Presbyter latinus, vel Episcopus in sensu composito possunt esse mariti, licet ligati sint voto solemni castitatis; ergo a pari.

℞. *Ad* 1. Conc. ant. & n. c. nam in antecedenti nulla est repugnantia, bene vero in consequenti, ut quis religiosus sit, & non habeat constitutiva essentialia religiosi. Sic Deus destruere potest hominem, non tamen illum conservare, destructa sola anima rationali. *Ad* 2. paritas ista non est contemnenda; neque tamen quidpiam evincit; & ideo conc. ant. & n. conf. nam maritus, si de licentia uxoris fiat monachus, nihil agit repugnans vinculo maritali: tum quia matrimonium non consistit in usu; tum quia obligatio proxima reddendi debitum per uxorem remissa est; & conf. vinculo conjugali accedere potest vinculum professionis religiosæ: e contra monachus, assumendo statum conjugalem, directe poneret aliquid repugnans vinculo monachali, puta jus maritale: nam vi professionis religiosæ obligaretur ad abstinendum ab omni actu venereo, etiam qui licitus est in matrimonio; vi autem initi conjugii obligaretur ad reddendum debitum, quæ duæ obligationes, utpote contrariæ, non sunt compatibiles in eodem subjecto, præsertim si dicamus per tale conjugium acquiri jus petendi debitum. Nec est paritas a voto simplicis castitatis, & obedientiæ: nam simplex castitas non est de essentia alicujus status; bene vero castitas religiosa est de essentia status religiosi; ergo licet illa relaxari possit, non tamen ista in sensu composito religiosi status. Similiter promotio monachi in Papam nihil contrarium ponit voto obedientiæ, sed hujus exercitium suspenditur ex defectu præcepti, seu altioris superioris. *Ad* 3. Neg. min. ex dictis: nam jus radicale castitatis religiosæ, seu abstinendi ab omni actu venereo, & jus petendi, ac obligatio reddendi debitum, directe sibi contrariantur; ergo non possunt componi in eodem subjecto: tum quia status religiosus ex institutione Christi, & communi Ecclesiæ sensu negative obligat, ne ei superinducatur status contrarius, uti est conjugalis: cum econtra status conjugalis absolute negative non obliget, ne ei perfectior status superinducatur; sed tantum conditionate, si altera pars jus maritale non amittat, vel non remittat. Pro ultima disparitate serviat magistra Romana Ecclesia: admittit conjugatis conversionem ad monachatum *tit. de convers. conjugat.* monachis vero negat reversionem ad nuptias: quia castitas annexa est regulæ monachali *cit. cap. 6. de statu monach.* *Ad* 4. Neg. consequentiam: nam castitas essentialiter annexa Presbyteratui, vel Episcopatui, sed solum ex præcepto Ecclesiæ, quod relaxari potest; econtra castitas jure divino annexa est essentialiter statui religioso: ergo relaxari non potest, quin tollatur status religiosus; cum nulla res sine essentialibus subsistat.

31. *Obj. contra respon. 4. de sensu diviso. 1. c. 6. in fin. de stat. monach.* cum S. D. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. & ibid. *a.* 6. *ad* 1. respondente: quod *votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum simplex*. 2. Homo per professionem consecratur Deo, scilicet vi perfectæ traditionis, sed consecratio non potest tolli a re, quamdiu res ista existit, ut patet in calice consecrato, ergo neque professio religiosa tolli potest ab homine, quamdiu vivit, ut infert S. D. *cit. a.* 11. ibi: *unde multo minus potest hoc facere aliquis Prælatus, ut homo Deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desistat*: quod S. D. repetit statim infra: *& ideo* &c. quæ locutio manifeste est pro sensu diviso. 3. S. D. in 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 2. *qc.* 2. de voto solemni ait: *cujus obligatio in nullo casu irritari potest*. 4. Papa ex Sacerdote non potest reddere non-Sacerdotem; ergo neque ex religioso non-religiosum. 5. Papa utpote inferior, non potest tollere jus naturale, & divinum; sed professio religiosa est juris naturalis, & divini, ergo. 6. Papa nec indirecte per subtractionem materiæ dissolvere potest matrimonium consummatum, licet obligatio illius acquiratur Deo ex liberis actibus conjugum, ergo nec tali modo tollere possunt professionem monachi; quia non constat, quod Christus ei potestatem dederit irritandi consensum monachi: imo decuit pro excellentia tanti status, ne in terris esset potestas eum dissolvendi.

℞. *Ad* 1. Auctoritates istæ procedunt de dispensatione in sensu composito, ut supra ostendi: obligatio fortior non obstat, quin a Vicario Christi tolli possit. *Ad* 2. Dist. maj. quamdiu existit quoad formam subjectam consecrationi, C. m. quoad suam substantiam physicam. N. m. Sic lapides in Ecclesia consecrata, quamdiu muro inhærent, sunt consecrati; extracti a muro desinunt esse consecrati: sicut etiam destructa forma calicis, substantia auri non manet consecrata, manet tamen existens. Similiter in monacho tria considerari possunt: substantia physica personæ, forma moralis consistens in reciproco consensu monachi, & Religionis, & inde resultans vinculum perpetuum Deo deserviendi (hoc enim intelligit S. D. nomine *consecrationis, & benedictionis*, non vero aliquas preces, quæ forsan alicubi in professionibus adhibentur, ut recte advertunt Thomistæ) jam vinculum istud de se perpetuum, respectu cujus Deus habet jus quæsitum, tolli nequit stante consensu: hoc autem irritato, indirecte, & in consequentiam tollitur istud vinculum; sicut destructa forma calicis, indirecte tollitur consecratio. Quod autem Papa consensus voluntatis nostræ irritare possit, abunde probatum est supra. Textus ex *cit. art.* 11. intelligendi sunt ex probatione subjuncta, ibi: *est ergo considerandum, utrum continentia sit essentialiter annexa ei, ad quod votum solemnizatur &c.* atque ita manifeste patet, S. Doctorem velle suos textus intelligi pro sensu composito, Juristasque contrarium ignoranter dicere; licet pro sensu diviso docte dicant, sicut ipse S. D. pro nobis allegatus, & plurimi Theologi tempore ejusdem S. Doctoris: alioquin, si priora verba crude accipiantur, sequitur grande absurdum in ipsa littera S. Thomæ, quod scilicet Papa neque cum Presbytero seculari dispensare possit in voto solemni castitatis; quia per tale votum est Deo consecratus: non potest autem facere aliquis Prælatus, *ut homo Deo consecratus, quamdiu vivit, consecratus esse desistat;* cum tamen S. D. in subjuncta ratione fundamentali distinguat, & contrarium doceat. *Ad* 4. obligatio ista ab intrinseco, & privata auctoritate partium in nullo casu irritari potest; bene vero ab extrinseco, & publica auctoritate Vicarii Christi, *ad quem solum pertinet in votis perpetuis dispensare*. S. D. 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 6. *& arg. c.* 2. *& fin. de translat.* Sic Angelus ab intrinseco est incorruptibilis, & tamen ab extrinseco destrui potest *Ad* 5. Per subductionem materiæ potest, ut sæpius in simili dixi: irritatis autem consensibus, nulla materia superest, ad quam terminetur jus naturale. *Ad* 6. Neg. conf. quod Papa matrimonium consummatum dissolvere non possit, id non oritur inde, quasi consensus fidelium irritare non valeret, sed altiori causa magni Sacramenti; quia Christus voluit per matrimonium consummatum significari indissolubilem unionem Verbi cum Ecclesia per carnem; & ideo nec Vicario suo dedit potestatem illud dissolvendi, ut tota Ecclesia tenet ex *Matth.* 19. *quod Deus conjunxit. cap.* 7. *de convers. conjug. &c.* ista autem ratio & sensus Ecclesiæ non currit in votis etiam religiosis. Cetera in minoris momenti ex his facile enodari possunt. Si tamen S. Sedes Apostolica declaraverit decretalem Innoc. III. *cum ad monasterium*, procedere in sensu composito, & diviso, paratus sum sententiam istam corrigere, & retractare.

§. III.

De juribus Regularium.

32. Q. I. *Quæ sint præcipua jura Prælati generalis?* ℞. seqq. 1. Jus dignitatis, & præeminentiæ, quæ comparatur patriarchali: cum Generales medios, & infimos Prælatos sibi subjectos habeant. 2. Jus potestatis privatæ, scilicet paternæ, & dominicæ: vi cujus imperare possunt subditis, sicut pater filio, & dominus

minus servo, conformiter Instituto, irritare eorum vota, ordinare necessaria ad cultum divinum, res sibi commissas administrare, paterne corrigere &c. Et quia hæc potestas oritur ex voto obedientiæ, sequitur, quod subditum suum ubicumque existentem tanquam rem suam repetere, & capere possit: quo sensu totus mundus dicitur esse Prælato regulari pro territorio. 3. Jus potestatis publicæ, seu jurisdictionis pro foro externo, & interno, *cap.* 3. *de privil. in* 6. quæ potestas, vel est subordinata Episcopo, sicut in Prælatis non exemptis; vel ab eo independens, sicut in Prælatis exemptis. Et quidem in foro interno absolvere possunt a peccatis, & censuris specialiter Sedi Apostolicæ non reservatis omnes suos religiosos: in foro autem externo possunt inquirere in vitam suorum, judicare, excessus corrigere, censuras ferre &c. 4. Generalis potest præcepta suis imponere, & decreta temporanea facere pro tota Religione secundum limites regulæ propriæ; at perpetua statuta condere nequit, cum id reservatum sit capitulis generalibus, ut com. docet in praxi; licet in S. J. decreta generalia dicantur durare, donec revocentur. 5. Generalis potest novas provincias erigere, dividere, adunare, sicut Episcopus beneficia, *c.* 8. *de excess. Prælat.* 6. Potest etiam causas subditorum ad se avocare: non tamen subditum eximere a jurisdictione Prælati inferioris, ut provincialis, vel localis: nam ejusmodi exemptiones a jure communi exorbitantes facere, & subditum, omissis mediis superioribus, immediate sibi subjicere, est proprium solius Sedis Apostolicæ, quæ Episcopos a jurisdictione Archiepiscoporum, & Regulares quosdam a jurisdictione Episcoporum eximit, *Can.* 52. *frater.* 16. *quæst.* 1. Denique Generalis potest ea omnia, ad quæ jurisdictio secundum propria statuta se extendit. Sicut econtra gravissime obligatur observantiam regularem procurare, laxitates tollere, & ea, quæ nervum disciplinæ regularis dissolvere possunt, submovere: uti & in fine sui generalatus rationem suæ administrationis reddere capitulo generali, quo inferior est. Fusius ista vide in Scriptoribus regularibus.

33. Q. II. *Quæ sint jura Prælati provincialis, & localis?* R. Jus potestatis paternæ, & dominicæ, & jurisdictionis; vi quarum generaliter idem possunt in sua provincia, vel monasterio, quod Generalis in tota Religione: nisi potestates istæ a propria regula limitentur; sicut plerumque limitari solent, præsertim localibus superioribus.

34. Q. III. *Quam potestatem habeant Præpositæ monialium?* R. Dominicam, & maternam, in qua pares sunt cum Prælatis virorum; at potestatem clavium, seu jurisdictionis non habent; cum potestas ista prærequirat officium spirituale; cujus fœmina regulariter incapax est. Id tamen Abbatissæ concedi potest, ut Clericos in beneficiis instituere, & ab eis amovere, seu late suspendere, hoc est, simplici præcepto prohibere possit, 12. *c. de M. & O.*

35. Q. IV. *Quid Prælati Regulares possint vi privilegiorum?* R. 1. Absolvere possunt suos subditos ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ: dispensare in votis, juramentis, jejuniis, observatione festorum, recitatione breviarii, irregularitatibus, & aliis, quæ passim referuntur a DD. & de quibus suis locis dicam, præsertim *tit. de privil.* juxta tamen privilegiorum tenorem. 2. Prælati exempti libere suam jurisdictionem exercere possunt independenter ab Episcopo, exceptis illis casibus, in quibus de jure novo subjiciuntur Ordinariis.

36. Q. V. *Qui sint illi casus, in quibus Regulares exempti subjiciuntur suo Diœcesano?* Ghokier enumerat 116. Barbosa 50. alii plures, vel pauciores: sed de numero non est curandum, dummodo in substantia conveniamus. Unde R. Casus isti præcipui sunt seqq. 1. Sine licentia Episcopi, aut proprii Parochi non possunt Clericis, & laicis ministrare Extremam unctionem, & Viaticum, neque matrimonia solemnizare; alias præsumptores incurrunt ipso facto excommunicationem, *Clem.* 1. *de privil.* quæ censura reservatur Sedi Apostolicæ; & Episcopo datur facultas eam publice denuntiandi. 2. Episcopus supplet negligentiam Prælatorum in provisione beneficiorum commissam, *Clem. unic. de supplend. neglig.* 3. Regulares exempti, si sunt exequutores ultimarum voluntatum, rationes suæ exequutionis reddere debent Episcopo, *Clem. unic. de testam.* 4. In causa hæresis, ubi non sunt Inquisitores, subsunt ejus judicio, *c.* 9. §. *fin. de hæret. & Trid. sess.* 5. *cap.* 2. 5. Sine ipsius approbatione non possunt libros typis dare, Trident. *sess.* 4. *in decr. de edit. libr.* 6. Per censuras ab eo cogi possunt, ut in Ecclesiis curatis, si quas habent, Verbum divinum prædicent, *sess.* 5. *c.* 2. *de reform.* ubi *cap.* 1. Episcopis injungitur, ut procurent lectionem S. Scripturæ in monasteriis suæ diœcesis. 7. Extra monasterium degens, si delinquat, ab Ordinario loci visitari, puniri, & corrigi potest, *sess.* 6. *cap.* 3. *de refor.* uti & compelli ad solutionem in causis civilibus mercedum, & miserabilium personarum, *sess.* 7. *cap.* 14. *de reform.* 8. Si importunas eleemosynas exigant, vel tempore indebito divina celebrent, Ordinarius contra eos procedere potest, *sess.* 22. *in decret. de observ. in celebrat. miss.* 9. Nullus regularis potest confessiones secularium audire, nisi ab Episcopo sit approbatus, *sess.* 23. *c.* 15. *de reform.* 10. Præsumentes matrimonio assistere, vel sponsos benedicere absque licentia proprii Parochi, est suspensus ipso facto, donec ab Ordinario hujus Parochi absolvatur, *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matr.* in quo loco pœna excommunicationis lata in *Clem.* 1. *de privil.* videtur commutata fuisse in pœnam suspensionis. 11. Exempti ratione Ecclesiarum parochialium, vel aliarum secularium tenentur venire ad Synodum diœcesanam, *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* 12. Contradicente Episcopo, Regulares non debent prædicare in Ecclesiis etiam suorum Ordinum, *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.* 13. Nullam insolitam imaginem, vel novas Reliquias in Ecclesia ponere audent, nisi recognoscente, & approbante Episcopo, *sess.* 25. *decr. de Invoc. SS.* 14. Sine licentia Diœcesani non possunt nova monasteria erigere, *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* 15. Recedentes a suis monasteriis sine mandato in scriptis obtento, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, ab Ordinariis locorum, tanquam desertores sui instituti puniendi sunt, *cap.* 4. *ibid.* ubi subditur de studentibus: *illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.* 16. Episcopi jubentur procurare clausuram Sanctimonialium, ita ut septa monasterii nemini ingredi liceat sine eorum licentia, vel superioris in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, *cap.* 5. *ibid.*

Vide Elencho VI. a n. LXXXVII. ad XC. p. 1. *pag.* 477. & 478.

XVII. Monasteria exempta non habentia ordinarios regulares visitatores, vel eos sibi in certa provincia constituant, vel visitentur ab Episcopo, *cap.* 8. *ibid.* uti & moniales S. Sedi subjectæ, *c.* 9. *ibid.* 18. Regulares, in his, quæ pertinent ad curam animarum, subsunt Episcopo, nisi Prælatus sit plenissime exemptus cum clero, & populo, *cap.* 11. *ibid.* 19. Regulares, mandante Episcopo, tenentur in suis Ecclesiis censuras, & interdicta ejus publicare, & servare, uti etiam dies festos in diœcesi celebrari solitos, aut præceptos, *cap.* 12. *ibid.* 20. Exempti omnes vocati tenentur ire ad processiones publicas, quorum controversias de præcedentia, remota appellatione, componet Episcopus, *cap.* 13. *ibid.* nisi specialiter eximantur a processionibus; sicut plerique Clerici regulares; cujusmodi privilegium etiam Scholis Piis dedit Urbanus VIII. Const. incip. *Debitum pastoralis officii* 1629. *Kal. Junii* 21. Regularis intra claustrum degens, & extra illud notorie delinquens, ut populo scandalo sit, instante Episcopo, a superiore severe puniendus est, certificato circa id Episcopo; secus superior officio privandus, & delinquens ab Episcopo puniendus erit, *c.* 14. *ibid.*

Vide Elencho VI. n. XCIX. p. 1. *pag.* 485.

XXII. Ad renuntiationem bonorum a novitio faciendam necessaria est Episcopi, vel ejus vicarii licentia, *cap.* 16. *ibid.* nisi consuetudo aliud habeat. 23. Præfecta monasterii ante mensem certiorem faciat Episcopum de futura professione alicujus monialis; secus, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit, *cap.* 17. *ibid.* 24. Causæ reclamantium contra professionem deducendæ sunt coram Superiore, & Ordinario, *cap.* 19. *ibid.*

Vide addit. supra pag. 212.

Hæc potiora sunt ex *cit. Sess.* 25. *de Reg.* 35. Regula-

gulares ſine licentia Epiſcopi non poſſunt promulgare novas indulgentias, Ordines, Chriſma, conſecrationes Eccleſiarum ab extraneo petere; niſi ſpeciali privilegio ſint muniti. Vide Barb. de off. & poteſt. Ep. *alleg.* 105. *a num.* 14. Cokier de juriſd. Ord. in exempt. *p.* 2. *q.* 45. Fagnan. & alios.

§. IV.

De Regularibus apoſtatis, fugitivis, & ejectis.

37. *Apoſtata* eſt, qui a Religione recedit animo non redeundi, ſive habitum religioſum deponat, ſive non. *Fugitivus* eſt, qui abiit animo vagandi, & rurſum ad Religionem redeundi. Cujuſmodi etiam eſt ille, qui ſine licentia ſuperiorum abiit animo, ſeu prætextu accedendi majores ſuperiores, Trid. *Seſſ.* 25. *c.* 4. *de regul.* Ex communi tamen DD. excuſatur a fuga is, qui ex cauſa imminentis injuſti, & notabilis gravaminis inferendi, abiit ad majorem ſuperiorem; dummodo id proteſtetur ſaltem coram duobus gravibus religioſis; at ob gravamen jam de præterito illatum non licet ita abire, Conſtit. Sixti V. *Cum de omnibus*, & alia incip. *Ad Romanum ſpectat*. *Ejectus* eſt, qui non ſponte recedit, ſed per ſententiam condemnatus exire compellitur.

38. Q. I. *Quæ ſint pœnæ apoſtatarum & fugitivorum?* ℟. 1. Excommunicatio latæ ſententiæ: quæ tamen citius non incurritur, niſi apoſtata, vel fugitivus habitum dimittat, *c.* 2. *ut periculoſa*, *Ne Clerici in* 6. quæ Conſtitutio, utpote pœnalis, non debet extendi ad eos, qui habitum retinent. 2. In apoſtaſia, vel fuga, nec ordinari, nec in ordinibus ita ſuſceptis miniſtrare poſſunt *cap. fin. de apoſt. cap. fin. d.* 50. ſi vero hanc ſuſpenſionem violent, tunc primum fiunt proprie irregulares. 3. Apoſtata, vel fugitivus non gaudet privilegiis ſui Ordinis, Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 19. *de regg.* 4. Proficiſcentes Romam ſine licentia Generalis, aut provincialis, biennio privantur voce activa, & paſſiva ex decreto Clem. & Urb. VIII. incip. *S. Congregatio Cardd.* 5. Noctu de clauſtro furtive exiens, graviter quidem peccat, & ex decr. Clem. caſum reſervatum (ſi eum ſuperiores ſibi reſervarunt) incurrit; non tamen excommunicationem, niſi dimiſſo habitu vagetur; quæ vagatio eſt ſpecies fugæ; adeoque ſubſtat excommunicationi *cap.* 2. *ne clerici in* 6. Ceteræ pœnæ deſumendæ ſunt ex ſtatutis cujuſque Ordinis; & convenienter infligitur carcer, ut libertas, quæ illicite ampliata fuit, licite in carcere reſtringatur. Apoſtatæ nullo modo liberantur ab obſervantia ſui inſtituti, ne delictum eis ſuffragetur; neque abſolvi a confeſſario poſſunt, donec habeant ſerium animum redeundi.

39. Q. II. *Quid juris circa ejectionem incorrigibilium?* ℟. 1. De jure com. ille cenſetur incorrigibilis, qui in gravi delicto, ſive ejuſdem, ſive diverſæ ſpeciei ter monitus, & correctus ſe non emendat, *cap.* 10. *de judic. cap. fin. de ſtat. monach.* Inſuper de jure novo ad incorrigibilitatem requirebatur, ut religioſus unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probaretur in carceribus ex decreto Urban. VIII. incip. *Sac. Congregatio Cardd.* 1624. *die* 21. *Septembr.* quæ probatio reducta eſt ad carcerem ſemeſtrem per Conſt. Inn. XII. incip. *Inſtantibus* 24. *Julii* 1694. ubi etiam præcipitur, ut pro cauſis incorrigibilium eligantur ſex patres in capitulo generali, & in quavis provincia ſex in capitulo provinciali; de quorum conſilio, & aſſenſu tandem ejectio fieri poſſit; accedente approbatione Generalis. 2. Ejectus non fit plene ſui juris, ſed in conſcientia tenetur ſe emendare, & ad Religionem redire. Ideoque tenetur ad obſervantiam votorum, & aliarum ſui inſtituti regularum, quæ compatiuntur cum præſenti ejus ſtatu. Ita hodie com. ſent. nam *cap. fin. hoc tit.* innovatum eſt per *cit.* Decretum Urbani VIII. ergo ſicut Prælati regulares tenentur fugitivos, & ejectos etiam juſte, & juris ordine ſervato, annuatim ſeu dum ſe occaſio offert, requirere; ita etiam iſti tenentur ad Religionem redire. Plura de his ſcripſi in mea epitome judicii ſummarii criminali.

☞ *Juſte ejectus non habet actionem petendi a Religione alimenta, ut probat Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. diœc. cap.* 11. *num.* 25. *licet ſit Societatis Jeſu, & promotus fuerit poſt emiſſa vota ſimplicia ad Sacros etiam Presbyteratus ordines, ex Conſtitut. Benedict. XIII.* Injuncti 14. *Jun.* 1728. *qui tamen non redditur inhabilis, ut ejecti poſt admiſſionem ad vota ſolemnia, ad Eccleſiaſtica munia obeunda, & beneficia aſſequenda ex decreto Congr. Conc.* 11. *Febr.* 1662. *relato a Bened. XIV. loc. cit. n.* 21. ☜

TITULUS XXXII.

De Converſione Conjugatorum.

Agitur de hac materia 27. *quæſt.* 1. *&* 2. præſertim a *Can.* 19. *&* 33. *quæſt.* 5. *Nov.* 123. *cap.* 40. quæ tamen in eo, quod docet matrimonium conſummatum per Religionem diſſolvi, correcta eſt a jure Can. *cit. cap.* 19.

1. *Nota* per converſionem conjugatorum hic intelligi tranſitum eorum ad Religionem poſt matrimonium, ratum, vel conſummatum.

2. Q. I. *Quibus ſponſis de præſenti concedatur bimeſtre ad deliberandum de ingreſſu Religionis?* ℟. Illis ſolum, qui cogitant, ſeu aſſerunt, ſe velle ingredi Religionem, *cap.* 7. *ex publico. hoc tit.* quod ſi tempus iſtud a judice præfixum, ex quacumque cauſa protraheretur, adhuc durante matrimonio rato, liberum erit ad Religionem convolare; cum favor iſte a Chriſto conceſſus ſit omnibus, qui necdum matrimonium conſummarunt: 2. matrimonium ratum non citius, niſi facta ſolemni profeſſione, diſſolvitur quoad vinculum; & tunc primum alteri parti in ſeculo remanenti liberum eſt ad alia vota tranſire, *cap.* 2. 14. *h. t.* Trid. *Seſſ.* 24. *Can.* 6.

3. Q. II. *An, & quomodo poſt matrimonium conſummatum liceat Religionem ingredi?* ℟. 1. Si mulier intra bimeſtre de Religione cogitans, per vim, aut gravem metum cognita fuit, probabiliter poteſt, altero invito, Religionem ingredi: ita Abb. Felin. Fagn. Reiff. & alii contra Hoſt. Sylv. Cov. Engl. &c. nam jure ſuo per delictum alterius ſpoliari non potuit per *cap.* 6. *de eo qui cognov.* Quia vero ex tali ingreſſu plerumque magna incommoda ſequerentur, ut deſertio prolis educandæ, & deſolatio mariti, qui ſine ſpe alterius conjugii manere deberet in ſeculo, cum per profeſſionem uxoris tale matrimonium, utpote conſummatum, non diſſolveretur; ideo præſtaret abſtinere ab ingreſſu Religionis. Nec obſtat *cap.* 13. *hoc tit. & Can.* 13. *ſi quis* 15. *quæſt.* 1. & ſimilia jura: nam procedunt in caſu, quo matrimonium ſine vi, & injuria alteri illata conſummatum fuit.

4. ℟. 2. Jure conſummato matrimonio, extra caſum divortii perpetui, non licet Religionem ingredi, abſque ſpontaneo conſenſu alterius partis, *c.* 17. *hoc tit.* nam jure ſuo nemo invitus eſt ſpoliandus: ſecus conjux relictus alterum ex Religione revocare poteſt, iſque tenetur redire: nam talis profeſſio eſt invalida, licet ex ſpeciali interpretatione juris valeat in vim voti ſimplicis continentiæ *c.* 3. 12. *hoc tit.* niſi forſan proteſtatus fuiſſet, nolle ſe obligari voto continentiæ aliter, quam dependenter a valore profeſſionis: unde revocatus debitum reddere debet; non tamen exigere, vel mortua uxore aliam ducere poterit *cit. c.* 3. *h. t.*

5. ℟. 3. Si uterque conjux, mutua licentia non obtenta, profeſſus eſt Religionem, ſi quidem alter de alterius profeſſione ſcivit, valet utriuſque profeſſio, quia ipſo facto alter alteri ſcienter dedit licentiam: at ſi alter de alterius profeſſione nihil ſciret, probabilius eſt, neutrius valere profeſſionem, utpote ſine licentia factam; ac proinde uterque exire poſſet, vel alter alterum ex Religione revocare: neuter tamen petere, aut reddere poſſet debitum; quia uterque ligatus eſſet voto ſimplici continentiæ *cit. cap.* 3. *h. t.* Similiter ſi uterque emiſiſſet in ſeculo votum continentiæ, alter ſine licentia Religionem profeſſus, revocari poſſet, non quidem ad uſum conjugii, ſed ad obſequia conjugalia.

6. ℟. 4. Præter licentiam requiritur, ut pars altera, vel Religionem ingrediatur; vel ſi non eſt ſuſpecta de incontinentia, ſaltem votum continentiæ emittat, *c.* 8. *hoc tit.* hoc tamen non emiſſo, profeſſio mariti cum ſola licentia uxoris eſſet valida, ita com. nam talis profeſſio nullibi irritatur; ac proinde locus eſt Regulæ: *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, *cap.* 16. *de Regular.* imo

talis

talis professio cum sola licentia uxoris supponitur valida *cap. 9. ex parte hoc tit.* ubi maritus, qui consentiente uxore, monachalem habitum suscepit, illa mortua, jubetur redire ad monasterium, & secundam uxorem putatitiam relinquere. Nec obstat *cap. 8. h. t.* ibi: *nullatenus recipiatur*; nam particula *nullatenus* ex subjecta materia non significat nullitatem, nisi quatenus conjungitur prioribus verbis: *sine licentia uxoris nullatenus recipiatur*. Porro tali casu, si pars remanens in sæculo, sive sit vir, sive mulier, non scivit obligationem juris, quod teneatur, vel Religionem ingredi, vel si abest suspicio incontinentiæ, votum castitatis emittere, revocare potest conjugem professum ex Religione: & is tenebitur debitum reddere, ac post mortem conjugis ad Religionem redire, *cap. 9. h. t.* At si scivit illam obligationem, non permittitur revocatio professi, sed remanens in sæculo compelli debet ad ingressum, vel ad votum continentiæ. Quia vero hoc durum est, Prælatus non admittat conjugatum ad professionem, donec ad formam *cap. 8. hoc tit.* uxor, vel continentiam voveat, vel Religionem amplectatur. Vide Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 18. & lib. 7. disp. 32.* ubi similes casus proponit, quos prudentia Prælatorum non sinet in praxim devenire.

☞ *Huc spectat solide animadversum ex variis facti speciebus mature discussis in Congr. Conc. a Bened. XIV. lib. XIII. de synod. diœc. cap. 22. nu. 16.* ibi Sacri Canones adigunt quidem virum ætate florentem ad professionem in monasterio nuncupandam, vel, quatenus in provecta jam ætate constitutus sit, ad emittendum in sæculo simplex castitatis votum, dum uxor religiosum institutum amplectitur; & non tunc, cum jura matrimonii sunt læsa: si enim hujusmodi jura ab uxore per adulterium læsa fuerint, quod tunc juniori viro in sæculo manenti imponitur onus emittendi simplex castitatis votum *(juxta statutum a Congr. particulari habita coram Innocentio X. ut cit. loco refertur num. 15.)* præscriptum dici debet ad quamdam veluti tutiorem cautionem: cui quidem stricte jure locus non est, quoties ante acta viri vita nullam futuræ incontinentiæ suspicionem ingerit. *Nota tamen, quod hoc votum in hypothesi emittendum esset a viro innocente dumtaxat, donec uxor Religionem professa viveret, ut rescripsit Congreg. Concil. in Januen. 2. Maji 1722. Thes. Resolut. ejusd. Congreg. tom. 2. pag. 164.* ☜

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

Agitur de hac materia 28. *quæst. 1.* & hic incidenter occasione præcedentis tituli; quia conjugati infideles, seu non baptizati, solent converti ad fidem christianam.

1. Q. *Quid statuatur in hoc titulo?* ℞. 1. Applicatur *Can. 40. & 51. Conc. Triburiensis* de impedimento dirimente *criminis*, in casu, quo vir infidelis occidit maritum uxoris fidelis; ea cooperante, & in mortem mariti machinante: & tunc infidelis, esto convertatur ad fidem, non potest uxorem occisi ducere: secus si nulla machinatio ex parte fidelis intercessit, *cap. 1. hoc tit.*

2. II. Si ex conjugibus unus solum convertatur ad fidem, proles doli incapaces dandæ sunt converso ad fidem, sive sit vir, sive mulier; idque ob favorem Religionis, cui cedere debent jura patriæ potestatis, & alia civilia *cap. fin. hoc tit.* quia summa est ratio, quæ pro Religione facit *l. 43. ff. de Religios.* An vero, & quomodo matrimonia conversorum ad fidem dissolvantur, dicetur *lib. 4. tit. 19.*

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

Agitur de hac materia in Sexto, & Extravagant. Joann. XXII. *hoc tit.* in Decreto *dist. 27. 28. 30. 31. 32. & 27. q. 1. & 32. q. 1. Can. 3.*

1. *Nota* 1. Occasione status religiosi hic agi de votis in genere, & de liberatione ab eorum obligatione, quæ liberatio hic late vocatur *voti Redemptio*: stricte autem votum dicitur redimi, dum personalis obligatio voti transfertur in opus reale; ut si loco peregrinationis detur eleemosyna. De votis videri possunt obvii Moralistæ: ego in præsenti resolvam qq. præcipuas ad forum Canon. pertinentes.

2. *Nota* 2. Votum definiri, quod sit *promissio deliberate Deo facta de meliori bono*: nam votum est actus Religionis, seu latriæ; ergo soli Deo, & non alicui Sancto fieri debet: & quidem de meliori bono, alias Deo, utpote sanctissimo, non placeret, si obligares te ad faciendum minus bonum, cujus oppositum est majus bonum: unde materia voti debet esse non tantum *possibilis*, *& bona*, sed etiam *magis bona*, quam ejus oppositum. Consule P. Laym. qui conditiones istas docte explicat, & fuse Salmant. Mor. *tr. 17.*

3. *Nota* 3. Votum varie dividi: 1. In *commune*, vel *necessarium* ex parte materiæ, cujus materia est præcepti; ut si voveas non furari: & *singulare* cujus materia est consilii, ut continentia. 2. In *reale*, quo res externa promittitur, ut pecunia pro altari: *personale*, quo propria hominis actio, vel ejus omissio promittitur, ut orare, abstinere a carnibus: & *mixtum*, quo partim actio, partim res promittitur; ut peregrinari ad limina Apostolorum, & ibi donum aliquod offerre. 3. In *absolutum*, quod a nulla conditione dependet, sed præcise ob honorem Dei elicitur: ut ingredi Religionem: *conditionatum*, quod pendet a conditione, & plerumque imperfectum est ex parte voventis; ut ingredi Religionem, si sanus ex morbo evaseris: & *pœnale*, quo promittitur pœna solvenda in casum, quo vovens hoc, vel illud fecerit, v. g. jejunabo, vel 10. pro eleemosyna dabo, si adhuc semel lusero &c. quodsi pœna concipiatur ob actum præteritum, perfecta erit obligatio voti, v. g. quia fornicatus fui, voveo ingressum Religionis. 4. In externum, & pure internum, in publicum, & occultum, in expressum, & tacitum, quorum notitia ex vocibus patet. 5. In votum soli Deo, seu in gratiam solius divini honoris factum: & hoc statim acceptatur a Deo: & in votum in gratiam hominis factum, v. g. voveo, quod tibi pauperi dotem dare velim; & tale votum non obligat, donec ab homine promissario acceptetur. 6. Votum celebri divisione dividitur in *solemne*, & *simplex*, in quorum explicatione Doctores controvertunt. *Solemne* est, quod voventem perpetuo obligat, & inhabilitat ad quoscumque actus voto repugnantes, sive id oriatur ex jure divino, sive ex jure Ecclesiastico: & talia vota sunt tantum duo: professio religiosa tribus solitis votis constans; & votum continentiæ de jure Ecclesiastico annexum sacr. Ordinibus, *cap. unic. hoc tit. in 6. Simplex* est, quod obligat quidem voventem, & actus voto contrarios reddit illicitos; non tamen invalidos, nisi per accidens, sicut in Societate Jesu vota simplicia pro eo statu, quo quis in Societate vivit, ex speciali dispositione irritant matrimonium contrahendum. Talia vota simplicia sunt cetera omnia, præter duo supra dicta.

4. Q. I. *Quis possit votum emittere?* ℞. Regulariter omnis homo viator usu rationis pollens, dummodo votum implere sit in potestate voventis, & nulli præjudiciosum. Unde 1. Pupilli, & minores non possunt vovere vota realia; nisi forsan in tempus, quo liberam rerum suarum administrationem habebunt: vota autem personalia nulli præjudiciosa emittere possunt. 2. Conjuges, Religiosi, servi, filiifam. in præjudicium alterius conjugis, monasterii, domini, & patrisf. nam talia vota, quatenus aliis præjudicant, Deus non acceptat; nisi conditionate, si consentiant ii, quorum interest, v. g. si Superior consentiat in peregrinationem monachi &c. si Papa consentiat, ut Episcopus fiat religiosus, *cap. 18. de Regular.* quo casu ita voventes obligantur ad petendam licentiam, implendi voti gratia. Parochi vero, & Clerici alii, cum vinculo Ecclesiis suis adstricti non sint, absolute emittere possunt votum amplectendæ Religionis; licet de honestate consensum Episcopi requirant: nam a *cap. 4. de renunt.* excipitur ingressus Relig. generaliter a jure permissus: at quoad alia vota, quæ curæ pastorali, aut residentiæ præjudicant, ut vota peregrinationis, Parochi opus habent licentia Episcopi.

5. Q. II. *Qualis sit obligatio ex voto orta?* ℞. Ex genere suo gravis sub mortali peccato adstringens voven-

ventrem, ut fideliter ex virtute Religionis impleat, & reddat Deo, quod promisit: & ideo *habent damnationem*, *quia primam fidem irritam fecerunt*. 1. *Tim.* 5. Levitas materiæ excusat a mortali; ut si quis ter *Pater*, *& Ave* non impleat; item si quis expresse in materia gravi, v. g. jejunio, voluisset obligari sub veniali: nam votum, cum sit privata lex voventis, obligationem suam desumit a gravitate materiæ, & intentione voventis. Cetera de obligatione voti personalis, & realis desumenda erunt ex iis, quæ *libr.* 2. *tit.* 24. dixi de juramento promissorio; quæ duo pari passu ambulant.

6. Q. III. *Quibus modis cesset obligatio voti*? ℞. 1. Ab intrinseco, dum ex materia licita fit illicita, ex possibili impossibilis, physice, aut moraliter, v. g. vovisti psalterium dicere, & in morbo citra grave nocumentum valetudinis illud dicere non potes, &c. item cessante causa, aut conditione; ut si vovisti alere pauperem, vel peregrinari, si filius convaluerit; & interim pauper ille fiat dives, vel filius moriatur ante institutam peregrinationem. Nec obstat *cap.* 7. *hoc tit.* nam ibi vel non cessavit primaria causa devotionis, vel si cessavit, commutatio peregrinationis facta est ad securitatem, non vero ex necessitate: vel votum fuit mixtum, atque ita expensæ commutantur in eleemosynam. 2. Cessat ab extrinseco per *irritationem*, *dispensationem*, *& commutationem*.

7. Q. IV. *Qui possint irritare vota*? ℞. Omnes, quibus est potestas in voventem, aut materiam voti; cum omnia vota fiant sub tacita conditione, *nisi superior contradicat*. Et quidem 1. Pater, vel avus, aut tutor irritare possunt omnia vota impuberum sibi subjectorum usque ad annum duodecimum, S. D. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. nam vota impuberum ob defectum judicii sunt valde imperfecta, & tacite conditionata, *si pater*, vel *tutor non contradicat*: nisi ad pubertatem venientes vota ista ratificarent. 2. Pater vota liberorum puberum, dominus vota servi, maritus vota uxoris, & uxor vota mariti eatenus solum irritare possunt, quatenus præjudicant potestati patriæ, dominicæ, & maritali, S. D. *ibid. ad* 2. nam vota ista non acceptantur a Deo, secundum id, secundum quod sunt præjudiciosa tertio *arg. c.* 28. *de jurejur.* atque ita irritatio ista est valde impropria; qui in votis habentibus tractum successivum non tollit, sed suspendit obligationem voti, v. g. maritus irritavit votum uxoris de abstinendo a carnibus, soluto matrimonio, votum reviviscit: sic etiam votum continentiæ a filio, vel servo emissum nequit irritari a patre, vel domino; quia potestati patriæ, aut dominicæ non præjudicat. 3. Prælatus regularis potest irritare omnia vota suorum Religiosorum, exceptis votis professionis, & voto transeundi ad strictiorem Ordinem, *Can.* 2. *monacho* 20. *quæst.* 4. ubi dicitur, *monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui*; *si autem voverit*, *frangendum erit*: nam monachus non habet suum velle, & nolle. Quod procedit etiam de votis super materia necessaria, v. gr. jejunandi in quadragesima, recitandi breviarium &c. ut com. docet contra Cajet. & Tambur. nam licet Prælatus non possit impedire obligationem præcepti divini, & naturalis, Ecclesiastici, aut regulæ; tamen impedire potest, ne subditus novam obligationem sibi imponat.

8. Q. V. *Quis dispensare possit in votis*? ℞. 1. Potestate ordinaria omnis, & solus, qui habet jurisdictionem ordinariam in foro externo, uti Papa in tota Ecclesia, Episcopus, ejusque Vicarius, seu capitulum, Sede vacante, in sua diœcesi, Legati Apostolici in suis provinciis, Prælati generales in suis Religionibus, provinciales, & locales in suis monasteriis: ita com. nam dispensatio pertinet ad potestatem clavium, seu ad jurisdictionem spiritualem fori externi, cum dispensare in voto sit jus Deo quæsitum remittere ob justam causam; ergo. Unde Abbatissæ, Parochi, & alii Clerici, ex defectu jurisdictionis in foro externo, non possunt in votis dispensare, licet Abbatissa vota monialium ex potestate materna, & dominica irritare possit, quatenus præjudicant monasterio. *Dices*: Obligatio votorum est juris naturalis, ergo non admittit dispensationem proprie talem, sed puram declarationem, seu interpretationem, quod stante justa causa, materia promissa non contineatur sub jure naturali. ℞. Concedo antecedens, & nego consequentiam in sano intellectu: nam licet eo casu, quo materia voti ab intrinseco cessat, ut si ex licita fiat illicita, vel ex possibili impossibilis, non sit opus ulla dispensatione, sed pura declaratione, quam etiam quisque privatus potest, dicendo materiam voti non amplius contineri sub obligatione naturali; tamen si materia voti subsistit, non est locus declarationi, sed jurisdictioni, & auctoritati, qua Prælatus ob justam causam, consensum voventis revocet, & invalidet; atque ita materiam subducat obligationi juris naturalis. Et talis revocatio, seu subductio venit hic nomine dispensationis, quæ sane nulli privato est permissa. Hæc doctrina aperte traditur *cap.* 18. *de jurejuran.* ubi Papa distinguit declarationem, & absolutionem, seu dispensationem juramenti. Sic conciliandi sunt DD. S. Bonav. Covar. & alii negantes dari in votis dispensationem: loquuntur enim de dispensatione directa, non vero indirecta, quæ fit auctoritative per subductionem materiæ, ut ante dictum; cum jus naturale, utpote semper æquum, directe non sit dispensabile.

9. ℞. 2. Regulares in privilegiis communicantes dispensare possunt in omnibus votis Papæ non reservatis; modo sint occulta, & in foro pœnitentiali aperta, cum quibuscumque secularibus: ita communiter TT. & Canonistæ ex pluribus privilegiis Innoc. VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregor. XIII. &c. ut refertur in bullis, & compendiis privil. regg. Addidi: *modo sint occulta*; quia praxis declarat dispensationes istas regulariter fieri debere in sacro tribunali, ita ut post absolutionem peccatorum subjungatur consueta formula dispensationis, v. g. Item auctoritate Christi, & Papæ mihi specialiter delegata dispenso tecum &c. vel aliis æquivalentibus verbis; cum certa verborum formula non sit præscripta ad valorem dispensationis.

10. Q. VI. *An justa causa requiratur ad validam dispensationem voti*? ℞. Affirmative, etsi Papa dispenset: nam inferior sine justa causa invalide dispensat in jure superioris ex vulgatis principiis; sed vota sunt juris naturalis: quilibet autem Prælatus, etiam Papa, est inferior jure naturali; ergo. Tales causæ sunt imperfecta deliberatio in vovendo, notabilis difficultas in exequendo, periculum majoris mali spiritualis, & corporalis, bonum commune, præsertim Ecclesiæ, regni, familiæ, & quævis alia justa, & rationabilis causa, quæ tanto major esse debet, quanto votum est dignius, ut Religionis, castitatis. Ex his colligitur notabile discrimen inter dispensationem, & irritationem votorum: nam ad dispensationem requiritur jurisdictio ordinaria, vel delegata, & justa causa; econtra ad irritationem sufficit potestas privata sine ulla causa. Item votum a majori Prælato confirmatum non potest irritari a minori; bene vero dispensari; quia per confirmationem subducitur potestati privatæ dominicæ, non tamen jurisdictioni voluntariæ, Suar. Laym. & alii.

11. Q. VII. *Quæ sint vota reservata Papæ*? ℞. Quinque sequentia: votum Religionis amplectendæ: votum castitatis: & triplicis peregrinationis, Jerosolymam ad S. Sepulchrum, Romam ad limina Apostolorum Petri, & Pauli; Compostellam ad S. Jacobum: ita Sixtus IV. in *Extravag.* 5. *Etsi de pœnit. int. com. paulo ante finem*; ubi etiam contra confessarios sine speciali licentia Papæ in his votis dispensantes, præter nullitatem dispensationis, decernitur excommunicatio ipso facto incurrenda. Quia vero reservatio odiosa est, ex communi DD. tunc tantum vota ista censentur Papæ reservata, dum spontanea sunt, perfecta, intuitu solius honoris divini facta, & solum quoad substantiam, non quoad accidentia; uti sunt peregrinari pedibus, vel equo ingredi strictiorem, aut laxiorem Ordinem &c. unde non censentur vota reservata Papæ: 1. Si facta sunt ex metu, ex ira, vel alia passione impediente perfectam deliberationem. 2. Nec vota conditionalia, aut pœnalia in futurum; cum magis fiant amore boni proprii, quam amore Dei; ut voveo Religionem, si ex hoc morbo evasero, si adhuc semel furtum commisero. 3. Vota imperfectæ castitatis, ut ad tres annos, votum non nubendi, non fornicandi, suscipiendi sacrum Ordinem, & alia, quæ passim DD. enumerant, præsertim Laym. de voto *cap.* 8.

12. Q. VIII. *An Episcopus, vel Regulares in casu neces-*

necessitatis dispensare possint in votis Papæ reservatis? ℞. 1. De Episcopo affirmative; dummodo votum sit occultum: ita comm. DD. nam in casu urgentis necessitatis, quo facile ad Papam recurri non potest, ex benignitate, & suavi regimine præsumitur Sedes Apostolica concedere Episcopis licentiam dispensandi in Constitutionibus, & casibus Apostolicis, prout magis videtur expedire saluti animarum, ut colligitur ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Et quidem circa votum triplicis peregrinationis raro necessaria erit dispensatio; cum exequutio horum votorum differri possit; at circa votum castitatis, & Religionis potest quandoque justa causa suadere dispensationem; ut si adsit periculum incontinentiæ, scandali, vel alterius gravis mali, maxime si puella est deflorata, & matrimonium differri nequit sine gravi sponsi, aut sponsæ, aut eorum familiæ dedecore &c. Hoc tamen votum debet esse occultum; quia in impedimento publico matrimonii solius Papæ est dispensare, ut Sanch. & alii comm. docent. Plura de hoc in *lib.* 4.

13. ℞. 2. Regulares in casu urgentis necessitatis non possunt dispensare in voto perfectæ castitatis, & Religionis: ita probabilius, & tutius docent Rodriq. Sanch. Suar. Laym. de Moya, & alii: nam privilegia Regularium comprehendunt sub se vota non reservata Papæ; ergo, cum sint exorbitantia a jure communi, non debent extendi ad vota reservata, etsi casus necessitatis eveniat: tum quia talis dispensatio competit Episcopo jure quoddam speciali devolutionis, eo quod sit proximus Ordinarius suorum subditorum; atque ita jurisdictio dispensandi in reservatis primo illi, tanquam pastori competat; quæ ratio non currit in Regularibus, ergo. Opposita sententia, quam docent Herinex, Pasgualius Crousers, Reiff. a *num.* 40. & alii, non caret sua probabilitate: nam Regulares vi suorum privilegiorum dispensare non possunt in omnibus votis, in quibus dispensare potest Episcopus jure ordinario, ut tenent DD. utriusque sententiæ; sed in votis reservatis Episcopus pro casu urgentis necessitatis dispensat jure ordinario; tum quia specialis delegatio nullo jure probatur; tum quia potestas ista dispensandi transit in capitulum, sede vacante, ergo. Præterea ideo Episcopus in his dispensat; quia in casu urgentis necessitatis cessat reservatio ob salutem animarum; atque ita casus Papalis fit Episcopalis; sed sublata reservatione, Regulares dispensare valent in omnibus votis, & ex communi brocardico, quando casus Papalis fit Episcopalis, fit etiam regularis, ergo. Hac secunda opinione uti quis forte posset in eo casu, quo periculum est in mora, & accessus ad Episcopum ob distantiam, vel aliam causam est difficilis; ut in certis locis esse solet, etiam difficilior, quam recursus ad S. Pœnitentiariam. Pone casum, quod sponsus ligatus voto castitatis hodie tibi confiteatur, & cras copulationem habere intendat, si Episcopus distet, quo sponsus recurret? in hoc, & simili casu, si matrimonium citra scandalum, & ignominiam differri nequeat, judicant aliqui, Regularem dispensare posse ad effectum matrimonii: secus erit tutius recurrere ad Episcopum, ut pro instante necessitate dispenset.

12. Q. IX. *An Episcopus sibi possit vota reservare privative, ut Regulares in eis dispensare non valeant?* ℞. Negative, nisi adesset speciale privilegium Papæ: nam Episcopus non potest restringere privilegia Apostolica Regularibus data, utpote his privilegiis inferior, ergo. Nec obstat quod Episcopus peccata reservare possit: nam hoc ei a jure conceditur; non vero vota reservare in præjudicium privilegii Apostolici.

15. Q. X. *Qui vota commutare possint?* ℞. Regulariter iidem, qui dispensare, si commutatio facienda sit in opus æqualiter, vel minus bonum; modo adsit justa causa, & commutatio non fiat in præjudicium tertii: nam dispensare, seu tollere obligationem, est plus, quam commutare, seu obligationem unam in aliam transferre; ergo qui dispensare potest, etiam commutare poterit ex *reg.* 53. *in* 6. At in opus evidenter melius, Deoque gratius quisque vovens privata auctoritate votum commutare potest, *c.* 4. *hoc tit.* quia propositum, aut promissum non infringit, qui in melius illud mutat, *c.* 3. *de jurej.* unde omnia alia vota in vota religiosa commutari possunt; modo id fiat citra præjudicium tertii.

16. Q. XI. *An confessarii regulares ad effectum dispensandi indigeant speciali licentia, seu commissione suorum Superiorum?* Quidam volunt requiri licentiam Generalis, aut Provincialis; alii Superioris localis; alii vero asserunt nullam specialem licentiam requiri; nisi forsan de honestate, ut Dian. Cœlestin. Peregr. Sayr. Ant. a Spir. Sancto &c. Vide Salm. moral. *tr.* 9. *de matrim. c.* 14. *punct.* 1. *n.* 14. In hac varietate sententiarum respondeo cum distinctione. Si in aliqua Religione statutum est, ut subditi non utantur privilegiis, nisi ex commissione Generalis, vel alterius Superioris, tenentur subditi hoc statutum observare; cum Bullæ Pontificiæ, præsertim ad supplicationem, dentur conformiter Constitutionibus, & statutis Religionis. Ita observatur in Societ. Jesu, ut patet ex pluribus Constitut. Apostol. Pauli III. *Licet* §. 41. ibi: *per eorum vicarios, aut personas ad id sibi bene visas.* Greg. XIII. *Ascendente Domino*, §. 22. *denique ut omnium Societatis privilegiorum juxta generalis Præpositi dispositionem* &c. Si vero simile statutum in aliqua Religione non extat, salvo meliori judicio, existimo confessariis a Superioribus deputatis, & ab Ordinario approbatis, nulla opus esse speciali licentia ad dispensandum, & commutandum. Sic Ordini Schol. Piar. communicantur pariformiter, & æque principaliter privilegia præterita, & futura Mendicantium ex Constit. Gregor. XV. *Ad uberes* 1622. *die* 15. *Octob.* nulla tamen ibi fit restrictio ad specialem licentiam a Superioribus petendam; nec Constitutio id exigit, aut aliud statutum, de quo saltem hic, & nunc non constat. Plura de votis vide in Sanchez, *lib.* 4. *moral.* Laym. Salmantic. & alios passim.

TITULUS XXXV.

De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, & Extrav. comm. *h. t.* In Decreto *d.* 58. *&* 16. *q.* 1. *&* 32. *q.* 1. *c.* 3. In Trid. *sess.* 25. *de regg.* In Codice *l.* 26. 44. 54. 55. *C. de Episc. & Cler. l.* 13. *cum seqq. Auth. C. de SS. Eccl. Nov.* 123. *c.* 27. *&* 33. *cum seqq. & Nov.* 5. *per tot.*

1. *Nota* Statum in genere esse certam vivendi rationem, qua quis alteri devinctus perpetuo persistit. Et est triplex: *Episcopalis*, sub quo continetur Clericalis: *monasticus, & conjugalis;* cum inter Clericos solus Episcopus per se alligetur suæ Ecclesiæ, monachus Religioni, & conjux conjugi. Huc pertinet solus status monasticus, de quo potiora dicta sunt in *tit. de Regular.* hic residua præsertim de clausura afferentur. Ceterum licet in rubrica monachi distinguantur a Canonicis Regg. tamen communiter in jure, ubi materia accommoda est, nomine *monachorum* veniunt omnes Religiosi, Canonici, Clerici, mendicantes, & monachi proprie dicti, *c.* 2. *de postulando.*

2. Q. I. *Quid statuatur in hoc titulo circa Religiosos?* ℞. 1. Ut Episcopo sint subjecti, nisi eximantur; prima tamen correctio sit penes Prælatum *c.* 1. *h. t. c.* 7. *de off. ord.* 2. Ut nec recipiantur ad monasterium, nec promoveantur ad officia pro pretio, nec peculium habeant, nec singuli per villas, & Parochias ponantur, *cap.* 2. *h. t.* 3. Cistercienses jubentur favere primævam Regulam *c.* 3. *eod.* 4. Canonici Regulares non resignantes proprium, non debent sepeliri in loco sacro; secus exhumandi, si id sine scandalo fieri possit, *c.* 4. *eod.* 5. Canonicis in Parochia existentibus dandus est socius, *cap.* 5. *eod.* 6. Necessaria ad disciplinam regularem commendantur, *cap.* 6. *h. t.* 7. Jubentur celebrari Concilia provincialia singulis trienniis, *c.* 7. *eod.* 8. Præscribitur forma correctionis, & visitationis, *c. fin. eod.* 9. Severe præcipitur clausura monialium; ita ut neque Abbatissa ad homagium domino directo præstandum exire de claustro possit; sed id facere debeat per procuratorem, *cap. unic. hoc tit. in* 6. 10. In *Clem.* 1. *hoc tit.* multa statuuntur pro monachis nigris circa modestiam in vestitu, & victu; circa confessionem, & communionem menstruam: prohibentur venationes, & aucupia; accessus ad curias Principum animo nocendi Prælatis; & detentio armorum intra septa monasterii sub pœna excommunicationis latæ; disponitur circa solitudinem, prioratus, & promotionem monachorum

chorum ad ordines. In *Clem.* 2. *eod.* jubentur moniales visitari ab Episcopo; exemptæ quidem Apostolica; non exemptæ vero ordinaria auctoritate.

3. Q. II. ***Quid juris circa clausuram monialium?*** ℞. 1. Omnes moniales professæ ita stricte obligantur ad clausuram, ut sub pœna excommunicationis latæ e monasterio egredi non possint, *Can. unic. h. t. in 6.* Trid. *S.* 25. *c.* 3. *de Regg.* Const. Pii V. incip. *Circa pastoralis*, & Greg. XIII. incip. *Deo sacris virginibus;* nisi adsit justa causa, & consensus Episcopi, vel saltem Prælati in monasteriis plene exemptis; uti sunt *morbus contagiosus, & incendium*, & aliæ his similes, ut inundatio, incursio hostilis, electio Abbatissæ ad aliud monasterium. 2. Nemo adultus usu rationis pollens, sive vir, sive fæmina, sub pœna excommunicationis latæ ingredi potest monasteria monialium sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, Trid. *S.* 25. *c.* 5. *de Regul.* quæ excommunicatio a Trid. non reservatur, sed ex stylo Curiæ pro absolutione recurri solet ad S. Pœnitentiariam, Monacell. Pignatt. Matthæuc. Dari autem solet hæc licentia, vel a jure, vel ab homine hac potestate prædito ex causa necessitatis, aut utilitatis, v. g. si monasterium sit reparandum, visitandum, si monialis ægrota indigeat medico, Sacerdote &c. 3. Spectato jure com. neque licitum est accedere moniales colloquii causa, *c. un. h. t. in 6.* ibi: *ingressus, vel & accessus pateat ad easdem & ç.* 8. *de vit. & honest. Cler.* Specialiter autem sac. Congregatio prohibet Religiosis, cujuscumque Ordinis, gradus, & dignitatis, ne sine licentia expressa ejusdem sac. Congreg. accedant monasteria quarumcumque monialium ad colloquendum, sive tractandum cum eis, Decret. edit. an. 1590. *nonis Maji.* In regionibus nostris rigor iste contraria consuetudine multum temperatus est.

4. Q. III. ***Quid juris circa clausuram virorum Regularium?*** ℞. 1. Fœminæ ingredientes, vel Religiosi eas admittentes ad septa monasterii prætextu privilegiorum, & facultatum ingrediendi monasteria virorum, ipso facto incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, etsi sint personæ nobiles, comitissæ, aut marchionissæ: ita Const. Gregor. XIII. incip. *Ubi gratiæ*, & Pii V. *Regularium.*

5. An vero excommunicatio incurratur eo casu, quo fœminæ ingrediuntur, vel a Religiosis admittuntur, sine prætextu privilegii, dubium est. Affirmant Donatus, Navarr. Suarez, Reiff. cum citt. *n.* 73. quorum sententia nititur authentica declaratione S. Pii V. *Decet Romanum*, ubi declarat mentis, & intentionis suæ fuisse, ut in cit. Bulla: *Regularium personarum* comprehenderentur mulieres, non solum prætexentes privilegia, sed etiam aliæ quæcumque in genere, & in specie. Habetur declaratio ista in bullario Cherub. Constitutioni *cit. n.* 20. annexa. Negant, saltem pro nostris regionibus, Laym. Engl. Pirh. Schmalz. & alii: tum quia declaratio ista facta est *intuitu, & in favorem Congreg. Montis Virginis*, adeoque videtur specialis pro illa Congregat. tum quia Greg. XIII. cit. Constit. *Ubi gratia n.* 28. in bullar. loquitur de solis prætexentibus privilegia §. 3. inquiens: *Abbatissis vero, nec non Abbatibus, conventibus, ac aliis monasteriorum utriusque sexus superioribus, & personis quocumque nomine vocentur, districte præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, nec non privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ut in monasteria, domos, & loca sua, quemquam prætextu hujusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant:* tum denique quia dicta declaratio, vel ubique non est usu recepta, vel contraria locorum consuetudine ei derogatum est. Quid in hoc puncto sentiam, breviter.

6. ℞. 2. Prælati, & Religiosi, etiam sine prætextu privilegii, admittentes in claustrum fœminam, peccant: agunt enim contra prohibitionem gravem juris communis, *Can.* 20. *pervenit* 18. *q.* 2. ubi dicuntur severissimæ ultioni subdendi, nisi forsan parvitas materiæ a gravitate peccati excusaret.

7. II. Stante declaratione Piana, ubi viget, mulieres ingredientes monasteria virorum, etiam sine prætextu privilegiorum, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ reservatam Papæ, ut statuitur in *cit. Constitut.* Piana §. 3. *districte prohibemus mulieribus* &c. At Prælati, & Religiosi fæminas hoc modo admittentes non incurrunt excommunicationem, bene vero alias pœnas in Piana Const. expressas, scilicet privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & suspensionis a divinis ipso facto, & sine alia declaratione §. 4. *ibid.* ubi nulla mentio fit excommunicationis. Neque ex Const. Gregoriana Prælati, & Religiosi hanc excommunicationem incurrunt; quia Const. ista, ut legenti patet, loquitur solum de admittentibus fœminas prætextu facultatum. Hinc nescio, ex quo fonte, vel jure P. Reiff. hic *num.* 74. hanc excommunicationem contra admittentes hauserit: dicit quidem Gregor. XIII. similem declarationem edidisse, teste Navar. in *commentar. IV. de Regular. num.* 62. sed in Navarro nihil simile inveni: nec declaratio ista ab alio auctore affertur. Melius Constitutiones istas ponderavit Sanchez *lib. 6. moral. cap. 16. a num.* 79. ubi non excommunicationem, sed alias pœnas mox enumeratas ex Piana Constit. asserit Prælatos, & Religiosos incurrere. Quod & ego ante asserui, inspectis, & iterum relectis, dictis Constit.

8. ℞. 3. Sicubi declaratio Piana non est usu recepta, vel per consuetudinem contrariam abrogata est, nec fæminæ sine prætextu facultatum ingredientes, nec Religiosi eas admittentes, vel tolerantes, incurrunt pœnas Constit. Pianæ: ita probabiliter DD. pro sententia negativa allegati: nam consuetudo derogare potest juri humano per *c. fin. de consuetud.* præsertim cum talis consuetudo in certis circumstantiis possit esse rationabilis, saltem negative, quatenus non est irrationabilis, & nutritiva peccati; modo ingressus iste raro fiat, & sine dispendio disciplinæ regularis: vel si cohonestetur per aliquam causam, ob quam momentaneus transitus per ambitum domus Religiosæ fœminis permittatur, vel potius ex necessitate toleretur certis diebus. Incumbit tamen conscientiæ superiorum consuetudines istas non laxare, sed restringere, aut totaliter extirpare, ne scandala in claustris, & foris oriantur.

9. Q. IV. ***Quæ personæ, & casus excipiantur a dictis Constitutionibus?*** ℞. 1. Interpretes, Reges, & qui his æquiparantur, Principes Imperii, superiorem in suo territorio non recognoscentes, eorumque uxores, ac liberi non censentur comprehendi in istis Constitutionibus; adeoque cum suo honesto comitatu ingredi possunt monasteria non tantum virorum, sed & monialium: ita com. DD. nam personæ istæ sunt speciali nota dignæ; neque veniunt sub generali nomine comitissarum, aut marchionissarum; ergo cum non exprimantur, censentur non comprehendi in dictis Constitutionibus.

10. II. Fundatrices non de jure, sed ex consuetudine, sicubi introducta est, admitti possunt in monasteria virorum. Idem dic. de principibus fæminis, si alias admitti consueverunt, licet mariti earum in suo territorio superiorem recognoscant: nam consuetudo ista non est tantopere reprehensibilis: tum quia ingressus iste supponitur esse rarus; tum quia dignitas tantarum personarum hic in regionibus nostris purgat omnem suspicionem mali. Si autem inveterata consuetudo non est, nullo modo superiores consentire debent ad ingressum talium fœminarum: secus ubi recepta est declaratio piana, subjacent pœnis antea dictis. 3. Omnes fæminæ ingredi permittuntur in claustra virorum, quando ibi fit processio, sepultura, missa, concio, & alia divina officia: ita in cit. Const. S. Pii V. §. 3. ibi: *quando in eis missæ, & alia divina officia celebrantur, ac dum processiones &c. accedere libere, & licite possint, & valeant.* ☞ *Bened. XIV. Constit.* Regularis disciplinæ 3. *Jan.* 1742. I. *Abolet hanc concessionem.* II. *Abolet, & revocat quascumque facultates, licentias, & quocumcumque alio pacto nuncupatas concessiones factas, sive per S. R. E. Cardinales, sive per eorumdem Congregationes, sive per Legatos a latere, vel apostolicos Nuncios, & Internuncios.* III. *Declarat subjectos censuris absque alia declaratione ipso facto incurrendis, Papæ reservatis, iis facultatibus temere uti audentes.* IV. *Declarat hac sua Constit. non derogatum esse* iis concessionibus, quæ ad favorem quarumcumque nobilium fæminarum, ex eo, quod sive earumdem majores, ac pro tempore existentes de familia fuerint, & habeantur fundatores, vel insignes benefactores illius monasterii, intra cujus clau-

stra, vel septa fœminas etiam de familia ingredi, vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, & de concessione hujusmodi confirmationem ab Apostolica hac S. Sede obtinuerunt, sive fœminæ hujusmodi sint consanguineæ, & affines eorum, qui sunt domini in temporalibus locorum, in quibus monasteria sita reperiuntur, & quacumque legitima tituli, vel consuetudinis causa, & occasione, ingressu hujusmodi de præsenti gaudent, factæ, & impertitæ fuerunt: dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in simili forma Brevis, vel sub plumbo desuper expeditas litteras dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertitas fuisse prius Ordinariis locorum, antistibus, vel præsulibus, per legitima, & authentica documenta constare fecerint: & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca, & officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesiam accedendi, sacrosanctum missæ sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, & opera exercendi studio ingrediantur; & dummodo de earum adventu, & ingressu, interdiu, & opportune faciendo, superiores pro tempore existentes prius certiores fiant, ad hoc, ut absque Fratrum incommodo, & offensione recto tramite ad Ecclesiam pergatur, & alia de jure servanda, serventur.

Circa clausuram monialium vide Elencho VI. n. LXXXVII. & seqq. p. 1. pag. 477. & 478.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, & Extravag. comm. *hoc tit.* in Decreto *Can.* 40. *& seqq.* 16. *q.* 7. *&* 18. *q.* 2. In Trid. *Sess.* 7. *c.* 15. *Sess.* 14. *c.* 5. *in fin. Sess.* 22. *c.* 8. 9. *Sess.* 23. *c.* 18. *Sess.* 25. *c.* 8. *de ref.*

1. *Nota*, locum Religiosum in jure civili accipi pro sepulchro §. 9. *Inst. de R. D.* at hic in jure Can. locus ille solum dicitur Religiosus, qui auctoritate Episcopi specialiter deputatus est ad cultum divinum, & opera pietatis, ut sunt Ecclesiæ, seu templa, quæ a consecratione dicuntur *domus sacræ:* item monasteria, xenodochia pro peregrinis, nosocomia pro infirmis, & alia quæcumque loca auctoritate Ordinarii erecta, & deputata ad opera misericordiæ, & pietatis. Excluduntur autem a præsenti titulo loca pia privata auctoritate erecta, ut oratoria privata &c.

2. Q. I. *Quid juris competat Episcopo in domibus Religiosis suæ diœcesis?* R. 1. Subjectio; ita ut de jure com. omnia loca Religiosa subjecta sint jurisdictioni Episcopi, quoad forum contentiosum, & consueta jura episcopalia: ita rubrica & *cap.* 3. 4. 7. 8. *h. t. & Can.* 10. *omnes basilicæ* 16. *q.* 7. *Can.* 17. *monasteria* 18. *q.* 2. quæ jura fundant intentionem Episcopi, ut asserens aliquem locum esse exemptum, probare teneatur. Pleræque autem domus Regularium specialia privilegia Apostolica exemptæ sunt ab hac subjectione. In dubio illi censetur Ecclesia subjecta, qui primus Episcoporum aliquem actum jurisdictionis in ea exercuit, v. g. baptizando, confirmando *c.* 1. *h. t.* Et quamvis Trid. prohibeat Ecclesiam unius diœcesis uniri accessorie Ecclesiæ alterius diœc. ut patet ex *S.* 14. *c.* 9. *de reform.* si tamen unita est, non per hoc desinit esse subjecta Episcopo, in cujus diœcesi sita est, *c.* 2. *h. t. & cit. Can. Monasteria:* idem dic, si uniatur monasterio exempto; quia Prælatus exemptus per accidens ratione rei unitæ subjici potest Ordinario.

3. II. Jus visitandi, & exigendi rationes ab administratoribus, qui Episcopo singulis annis eas reddere debent, non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudine etiam immemorabili, Trid. *Sess.* 22. *c.* 8. *& 9. de refor.* Excipiuntur ibi a visitatione Episcopi loca pia, & Religiosa, quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine quorum licentia Episcopus talia loca visitare non potest: uti & hospitalia Ordinum militarium, & aliorum Religiosorum: nam *Clem.* 2. §. *ut autem h. t. & Trid. l. c.* loquitur solum de hospitalibus, collegiis, & confraternitatibus laicorum, non Regularium, Fagn. *c.* 4. *ad hæc h. t.* ubi plura de his legere poteris; sed & attende, quod decretum istud Tridentini non ubique cum tanto rigore, & amplitudine receptum sit.

Stephanus Vveyms in Constitutiones 24. *ex antiquo jure desumptas, & per Trid. innovatas Constit.* 16. *n.* 13. *interpretatur, Trid. ideo excepisse a visitatione Episcopi hospitalia sub immediata protectione Regum, quia satis videtur confisum fuisse eorum curæ, & solicitudini.*

Verum præstat hic referre allegationes, prout leguntur in folio Cong. Conc. 18. *Maji* 1726. *in causa Senogallien. exarato a Bened. XIV. tunc ejusdem Congr. Secret. apud Thesaur. resol. tom.* 3. *f.* 322. §. *Quoad hospitalia ibi* - Quoad hospitalia, & Confraternitates, quæ sunt sub immediata protectione Regum, ea quidem sunt exempta a visitatione Episcopi juxta cap. 8. sess. 22. de ref. sed hæc immediata Regum protectio, quæ eximit a visitatione juxta citatum cap. 8. non eximit a redditione rationis; quo circa in sequenti cap. in quo agitur de redditione rationis, nulla fit mentio dictæ regiæ protectionis, uti ponderat Fagnan. in cap. *De xenodochiis* n. 17. & seq. de Religiosis domibus; & firmavit Rota decis. 193. num. 7. & 8. cor. Cerro (*Circa hanc rationis redditionem respectu hujusmodi hospitalium monet Gaudentius tom.* 1. *de visitatione cap.* 3. *dubit.* 9. *sect.* 2. *n.* 18. *attendendam esse consuetudinem, ne lites excitentur inutiles non sine dispendiis, & scandalo)* Item regia protectio debet implorari in limine erectionis, ut suffragetur; uti late ostendunt Cavalcant. de brachio regio part. 9. n. 3. Menoch. conf. 721. Ricciull. Lucubr. Eccles. lib. 4. c. 15. n. 10. Seraphin. dec. 1025. & respondit hæc Sacra Congregatio die 10. Decemb. 1621. Episcopo Leirien. sacra Limina visitanti tom. 15. Decret. fol. 413. Et quamvis nonnulli existimaverint, conciliarem exemptionem, quæ loquitur de Regibus, extendi etiam ad sublimes Principes, qui regalia in suis ditionibus possident, etiamsi Regis titulum non gerant, uti habetur apud Barbos. ad cap. 8. num. 28. sess. 22. de reform. alii nihilominus existimant, Concilium esse taxative intelligen. de Regibus; ex quo quando voluit comprehendere Reges, & alios sublimes, ac supremos Principes, jura imperii in suis dominiis habentes, id scivit exprimere; uti habetur cap. 9. sess. 25. de ref. & adhæsisse videtur hæc sacra Congreg. quæ respondit, Episcopum Eugubinum posse visitare hospitale majus dictæ civitatis, licet illud a Sede Apostolica privilegium obtinuisset, quod gubernari, & regi deberet a septem civibus eligendis, & a Duce Urbini confirmandis; quemadmodum plene habetur apud Fagn. in cap. *Ad hæc* n. 15. & seq. de Religiosis domibus.

Denique quoad redditionem rationis Episcopo faciendam ab administratoribus hospitalium, excipitur in cap. 9. *sess.* 22. *de reform.* casus, in quo aliter cautum fuisset in institutione, & fundatione; nisi tamen administratores essent negligentes in adimplenda mente fundatorum: in quibus circumstantiis Episcopus, quamvis in fundatione exclusus ab exigenda rationum redditione, excludi non posset, uti probat text. in cap. *Tua nobis*, ibique Fagnan. num. 12. & seq. de testam. & in cap. *Ad hæc* num. 58. & 59. de Religiosis domibus.

4. Q. II. *Quid juris habeat Episcopus in locis piis auctoritate ordinaria non erectis?* R. Non habet jurisdictionem in talibus locis, sed id solum ei permittitur, ut post mortem fundatoris videre, & inquirere possit, an mens, & voluntas fundatoris impleatur. Tridentin. *cit. Sess.* 22. *cap.* 8. *de refor. & cap.* 17. *de testam.* ibi: *quod in omnibus &c.* Ipse autem fundator, quamdiu vivit, immutare, & in usum profanum convertere potest talia pia loca; non vero hæredes, qui ad implendam voluntatem defuncti cogi possunt.

5. Q. III. *An Episcopus loca Religiosa mutare possit in alium usum?* R. Negative, *Clem.* 2. *pr. h. t.* Trid. *Sess.* 25. *cap.* 8. *de reform.* ubi unicus excipitur casus, si scil. loca ista non possent deservire tali usui, ad quem deputata sunt.

R. 2. Episcopus monasteria Regularium non potest convertere in collegia clericorum sæcularium, nisi gradatim procedendo. Et quidem tentanda est reformatio per Religiosos ejusdem monasterii, tum per Religiosos strictiores ejusdem Ordinis: tum per Religiosos diversi Ordinis: tandem his omnibus deficientibus, Clerici sæculares ab Episcopo introduci possunt, *c.* 6. *hoc tit.*

7. IV. *Quæ ſolemnitates requirantur ad erectionem novi monaſterii?* ℞. 1. Ex Trid. *S.* 25. *c.* 3. *de regg.* requiritur conſenſus Diœceſani. 2. Conſenſus Principis territorialis de praxi, & conſuetudine. 3. Vocandi, & audiendi ſunt ab Epiſcopo ii, quorum intereſt; ut Parochus loci, & Religioſi vicini, & locorum incolæ. 4. Ut in novo monaſterio erigendo ſaltem duodecim perſonæ ſuſtentari valeant. 5. Ut interpoſita legitima appellatione ad S. Sedem, ſeu S. Congr. negotiis Regularium præpoſitam, interim nihil innovetur. Hæc omnia habentur in Conſtit. Clem. VIII. *Quoniam ad inſtitutam* 1603. *die* 23. *Julii*; Greg. XV. Conſt. 31. *Cum alias*: Urbani VIII. Conſtit. 45. *Romanus Pontifex*. Præterea Ordines mendicantes privilegia habent, ne alii Ordines in paupertate fundati in vicinia ad 140. cannas fundentur; olim ad 300. cannas (eſt autem canna menſura noſtram orgyam aliquantum excedens) ne ſcil. alter alteri gravamen inferat.

8. ℞. 2. Gravamen a vicinis Religioſis objiciendum, debet eſſe notabile, & hoc fere unicum, quod præexiſtentes Religioſi ſaltem duodecim ſuſtentari non poſſent; hæc enim cauſa exprimitur in citatis Conſtitutionib. unde illa cauſa, quod concurſus fidelium ad Eccleſias priores monaſterii minueretur, nihil officit in hoc puncto, uti nec illa inter Regulares docendæ juventuti vacantes, quod frequentia ſcholaſticorum decreſceret, quia præſtat etiam paucos docere, & bene, quam multos, & ſine effectu. Multo minus opponi poteſt, ſi quod fideles apud novos Religioſos eligere poſſent ſepulturas, anniverſaria, ſacra, & hujuſmodi: nam hæc, & ſimilia ſunt meræ facultatis, & nulli præjudicantia.

9. ℞. 3. Gravamina a contradictoribus oppoſita tenetur Epiſcopus exhibere Religioſis erectionem monaſterii petentibus, ut defendere ſe poſſint. *Conſtit.* 41. *Pii V.* incip. *Etſi Mendicantium*: imo ſi videt Epiſcopus, vel gravamina eſſe futilia, & inſufficientia, illa rejicere poteſt; vel evidens eſſe novos Religioſos nulli gravamini fore præexiſtentibus, tunc iis etiam non requiſitis, licentiam erigendi concedere valet *cit.* Conſt. Greg. XV. §. 3. *volens*, ubi alternative duo præcipiuntur, ne Epiſcopus det licentiam, *niſi vicini vocati, & auditi fuerint*, vel *alias Ordinariis locorum conſtiterit.*

10. ℞. 4. Extra Italiam, & inſulas adjacentes ad erectionem novi monaſterii non requiritur conſenſus Papæ, ſed ſufficit licentia ſolius Epiſcopi cum aliis requiſitis: nam licet conſenſus iſte jure antiquo neceſſarius fuerit, *c. un. de exceſſ. Prælat. in* 6. *& c. un. h. t. in* 6. tamen jure recentiori Trid. & citt. decretorum, non requiritur niſi licentia Epiſcopi. Nec obſtat Innoc. X. Conſt. 27. incip. *Reſtaurandæ*: nam ut patet ex ſummario ei præfixo, & ex §. 2. & 5. tota iſta diſpoſitio procedit de monaſteriis extinguendis, & erigendis in Italia, & inſulis adjacentibus. Vide Donat. Fagn. in *c. non amplius de inſtit. a n.* 66. Reiff. hic a *n.* 38. favetque praxis Germaniæ.

Vide Elencho VI. n. LXXXV.

11. Q. V. *An Religio Schol. Piar. privilegium habeat erigendi ſuas domos ſine aliorum Regularium conſenſu?* ℞. Affirm. ex Conſt. Clem. XII. *Nobis* 1731. *Kalend. Maji* §. 3. *ad* 4. *&* §. 6. *Demum iiſdem Clericis pauperibus Matris Dei, qui a Scholis Piis denominantur, illorumque Præpoſito generali, & Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, concedimus, ut ubique locorum, in ſuo tamen ſingulari diſtrictu, domos, & conventus regulares juxta Concilii Trid. decreta, pro pueris cujuſcumque ordinis, & conditionis, in quibuſvis liberalibus diſciplinis Latinis, & Græcis, & ſcientiis, etiam majoribus a ſe inſtituendis collegia, ſeminaria, & convictus ex ſola licentia Ordinariorum, nulloque aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, & cujuſcumque Congregationis Clericorum Regularium, etiam Soc. Jeſu, requiſito conſenſu condere, fundare, & erigere libere & licite poſſint, & valeant, etiam non ſervata diſtantia, quæ ab acceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ad centum, & quadraginta cannas, ſive aliud plus, minus accuratum ſpatium, ab uno ad aliud Religioſorum hominum cœnobium, ſeu conventum ſervanda præſcribitur &c.* Ex quo textu patet. 1. Quod ſecluſa quæſtuatione, Religio Scholarum Piarum ubique non ſolum domos ſuas Regulares, ſed etiam collegia, & ſeminaria pro ſcholaſticis adoleſcentibus erigere libere poſſit. 2. Quod ſufficiat ſola licentia Ordinarii conformiter Tridentino; adeoque non requiratur conſenſus Papæ. 3. Quod nulla ſit obligatio requirendi conſenſum Regularium aliorum, neque ſervandi diſtantiam ad 140. cannas 4. Quod iidem Clerici in domibus, & collegiis, ſeu in publicis ſuis ſcholis tradere poſſint præter ſcholas minores, etiam ſcientias majores, idque antea licuiſſe, & licere, ut clarius circa hoc punctum docendi habetur §. 3. *ad* 1. *&* §. 5. *ne vero citatæ Conſt.* Simile privilegium erigendi domos Regulares habent Carmelitæ Diſcalceati a Clem. IX. conceſſum 1668. *die* 6. *Octobris*, cujus mentio fit in cit. Conſtit. §. 3. *ad* 4. Item Clerici S. J. Conſt. Gregor. XIII. incip. *Salvatoris* 1576. *die* 30. *Octobris*. Sed hoc privilegium Societ. Jeſu niſi recentius renovatum fuiſſet, revocatum eſt per Urbanum VIII. cit. Conſt. *Romanus Pontifex* §. 1. *cum itaque* ubi antecedentia ſimilia privilegia, etiam ſpecifice, & ſingillatim exprimenda revocantur, caſſantur, abrogantur, & annullantur.

De erectione novi Ordinis Religioſi dixi *tit. de Regg.* vide *c. fin. h. t. c. un. eod. in* 6. & de mulieribus Beguinis, & Religioſis Fratricellis *Clem.* 1. *eod. & Extrav. un. Joan. XX. eod.*

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum.

Agitur de his in Sexto *hoc tit.* in Decreto 16. *qu.* 1. *&* 2.

1. *Nota*, Capellam dici vel a capiendo populo, vel a caprinis pellibus, quibus olim turguria, in quibus ſacrificabatur, tegebantur, Lex. Kahl. Quoad rem in ſenſu juris Can. capella ſignificat vel altare, aut oratorium in Eccleſia extructum, vel ædiculam a templo ſeparatam; vel conformiter huic rubricæ Eccleſiam parochialem, modo non ſit collegiata.

2. Q. I. *Cui competat juriſdictio, & adminiſtratio in capellis, ſeu Eccleſiis monachorum?* ℞. 1. Si capella unita eſt monaſterio jure ſemipleno, ſeu quoad temporalia tantum, ita ut decimæ, & alii fructus obveniant monaſterio, tunc jus inſtituendi pertinet ad Epiſcopum, & ſola præſentatio ad monaſterium; niſi & hæc alteri competeret: atque eo caſu inſtitui debet Clericus ſecularis, tanquam vicarius perpetuus, aſſignata ei congrua portione, *c.* 31. *de præb.* & Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 13. *de refor.*

3. II. Si capella, ſeu Parochia unita ſit monaſterio pleno jure, hoc eſt, quoad temporalia, & ſpiritualia, ita ut cura animarum translata ſit in monaſterium, tunc Prælatus, ſeu rector principalis, inſtituet ibi vicarium ſecularem perpetuum, vel temporalem pro arbitrio Epiſcopi, Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 7. *de ref.* niſi Eccleſia illa conſueverit per vicarios Regulares adminiſtrari, Conſtit. S. Pii V. *Ad exequendum* 1557. *calend. Nov.*

4. III. Si capella unita eſt monaſterio jure pleniſſimo, hoc eſt, quoad Clerum, & populum, tota juriſdictio quaſi Epiſcopalis eſt penes Prælatum, & nullo modo penes Epiſcopum: & tunc Parochus ſecularis, aut Regularis ſubeſt tantum Prælato. Cetera de his dixi in *tit. de Præb. & tit. de Inſtit.* Circa portionem (ne major ſit 100. ſcutis, vel minor 50. ſcutis) aſſignandam vicario, diſponit Pius V. Conſt. cit. ſed plerumque locorum conſuetudo attenditur; uti etiam circa ſocium unum, vel alterum, vel plures addendos Religioſo extra clauſtrum in Parochia viventi; atque ita non ſtringunt antiqua jura *c.* 3. *& fin. h. t. c.* 2. 5. *de ſtat. monach.* licet expediat illa obſervare.

5. Q. II. *An Parochus, vel alius Clericus Epiſcopo diœceſano inferior habeat intentionem ſuam in jure communi fundatam ſuper ſubjectione capellarum in ſuo territorio ſitarum?* ℞. Negative ex *c.* 2. *h. t.* ubi Parochus S. Cæciliæ cogitur probare, & tantum obtinet, quantum probat, ſcilicet baptiſmum, & ſcrutinium, ſeu examen catechizandorum, *& c. fin. de off. Archid.* compellitur Archidiaconus ad probandam ſubjectionem. Si vero intentio eorum fundata fuiſſet in jure comm. relevati fuiſſent ab onere probandi, ſicut relevatur Epiſcopus; ergo. Ex quo ſolvitur *c.* 6. 7. *de Religioſ. dom.*

dom. c. 11. *de M.&O. & c.* 2. *h. t.* ibi: *debet de jure com.* nam hæc non est decisio Pontificis, sed mala allegatio partis.

Hucusque actum est de juribus, & obligationibus Clericorum, & Regularium; nunc agetur de juribus, & obligationibus, quæ Ecclesia aliis, vel alii Ecclesiæ debent; uti est jus patr. pensiones, consecratio Ecclesiæ, administratio sacramentorum, observatio festorum, & jejuniorum, reparatio, & immunitas Ecclesiarum.

TITULUS XXXVIII.

De Jurepatronatus.

Agitur de hoc in Sexto, & Clementinis *h. t.* in Decreto 16. *q.* 5. *& q.* 7. *Can.* 26. *cum seqq.* in Trid. *S.* 14. *c.* 12. 13. *& S.* 22. *c.* 11. *& S.* 24. *c.* 3. *in fin. & c.* 18. *& S.* 25. *c.* 9. *de refor.*

1. *Nota* 1. Jusspatronatus in jure civili accipi pro eo jure, quod habet dominus in servum manumissum *tit. ff. de jurepatr.* estque receptum jure Canonico *Can.* 61. *liberti* 12. *q.* 2. At in præsenti jusspatronatus est potestas præsentandi Clericum instituendum ad beneficinm vacans. Et hoc jus est spirituale; non quidem formaliter, sed connexive, quia antecedenter annexum est officio spirituali, ad quod Clericus præsentatur; sicut paramenta antecedenter dicuntur sacra connexive, quatenus ordinantur ad divina mysteria *Can.* 42. 44. *d.* 1. *de consecr.* Licet autem per prima quinque sæcula nihil legatur de isto jure; tamen deinde, ut Ecclesia alliceret benefactores ad fundanda templa, & beneficia, generaliter eis concessit hoc jusspatronatus, & ad illud, licet spirituale sit, laicos habilitavit *Can.* 29. *& seqq.* 16. *q.* 7. *c.* 5. *hujus tit.*

2. *Nota* 2. Jusspatronatus dividi. 1. In *laicale*, quod alicui competit ex titulo patrimonii profani, sive illud habeat persona laica, sive Ecclesiastica. *Ecclesiasticum*, quod alicui competit ex titulo spirituali, v. g. ratione dignitatis, aut beneficii. *Mixtum*, quod aliquibus partim ratione Ecclesiæ, partim ratione patrimonii profani competit: ut si Ecclesia fundum dedit, & Clericus, vel laicus ex suo patrimonio aliquam Ecclesiam extruxit, & dotavit: tunc enim jusspatronatus ratione Ecclesiæ fundantis erit Ecclesiasticum, & ratione Clerici, vel laici ex suo patrimonio ædificantis, aut dotantis erit laicale; adeoque mixtum. Hic adverte jusspatronatus de se a principio laicum, mutari posse in Ecclesiasticum, si legitimo titulo, ut donatione, legato &c. transferatur in Ecclesiam, monasterium, Episcopatum, aut aliam dignitatem, vel beneficium. 2. Dividitur in *personale*, quod personæ; & *reale*, quod rei inhæret, ut castro &c. 3. In *hæreditarium*, quod transit in hæredes quoscumque, etiam extraneos: & *gentilium*, seu *familiare*, quod transit ad posteros ejusdem familiæ, qua extincta, extinguitur. In dubio præsumitur potius hæreditarium, utpote frequentius, quam familiare. 4. In *activum*, vel cujus patronus præsentat: & *passivum*, seu *patrimoniale*, vi cujus ex certa familia, civitate, aut natione præsentandi sunt. His præjactis, agetur hic de modis acquirendi jusspatronatus, de personis eo gaudentibus, de juribus, & obligationibus patroni, de probatione, & amissione jurispatronatus.

3. Q. I. *Quibus modis primo acquiratur jusspatronatus*? R. 1. Tribus modis, seu titulis: *fundatione*, dum quis dat fundum pro ædificanda Ecclesia: *ædificatione*, seu *constructione*, dum quis suis sumptibus ædificat Ecclesiam: & *dotatione*, dum quis, vel ex integro dotat Ecclesiam, vel ex majori parte, puta assignando redditus annuos pro alendis ministris, & necessitatibus Ecclesiæ: ita Glossa in *Can.* 26. *pia* 16. *q.* 7. isto versiculo: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*: modo adsit auctoritas Episcopi, vel capituli, sede vacante, *c.* 25. *h. t.* cum privatorum pactis Ecclesia subjici nequeat servituti patroni. Non est autem necesse, ut patronus specialiter sibi reservet jus patronatus, quia ipso jure, & facto omnibus patronis reservatur.

4. R. 2. Ad acquirendum jusspatronatus sufficit unum ex tribus præstare, vel fundare, vel extruere, vel dotare, *c.* 25. *h. t.* Trid. *S.* 25. *c.* 9. *de refor.* Nec obstat textus in *S.* 14. *c.* 12. *de ref.* ibi: *fundaverit, & construxerit*: nam copulativa hic accipitur pro disjunctiva, ut sæpe fit in jure per *lib.* 53. *ff. de V. S.* Qui Ecclesiæ dotatæ sufficienter, & consecratæ donat sua bona, etiam majora dote, per hoc non efficitur patronus, quia Ecclesiam de non esse non perducit ad esse: secus si Ecclesia vel non, vel modice tantum esset dotata, & donatio fieret dotis nomine.

5. R. 3. Si unus omnia tria præstat, ille solus erit patronus: secus si plures, inter quos unum votum est fundanti; alterum ædificanti, & tertium dotanti: & si unus fundet, & ædificet, duo habet vota: si vero plures dotent, vel plures ædificent, unum tantum habent votum, utpote ex uno titulo.

6. R. 4. Si Clericus ex bonis Ecclesiasticis concurrat ad esse Ecclesiæ, jusspatronatus acquiritur beneficio talis Clerici, eritque Ecclesiasticum: si vero ex patrimonialibus bonis, jusspatronatus sibi, suisque hæredibus acquirit, utpote laicum ex titulo seculari.

7. R. 5. Qui in alieno fundo ædificavit Ecclesiam, mero jure fit patronus, non vero dominus fundi; nisi is ædificationem ratam habeat, & ita fundum præbeat: at si dominus fundi ratam non habeat ædificationem, ædificatum destruere potest stricto jure §. 30. *Institut. de R. D.* juncto *cap.* 1. *de N. O. N.* nisi velit in venditionem fundi consentire. At si Ecclesia jam consecrata, aut saltem benedicta est, non permittitur domino fundi eam destruere, sed ad æstimationem, & interesse agere *argum. Can.* 2. *comperimus* 14. *quæst.* 6.

8. Q. II. *Quibus modis per translationem acquiratur jusspatronatus*? R. 1. *donatione* inter vivos, vel mortis causa, vel per legatum *c.* 8. *h. t. & c. un. pr. eod. in* 6. Et quidem si jusspatronatus est personale, sine licentia Episcopi non potest donari, aut cedi alicui privato laico, aut clerico; bene vero compatrono, Ecclesiæ, dignitati, aut monasterio *c.* 8. 14. *h. t. & c. un. eod. in* 6. *a sens. contr.* quia per patronos Ecclesiasticos plerumque melior fit conditio Ecclesiæ; deterior vero per laicos, & privatos clericos: at si reale est, cum re ipsa cuicumque donari potest absque ullo consensu Episcopi; quia tunc velut accessorium sequitur conditionem rei tanquam principalis. Si Ecclesiæ suæ donet patronus jusspatronatus, & in ea Ecclesia sit unicum beneficium, evadit liberæ collationis; cum respectu sui ipsius servitutem patronatus pati nequeat, *argum. lib.* 30. *ff. de S. P. U.* Si vero plura sint beneficia, tunc Ecclesia respectu rectoris principalis erit libera: respectu autem aliorum beneficiorum patronata, ita ut rector principalis ad cetera beneficia præsentet.

9. R. 2. *Permutatione*, aut *venditione rei*, cui annexum est jus patronatus, *canon.* 40. *nemini* 16. *q.* 7. *cap.* 7. 13. *h. t.* quibuscumque verbis id fiat, modo simonia caveatur, qualis probabilius censetur in eo casu, quo, v. g. castrum venderetur majoris ob annexum juspatronatus habens commoda temporalia: nam commoda ista fluunt ex ipso jurepatronatus; ergo sicut jus istud licite vendi non potest, ita nec commoda ei annexa. Oppositum docent Garcias, Molin. &c. Certo autem simonia committeretur, si juspatronatus personale venderetur, vel commutaretur pro aliquo temporali, *c.* 16. *hujus titul.*

10. R. 3. Juspatronatus reale transfertur accessorie per infeudationem, inemphyteuticationem, & constitutum usumfructum rei, *c.* 7. 13. *h. t.* uti etiam per locationem *cit. c.* 7. ibi: *ad firmam*, seu annuum censum: nam ad vasallum, emphiteutam, fructuarium, & conductorem transeunt omnes fructus rei; ergo & præsentatio, cum & ista sit fructus rei habentis annexum juspatronatus. Est tamen hic discrimen: nam vasallus, & emphyteuta ratione dominii utilis habent jus quasi utile præsentandi: fructuarius vero, & conductor, in quos utile dominium non transfertur, habent solum exercitium, seu fructum præsentandi, in quo potiores sunt creditore pignorario; cui sicut non licet re pignorata uti, vel frui, ita nec præsentare, *cap.* 18. *de sent. & re jud.*

11. II. Traditione rei dotalis transfertur in maritum jus præsentandi *arg. c.* 7. *de donat. int. V. & U. c.* 16. *de usur.* nam in maritum principaliter transfertur dominium civile, & omnes fructus rei dotalis; ergo etiam jus præsentandi, tanquam accessorium: ita

Tiraq. Garc. & alii comm. Nec obstat ratio Abb. Felin. &c. quod dominium naturale maneat penes uxorem: nam dominium istud in actu secundo impeditum est; ergo sicut exerceri nequit quoad temporalia, ita ex consequenti, nec quoad spiritualia, ne sine fundamento accessorium a natura principalis separemus.

12. III. Soluto feudo, emphyteusi, matrimonio, vel alio simili jure, resolvitur jus patronatus, & cum re ipsa ad suum dominum principalem redit.

13. IV. Juspatronatus personale, vel jus reale solitarie sumptum infeudari, aut inemphyteuticari nequit, nisi a solo Papa, quia inferior nequit rem connexive spiritualem in alium transferre contractu oneroso, uti est feudum &c.

14. ℟. 4. Juspatronatus ab uno ad alterum transfertur per ultimam voluntatem, seu successionem ex testamento, aut ab intestato, *c. 7. h. t.* Et quidem. 1. Si est jus personale, ad illum hæredem transit, cui testator illud reliquit: secus communiter, & indivise ad omnes hæredes, *c. 1. h. t.* neque uni habenti minorem portionem in recompensationem attribui potest, quia hoc simoniacum foret. 2. Si est jus reale, quamdiu hæreditas manet indivisa; singulis hæredibus in solidum competit: præsentatio tamen dividi potest pro alternis vicibus; vel communiter ab omnibus fieri. Facta divisione hæreditatis, jus patronatus reale ei obveniet, cui adjudicabitur res habens illud jus annexum: secus si annexum sit toti hæreditati, manebit penes omnes communiter, & si v. gr. ex tribus hæredibus unus alteri gratuito cederet suum jus, iste in præsentando duo vota haberet, *argum. Clem. fin. hujus tit. & cap. 12. de judic.* 3. Hæres hæreditatem omittens, non acquirit jus patronatus; uti nec hæres saltem extraneus, cui certa res relicta est, cum habeat se instar legatarii, *l. 13. C. de hæred. instit.* 4. Jus patronatus reale cum re ipsa transit aut fideicommissarium: ita Gutier. Molin. Zoes, & alii contra Covar. Gomez, Barb. *alleg. 71. nu. 9.* nam juxta *l. 1. & seqq. ff. ad SC. Trebell.* ad fideicommissarium transeunt omnia jura realia, uti & onera hæreditatis; ergo etiam transit jus patronatus, cum hoc cum universitate transeat, *c. 7. h. t.* Nec obstat *l. 55. pr. ff. ad SC. Treb.* nam a patronatu civili respectu libertorum non est paritas ad patronatum juris Canonici: ille enim jure personalis est respectu familiæ; & ideo publicatis bonis patroni non publicatur, *l. 4. ff. de jurepatr.* iste vero sæpius est realis; & ideo accessorie cum bonis vel publicatur, vel transit. At jus patronatus personale, uti etiam alia jura personalia, v. g. sepulchri non transeunt ad fideicommissarium, sed remanent penes hæredes fiduciarios *l. 42. §. 1. ff. eod.* 5. Si juspatr. est gentilitium, transit ad proximas personas familiæ: & si constitutum est pro familia tantum, ea extincta, extinguitur, atque Ecclesia evadit libera; si vero non est addita particula exclusiva, regulariter transmitti potest ad hæredes extraneos; cum jus Can. admittat talem transmissionem ad hæredes, *Can. 25. considerandum 16. q. 7. c. 1. & 3. h. t.*

15. ℟. 5. Privilegio Apostolico acquiri potest juspatr. ob summam potestatem Papæ *c. 2. de præb. in 6.* Hodie tamen conformiter Tridentino *sess. 25. cap. 9. de reform.* raro, & nonnisi ex causa onerosa, cum expressa derogatione Tridentini, talia privilegia conceduntur.

16. ℟. 6. Præscriptione acquiritur juspatr. Et quidem contra Ecclesiam liberam requiruntur 40. anni cum titulo, & tempus immemoriale sine titulo; contra patronum Ecclesiasticum 40. anni, contra laicum 10. inter præsentes, & 20. inter absentes. Laicis plerumque non prodest præscriptio, nisi *per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat*, Trid. *sess. 25. c. 9. de ref.* ut infra dicetur.

17. Q. III. *Quæ personæ sint capaces juris patronatus*? ℟. Regulariter omnes, qui specialiter a jure non prohibentur: nam edictum de patronis est prohibitorium in materia generaliter permissa *Can. 30. & seqq. 16. q. 2.* unde patroni esse possunt: 1. Laici *c. 7. h. t.* nam licet a jure Can. non sint habilitati ad jus eligendi, tamen generaliter habilitantur ad jus præsentandi. 2. Illegitimi, & spurii: qui patronatus non tam est honor ex electione quæsitus, quam quædam compensatio, & favor, a quo illegitimi non arcentur. 3. Pupilli, & minores, cum per suos tutores, & curatores Ecclesiam defendere possint. Et quidem loco infantis tutor præsentat: si vero pupillus discretione utatur, præsentabit cum auctoritate tutoris: imo etiam sine illa valeret præsentatio, cum pupillus in his spiritualibus non subsit tutori, sicut nec in sponsalibus contrahendis: multo magis minorennis sine ulla curatoris auctoritate præsentare potest, quia in spiritualibus habetur pro majorenni; nisi forsan consuetudo locorum aliud haberet. Idem dic de filiofamilias. 4. Femina *c. fin. de concess. præb.* nam femina vel per se ipsam, vel per alium defensionem, & curam Ecclesiæ præstare potest. Licet autem jus præsentandi annexum bonis dotalibus transeat ad maritum, constante matrimonio, non tamen jus personale, vel reale annexum bonis paraphernalibus, quorum actuale dominium est penes uxorem.

18. ℟. 2. Incapaces jurispatronatus sunt: 1. *Judæi*, & alii infideles *Can. 30. quicumque fidelium 16. q. 7. a sensu contr.* cum favore Ecclesiæ non sint digni. Si tamen Ecclesiam ædificarunt, tenentur eam dotare, & ista evadit libera: sicut in casu, quo judæus acciperet castrum, cui annexum est juspatr. 2. *Hæretici*, cum omnibus juribus, & favoribus priventur *c. 19. de hæret. in 6.* nisi resipiscentes in priora jura restituerentur. At in Germania tolerantur præsentationes ab hæreticis factæ. Alii excommunicati ipso facto non privantur jure præsentandi, sed ope, quasi exceptionis, seu repulsionis, quatenus Episcopus repellere potest præsentationem, donec patronus absolvatur, nisi necessitas Ecclesiæ aliud exposceret.

19. Q. IV. *Quæ sint jura, & onera patroni*? ℟. Tria præcipua: 1. *Honor*, qui consistit in sede digniori Ecclesiæ; attamen extra presbyterium sine baldachino, in honoratiori loco in processionibus, distributione palmarum &c. Item si persona est valde illustris, ut Rex, magnus Princeps, tenentur Clerici ei ad Ecclesiam venienti obviam procedere, in divinis thurificationem ei facere ante, vel post dignitates, & Canonicos secundum consuetudinem loci, pacem dare certo instrumento, ut cruce; sed nonnisi post pacem omnibus de choro datam. Sac. Congregat. in *Calaguritana 1614. die 5. Julii.* Ipse vero patronus arma, & insignia gentilitia potest in Ecclesia appendere ad posterorum exemplum. Denique extra Ecclesiam Clerici competentem honorem debent patrono, non tamen tantum, quantum liberti patronis, v. g. ne sine venia Prætoris eum conveniant in judicio; cum id jure Can. non caveatur.

20. II. *Utilitas*, seu jus alimentorum in casu, quo patronus ad inopiam redigeretur, *cap. 25. hujus titul.* dummodo Ecclesia habeat aliqua superflua, & patronus probet suam egestatem, ob quam se, & suam familiam competenter sustentare non possit. Quodsi patronus in limine fundationis moderatam pensionem, v. gr. fructuum, cum consensu Episcopi sibi reservavit, eam exigere potest; at fundatione jam perfecta, novo onere Ecclesiam gravare nequit, *c. 23. h. t. c. 7. 8. de censib.*

21. III. *Præsentatio*, seu oblatio Clerici idonei facienda superiori instituenti ad vacans beneficium, de qua pluribus in *seq. q.*

22. ℟. 2. Onus præcipuum patroni est cura, & defensio Ecclesiæ, ne a potentioribus opprimatur, dos, & bona illius dilapidentur, vel contra mentem fundatoris in alios usus convertantur, *Can. 31. & 60. constituisti 16. q. 1.* Ex hac tamen cura non competit patrono ulla jurisdictio, aut administratio rerum Ecclesiæ, quæ ad solum Prælatum, & Rectorem spectat, attento jure comm. *Can. 18. & seqq. 16. q. 7. c. 4. h. t.* Trid. *sess. 24. c. 3. sess. 25. c. 9. de refor.* Ceterum, licet *jus advocatitiæ* quandoque confundatur cum jurepatronatus *cap. 23. 24. hoc tit.* ubi patronus dicitur *advocatus Ecclesiæ*; sæpius tamen separantur, maxime in Germania, ubi Imperatori competit suprema *advocatia* in omnibus Ecclesiis Imperii, ut eas protegat contra violentas oppressiones. Item jus advocatiæ competit Principibus, & dominis territorialibus respectu Ecclesiarum in suis territoriis sitarum. Jam si concurrant patronus, & advocatus Ecclesiæ tanquam dominus territorialis, ei in Ecclesia, & processionibus præcedentia ante patronum tribuenda est. Hoc adhuc adde, quod patronus Ecclesiasticus poterit Eccle-

siam

ſiam vacantem per ſe adminiſtrare de jure veteri *c.* 51. *de appell.* at de jure novo Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de ref.* conſtituendus eſt ab Epiſcopo vicarius.

23. Q. V. *Quid juris circa actum præſentationis?* ℞. 1. In beneficio patronato Clericus valide inſtitui nequit ſine prævia patroni præſentatione, *c.* 8. *h. t.* ubi talis inſtitutio dicitur irritanda, ſeu irrita declaranda, niſi patronus, in cujus gratiam irritatur, ſuo conſenſu eam comprobaret: ſufficit autem, ut patronus per ſe, vel litteras, vel per procuratorem præſentet *cap.* 6. *de his, quæ a Prælat.* imo etiam abſens præſentari poteſt, ſicut Reges perſonam abſentem nominare ſolent Roman. Pontifici; licet per accidens, ſi talis perſona a ſuperiore eſſet examinanda, ejus præſentia requireretur.

24. II. Si plures ſint patroni ut univerſi, præſentatio facienda eſt capitulariter, & conſ. vitium unius, ut ſimonia, vitiat totam præſentationem: ſecus ſi plures ſint ut ſinguli: hi vero, ſi diſcordent, plures concordes in præſentando prævalebunt; dummodo proviſio fieri poſſit abſque ſcandalo: ſecus Epiſcopus libere providebit: & ſi neque hoc facere poſſit ſine ſcandalo, claudet Eccleſiam, & Reliquias inde tollet, ut hoc modo patroni permoveantur ad concordiam, *c.* 1. 2. 3. *h. t.* De ſpecie hujus interdicti vide Gonz. *c.* 2. *h. t.* Si vero vota patronorum ſint paria, & merita præſentatorum æqualia, locus eſt gratificationi, a qua appellare non licet *cap.* 24. *hoc tit.* Ceterum quia communitas mater eſt diſcordiarum, permittitur patronis illa conventio, ut alternis vicibus rectoremque præſentent, *Clem. un. h. t.*

25. ℞. 2. Præſentatio facienda eſt intra tempus legitimum: ſecus poteſtas providendi devolvitur ad Epiſcopum pro hac vice *c.* 3. *h. t. c.* 4. *& fin. de ſuppl. neglig.* niſi juſta cauſa impedimenti obſtaret, vel Epiſcopus ex gratia præſentationem admittat *arg. c.* 2. *&* 4. *de ſuppl. negl.* 2. Tempus præſentationi præfixum pro patrono Eccleſiaſtico eſt ſemeſtre, ſeu 6. menſes, & pro laico 4. menſes, *c.* 22. 27. *h. t. c. un. in fin. eod. in* 6. quod tempus a principio eſt utile: deinde autem poſt acceptatam vacationis notitiam eſt continuum. Ratio congrua, cur patrono laico brevius tempus præfigatur, eſt: quia laicus in præſentando variare poteſt, non item Eccleſiaſticus. Aliquando tamen ex privilegio laicus habet ſemeſtre, uti etiam in patronatu mixto, ubi Eccleſiaſticus tanquam dignior, trahit ad ſe laicum minus dignum ex recepto brocardico, quo dicimus, quod in re communi privilegiatus trahat ad ſe non privilegiatum. 3. Lite orta inter patronos, ſi intra ſemeſtre, aut quadrimeſtre præfixum, finiri nequeat, præſentabit is, qui antea fuit in quaſi poſſeſſione præſentandi, licet poſtea ſuccumbat in petitorio: ſecus ſi tantum falſo credebatur patronus, & non erat *c.* 19. *h. t. c.* 24. *de elect.* At ſi neuter eſt in quaſi poſſeſſione, tunc lite non finita, Epiſcopus libere providebit, *c.* 3. 12. 22. 27. *hoc tit.* quæ diſpoſitio *cit. c.* 3. probabiliter non extenditur ad caſum, quo litigatur de jure eligendi. De hac mareria utiliter inſpicies gloſſam in *cit. c.* 24. *de elect. & c.* 19. *h. t.* 4. Si præſentatio ex quocumque capite non ſortiatur effectum, v. g. ex facto Ordinarii, ex renuntiatione, ſeu non acceptatione præſentati, patrono dandum eſt novum ſemeſtre, aut quadrimeſtre, computandum a die non ſecuti effectus, *arg. c.* 26. *de elect.* niſi fraus interveniret.

☞ *Ex ſtylo Datariæ, ſi lis inter patronos intra tempus præfixum finiri nequeat, proviſio beneficii reſervata eſt Papæ ex alligatis per Riganti tom.* 3. *pag.* 279. *n.* 191. *de Regul. Cancell.* ☜

26. ℞. 3. Præſentandus debet eſſe Clericus dignus, ſeu inſtructus qualitatibus in præficiendo requiſitis, de quibus *lib.* 1. *tit.* 14. & juxta ibi dicta patronus in conſcientia, ſaltem ad beneficium curatum tenetur præſentare digniorem; licet pro foro externo ſatisfaciat, præſentando ſimpliciter dignum, & idoneum, quem Epiſcopus tenetur inſtituere ad præſentationem patroni laici, Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform.* Patronus vero Eccleſiaſticus, maxime ubi concurſus viget, etiam in foro externo obligatur ad præſentandum digniorem, *ibid. v. ſi vero.*

☞ *Nota, quod ſi patronus, Ordinario approbante, eam erecto a ſe beneficio in limine fundationis, vel etiam ex intervallo, ob reſervatam ſibi facultatem adjecit conditionem, ut, deficientibus in vacata familia Clericis, poſſint etiam laici ejuſdem familiæ fructibus beneficii ſic erecti gaudere, cum onere per capellanum ſatisfaciendi miſſarum oneribus, tunc poterunt etiam hi dictos fructus percipere, non jure, & titulo beneficii, ſed jure ſecularis adminiſtrationis, donec aliquis veniat de dicta familia, qui ſit Clericus, abſque onere recitandi horas Canonicas, ut ex rationibus allegatis, & receptis a Congregat. Concilii in Senogallien. Capellania* 9. *Maji, &* 6. *Junii* 1750. ☜

27. II. Si in præſentato requiratur ſpecialis qualitas ex fundatoris voluntate in favorem, aut decus Eccleſiæ, v. g. ut ſit doctor in Sac. Theologia, vel ſacris Canonibus, præſentatio deſtituti hac qualitate non valet, cum favori publico Eccleſiæ renuntiari non poſſit, *c.* 12. *de foro comp.* ſecus ſi qualitas iſta requireretur ob favorem privatorum, v. gr. conſanguineorum, & iſti conſentirent.

28. III. In beneficio patrimoniali pro certa familia, ſi cautum eſt de præſentatione proximioris conſanguinei, is præſentandus eſt, cenſeturque proximior ſecundum computationem juris civilis; cum ſucceſſio familiaris in beneficio imitetur modum ſucceſſionis hæreditariæ. Et ſi plures concurrant ejuſdem gradus, dicunt nonnulli præferendum eſſe agnatum cognato: ſed cum id jure definitum non ſit, & aliunde cognati agnatis exæquentur, cenſeo locum eſſe gratificationi, ceteris paribus; vel patronus omnes præſentare debebit, ut Epiſcopus unum ex eis eligat digniorem; vel ſi æque digni ſint, gratiam uni præ altero faciat. Legitimati per reſcriptum, ſi ad beneficia habilitati ſunt, præferendi erunt remotioribus conſanguineis; niſi fundator eos a præſentatione excluſiſſet: at ſi beneficium fundatum ſit generaliter pro conſanguineis, non expreſſo gradu proximitatis, patronus quemcumque, etiam remotiorem conſanguineum præſentare poterit, cum ita ſatisfiat menti fundatoris.

29. IV. Pater præſentare poteſt ſuum filium ad Eccleſiam patronatam; modo alias ſit idoneus, cum id nullo jure prohibeatur, & filius quoad ſpiritualia habeatur pro patrefam. Nec obſtat *c.* 15. *h. t.* nam ibi ſolum prohibetur, ne pater propria auctoritate ſuis filiis Eccleſias concedat.

30. V. Patronus ſe ipſum præſentare non poteſt *c.* 26. *h. t.* cum id avaritiam, & ambitionem ſapiat; ob quam neque aliquis ſe ipſum inſtituere poteſt *cap. fin. de inſtitut.* Excipe niſi patronus a compatronis præſentetur, *arg. cap.* 33. *de electtion.* vel niſi Epiſcopus proprio motu, aut ad ſupplicationem patroni, eum inſtituat, ut decidit Rota in Regienſi 1624. *die* 15. *Jan.* quia tali caſu non ingerit ſe, ſed gratiam ab Epiſcopo oblatam acceptat.

31. ℞. 4. Patronus tam Eccleſiaſticus, quam laicus poteſt ſimultanee plures præſentare ad idem beneficium; nam hoc favorabile eſt Eccleſiis, & nullo jure vetitum: quo caſu ſi merita præſentatorum ſint inæqualia, Epiſcopus ex regula generali tenetur eligere digniorem: ſi vero merita ſint paria, locus eſt gratificationi *c.* 24. *h. t.* neque tunc Epiſcopus eis præferre poteſt extraneum digniorem non præſentatum *c.* 8. *&* 14. *h. t.* quia ex neceſſitate juris obligatur ad eum inſtituendum, qui præſentatus fuit: imo ſi dignior præſentetur a patronis paucioribus, & ſimiliter dignus a pluribus, dignus præferendus eſt digniori; quia in tali caſu dignior non præſentatur cum effectu, eo quod pro digno ſtent potiora vota.

☞ *Circa præſentationem ad parochialem notanda ſunt reſponſa Bened. XIV. ad dubia ſibi propoſita ab Archiep. Florentino in epiſtola* Redditæ nobis 9. *April.* 1746. I. *Patronum Eccleſiaſticum teneri in foro externo præſentare ad beneficium curatum magis idoneum, & magis dignum inter approbatos ab examinatoribus.* II. *Epiſcopum debere beneficium conferre præſentato a patrono, abſque eo quod inquirat de illius judicio, ſi inter examinatos nemo de hoc queratur; Si vero ſit qui queratur, teneri in dictum judicium inquirere.* III. *Admittendam eſſe appellationem in devolutivo tantum, interpoſitam ab eo, qui ſe digniorem exiſtimat, & poſthabitus eſt, non retardata poſſeſſione præſentati, ſi Epiſcopi, & patroni judicium de magis digno conveniat; ſi vero non conveniat, tunc ſi quis ex approbatis ab examinatoribus, & tam-*

quam magis dignus praelectus a patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, & ideo appellat, ejus appellationem operari debere ad effectum suspensionis: & interim Ecclesiam parochialem remanere sub oeconomo, donec lis finiatur. Ẽ ℞.

32. ℞. 5. Semel facta præsentatione, patronus Ecclesiasticus variare non potest; bene vero laicus, re integra: non quidem privative, ut priorem præsentatum excludat, sed cumulative ut alterum ei adjiciat, & electionem Episcopo relinquat *c.* 5. 24. 29. *h. t. Ratio* disparitatis est; quia Ecclesiasticus meliorem notitiam Clericorum habere præsumitur, & longius tempus ad præsentandum habet: secus est in laico, cui rationabiliter variatio ista permittitur, etiam hæredi, non tantum semel, sed probabiliter etiam pluribus vicibus, ut colligitur ex *c.* 24. *h. t. & Clem.* 2. *eod.* præsertim, cum variatio ista sit Ecclesiis favorabilis. In patronatu mixto variatio ista non extenditur ad Ecclesiasticum, quia non decet, ut laicus trahat ad se Clericum. 2. Si patronus det primo præsentationem juramento firmatam, licite variare non potest; cum juramentum hoc servari possit absque dispendio salutis: si tamen Episcopus secundum præsentatum instituerit, valida esset institutio; sicut matrimonium de præsenti, non obstantibus aliis sponsalibus juratis. 3. Si Episcopus præsentatum idoneum injuste rejecit, is appellando non rescindit institutionem secundi instituti *c.* 29. *h.t.* sed Episcopus tenetur ei de alio beneficio providere, *ibid.* 4. Si lite pendente, unus ex collitigantibus institutus est, non licet patrono variare, *c. fin. ut lit. pend. in* 6. si vero neuter ex præsentatis institutus est, patronus variare potest, adjiciendo alterum collitigantem ab alio patrono præsentatum; non vero extraneum, ut pluries decidit Rota, ne scil. lites litibus augeantur. De institutionibus præsentatorum vide supra *tit.* 7. *de instit.*

33. Q. VI. *In dubio de jure præsentandi cui incumbat onus probandi?* ℞. 1. Patrono id prætendenti: nam Ecclesia de jure comm. præsumitur libera, donec probetur eam esse subjectam servituti patroni, Trident. *sess.* 25. *c.* 9. *de ref.* 2. Magnates, & universitates, in quibus præsumitur usurpatio, & non legitima acquisitio juris patronatus, obligantur ad strictissimam probationem ex instrumentis authenticis: probatio vero ex tempore immemoriali non aliter eis prodest, nisi probent per scripturas authenticas, quod saltem per 50. annos continuæ præsentationes ab iis factæ suum effectum sortitæ fuerint, Trid. *loc. cit.* tenet tamen Garcias, & alii, quod, si Scripturæ præsentationum deperditæ sint, testes admitti possint, qui testentur de scripturis super continua præsentatione confectis, & de earum tenore, *arg. c.* 12. *de privil.* Hæc tamen adeo stricta probatio non requiritur, si non contra Ecclesiam, sed contra privatum exigitur; quia privato jus non assistit: vel si aliunde cesset præsumptio iniquæ usurpationis, ut si institutor æque potens fuit, ac patronus, ut non facile sineret hujus juris iniquam usurpationem. 3. Privatus contra Ecclesiam facilius probat juspatr. puta ex instrumento authentico, ex tempore immemoriali, quo admissæ sunt præsentationes, ex fama cum aliis adminiculis, antiquis monumentis, honoratiore loco patroni &c.

34. Q. VII. *Quis derogare possit juri patronatus?* ℞. Hodie regulariter solus Papa: non quidem pro placito, sed ex justa, & gravi causa; cum jus quæsitum sine tali causa neque Princeps tollere possit: imo Papa patrono laico non censetur præjudicare, nisi id exprimat specialiter; siquidem patronatus laicus habetur ex causa onerosa, & ideo sub generalibus reservationibus non venit; bene vero patronatus Ecclesiasticus, qui habetur ex causa gratuita: unde nec Legatus a latere tam facile derogare potest patronis per Trident. *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* quamvis olim sibi reservare potuerit beneficia jurispatr. Ecclesiastici, *c.* 28. *h. t.* neque Episcopus ea potestate pollet, v. g. ut præsentatum idoneum rejiciat, vel Ecclesiam patronatam alteri uniat sine consensu patroni: multo minus, ut Ecclesiæ qualitates in fundatione expressas mutet, etiam de consensu successoris patroni, *c.* 8. 14. 20. *h. t. Clem.* 2. *de Relig. domib. c.* 33. *de Præb.*

35. Q. VIII. *Quibus modis juspatronatus amittatur?* ℞. 1. *Ex delicto*: cui annexa est privatio talis juris, uti sunt: *cædes* rectoris, vel beneficiati Ecclesiæ patronatæ *c.* 12. *de pœnis.* Hæresis, simoniaca venditio jurispatr. *c.* 6. *h. t.* iniqua bonorum Ecclesiæ usurpatio, Trid. *sess.* 25. *c.* 9. *v. nec dictum jus de ref.* crimen læsæ majestatis, vel aliud inducens confiscationem bonorum, quibus annexum est juspatronatus. 2. *Sine delicto* amittitur juspatronatus voluntaria cessione, *c. un. h. t. in* 6. unione cum alia Ecclesia ex consensu patroni, *c.* 8. *de constit.* non usu, extinctione familiæ, extinctione Ecclesiæ: quo casu, si patronus monitus nolit, & alius reædificet, & docet Ecclesiam, iste acquirit juspatronatus.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, Extrav. comm. *h. t.* in Decreto 10. *q.* 1. 2. 3. *& Can.* 37. *cum seq.* 11. *q.* 1. *& Can.* 20. *in fin. cum seqq.* 23. *q.* 8. in Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *v. interimque de refor.*

1. *Nota*, censum generaliter accipi pro quacumque annua pensione; hic autem *Census* significat annuam pensionem ex proventibus Ecclesiæ dari solitam. *Exactio* est contributio pecuniæ; vel ordinaria, quæ singulis annis penditur, vel extraordinaria, quæ ex causa necessitatis imponi solet, *Procurationes* sunt victualia moderata, quæ Episcopo, vel alteri nomine ejus visitandi Ecclesiam præstantur.

2. Q. I. *Quis possit Ecclesiis censum imponere?* ℞. 1. Papa ob generalem administrationem *c.* 8. *de priv.* 2. Episcopus in limine fundationis *c.* 16. *h. t.* vel in consecratione Ecclesiæ *Can.* 30. *Eleuterius* 18. *q.* 2. vel si legitime concedat, v. g. Regularibus aliquas Ecclesias, aut exemptionem a sua jurisdictione, *c.* 21. *h. t. c.* 6. *de relig. domib. c.* 9. *de his, quæ a Prælat.* 3. Patronus in limine fundationis de consensu Episcopi, *c.* 23. *de jure patr. c.* 24. *de elect.* non vero ex postfacto, *c.* 7. 15. *h. t.* 4. Ex nova causa justa, v. g. pro necessitatibus Ecclesiæ cathedralis, debitis exolvendis: pro erigendo necessario seminario Episcopus potest novum censum imponere, aut veterem augere, Trid. *sess.* 22. *c.* 8. *de ref.* modo accedat consensus capituli, & census usui Episcopi non applicetur, *c.* 7. *h. t.* nisi eo casu, quo Ecclesiam a sua jurisdictione eximeret, vel eam monasterio concederet: tunc enim in recognitionem prioris subjectionis, & gratiæ acceptæ pensio annua Episcopo dari potest, *cap.* 6. *de relig. domib.* Ceterum ex solo censu annuo non probatur subjectio Ecclesiæ, vel monasterii; quia talis census ex alio capite solvi potest, v. g. vi fundationis in signum libertatis datæ &c. nisi in annua præstatione dicatur, vel ex circumstantiis colligatur, eam fieri ratione subjectionis: quo sensu procedit *c.* 2. *h. t.* ibi: *ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis.* De jure, & possessione, & amissione censuum idem proportionaliter sentiendum, quod de aliis juribus.

3. Q. II. *In qua moneta solvendi sunt census, aut debita antiqua?* ℞. 1. Si conventum est de certa specie monetæ, & numero, v. g. ut solvantur 10. aurei in specie, tunc in tali specie, & numero solvi debet, sive valor crescat, aut decrescat, *arg. l.* 99. *ff. de solut.* quia contractus ex conventione legem accipiunt; nisi aliud præscriptione fieret; vel moneta prior non esset acquisibilis: quo casu solvendum esset in moneta alia ejusdem æstimationis, *arg. c.* 19. *h. t.*

4. ℞. 2. Si non est conventum de certa specie, & numero, solutio facienda est secundum valorem currentem, etsi pretium nummorum decrescat, aut accrescat, atque ita damnum, & commodum est debitoris: ita Sylv. Sot. Mynf. Layman. Schm. &c. contra Cov. Bartol. Tiraq. Fach. Fagn. & alios, volentes damnum esse creditoris, si valor extrinsecus monetæ decrescat. *Prob.* ex ordinatione monetaria Ferdinandi I. id statuentis *ann.* 1559. *Ratio* est: tum quia pecunia non attenditur secundum corpus, & materiam; sed secundum valorem publicum, *l.* 1. *ff. de contrah. empt.* tum quia in solutione attenditur non solum tempus contractus, ex quo habetur quantitas debiti; sed etiam tempus solutionis, ex quo consideratur valor pecuniæ, ne illo attento, plus, vel minus solvatur, quam debeatur. Unde si accepisti a creditore 25. aureos per 4. florenos adeo-

que

que 100. flor. & aureus crescat ad 5. flor. satisfacies, dando 20. aureos: si vero aureus decrescat ad 3. flor. pendere debebis 33. aureos & $\frac{1}{3}$ seu unum florenum. Nec obstat *l. 22. ff. de R. C.* nam in vino, tritico, & similibus rebus mutuo attenditur sola materia, quantitas, & qualitas; non vero valor æstimationis; & conf. vinum idem genere restitui potest, & debet; sive valor vini crescat, sive decrescat: econtra in pecunia non attenditur corpus, sed principaliter valor extrinsecus; adeoque de moneta tantum restitui potest, & debet, quantum requiritur secundum valorem currentem; licet monetæ valor immutetur extrinsece auctoritate Principis.

5. ℞. 3. Si valor intrinsecus, seu bonitas monetæ mutetur crescendo, aut decrescendo, & non est conventum de certa specie, & numero: probabiliter solutio fieri potest in moneta currente ejusdem publici valoris, & æstimationis: ita Gemin. Gonzal. *cap. 26. hoc tit.* Menoch. Schmalz. cum citt. contra Bartol. Abb. Laym. Fagnan. *cap. 20. hoc tit.* & plures alios Theologos, & canonistas volentes solutionem debere fieri in antiqua moneta, vel secundum æstimationem ejus v. gr. accepisti 10. aureos mutuos biunciales; si stante valore extrinseco eodem, aureus intrinsece mutetur in uncialem, vel aliquid de materia deteriori ei admisceatur; tunc tenebris reddere vel 10. aureos antiquos, vel 20. novos: in illa vero sententia, quam hic ut probabilem defendo, satisfacies, reddendo 10. aureos novos unciales, quia secundum valorem publicum, qui unice spectatur in pecunia, tantum reddis, quantum accepisti, puta 40. flor. in aurea moneta, licet de materia auri minus reddas. Rationes sunt eædem, quæ pro priori assertione: nam hoc modo nulla fit injustitia creditori; quia formaliter eandem quantitatem recipit, quam dedit; ex alia vero parte illud materiæ damnum, quale quale sit, sufficienter purgatur ex causis publicis, & gravissimis, ob quas solum licet Principi monetæ intrinsecum, & extrinsecum valorem immutare. Favet etiam *Clem. 2. de decim.* ibi: *ad monetam currentem*.

6. *Dices*: In mutuo tacite semper convenitur, *ut æque bonum nobis reddatur l. 3. ff. de R. C.* quod non fit in præsenti, ut si pro aureo biunciali reddatur uncialis, 2. *c. 20. & 26. h. t.* præcipitur solutio fieri secundum antiquam monetam.

℞. *ad* 1. In pecunia (in qua corpus, seu materia non attenditur) æque bonum redditur, dum eadem quantitas valoris publici redditur: in alio autem mutuo, ut vino, æque bona materia restituenda est. Est ergo sicut damnum, ita, & lucrum debitoris, si bonitas intrinseca monetæ augeatur, vel minuatur. *Ad* 2. *c. 20.* præcipitur solutio æqualis secundum publicum valorem, secundum quem tres ducenses non adæquant unum Papiensem; bene vero quinque, vel sex. Vel si de valore intrinseco sermo est, videtur ibi conventio fuisse super specie, & numero sex denariorum Papiensium solvendorum; *c. 26. cit.* jubetur debitum solvi in moneta turonensi; quia nova parisiensis, quam Canonici injuste prætendebant, erat melior, non tantum in valore intrinseco, sed etiam major in valore extrinseco; vel forsan æqualis valoris extrinseci fuit; & tunc electio est debitoris, in qua moneta solvere velit.

7. ℞. 4. Si valor monetæ enormiter crescat, vel decrescat, v. g. ut moneta unius floreni elevetur ad 8. florenos; idque ex causa publica, & in perpetuum, solutio fit secundum currentem novum valorem; cum in hoc fit adæquatio debiti, & soluti: si vero id fiat ad tempus, nec creditor ad recipiendum, nec debitor ad solvendum cogi potest, ut si moneta 6. florenorum decresceret ad valorem unius floreni; quia uterque enormiter læderetur; nisi forsan valor mercium eodem modo augeretur, aut minueretur.

8. ℞. 5. Legatum pecuniæ solvendum est secundum mentem testatoris disponentis; & quidem si præcepit dari 100. ex pecunia sua, dandi sunt denarii 100. sive eorum valor crescat, sive decrescat; si vero indeterminate præcepit, dari 100. florenos, hi solvendi sunt secundum valorem currentem mortis tempore, a quo dies legati cedit, *l. 28. ff. quando dies leg. ced.* præsertim si mortis tempore idem sit valor qui tempore conditi testamenti, licet deinde ante solutionem mutetur. At si legatum pecuniæ sit annuum, præsumitur esse legatum quantitatis, & conf. secundum valorem currentem exolvendum est, sive valor crescat, sive decrescat.

9. II. Qui vovit, se daturum, v. g. 10. mensuras annuas tritici pro Ecclesia, non determinando mensuram, satisfacit dando in minima mensura *c. 18. h. t. l. 50. §. fin. ff. de legat.* 1. quia in obscuris minimum est sequendum. Nec obstat *l. 38. §. 2. ff. de auro legat.* nam hæres ideo tenetur templo offerre statuam saltem argenteam; quia tunc in templo non ponebantur statuæ nisi aureæ, vel argenteæ, non vero æreæ, ut ait JCtus *ibid.*

10. Q. III. *Quid Episcopus exigere possit ab Ecclesiis*? ℞. Ea omnia, quæ ei debentur ex lege diœcesana; puta quartam decimarum, & mortuariorum cathedraticum, seu synodaticum, & subsidium charitativum, de quibus dixi *lib. 1. tit. de off. Ord. n. 14.*

11. Q. IV. *Quid juris circa procurationes*? ℞. 1. procurationes, seu moderata victualia secundum facultates Ecclesiarum, & Clericorum debentur visitatori: & quidem principaliter Episcopo, si per se visitet; secus alteri nomine illius visitanti; non vero Episcopo servata forma Trid. *sess. 24. c. 3. de ref.*

☞ *Si visitator non sit Episcopus, sed vicarius, vel generalis, vel capitularis, vel alius substitutus, sive etiam vicarius Apostolicus, procuratio solvenda est pro medietate tantum summæ Episcopo solvi consuetæ; cum non deceat, ut hi incedunt cum tanto comitatu, quanto indiget Episcopus, qui majori præfulget dignitate, ut ex pluribus decr. Cong. Conc. relat. a Monacello tom. 3. tit. 2. form. 4. n. 3. & tom. 6. supplem. ad tom. 3. n. 79. & 80. & de vicario capitulari a Thes. Resol. sub die 28. Julii 1708. tom. 9. pag. 152. Reliqua vide in summariis hoc eodem titulo post cap.* Cum venerabilis 21. *& Elencho II. num. CXXVI. & CXXVII.* ☜

Idem dic de Legato Apostolico suam Provinciam visitante, *c. 17. 19. 23. 24. h. t.* alias nolentes visitatorem procurare, excommunicari possunt, *c. 25. eod.*

12. II. Licet ex Decreto Innoc. IV. & Greg. X. *c. 1. 2. h. t. in 6.* Visitator non potuerit accipere procurationes in pecunia, sed solum in victualibus; hodie tamen ex Const. Bonifacii VIII. *cap. 3. Felicis eod.* permittitur pecuniam accipi loco victualium; non tamen munera, vel procurationes: alias duplum restituere tenetur *c. 23. in fin. h. t.*

13. III. Visitator remittere potest procurationem particularem sibi debitam; non tamen onus procurandi; cum hoc cederet in præjudicium successorum. Nec regulariter præscribi potest procurationibus, quæ annexæ sunt visitationi, cui præscribi nequit extinctive *c. 17. & 24. h. t.* nisi forsan præscriptio esset immemorialis, quæ æquivalet privilegio, liberante ab onere procurandi.

14. IV. Ad procurationes tenentur Ecclesiæ, & loca religiosa non exempta, jurisdictioni Episcopi subjecta, dum actu visitantur, etiam si pervenerint ad exemptos, cum transeant cum suo onere, *Clem. 1. h. t.* non tamen laici, monasteria exempta, & oratoria privata, *c. fin. h. t.* Forma visitationis præscribitur *c. 1. h. t. in 6.* In praxi consulenda sunt statuta, & consuetudines cujusque diœcesis.

15. Q. V. *Quid juris circa exactiones profanas, seu seculares*? ℞. 1. Princeps ex justa, & publica causa necessitatis imponere potest suis subditis novas exactiones: ita com. nam subditi secundum proportionem suarum facultatum obligantur ad succurrendum publicis necessitatibus; ergo: cessante autem tali causa, cessare debent exactiones. Harum variæ sunt species: *tributa*, seu *census*, quæ præstantur ex fundis, eorumque fructibus. *Talliæ*, seu *collectæ*, quæ ex facultatibus patrimonii præstantur. *Vectigalia*, quæ ex rebus, & mercibus invectis. *Gabellæ*, seu *accisæ*, quæ ex vino, sale, aliisque venalibus rebus dantur. *Guidagia*, seu *pedagia*, quæ pro securo transitu imponuntur. *Capitatio*, quæ personis, seu capitibus, sine respectu ad eorum bona imponitur. Ne nimium gravamen pauperibus inferatur, regulariter in capitationibus habenda est ratio facultatum, ut docet Lipsius *l. 2. c. 3.* alias magna inæqualitas ponitur inter subditos. 2. Principes in terris suis sine justa causa novas exactiones imponentes, ipso facto incurrunt excommunicationem reservatam in *casu 5. Bullæ Cœnæ*:

næ: eamdem incurrunt privati *c.* 10. *h. t.* imo de jure civili plectendi sunt perpetuo exilio *l. fin. C. vectigal. nov.* 3. In *casu* 18. *Bullæ Cœnæ* excommunicantur, & anathematizantur omnes, *qui collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt; & diversis etiam exquisitis modis exigunt; aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non, qui per se, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ etiamsi imperiali, aut regali præfulgeant dignitate, aut quavis etiam Pontificali dignitate insignili &c.* Et hanc excommunicationem jubentur Ordinarii per se, vel a suis subditis publicari, *donec illi sic exacta restituerint, & de transgressione hujusmodi satisfecerint competenter, Clem. fin. h. t.* Sub hac tamen prohibitione non continentur onera realia, quæ cum fundis ad Clericos, & Religiosos pervenerunt; sed hæc præstanda sunt, sicut antea præstari consueverunt: quia res cum suo onere transit. Plura de his dicentur infra *tit.* 49. *de immun. Eccl.*

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

Agitur de hac materia in sexto *hoc tit.* in Decreto *dist.* 1. *de consecr.* & incidenter 1. *q.* 1. *& q.* 7.

1. *Nota*, nomine Ecclesiæ hic non venire cœtum fidelium, sed ipsum materiale templum, cujus consecratio, seu dedicatio est solemnis deputatio ad cultum divinum, interveniente debita materia, & forma a legitimo ministro facta. Originem habet ex veteri testamento: & in lege nova initium sumpsit a tempore Apostolorum; licet quædam cæremoniæ a S. Silvestro Papa, aliisque Romanis Pontificibus additæ sint.

2. Q. I. *Quis, & quo modo consecrare possit Ecclesiam?* ℟. 1. Solus Episcopus de jure comm. est ordinarius minister Ecclesiæ consecrandæ, *Canon.* 4. *d.* 68. ubi talis consecratio dicitur esse actus Ordinis Episcopalis; ut proinde ab alio, quam Papa simplici Sacerdoti committi non possit. Valide igitur quicumque Episcopus consecrat; licite vero solus Episcopus loci, vel alius ejus nomine, *c.* 2. *h. t.* secus consecrans sine licentia Ordinarii, etiam exemptam Ecclesiam, per annum a Missarum celebratione cessabit, *Can.* 28. *Episcopis* 7. *q.* 1. & ab exercitio Pontificalium ipso jure suspensus est, Trid. *Sess.* 6. *c.* 5. *de ref.* ubi non revocatur privilegium datum Regularibus, ut, si Ordinarius humiliter requisitus, ultra quatuor menses distulerit consecrationem, possunt a quocumque catholico Episcopo facere suas Ecclesias consecrari, quemadmodum concessit Honor. IV. Minoribus. Joannes XII. Carmelitis, Paulus III. Societati Jesu, Mirand. Lez. Barbos U. J. Eccles. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 33. & alii.

3. ℟. 2. Ritus consecrandæ Ecclesiæ servandus est, prout præscribitur in Pontificali Rom. & quamvis licita consecratio non esset, nisi die festivo inter Missarum solemnia *Can.* 3. *de consecr. d.* 1. esset tamen valida die non festivo, & extra Missarum solemnia: neque repetenda, nisi aliquid substantiale omitteretur, *Can.* 20. *&* 26. *ibid. & c* 6. *h. t.* In dubio, si nulla probatio saltem ex signis appareat, an Ecclesia consecrata sit, consecranda erit, *Can.* 16. *de conf. d.* 1. ubi ratio additur *quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum*. Collocatio Reliquiarum, licet sine culpa mortali omitti non possit, non videtur tamen esse de substantia consecrationis: licet tutior sententia; adeoque in praxi sequenda id doceat cum Piasec. Azor. & aliis ex *Can.* 24. *&* 26. *de conf. d.* 1.

4. ℟. 3. Requisita Ecclesiæ consecrandæ sunt; 1. *Dos sufficiens* pro Ecclesiæ ministris, paramentis, & aliis necessariis, *cap.* 8. *hoc. tit. & Can.* 9. *de consecr. d.* 1. exceptis Ecclesiis Regularium, quæ ex eorum redditibus conservandæ sunt. 2. *Causa devotionis*, seu cultus divini, non quæstus; ut si quis Ecclesiam ædificaret eo fine, ut medietas oblationum ad eum pertineret, *c.* 10. *d.* 1. *de consecr.* 3. Ne Episcopus pro consecratione aliquid exigat; cum hoc simoniacum esset, *Can.* 106. *statuimus* 1. *q.* 1. licet moderatam procurationem recipere possit, *c.* 10. *de Simon.* Jejunium pridianum in Episcopo, & patrono ex sola decentia videtur requiri: non vero ex præcepto Leonis in epist. ad Diodor.

5. Q. II. *Quid juris circa benedictionem Ecclesiæ?* ℟. I. Ecclesia auctoritate Episcopi erecta, ex ejus commissione per simplicem Sacerdotem benedici potest; cum benedictio non sit alligata Ordini Episcopali, sicut consecratio. Differunt autem hæc duo non solum in ritu, & cæremoniis, sed etiam in effectu; quia consecratio inhæret parietibus, eisque dirutis, perit: e contra benedictio inhæret pavimento, & dirutis parietibus, manet; nisi Ecclesia auctoritate Episcopi fuisset destructa, sine spe reædificationis, Silv. Laym.

6. II. Regulares ex privilegio Leonis X. benedicere possunt Ecclesias, Altaria, & cæmeteria tantum ad suum usum; quo uti possunt, maxime in casu, quo Ordinarii absunt, vel ægre benedictionem concedere volunt, compend. privil. Minor. & Societ. Jesu *v. benedicere*.

7. Q. III. *An, & a quo consecrari debeat Altare, calix cum patena, campanæ, & paramenta sacra?* ℟. 1. Altare sive fixum, sive portatile, consecrari debet de jure commun. a solo Episcopo; ita ut sine gravissimo sacrilegio non liceat celebrare in altari non consecrato, *Can.* 19. 25. 30. 31. *de consecr. d.* 1. *c.* 5. *hoc tit.* Et quamvis Episcopus consecrationem istam, utpote annexam Ordini Episcopali, committere nequeat simplici Sacerdoti; id tamen potest Papa, ex cujus privilegio multi Abbates, ut Cassinenses, Cistercienses, & alii habilitati sunt ad consecranda Altaria pro suis Ecclesiis; & accedente licentia Ordinarii etiam pro alienis; cum Ordinarius non det hanc potestatem, sed tantum restrictionem tollat; sicut Abbati indulgendo, ut alienis subditis diœcesanis minores conferat. Idem dicendum est de consecratione calicis, & patenæ. Præcepto S. Silvestri Altare debet esse lapideum ex uno quadrangulari lapide factum, capax recipiendi calicem cum patena, habens sepulchrum, & sigillum, hoc est, civitatem aliquam, in qua Reliquiæ SS. recluduntur, *c.* 31. *de consecr. d.* 1.

8. ℟. 2. Consecratio, & benedictio campanarum ad solum Episcopum de jure spectat: ex privilegio vero ad Abbates, Barb. & alii. Neque suspendi debent in oratoriis privatis, sed in Ecclesiis, & oratoriis publicis, *cap.* 10. *de privil.* & una tantum in Ecclesiis Mendicantium, *Extravag. un. de off. custod. int. com.* cui juri prævalet alicubi consuetudo contraria.

9. ℟. 3. Paramenta ad Sacrificium Missæ deservientia benedici debent ab Episcopo, *Can.* 39. *& seq. de conf. d.* 1. At ex privilegio Pontificio Prælati regg. in privilegiis communicantes benedicere possunt paramenta ista non tantum pro suis Ecclesiis ex privilegio Leonis X. cui innituntur declarationes Sac. Congreg. sed probabilius etiam pro Ecclesiis alienis ex privilegio Innoc. VIII. Prioribus Ordinis S. Hieronymi concesso, ut docent Rodriq. Reiff. hic n. 52. cum citt. cum in dicto privilegio dicatur, eos *posse benedicere corporalia, vestimenta, ceteraque ornamenta Ecclesiastica ad cultum divinum pertinentia tam sui monasterii, quam etiam undecumque sint.* Quæ sententia firmata est praxi, & consuetudine immemoriali nostrarum regionum; cui proinde non præjudicant declarationes Sac. Congregat. imo nec Bullæ Pontificiæ; nisi specialem mentionem faciant consuetudinis immemorialis, *cap.* 1. *de Constit. in* 6.

☞ *Circa has benedictiones attendendum est sequens generale decretum Sac. Rituum Congreg. confirmatum ab Alex. VII.* 27. *Septembr.* 1659. *relat. a Benedicto XIV. Institut. Ecclesiast.* 21. *circa Abbates, aliosque Prælatos usum Pontificalium habentes* §. Itaque-Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel monasteriorum benedicant.

Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant; puta campanarum benedictiones, calicum, & similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non minorum Ordinum collationes-*Ideoque sine speciali indulto pro aliena Ecclesiæ servitio hæc*

pera-

peragere nequeunt; & contrafacientes puniri possunt per censuras in vim ejusdem decreti ab Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. Ceteri vero Prælati regulares usum Pontificalium carentes, nec pro servitio suarum Ecclesiarum consecrare possunt ea, in quibus adhibetur Sacra unctio, ut ex ejusdem S. Cong. decretis 14. Novembris 1615. 3. Decembris 1616. 2. Maii 1619. 21. Martii 1620. 7. Augusti 1921. & 20. Julii 1630.

10. Q. IV. *Quibus casibus Ecclesia, vel altare execretur, seu amittat suam consecrationem?* ℞. I. Tunc Ecclesia censetur execrari, dum vel tota diruitur, vel major pars parietum, aut crustorum decidit; etsi intentio adsit ex eadem materia reædificandi, *Can.* 20. *d.* 1. *de consecr.* nam destructa forma rei, perit illius consecratio. Nec obstat, quod navis ex iisdem tabulis recompacta eadem numero censeatur *l.* 83. *§.* 5. *ff. de V. O. l.* 98. *§.* 8. *ff. de solut.* nam Ecclesia quoad consecrationem non comparatur navi, sed domui; licet quoad gubernium, & alios effectus eidem comparetur *Can.* 7. *d.* 40. *& Can.* 7. *non turbatur* 24. *q.* 3. E contra si minor pars parietum diruatur, non execratur Ecclesia, etiamsi successive per minores partes ita reparaterur, ut nihil maneret de muris consecratis, *cap.* 3. 6. *h. t.* quia pars major consecrata semper trahit ad se partem minorem non consecratam: & sicut moraliter idem exercitus, vel fluvius manet, licet diversi milites, & aquæ succedant, ita quoque eadem censetur domus, aut Ecclesia, si successive per partes reparetur: secus autem si tota domus corruat, & reædificetur, *l.* 10. *§.* 7. *ff. quib. mod. usufr. am.* Similiter si Ecclesia minor amplietur, per additionem, dummodo priorem formam non amittat, non execratur; decens tamen est, ut pars addita benedicatur.

11. II. Altare execratur per enormem læsionem, seu fracturam, maxime in medio, per fractum sigillum Reliquiarum de consuetudine, per remotionem altaris fixi a sua basi, seu structura; cum in his casibus non censeatur una, eademque forma permanere: at si fractio sit modica, maxime in cornibus, vel si altare una cum sua basi transferatur, non censetur execrari, *c.* 3. 6. *h. t. Can.* 19. 20. *d.* 1. *de conf.*

12. III. Execrato altari, non per hoc execratur Ecclesia; nec e contra, *c.* 1. *h. t.* ex quo explicatur *Can.* 24. *de conf. d.* 1. nam utriusque consecratio est principalis, per se stans, & non accessorie. Nec obstat, quod polluto altari fixo, polluatur Ecclesia, & e contra: quia pollutio afficit indivisibiliter totum interius corpus Ecclesiæ, & omnia in eo fixa: execratio vero afficit solos parietes, vel ipsum altare.

13. IV. Calix, vel patena tunc censetur execrari, dum notabiliter frangitur, vel formam suam amittit; ut si pes, non rotatilis, avellatur a cuppa. Et quamvis probabilior, & securior sententia doceat, calicem per interiorem deaurationem execrari, ut opus sit nova consecratione; tamen opposita sententia Durandi, Coninck, Laym. Engl, & aliorum valde probabilis est, & in praxi tuta; quia totus calix consecratus trahit ad se superficiem de novo inductam. Vide dicta *lib.* 1. *tit.* 6.

14. Q. V. *Quibus casibus Ecclesia polluatur?* ℞. Quinque seqq. 1. Sepultura infidelis. 2. Sepultura fidelis excommunicati vitandi, ut dixi *tit. de sepult.* 3. Injusto homicidio voluntario, dummodo in Ecclesia inflictum sit vulnus lethale; etsi mors alibi sequatur, *Can.* 19. *de conf. d.* 1. *c.* 4. *h. t.* 4. Gravi vulnere inflicto cum sanguinis effusione copulative, ita ut nec grave vulnus sine sanguinis effusione, nec sanguinis effusio sine gravi vulnere sufficiat, *Can.* 20. *de conf. d.* 1. *& c. fin. h. t. c. un. eod. in* 6. ac proinde requiritur percussio mortaliter peccaminosa, ex qua sanguinis effusio sequatur. 5. Fornicatione, vel alia voluntaria seminis humani effusione intra ipsum corpus Ecclesiæ facta; modo sit notoria notorietate facti, aut juris, *cit. Can.* 20. *& c. un. h. t. in* 6. *& c.* 5. *de adult.* His iisdem modis polluitur cæmeterium; cum hoc discrimine, quod polluta Ecclesia, censeatur pollutum cæmeterium, tanquam accessorium; non e contra. Quodsi duo cæmeteria divisa sint pariete, uno polluto, alterum non polluitur; nisi forsan pollutio accideret in porta, quæ utriusque cæmeterii causa aperta est.

15. ℞. 2. Effectus violatæ Ecclesiæ, & cæmeterii est, quod in illa divina celebrari non possint, nec in isto cadavera fidelium sepeliri, donec reconcilientur, nisi in casu necessitatis pro viatico; tunc enim sacerdos in Ecclesia violata, si alia non adesset, celebrare posset, *Can.* XI. *&* XII. *de conf. dis.* 1. *de consensu tamen Ep. S.* D. *p.* 3. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. Si sacerdote celebrante, violatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur missa, si post Canonem, non dimittatur, *Rubr. miss. tit. de defect. in minister.* Ceterum si quis celebraret in Ecclesia polluta, vel sepeliret in cœmeterio, graviter peccaret, & arbitrio Ordinarii puniri posset sed non incurreret censuram, vel irregularitatem, cum id nullo jure statuatur.

16. Q. VI. *Quomodo Ecclesia reconsecranda, aut reconcilianda sit?* ℞. 1. Si Ecclesia execrata fuit, non aliter consecrationem recuperat, nisi ritu ordinario, quo Ecclesiæ consecrantur. 2. Si Ecclesia consecrata polluta fuit, de jure comm. reconcilianda est per Episcopum, & non per simplicem sacerdotum, *c.* 4. 9. *h. t.* nisi Papa ei committeret hanc reconciliationem. Ritus hujus reconciliationis est, quod Ecclesia aspergatur aqua cum vino, & cinere, & sale juxta Pontif. Rom. benedicta per Episcopum. 3. Si Ecclesia benedicta polluta fuit, per simplicem sacerdotem reconciliari potest aspersione aquæ lustralis, etiam licentia Episcopi non expectata, ut comm. tenet ex *c. fin. h. t.* ibi: *aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur.* 4. Regulares in privilegiis communicantes ex privilegio Leonis X. Minoribus concesso reconciliare possunt Ecclesias pollutas etiam consecratas, aqua per ipsosmet benedicta, si distent ab Episcopo duabus dietis, seu octo, vel decem leucis germanicis; vel si Episcopus est absens, aut sedes vacet: secus si Episcopus tam procul non distet, aqua per ipsum benedici debet, Barbos. Rodriq. Engl, Reiff. *n.* 27. & alii Comp. priv. Min. *v. benedicere* & Societ. Jesu *v. Ecclesia.* 5. Sola celebratione missæ Ecclesia violata non reconciliatur, ut communis tenet ex *c.* 4. *&* 9. *h. t.* alias frustra talis forma hujus reconciliationis præscriberetur. Oppositam tenent Saa, & de Castro ex *Can.* 24. *de conf. d.* 1. sed Canon iste non agit de Ecclesiæ pollutæ reconciliatione, sed declarat, quando Ecclesia execrata consecranda sit. Ceterum, si quæ expensæ fiant in hac reconciliatione, eas præstare debet, qui Ecclesiam violavit.

TITULUS XLI.

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divino Officio.

Agitur de hac materia in Clementinis & Extrav. comm. *h. t.* in Decreto *dist.* 2. *de consecr. & Can.* 13. *cum seqq. d.* 5. *de conf.* in Tridentino *sess.* 13. *de SS. Euchar. sess.* 21. *de Communione, sess.* 22. *de Sacrificio Missæ,* cum subjuncto decr. de observandis, & evit. in celebr. Missæ, *sess.* 25. *c.* 4. *de refor.*

Plena hujus tituli doctrina haurienda est ex theologia, præsertim morali: ex tractatu de SS. Eucharistiæ Sacramento: de ritibus, & cæremoniis in ejus celebratione, & tract. de horis Canonicis, aliisque divinis officiis in Ecclesia fieri solitis. Hic ea solum, quæ forum Can. concernunt, breviter resolvam.

1. Q. I. *In quo loco missæ celebrari possint?* ℞. 1. In Ecclesia, & oratoriis publica auctoritate Ordinarii deputatis, consecratis, vel saltem benedictis in ordine ad cultum divinum, *Can.* 11. *de conf. d.* 1. ubi subditur: *satius ergo est, missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate,* & Trid. *sess.* 22. *in decr. de obser. in celebr. miss. v. neve patiantur privatis in domibus* &c. Casus necessitatis est extra hoc præceptum, *Can.* 1. *d.* 1. *de conf.* ibi: *absque magna necessitate:* atque ita licet extra Ecclesiam missam facere tempore pestis, belli, persecutionum, in longa navigatione, vel peregrinatione per loca infidelium, in magno concursu populi, quem Ecclesia capere non potest, vel si Ecclesia sit diruta *Can.* 30. *de conf. d.* 1. An vero infirmitas personæ, præsertim nobilis, sit causa sufficiens, ut in ejus domo, vel camera missa celebrari possit, saltem de licentia Episcopi, dubium est inter DD. propter decretum Clementinum, de quo mox

2. ℟. 2. In decreto Clem. XI. incip. *Quoniam Sancta sanctè tractanda sunt* 15. *Decemb.* 1703. statuuntur seqq. I. Quod Episcopi, & his majores, etiam Cardinales, non possint extra domum propriæ habitationis in domibus laicis missam celebrare, vel celebrari facere, seu dare licentiam, ut alius celebret, etiam prætextu privilegiorum.

☞ *Ex Decretis Cong. Conc. relat. a Benedict. XIV. in Epistola* - Magno 2. *Jun.* 1751. *ad Primatem &c. Poloniæ, hoc privilegium restrictum fuit, ut Episcopi eo uti non possint extra domum propriæ habitationis in domibus laicorum sitis in aliena diœcesi. Quo tamen uti possunt, quando occasione visitationis, vel itineris ibi hospitio recipiuntur: vel etiam, quando sunt absentes a propria ordinaria habitatione in casibus a jure permissis, vel de speciali S. Sedis licentia, ex declaratione Innoc. XIII. & Bened. XIII. Const.* In supremo. ☜

II. Quod Regulares, & alii quicumque sacerdotes, etiamsi essent Episcopi, in oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non possint missas celebrare in diebus Paschatis SS. Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini, & aliis solemnioribus in indulto exceptis. III. Quod, si unica missa concessa fuerit, non liceat aliam celebrare, neque illam unicam post meridiem: secus in his casibus audientes missam nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere. Inculcatur etiam sacerdotibus, ut circa facultatem celebrandi in oratoriis privatis diligenter inquirant, & de ea se optime informent.

☞ *Ex Decreto Congregat. Concil.* 13. *Jan.* 1725. *relato in mox cit. Epistola Bened. XIV.* §. 18. *in die Natalis Domini celebrari possunt tres Missæ, etiam si in Brevi de unica tantum missa mentio fiat; dummodo in eodem Brevi indultum sit, missam celebrari posse diebus etiam exceptis. Ex altero Decret. ejusdem Cong.* 3. *Decemb.* 1740. *ab eodem Bened.* 7. *Jan.* 1741. *approbato, relatoque in dicta Epistola* §§. 15. & 16. *in his oratoriis missa celebrari non potest, & præcepto satisfieri, quando eidem missæ actu non interest aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est. Hoc autem principaliter concessum intelligitur* - Iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur - & propterea majoris claritatis gratia mandavit Pontifex, ut in hujusmodi Brevibus hæc adjungatur clausula - Volumus autem quod nati, ac consanguinei, & affines prædicti unicam dictam missam, vobis quidem præsentibus, audire tantummodo; nunquam vero celebrari facere audeant - *Hoc tamen Decreto non obstante, declarat* - Posse missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum præsens adsit, quæ in fronte, seu inscriptione Brevis nominatur; dummodo illa præsens sit, cui in Brevis corpore nominatim, & expresse facultas tribuitur, ut possit in privato oratorio, tum, cum ipsa adsistat, facere, ut missa celebretur - *Item a* §. 20. *ad totum* §. 26. *declarat in his oratoriis administrari non posse sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, etiam extra tempus Paschale, sine Ordinariorum licentia, comprehensis etiam Regularibus exemptis.* ☜

IV. Declarat, quod per Concil. Trid. *cit. sess.* 22. *in decr. de observ.* sublatum sit privilegium in corpore juris clausum *c.* 30. *in his de privil.* quo liberaliter Prædicatoribus, & Minoribus indulgetur, ut, ubicumque fuerint, super altari viatico, seu portatili absque licentia Ordinarii celebrare valeant. Tandem Ordinariis præcipitur, ut contra transgressores procedant etiam ut Sedis Apostolicæ delegati usque ad censuras. An hoc decretum cum tanto rigore receptum sit in regionibus nostris, ut neque Episcopus licentiam dare possit celebrandi in privato oratorio, affirmare non possum.

3. ℟. 3. Non obstante hoc Decreto Clementino, Regulares in suis oratoriis privatis intra monasterium sitis, & ad cultum divinum dumtaxat deputatis celebrare possunt missas, & seculares illas audientes satisfaciunt præcepto Ecclesiæ: ita concessit Societati Jesu Gregor. XIII. Const. incip. *Decr.* 1576. *die* 11. *Febr.* imo Pius IV. Canonicis Regg. *ann.* 1565. amplius privilegium concessit, ut in cellis, seu cameris pro infirmis missas dicere possint. Sed hoc ad seculares non debet extendi, nisi forsan ad ministrum sacerdoti servientem. Quæ privilegia post Trid. data, omnibus Regularibus in privilegiis communicantibus communia, non revocantur per decretum Clem. utpote loquens de oratoriis in domibus laicorum erectis: imo de oratoriis in monasterio sitis nec ipsum Trid. loquitur *cit. sess.* 22. *in decr. Quanta cura* ibi: *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam*: monasteria enim non sunt domus privatæ, sed publicæ auctoritate Episcopi erectæ; nec sunt omnino extra Ecclesiam, sed nomine Ecclesiæ veniunt passim in jure *tit. de religios. domib. tit. de immun. Eccl. c.* 24. *de sent. excom. in* 6. &c. Aliud dic de oratoriis, quæ eriguntur in ruralibus, & privatis domibus Regularium: in his utique sacrificare non licet, nisi erecta sint auctoritate Episcopi.

☞ *Ita ex decreto Cong. Conc.* 1. *Martii* 1687. *relato a Card. Petra comment. ad Constit. Apostol. Constitut.* 8. *Honorii III. tom.* 2. *sess. un. n.* 53. ☜

Illud privilegium Societati Jesu concessum ut inter Missiones sacrificare possint super altari portatili ubique gentium ex Const. Greg. XIII. *Usum* 1579. *die* 1. *Octobr.* non communicatur aliis Regularibus; nisi eadem causa Missionum subsit.

☞ *Ex Epistola Bened. XIV. ad omnes Episcopos dition. Eccles.* Accepimus 16. *Jul.* 1746. *statuitur.* I. *Ne missa celebretur in altaribus quæ careant imagine Crucifixi; hæcque esse debeat, quæ pendeat a Cruce; non autem ita exigua; ut ipsius sacerdotis, & populi assistentis oculos pene effugiat.* II. *Non esse necessarium Crucifixum; dummodo hic in majori tabula altaris, vel pictus, vel cælatus primum locum obtineat præ ceteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur.* III. *Non sufficere pro missa celebranda parvam Crucem cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum, in quo asservatur Sac. Eucharistia, sed ponendam esse aliam in medio candelabrorum: servandam esse consuetudinem vigentem in qualibet Ecclesia, vel diœcesi apponendi, vel non, Crucem, dum missa celebratur in altari, ubi Sac. Eucharistia publice prostat.* ☜

4. Q. II. *Quid juris circa divina apud Regulares?* ℟. 1. Regulares diebus festivis, etiam eo tempore, quo missa in parochia celebratur, possunt campanas pulsare, missas celebrare, & fideles illas audiendo satisfaciunt præcepto Ecclesiæ: ita Leo X. *Const.* 25. & Sanctus Pius V. *Const.* 41. incip. *Etsi Mendicant.* §. 8. excepto Sabbato sancto: tunc enim prius pulsari debet campana Ecclesiæ cathedralis, aut matricis, quam alterius Ecclesiæ secularis, aut regularis, ut declaravit S. Congr. 1568. *die* 10. *Octobr.* Nec his obstat Trid. *cit. decr. Quanta cura:* dicit enim fideles monendos, & hortandos esse, ut diebus festivis missam in parochia audiant; non vero ad id cogendos.

5. II. Si presbyter secularis, non ex mera devotione, sed ex aliquo titulo teneatur celebrare in Ecclesiis Regularium, isti tenentur consensum dare; attamen cum onere, ut presbyter suis sumptibus id faciat circa vestes, lumen &c. Si vero ibi celebrare deberet ex dispositione testamentaria, & Regulares ex rationabili causa negarent, poterit Ordinarius dare licentiam alibi celebrandi ex decr. Cong. Conc. 13. Nov. 1683. in S. Miniati.

☞ *Deberet etiam admitti, si ex mera devotione celebrare vellet, ne divinus cultus impediatur ex Constit. Leonis X.* Dum intra; *dummodo habeat litteras testimoniales sui Ordinarii.* ☜

6. Q. II. *Quæ sit obligatio applicandi missas?* ℟. 1. Parochus de jure div. tenetur pro suis ovibus sacrificium missæ applicare, Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de refor.* ibi: *pro his sacrificium offerre:* & quidem festivis diebus, si tenues redditus habeat, si vero pingues, singulis diebus, quibus celebrat; exceptis illis missis, quas parochus ex officio suo, vel onere parochiæ annexo, pro aliis offerre debet: ita sæpius declaravit S. Cong. & Inn. XII. Const. incip. *Nuper* 1697. *die* 23. *Dec.* Has tamen declarationes, saltem pro Germania restringit Schmal, hic *nu.* 106. ad illos dies non festivos, quibus parochus de statuto, vel consuetudine loci tenetur sacrificare. Sed hæc limitatio, quam incidenter Romæ in discursu familiari proposui, Italis non arridebat. An vero consuetudo, vi cujus parochi, etiam pingues

pingues redditus habentes, stipendia pro missis recipiunt, his declarationibus prævaleat, asserere non audeo; quia versamur in materia juris divini, contra quod consuetudo nihil operarur, *c. fin. de consuetud.* S. Congr. autem declaravit, quod præceptum divinum, cujus meminit, Trid. *loc. cit.* obliget Parochos *pro Parochianis sacrificium applicare ea cum distinctione, ut, si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem festivis diebus* 1688. *die* 10. *Maii:* nisi forsan ad cohonestandam istam consuetudinem dicas, determinationem istam esse tantum juris humani: de jure autem divino sufficere, ut Parochus sæpius per annum, saltem diebus dominicis, & festivis pro ovibus suis sacrificium offerat, & dum alias obligatur Parochianis celebrare, Vide Reiff. a *n.* 22. Schmalz *ann.* 102. & in meis Resol. Can. hic. *Resol.* 2.

☞ *Circa hanc Parochi obligationem vide Elencho VI. n. XLIII. An vero ad hanc applicationem teneatur etiam Episcopus, cui potiori jure, quam Parocho animarum cura commissa est, licet nulla de eo mentio fiat tam in decretis Cong. Conc. quam in Constit. Bened. XIV. relata Elenc. VI. cit. n. Lucius tamen Ferraris Prompta Bibliot. verb. miss. art.* 3. *num.* 11. *numerat septem Auctores sentientes teneri, & refert verba Anton. Naldi, quæ habentur in illius summa V. Parochus n.* 19. Revera non magis debet de jure divino obligari Parochus in hoc pro sui ovibus, quam Prælatus regularis pro suis subditis, Episcopus pro sua diœcesi; atque etiam Summus Pontifex pro universali Ecclesia, in quibus proportionaliter esset dicendum quod de Parocho. *Quinimo Aloys. Gherardi Episc. Cornoten. extendit hanc eamdem obligationem ad Episcopum nedum pro diebus festis, sed etiam pro singulis, in quibus celebrat.*

☞ *Circa Prælatos regulares animadvertendum est responsum Cong. Conc. ad dubium, quod iisdem verbis, quibus repetitum legitur in folio ejusdem Cong. sub die* 15. *Martii* 1710. *transcribo.*

Dubium missæ pastoralis, seu parochialis, & conventualis - Instante pridem de anno prope defluxo Fiscali S. Cong. Visitat. Apost. coram Cong. a SS. D. N. (*Clement. XI.*) deputata super revisione onerum missarum Urbis, quatenus compellerentur omnes, & singulæ Ecclesiæ Regularium quotidie celebrare, & applicare missam conventualem pro benefactoribus: necnon adigerentur omnes, & singuli Prælati regulares, tanquam suorum subditorum pastores, nimirum Generales, Provinciales, Guardiani, Priores, omnesque alii Superiores locales cujuscumque Ordinis, regulæ, & instituti offerre, & applicare Sacrificium Missæ pro eorum ovibus, scilicet pro eorum Religiosis subditis; eodem prorsus modo, quo pro suo populo tenentur Parochi: eadem Cong. deputata decrevit, priusquam in premissis resolutionem caperet, exquirendum esse oraculum hujus S. Cong. Conc. quo quidem decreto approbato a SS. D. N. sub die 17. Febr. prælibati anni, recurrit idem Fiscalis ad hanc S. Cong. in qua citatis Procuratoribus Generalibus Religiosorum, in Cong. diei 1. Junii ejusdem anni 1709. rescriptum prodiit - Respondebitur in casibus particularibus.

Subinde dicta die 15. *Martii: citato speciatim per eumde Fiscalem Procuratore generali Ordinis S. Augustini, concordata, & proposita fuerunt decidenda hæc tria dubia.*

I. An P. Generalis totius Ord. Eremitarum S. Augustini, Vicarius generalis, ac omnes, & singuli Provinciales, ac Priores, seu Superiores locales, & conventuales ejusd. Ordinis teneantur Sacrificium Missæ parochialis, seu pastoralis pro eorum ovibus, scilicet pro eorum regularibus subditis, offerre, & applicare? Et quatenus affirmative.

II. An, & quomodo, & quibus diebus hoc idem Sacrificium applicare teneantur.

III. An, & quomodo, & quibus diebus omnes, & singulæ Ecclesiæ Regularium prælaudat. Ord. Eremit. S. Augustini teneantur celebrare, & applicare Missam conventualem pro benefactoribus in casu &c.

Sed S. Cong. distulit resolutionem: ad quam nunquam amplius devenit: factis enim perquisitionibus tam a me in regestis d. Cong. Conc. tum a moderno P. Procuratore Generali S. Augustini in suo archivo, nullum repertum est monumentum datæ resolutionis. ☞

7. ℞. 2. Sacerdos, qui accipit stipendium sufficiens pro celebranda missa in certa Ecclesia, v. g. monialium, regulariter tenetur missæ fructum applicare pro dante eleemosynam, licet dans id expresse non petierit, nisi expresse permisisset, ut Sacrificium pro alio dante stipendium applicari posset. S. Congr. 1627 *die* 9. *Jan.* apud Matthæuc. cum in tali casu cesset justus titulus novum stipendium recipiendi. At contra beneficiatus, qui tenetur ad certa sacra certo loco, & tempore dicenda pro Ecclesiæ, vel altaris cultu, vel solatio fidelium, sine expresso onere missam applicandi pro fundatore, probabiliter accipere potest novum stipendium, & danti missam applicare: ita Peyr. Rodriq. Turrecr. Schmalz. Diana. & alii contra Gavant. Pignat. Matthæuc. & alios, docentes saltem medium fructum applicari debere fundatori: nam obligatio celebrandi in certo loco, & tempore, & obligatio applicandi missam, sunt diversæ; ergo si fundator primam tantum expressit, alteram censetur omisisse. Nec obstat Decr. Urbani VIII. de celebr. miss. quia loquitur de illis beneficiatis, qui ratione beneficii tenentur missas applicare, non vero de his, qui tantum obligantur ad celebrandum in certo loco, sicut, v. g. Nicol-Spurgi Canonici duo seniores obligantur in domo Lauretana singulis diebus missam hora septima cantare. Cetera, quæ de stipendiis missarum hic quæri possent, habentur in Constitut. Urbani VIII. *Cum sæpe* innovata ab Inn. XII. Constit. *Nuper*, quæ a Regularibus his intra annum legi debet in capitulo, aut publica mensa.

☞ *In die commemorationis omnium fidelium defunctorum potest a sacerdotibus celebrantibus applicari sacrificium ad libitum, vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquibus tantum ex decretis Cong. Rituum* 4. *Aug.* 1663. *&* 9. *Decem.* 1709.

Beneficiatus, seu capellanus, cui incumbit onus missas quotidie celebrandi per se ipsum, si ex diuturna infirmitate excedente quindecim dies impediatur eas celebrare, tenetur satisfacere per alium ex Decret. Cong. Conc. in Romana celebr. mis. 4. *Junii* 1689. *&* 17. *Novembris* 1695.

An vero præcisa infirmitate, aliquando abstinere possit a celebratione devotionis, aut honestatis causa Cabasut. jur. Can. Theoria lib. II. cap. 28. *n.* 9 *ex cap.* Significatum *de præb. admitt. intermissionem a celebratione duodecim dierum in quolibet anno: dummodo tamen, diebus, quibus pro fundatore non celebrat, abstineat pro alio celebrare puta pro se, vel suis parentibus, neque ei licita est talis intermissio, quando non habet onus per se ipsum celebrandi pro fundatore ex decreto ejusdem Cong.* 18. *Sept.* 1683.

Ex Constit. Bened. XIV. Quanta 30. *Jun.* 1741. colligentes missarum *eleemosynas, ubi hæ sunt majoris eleemosynæ, missas vero curant celebrari in iis locis, in quibus minori eleemosyna celebrari sciunt, si laici sint, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam; si Clerici, vel sacerdotes suspensionem eidem pariter reservatam.*

8. Q. IV. *An, & quomodo Missæ annuæ omitti, aut ad minorem numerum reduci possint?* ℞. 1. Si bona pro Missis relicta ex toto periverint absque ulla culpa Ecclesiæ, monasterii, aut Prælati, cessat obligatio eas legendi: ita comm. & sæpius declaravit S. Congreg. in una Forosempron. 1687. *die* 7. *Jun.* in Monopolit. 1705. *die* 8. *Aug.* nam beneficium datur propter officium, *c. fin. de rescript. in* 6. ergo, cessante beneficio, æquum est cessare officium; sicut perempta re locata, vel non fructificante, nec emphyteuta ad Canonem, nec conductor ad præstandam mercedem obligatur, *c.* 3. *de locat.*

9. ℞. 2. Ex Trid. *S.* 25. *c.* 4. *de refor.* Episcopi in synodo diœcesana, Abbates, & Generales Ordinum in capitulis generalibus, re diligenter perspecta, pro sua conscientia reducere possunt onera Missarum ad minorem numerum, in eo casu, quo redditus diminuti, vel tenues effecti sunt: sed hodie ex cit. Constit. Urbani recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

☞ *Vide Elencho VI. n. CIX.* ☞

10. Q. V. *Qui obligentur ad dicendas horas Canonicas?* ℞. 1. Clerici in sacris constituti, *c.* 1. 9. *h. t.* 2. Religiosi professi ad chorum obligati, etiam moniales ex consuetudine. At extra chorum eos, qui sacris insigniti non sunt, non obligari ad breviarium docent

docent Alph. a Castro, Caramuel, & alii, licet oppositum probabilius ab aliis doceatur. Censeo tamen consuetudinem, quæ stabit pro lege, Religionis, attendendam esse. 3. Beneficiati quicumque, *c. fin. de rescr. in 6.* quia beneficium datur propter officium. Obtinentes præstimonia in vim tituli, aut pensiones Ecclesiasticas obligantur saltem ad dicendum officium parvum B. V.

11. ℟. 2. Beneficiati post semestre totum officium omittentes, aut indevote recitantes, privantur fructibus totius diei: matutinum omittentes cum laudibus, vel omnes horas minores, medietate fructuum, unam ex reliquis horis, sexta parte eorumdem fructuum, quos *tamquam injuste perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenentur*, etiam ante sententiam. S. Pius V. Const. *Ex proximo* 1571. 12. *Kal. Octob.* Et quamvis dispositio ista rigida videatur pro parochis, qui præter breviarium plura alia onera parochialia habent, nihilominus parochi in ea comprehenduntur, ut patet ex principio: *Quicumque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura*, atque ita dictus Pontifex non aliter eis fructus beneficiorum concedit, quam sub conditione recitandi breviarium, nisi legitima causa eos excusaret. De sacrificio missæ vide *c. 6. cum Martha, & c. 8. In quadam h. t.*

☞ *Cabasut. jur. Can. Theor. lib. VI. cap. 14. nu. 14. cum DD. ibi cit. ex æquitate assignat parocho pro integra totius anni horarum recitatione quartam partem fructuum sui beneficii: Canonicis vero & capellanis quotidianæ residentiæ vinculo adstrictis dimidiam; ideoque juxta hanc proportionem eos eximit ab onere restitutionis, si omittant hanc recitationem propter reliqua onera præstita.*

Circa choro adstrictos præsentes, sed una cum aliis alta voce non psallantes vide Additiones hoc eod. lib. III. tit. 4. post n. 8.

Obtinens beneficium etiam ad victum insufficiens, omittens dictam recitationem, non excusatur a peccato, & restitutione, si scienter illud acceptavit, quia sicut non excusatur a residentia c. Congruente 6. *de Cleric. non residen. ita nec a recitatione: & sibi imputare debet, si se fecerit ad tale beneficium intitulari. Cardinal. in Clement. 1. n. 9. de celeb. Miss.*

Ex decreto Congreg. Rituum 2. Sept. 1741. in Aquen. Canonici non tenentur extra chorum ad psalmos graduales, pœnitentiales, officium B. Virginis, & defunctorum, cum recitanda sint tantum in choro, ubi est consuetudo, & nequeunt Canonici ad illorum recitationem cogi; ubi recitari non consueverint ex decreto Cong. Conc. 28. Septr. 1754. in Montis Alti. Unde non est attendendum decretum Congr. Episc. & regul. 18. Mart. 1587. prout mendose refertur a Crespino in visit. pastoral. part. 2. §. 20. contrarium sentiens, quoad officium B. Virginis, cum in eo legatur tantum - Canonicos deberi hortari ad recitandum in choro officium B. Virginis diebus in breviario præscriptis, non autem cogi, ubi non est solitum - *Qui error in causa fuit quibusdam Episcopis litis instituendæ contra Canonicos, in qua ideo succubuerunt, ut videre est in folio cit. causæ Montis Alti. Ea tamen etiam in choro omittentes declarantur immunes a peccato in Const. S. Pii V.* Quod a nobis idib. Jul. 1568. §. 9., *excepto officio B. Virginis, si veteri consuetudine illud recitari consueverit. Hæc in choro recitantibus variæ indulgentiæ impertiuntur. Quæ Constit. impressa legitur in fronte breviarii Romani cum d. §. 9. qui etiam refertur a Bened. XIV. Instit. Eccles. 107. licet in Bullario Romano non reperiatur.*

Quod spectat ad tempus horarum Canonicarum recitationis vide cap. Presbyter 1. *hoc eodem tit. quod licet loquatur de recitatione in choro peragenda statutis horis, potest tamen ex dispensatione Episcopi vel ex inclita consuetudine recitari matutinum cum laudibus diei subsequentis post completorium diei præcedentis, ut ostendit Bened. XIV. Instit. Eccles.* 107. §. At vero: *cum ceteroquin privata recitatio licita sit ex Theologorum opinione communiter recepta juxta notata in fine Kalendarii Romani. Quod autem spectat ad recitationem ejusdem matutini cum Laudibus ante Missæ celebrationem præscriptam a cit. cap. & rubrica Missalis, ex his inferunt nonnulli peccare lethaliter quemlibet sacerdotem etiam choro non obstrictum, si Missam celebret, eo non recitato. Verum Bened. XIV. Const.* Etsi Pastoralis: *6. Maii* 1742. *de dogmatibus, & ritibus, ab Italo Græcis tenendis, & servandis, §. 7. n. 5. utitur verbo excludente hanc gravem culpam.* ibi: Et priusquam Missam celebrent, officium matutinale recitare CURENT. ☜

TITULUS XLII. & XLIII.

De Baptismo, & ejus effectu. De Presbytero non baptizato.

Tota materia hujus tituli traditur theologia præsertim morali, & videri possunt Canones *d. 4. de consecr.* & Trid. *S. 5. in Decr. de pecc. orig. & S. 7. de baptismo.*

1. Q. I. *An quis præsumatur esse baptizatus?* ℟. 1. Natus ex parentibus christianis, & fideliter inter christianos conversatus, violenter, seu certo præsumitur esse baptizatus, nisi contrarium evidentissimis argumentis probetur *cap. 3. in fin. de Presbyter. non baptiz.*

2. II. Baptizatus ab hæreticis lutheranis, calvinistis, & aliis, qui eadem forma, & materia baptismi utuntur cum generali intentione faciendi, quod Christus instituit, præsumitur rite baptizatus, ut proinde conversus ad fidem catholicam non sit rebaptizandus, *arg. Can. 48. d. 4. de consecr.*

3. III. In dubio an infans, v. g. expositus baptizatus fuerit? an materia fuerit debita? an in casu insolitæ perturbationis omnia necessaria adhibita fuerint; & quoties rationabiliter dubitatur, non præsumitur homo baptizatus, sed sub conditione: *si baptizatus non es*, baptizandus erit, *c. 2. h. t.* quia tali conditione apposita, tollitur omnis irreverentia, quæ sequi posset ex iteratione baptismi.

☞ *Non erit tamen rebaptizandus, si constet fuisse baptizatum unius etiam, sive maris, sive fœminæ testimonio Gloss. cap. nuper ad verbum* - nisi juratus - *de testib. & attestation. dummodo talis testis sit, ut ei fides adhiberi prudenter possit; aut si testetur illemet qui baptizavit. Unde expositi reperti cum charta collo suspensa, in qua scriptum legitur, jam baptizatos fuisse, si sciatur, qui eam scripserit, neque sub conditione rebaptizandi sunt ex decret. Cong. Conc.* 15. *Jan.* 1724. *relato a Bened. XIV. in Epistola ad Vicesgerentem urbis.* Postremo 28. *Feb.* 1747. ☜

4. Q. II. *An valeant acta presbyteri non baptizati?* ℟. Illa non valent, quæ pendent ab Ordine, ut confectio Eucharistiæ, absolutio a peccatis, administratio extremæ Unctionis; cum Ecclesia defectum juris divini supplere nequeat. Cetera vero acta valent, ut collatio baptismi, cujus minister est quilibet homo; assistentia matrimoniis præstita; & omnia acta jurisdictionalia ex recepta *l. 3. Barbarius ff. de off. præt.* vide *Can. 47. cum seqq. 1. q. 1.*

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

1. Q. I. *Quid statuatur in h. t.?* ℟. 1. SS. Eucharistia asservanda est in decenti tabernaculo Ecclesiæ, uti, & Sacri liquores, sed in distincto loco, sub clavibus, lampade diu, noctuque ante SS. collucente. Secus sacerdos ea incustodita relinquens tribus mensibus ab officio suspendendus est.

2. II. Eucharistia asservanda est in Ecclesiis parochialibus actu talibus, & non solum habitu: in cathedralibus, sed extra majus altare, ut decidit Sac. Congr. in Lucensi 1579. *die* 10. *Febr.* idem dic de collegiatis: item in Ecclesiis Regularium, etiam Monialium non tamen intra chorum illarum; sed in publicis Ecclesiis, Trid. *S. 25. c. 10. de Regg.* E contra sine dispensatione Apostolica non potest Eucharistia asservari in conservatoriis mulierum, nec in grangiis, seu domibus ruralibus Regularium, nec in Ecclesiis collegiatis secularibus, si non sint actu parochiales; neque in aliis Ecclesiis non parochialibus, ut sæpe declara-

claravit S. Congr. nisi forsan adesset consuetudo immemorialis, vim habens privilegii.

3. III. Circa impensas lampadis servanda est Constitutio Trident. *S.* 21. *c.* 7. *de refor.*

4. IV. Profana supellectilia non sunt reponenda in Ecclesiis, *c.* 2. *h. t.* nisi casus necessitatis excuset; ut tempore hostilis incursus, incendii &c.

☞ *Eucharistia, quæ asservatur in tabernaculo, a græcis renovanda est singulis octo, vel XV. diebus ex Const. Clem. VIII.* Sanctissimus - 31. *Aug.* 1595. *a latinis vero qualibet dominica, ex decr. Cong. Episcop. in Ravennaten. 6. April.* 1573. *& ex cap.* Permittimus 57. *de senten. excomm. & cit. Const. Clem. VIII. Quoad ejus publicam expositionem ex Decr. Cong. Conc.* 17. *Augusti* 1630. *relat. a Bened. XIV. Instit. Eccl.* 30. *non licet.* Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis, SS. Eucharistiæ sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & sit velatum, ita, ut ipsa S. Hostia videri non possit. *Idem prohibitum est aliis quomodocumque exemptis non habentibus jurisdictionem in populum ex Decr. Congr. Episcop. in Florentina jurisdict.* 18. *Maii* 1696. ☜

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

Agitur de hac materia *Can.* 27. *d.* 50. *& Can.* 27. *cum seq. dist.* 3. *de consecr.* Trid. *Sess.* 15. *in Decr. mandat.*

De cultu Reliquiarum, & Sanctorum fuse agunt Theologi Polemici, quibus controversias fidei relinquo. De ritu canonizationis, & beatificationis videri possunt Gonzal. *c.* 1. *h. t.* Barbos Fagn. Metthæuc. Petra, Reiff. Pirh. Schmalz. *h. t.* & diligenter relegenda, ac observanda erunt decreta Urbani VIII. quæ habentur in bullar. *tom.* 4. *Const.* 39. *Sanctissimus* 13. *Martii* 1625. cum annexa declar. incip. *Postmodum vero, & eod. tom. Const.* 135. *Cœlestis Jerusalem* 1634. *die* 5. *Julii:* ego paucis me in hac vasta materia expediam.

1. Q. I. *Cujus auctoritate fieri debeat canonizatio, & beatificatio?* ℞. Solius Papæ auctoritate, *c.* 1. *h. t.* nam hoc est unum ex gravissimis Sedi Apostolicæ reservatis. Differunt autem hæc duo: quia canonizatio proponit aliquem toti Ecclesiæ pro sancto colendum, beatificatio vero restringit cultum istum ad certas personas, locum, & modum colendi, prout in decreto beatificationis exprimitur. Ceterum privato cultu potest quis colere eos, qui cum publica sanctitatis opinione decedunt, cum Ecclesia non prohibeat, nisi cultum publicum.

2. Q. II. *Quis possit ab Ecclesia canonizari?* ℞. Ille solum, qui claruit virtutibus theologicis, & moralibus in gradu heroico: & saltem duobus miraculis, vires naturæ saltem quoad modum excedentibus; dummodo ista vitæ sanctitas, & miracula plenissime probentur: Gregor. IX. Const. 4. incip. *Cum dicat Dominus*, qua S. Antonius Patavinus relatus est in Canonem Sanctorum. Ad canonizationem martyris sufficit plene probare *martyrium materiale*, seu quod causa mortem sustinendi fuerit fides catholica, vel alia virtus supernaturalis; quia non sola mors, sed causa martyres facit: & regulariter requiruntur saltem duo miracula plene probata, ut declaravit Congr. Rituum 1642. 13. *Septembris.*

3. Q. III. *Quis modus, & ritus procedendi in canonizatione Sanctorum?* ℞. 1. Processus non est inchoandus a S. Congr. Rit. nisi post 50. annos ab obitu Servi Dei, Ne tamen probationes pereant, interim excipi poterunt tam auctoritate Ordinarii, quam S. Congreg. Ante omnia autem scripta, & libri, si quos Servus Dei scripsit, examinari debent in S. Congr. 2. Post 50. annos primum discutitur quæstio super noncultu, & paritione decretorum supra relatorum. Si vero cultus delatus sit, examinantur, an sit cultus immemorialis ante dicta decreta exhibitus: secus non erit locus causæ introducendæ. 3. Præsentantur processus Episcoporum, & litteræ Principum: sequitur commissio super introductione causæ; quæ tamen ex declaratione Innoc. XI. non est signanda, nisi post decem annos, habitis iterum novis Episcoporum litteris super fama, & sanctitate Servi Dei: nisi Papa ex speciali gratia tempus istud abbreviaret. 4. Introducta causa, aperiuntur, & examinantur processus coram promotore fidei, referente Cardinali ponente, ut sciatur an ullus notabilis defectus commissus fuerit in processu super fama, virtutibus, & miraculis. 5. Si processus isti examinati sint ante lapsum 50. annorum, si quidem validi sint, obsigillantur sigillo S. Congregat, nec aperiuntur, nisi post 50. annos. 6. Tum proponitur dubium: an constet de virtutibus theologalibus, & cardinalibus in gradu heroico? Et hoc discutitur primo in Congr. ante præparatoria coram Cardinali ponente: deinde in præparatoria coram S. Congreg. cum voto Consultorum; & tandem, ubi visum fuerit constare de his virtutibus, fit; congregatio coram Sanctissimo super dicto dubio. 7. Proponitur alterum dubium: an, & de quibus miraculis constet? & fit relatio miraculorum, quæ a Cardinalibus non solent approbari, nisi concurrant saltem duæ partes consultorum; neque a Papa, nisi concurrant fere omnes Cardinales. 8. His omnibus rite peractis, devenitur regulariter ad beatificationem; licet Papa absolute posset procedere ad canonizationem, sed non solet, nisi post beatificationem rursus percrebescat, & continuetur fama sanctitatis, & miraculorum saltem duorum. Cetera vide in locis, & DD. supra relatis.

4. Q. II. *Quid juris circa publicum cultum Reliquiarum?* ℞. 1. Reliquiæ omnino novæ publico cultui exponi nequeunt absque auctoritate Sedis Apostolicæ, *capit. fin. hoc tit.* Si vero Reliquiæ sunt antiquæ alicujus Sancti ab Ecclesia approbati, sufficit auctoritas Episcopi eas recognoscentis, & approbantis, Trid., *sess.* 25. *in decr.* & Constitut. 88. Sixti V. incip. *Dominus.* Si tantum transferantur ex una Ecclesia ad aliam, non indigent approbatione, sed solo examine Episcopi, an sint illæ Reliquiæ, quæ in litteris Apostolicis, aut testimonio Episcopi continentur, ut habet communis praxis. 2. Reliquiæ non approbatæ non debent exponi publico cultui cum approbatis, quia in eis non est commixtio, sicut in liquoribus, ut sacrum trahat ad se non sacrum. Si autem præcise ponantur ad ornatum, v. g. S. Crucis, dicit Sanchez id non obstare, quia tunc sola crux proponitur ad adorandum, non vero reliquæ. 3. Reliquiæ antiquæ, dum populo ostenduntur, non debent extrahi ex capsa, ne vilipendantur, *c. fin. h. t.* nec pretio vendi, cum hoc sit simoniacum; licet pro ornatu recte pretium petatur. 4. Privatus cultus Reliquiarum alicujus cum fama sanctitatis decedentis non censetur prohibitus; cum jura loquantur tantum de cultu publico.

☞ *Circa beatificationes, Canonizationes Sanctorum eorumque Reliquiarum cultus vide doctissimum opus Bened. XIV. de servorum Dei beatificatione.* ☜

TITULUS XLVI.

De observatione Jejuniorum.

Agunt de hac materia fuse Theologi morales, quorum doctrina adjuvatur ex Sac. Canonibus *Can.* 3. *in Scholio, & seqq. d.* 4. *& dist.* 41. 76. *per tot. & Can.* 6. *cum seq. d.* 3. *de consecr. & Can.* 16. *cum seq. d.* 5. *de consecr.* Ego hic tantum unam, & alteram quæstionem resolvam.

1. Q. I. *Quale sit præceptum jejunii Ecclesiastici?* ℞. Præceptum hoc, quatenus respicit delectum ciborum, seu abstinentiam a carnibus, est negativum seu non comedendi carnes; adeoque contra illud toties per diem peccatur quoties moraliter distinctis vicibus carnes comeduntur; ita comm. nam esus carnium in quadragesima, & aliis vetitis diebus per se prohibetur independenter a jejunio; cum etiam die Dominico in quadragesima, & generaliter adolescentibus, diebus vetitis prohibeatur. Parvitas tamen materiæ, v. g. unus, vel alter bolus excusat a mortali ex benignitate Ecclesiæ. At præceptum unam refectionem sumendi, est affirmativum, dictans christiano unam refectionem dandam esse ex suppositione, si comedere velit, & consf. totum violatur per secundam integram refectionem; ut am-

amplius non pecces, si tertiam, vel plures integras refectiones sumas com.

2. Q. II. *Quid veniat nomine carnium?* ℞. Ex mente Ecclesiæ, & usu Christianorum venit omne id, quod vulgo dicitur caro, prout a piscibus distincta: nam Ecclesia prohibendo carnes prohibet alimenta solidiora, quæ multum nutriunt. Unde non sunt hic attendendæ regulæ, & opiniones medicorum hoc, vel illud non esse carnem existimantium; dummodo in communi existimatione habeatur pro carne, v. gr. caput, pedes, intestina, laridum, adeps, & a fortiori farcimina &c. Neque subsistit illa regula quod nomine carnis veniat caro animalium terrestrium, quæ diu extra aquam vivere possunt, vel quæ habent sanguinem calidum: nam regula ista, ut bene advertunt plerique Theologi, nullo solido fundamento nititur, & nimis laxat sanctissimum præceptum jejunii. Hinc P. wiestner, Schmalz. & alii generaliter dicunt, sine violatione jejunii neminem vesci fulicis anatibus aquatilibus, & similibus animalibus, extra aquam non diu viventibus. Idem sensisse fertur Eminentissimus Cardinalis, & Archi-Episcopus Viennensis Sigismundus de Koloniz, qui anno 1732. pro sua Archi-Diœcesi prohibuit esum ejusmodi fulicarum die vetito. Et merito, cum in communi existimatione caro talium avium parum, vel nihil distet a carne aliorum altilium.

Dices: 1. Fulicæ habent sanguinem frigidum. 2. Lutræ, testudines, & limaces comedi possunt die vetito, ergo & fulicæ, quæ minus nutriunt, quam lutræ, aut testudines. ℞. *Ad* 1. dato, quod habeant sanguinem frigidum, per hoc non desinunt habere carnem vulgo dictam, & a piscibus distinctam. Imo alii periti exploratores asserunt, quod fulicæ sanguinem calidum habeant. *Ad* 2. Neg. con. nam circa lutras, & limaces, & similia conchilia habemus consuetudinem certam in facto esse, quæ derogare potuit legi ecclesiasticæ per *c. fin. de consuet.* at circa fulicas est consuetudo tantum a quibusdam attentata, non vero uniformiter ab omnibus introducta, & recepta; & consequenter non excusat per se a peccato. Cum ergo multi damnent ejusmodi consuetudinem, tanquam abusum sancto jejunio contrarium, hi, qui affirmant esse usum licitum, debebunt probare in judicio contradicto consuetudinem istam legitime instar juris fuisse introductam. Sic enim consuetudo, de cujus honestate dubitatur, probanda est, *l.* 34. *ff. de LL.*

3. Q. III. *An lege universali Ecclesiæ in quadragesima prohibeantur lacticinia?* puta ova, butyrum, lac, & caseus. ℞. Affirmative: ita S. Gregor. I. relatus in *can. fin. d.* 4. de jejunio quadragesimali ad Augustinum Anglorum Episcopum, scribens: *par est*, inquit, *ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus: a lacte videlicet, caseo, & ovis.* Eidem sententiæ ex antiquissimo Ecclesiæ usu subscribunt DD. cum Sancto Thoma 2. 2. *q.* 147. *ad* 3. dicente: *in quolibet jejunio interdicitur esus carnium: in jejunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia.* Quo facit propositio 32. ab Alex. VII. damnata: *non est evidens, quod consuetudo non-comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget.* Talis autem consuetudo ex origine sua est universalis pro tota Ecclesia, exceptis quibusdam locis præsertim in Germania, ubi vel ex privilegio, vel potius ex contraria consuetudine derogatum est generali consuetudini, & usus lacticiniorum permissus, ita suadente necessitate, eo quod defectus sit olei, ac piscium. Ab hac communi doctrina recedit Sbogar *v. jejunium n.* 10. asserens præceptum abstinendi ab ovis, & lacticiniis esse speciale Italiæ: sed hoc solide probandum fuisset, & non ex eo solum, quia in Germania observatur contrarium ex consuetudine particulari: nam hæc non tollit præceptum generale Ecclesiæ, neque ex universali facit particulare, sed tantum præcepto generali derogat in illis locis, ubi usus lacticiniorum legitime introductus est. Sic præceptum negativum non celebrandi missas ante auroram non desinit esse universale per hoc, quod in Germania ante auroram missas celebremus: & idem dic de omnibus Ecclesiæ præceptis, quibus per particulares consuetudines in certis locis derogatur, cum consuetudo instar legis suum territorium non egrediatur. Tum quia, si hoc præceptum esset speciale Italiæ, S. Gregorius non præcepisset illud observari in Anglia, neque hodie extra Italiam observandum foret, quod sane manifeste falsum est: tum quia *canon.* 56. ex Trullanis, qui nec rejectus, neque ut suspectus in controversiam unquam tractus est, expresse statuit, *ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat, & abstineat, sicut ab omni mactabili*, seu carne animalium, *sic & ab ovis, & caseo, quæ quidem sunt fructus, & fœtus eorum a quibus abstinemus.* Unde dictus P. Sbogar male pro sua sententia citat P. Laymannum, cum is *libr.* 4. *tr.* 8. *cap.* 1. *nu.* 3. expresse contrarium doceat his verbis: *Discrimen illud, quod esus carnium omnibus diebus jejuniorum, & abstinentiæ: ovorum vero, & lacticiniorum in sola quadragesima prohibeatur, est secundum legem communem Ecclesiæ; ideoque in noviter ad Evangelium Christi conversis nationibus introducendum.* Quæ doctrina sana, & recepta est.

4. Q. IV. *An dispensatus ad carnes comedendas sit hoc ipso dispensatus ad alteram refectionem integram?* ℞. 1. Si dispensatio facta est ex causa impotentiæ, aut infirmitatis, ita ut quis probabiliter insufficiens credatur ad jejunandum, dispensatus ad carnes ex benigna interpretatione, censetur etiam dispensatus ad plures integras refectiones: ita Cajet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 8. *in commentar.* Less. Tolet. Laym. Bonac. & alii: nam ratio motiva suadet extensionem talis dispensationis, cum petita sit ad vires debiles sustinendas.

5. ℞. 2. Si dispensatio facta est ex alia causa, v. g. ex nausea, & horrore, vel ex defectu piscium, dispensatus ad carnes, non censetur dispensatus ad duplicem integram refectionem: ita Laym. *l. c. cap.* 3. *n.* 8. Medina, Cajet. Nav. Lessius, Reginal. Saa, Bonacin. & plures alii contra Azor. Filiuc. Sbogar &c. Prob. 1. Dispensatio, cum sit vulnus legis, & exorbitans a Jure communi, stricte est interpretanda, & non extendenda a casu ad casum, præsertim diversum juxta vulgata jura *l.* 14. 26. *& seqq. ff. de LL. c.* 9. *de privil.* ergo dispensatio ad esum carnium, utpote odiosa, & juri Apostolico contraria, non debet extendi ad casum diversum, scil. duplicis integræ refectionis. 2. Præceptum negativum abstinendi a carnibus, & præceptum affirmativum sumendi unam tantum refectionem, sunt duo præcepta longe diversa, & separabilia, ut patet in Dominicis quadragesimæ, & respectu adolescentium, annum 21. non excedentium, ubi duplex refectio admittitur, non tamen esus carnium, ergo dispensatus in uno ex his præceptis, non censetur dispensatus in altero. 3. Ideo dispensatus ad esum carnium non tenetur lege jejunii quoad unicam refectionem, quia abstinentia a carnibus est de essentia jejunii, qua sublata, tollitur præceptum jejunandi, sed hæc ratio nulla: nam de essentia jejunii non minus est unica refectio, quam abstinentia a carnib. & tamen dispensatus ad duplicem refectionem, non per hoc dispensari censetur ad esum carnium, & consequenter obligatus manet ad partem præcepti servandam; ergo pariter dispensatus ad esum carnium, tenetur lege jejunii quoad alteram partem præcepti, seu quoad unicam refectionem. *Ratio* est, quia in præceptis, & obligationibus moralibus, quæ habent materiam divisibilem, si præceptum integraliter servari non potest, servari debet quoad partem agenti possibilem, non attenta subtilitate metaphysica, an hoc, vel illud sit de essentia rei; cum in moralibus sæpe corruat essentia totalis, & tamen obligatio remaneat respectu unius, vel alterius partis, ergo dispensatis carnibus, licet corruat essentia totalis jejunii ex pluribus partibus integrata, tamen remanere potest obligatio ad unam partem servandam, nisi & hæc relaxetur. Ant. prob. ab innumeris instantiis moralibus: 1. De essentia horarum canonicarum sunt septem horæ præfixæ, & tamen dispensatus, v. g. a matutino obligatur reliquas horas dicere. 2. Christianus obligatur sanctificare diem festum negative per omissionem laboris servilis, & affirmative per auditionem missæ, & tamen dispensatus in alterutro non censetur per se dispensatus in altero. 3. Beneficiatus curatus obligatur residere, & recitare breviarium, & tamen dispensatus in uno non censetur dispensatus in altero, & sic in aliis passim occurrentibus. Prob. deni-

que

que hoc ultimo argumento: stat cum esu carnium præceptum unicæ refectionis: nam comedentes carnem testudinum, aut lutrarum obligantur ad unicam refectionem, imo si alicubi per consuetudinem liceret vesci, v. g. volatilibus, adhuc obligatio maneret ad servandam unicam refectionem, quam etiam servare tenentur hispani, & alii populi, qui ex animalibus armos, pedes, intestina, aut alias portiones carneas comedunt; uti & Germani comedentes ova in quadragesima, ergo esus carnium non tollit alterum præceptum unicæ refectionis, sed recte cum eo componitur. Hæc doctrina maxime procedit in casu, quo Episcopus ex causa publica, v. g. defectu piscium, in tota diœcesi dispensat esum carnium; tunc enim solida ratio non suadet dispensationem istam trahi ad duas refectiones.

☞ *Bened. XIV. in litteris ad omnes locorum Ordinarios* - Non ambigimus - 30. *Maii* 1741. *&* - In suprema - 22. *Augusti ejusd. ann. decernit.* I. *Dispensationem a jejunio quadragesimæ, aliorumque anni temporum, & dierum, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum usus est prohibitus, nemini concedendam esse sine legitima causa, & consilio utriusque medici.* II. *Universitatibus vero sine gravissima, & urgente necessitate, ac in casibus per Sac. Canon. statuta præscriptis, recensitis in Constitut.* Libentissime - 10. *Junii* 1745. *obtenta prius quoad jejunium quadragesimale Sedis Apostol. facultate toties, quoties opus fuerit.* III. *Nec aliter in utroque casu concedendam, quam sub binis conditionibus, videlicet, unicæ in die comestionis, & non permiscendarum epularum licitarum cum interdictis: quas equidem conditiones sub gravi præcepto servandas esse, tam a concedentibus, quam ab ea utentibus, declaravit in Epistola* - Si fraternitas *ad Archiep. Compostella* 8. *Julii* 1744. *cujus tenorem cum omnibus declarationibus in ea contentis ad Ecclesiam universalem extendit in cit. Constit.* Libentissime. IV. *Utentes facultate vescendi carnibus in vespertina refectiuncula, teneri eo vesci cibo, eaque portione, quibus utuntur jejunantes recta, & meticulosa conscientia.* V. *Teneri etiam servare horam jejunantibus præscriptam.* VI. *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas; interdictas vero, esse pisces, qui tamen non interdicuntur utentibus facultate adhibendi tantum ova, & lacticinia.* VII. *Hoc præceptum non permiscendarum epularum complecti dies quoque Dominicos quadragesimales.*

Juxta communiorem, & magis rationi consentaneam opinionem non est in ordinaria Episcopi potestate dispensare in sua diœcesi, ut jejunium in ultimum bachanaliorum sabbatum anticipetur, quoties vigilia S. Matthiæ in eorumdem bacchanaliorum diem postremum incidit, at ex Epist. encycl. ejusdem Pontificis ad Ordinarios Ditionis Ecclesiast. 30. *Januarii* 1751. ☜

6. Q. V. *An peregrinus, v. g. Germanus, cui in sua patria licitum est ovis, & lacticiniis vesci in quadragesima, possit iisdem vesci in Italia, ubi viget lex non comedendi ova, & lacticinia?* Affirmat Sbogar *V. jejunium nu.* 10. ex ea ratione, quia præceptum non comedendi ova in quadragesima est speciale Italiæ, peregrini autem legibus particularibus locorum non obligantur. Bassæus *Verb. Lex III. n.* 5. licet ex professo hanc quæstionem non tractet, tamen pro assertione, quod peregrini legibus particularibus locorum non obligentur, ponit exemplum de Germanis, quod transeuntes Italiam, ovis, & lacticiniis vesci possint. Sed quia fundamentum hujus doctrinæ supra rejeci, ostendens *n.* 3. præceptum abstinendi ab ovis, & lacticiniis in quadragesima esse universale pro tota Ecclesia, licet in quibusdam locis ei derogatum sit, ideo ad propositam quæstionem. ℟. Negative. Prob. 1. Peregrini obligantur legibus universalibus Ecclesiæ, ubi leges istæ vigent, ut expresse asserit Bassæus *loc. cit.* & communis tenet ex *c.* 1. *de Constit.* sed lex non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima est lex universalis Ecclesiæ, ut supra *n.* 3. probavi; ergo peregrini hac lege obligantur in omni territorio, ubi talis lex viget, & conf. cum vigeat in Italia, Germanus tenetur eam observare. 2. Consuetudo particularis pro certo territorio introducta, præsertim si sit odiosa, & juri communi contraria, non egreditur fines territorii, sicut nec lex particularis *c. fin. de const. in* 6. sed consuetudo comedendi ova est particularis pro territorio Germaniæ introducta, estque odiosa, & juri communi contraria; ergo non egreditur fines Germaniæ, & conf. vi talis consuetudinis Germanus in transitu Italiæ non potest comedere ova in quadragesima, cum sit extra territorium privilegiatum. 3. Consuetudo, vi cujus Græci comedunt carnes die Sabbati, & eodem die in quadragesima non jejunant, non porrigitur ultra eorum territorium, ut declaravit Clemens VIII. Constit. 34. *tom.* 3. *Bullar.* incip. *Sanctissimus Dominus* 31. *Aug.* 1595. ubi etiam declarat, quod Græci existentes inter latinos, dies festos de præcepto ejusdem latinæ Ecclesiæ servare teneantur; ergo etiam consuetudo Germaniæ utpote localis, & territorialis non suffragatur Germanis per Italiam transeuntibus, ut ibi in quadragesima ova, & lacticinia comedere possint. Hinc Fagnanus, & alii Canonistæ passim docent, quod consuetudines locales de loco ad locum non sint trahendæ. Idem dic de privilegiis localibus. 4. Tota ratio, cur peregrini non obligentur legibus particularibus locorum, est defectus jurisdictionis in peregrinos; sed hæc ratio cessat in nostro casu: nam Papa jurisdictionem habet in omnes fideles, & conf. lege sua omnes obligat ubicumque existentes, excepto illo territorio, ubi talis lex non observatur; ergo cum lex non-comedendi ova sit papalis, & in Italia vigeat, obligat omnes etiam transeunter in Italia existentes; siquidem lex ista neminem excipit. Ex hac doctrina sequitur 1. Quod sacerdos germanus vi consuetudinis Germaniæ non possit aliquot horis ante auroram celebrare in Italia, nec Clerici Boemi (qui ex privilegio Boemiæ dato; vel ex diuturna consuetudine breviarium dicere possunt sub uno nocturno per totum tempus paschale) isto privilegio locali uti possint extra Boemiam. *Sequitur* 2. Quod mediolanenses extra Mediolanum existentes quatuor diebus ante Dominicam quadragesimæ jejunare teneantur, licet in patria sua soluti sint tali jejunio; & castellanus transiens per Lusitaniam non possit more suæ patriæ intestinis animalium vesci die sabbati *Sequitur* 3. Quod sponsi, in quorum patria Tridentinum non observatur, accedentes ad locum ubi viget Trid. invalide sine Parocho, & testibus contrahant matrimonium: tum quia recidunt in locum gravatum tali lege; tum quia in contrahendo tenentur sequi leges loci, cum ratione contractus forum sortiantur *c. fin. de for. comp.* Pro hac sententia stant Medina 1. 2. *q.* 96. *ar.* 5. Henriq. & plures alii, quibus adhæret Gabriel Beatus S. J. in colleg. Rom. Theol. Moral. Prof. *q.* 5. *de LL. n.* 28.

7. Obj. 1. Ex probabiliori sententia peregrini non obligantur legibus particularibus locorum, ergo nec jure communi, si hoc in eorum patria non obversatur: & ideo Doctores plerumque id exemplificant in Germanis, quod tempore quadragesimæ trafeuntes Italiam, ovis vesci possint. 2. Tunc aliquis obligatur legibus, dum sortitur forum loci; sed Germanus præcise transeundo Italiam, non sortitur ibi forum ex vulgata *l.* 19. §. 2. *ff. de judic.* ergo nec obligatur lege abstinendi ab ovis, & lacticiniis. 3. Germani transeundo Italiam sine ullo scrupulo comedunt ova, & lacticinia, atque ita ipso usu interpretantur legem communem, quod eos neque extra patriam obliget ad abstinentiam ovorum, & lacticiniorum tempore quadragesimæ. 4. Prilegium locale, soloque Germaniæ cohærens ita intelligendum est, ut eo gaudeant omnes incolæ *vere*, seu physice, & *ficte*, seu moraliter præsentes, seu qui in jure habentur pro præsentibus; sed Germani præcise transeuntes per Italiam fictione juris habentur pro præsentibus in sua patria, nam qui cito reversuri sunt, non censentur abesse. Trid. *S.* 23. *c.* 1. *de refor.* ergo: ita punctum hujus difficultatis tangit, & hoc modo privilegium locale explicat Sanchez vir in materia morali excellentis auctoritatis *l.* 3. *de Matr. Disp.* 18. *nu.* 7. cum alii DD. loquantur de legibus particularibus locorum, & consequenter allegari non possint pro hoc dubio concernente jus commune.

℟. *Ad* 1. Neg. con. nam jus commune afficit omnes fideles, & omnia loca, ubi contrarium non observatur; at jus particulare afficit solum incolas in certo territorio existentes. *Ad* 2. Vicario Christi tota Ecclesia est pro territorio, & consequenter respectu le-

gis Pontificiæ quilibet fidelis in quolibet loco sortitur forum. *Ad* 3. Usus iste difficulter probari potest: nam Itali transeuntibus Germanis non facile in quadragesima dant ova, & lacticinia: imo expertus sui cauponibus sub pœna excommunicationis prohibitum fuisse, ne peregrinis illo tempore darent ova: quæ prohibitio potissimum videtur procedere de illis, qui in patria sua consueverunt uti ovis, & lacticiniis; cum alii non facile sint petituri ejusmodi cibos a carne derivatos. Ignorantia tamen, & bona fides plerosque Germanos contrafacientes excusat a peccato. *Ad* 4. Fictio ista pro præsenti casu nullo jure expressa est, & conf. a privatis introduci non debet ob similitudinem beneficiati, qui ex causa absens, habetur pro præsenti in suo beneficio. Multas quidem fictiones in utroque jure reperimus, quod absens quoad ea, quæ geruntur, vel gesta sunt in patria, habeatur pro præsente in eadem; sed quod lex, vel consuetudo territorialis trahatur ad aliud territorium non facile in jure reperietur. Sic consuetudo, alicubi vigens, legendi libros prohibitos non suffragatur Germano illos legenti in Italia. His non obstantibus, si Sedes Apostolica non prohibet, judico oppositam sententiam, secluso scandalo in praxi tutam esse, præsertim in casu arduo; ut si Germanus comedere nequeat cibos oleo confectos, vel sine ovis, & lacticiniis difficulter iter suum peragere possit. Cetera de jejunio vide in juribus supra citatis, & passim in Auctoribus.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post partum.

Lex Divina circa purificationem puerperæ habetur in *Levit. c.* 12. & in decreto *dist.* 5. *per totum*. Sed lex ista, utpote cæremonialis, hodie non obligat mulieres, præsertim quoad determinationem dierum, *cap. un. h. t.*

1. Q. I. *An hodie licite observetur lex purificationis*? ℞. Affirmative: nam licet cæremoniæ typicæ veteris testamenti mortuæ sint, & simul mortiferæ, ut eas observare sit peccatum, uti est circumcisio, agnus paschalis &c. attamen cæremoniæ religiosæ pure ob decentiam introductæ non sunt mortiferæ, sed honeste servari possunt; cujusmodi etiam est purificatio mulieris post partum.

2. Q. II. *An purificatio post partum spectet ad proprium Parochum privative*? ℞. Affirmative: ut sæpius declaravit S. Congr. Conc. teste Pignatell. nam benedictio ista post partum est quoddam accessorium baptismi; fitque cum super pelliceo, & stola, & cum oblatione candelæ: cujusmodi actus, & oblationes de jure communi spectant ad Parochos, non vero ad Regulares; nisi consuetudo aliud habeat, sicut Bononiæ, & in quibusdam majoribus civitatibus. Nec obstat, quod benedictio ista fiat ex pura devotione: nam plures actus, qui ex devotione fiunt, privative spectant ad proprium Parochum, ut benedictio nuptiarum, domorum, ovorum &c.

☞ *Sac. Rituum Cong., approbante Clem. XI.* 12. *Jan.* 1704., *ad dubium VI. loco sibi propositum inter alia ab eadem resolvenda*. An benedictiones mulierum post partum, Fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, & similium sint de juribus mere Parochialibus, respondendum esse censuit. Ad VI. negative: sed benedictiones mulierum, & fontis baptismalis fieri debere a Parochis.

Nota. *Benedictionem hujusmodi, non esse quidem de juribus Parochialibus; sed annumerandam esse inter functiones Parochiales, quæ tamen non spectant privative ad Parochum, ut probat Benedict. XIV. Institut. Ecclesiast.* 105. ☜

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, & reparandis.

Agitur de hac materia sparsim in *dist.* 1. *de consecr.* in Trid. *S.* 21. *c.* 7. *de refor.*

1. Q. I. *Quid requiratur ad ædificationem novæ Ecclesiæ*? ℞. 1. Consensus Superioris Ecclesiastici: & quidem Papæ in loco exempto: Episcopi vero in loco non exempto; etsi exempti in eo loco ædificare velint, *c.* 4. *v. inhibemus de privil. in* 6. alioquin ædificatum acquiritur Episcopo, *c.* 14. *de privil.* Non obstant *Can.* 33. *&* 35. *de consecr. d.* 1. nam procedunt de oratoriis privatis. In dubio præsumitur consensus Episcopi, qui tacitus sufficit, dum is sciens ædificari Ecclesiam, non contradicit. Porro si Episcopus sine justa causa deneget consensum, a majori Superiore compelli potest ad eum præstandum; nisi Papa per se illum supplere velit, cum Episcopus tali modo non satisfaciat officio suo. Justa autem causa denegandi consensum est, v. g. defectus dotis necessariæ *Can.* 9. *de consecr. d.* 1. si ædificatio fiat in præjudicium aliarum Ecclesiarum, maxime Parochialis *Can.* 44. *quicumque* 16. *q.* 1. vel quæstus causa *Can.* 10. *de consecr. d.* 1. sola vero diminutio concursus non attenditur, & ex hac causa agentes Parochi nihil agunt, Monacell. Matthæucc. & alii. 2. Requiritur dos competens, de qua in *seq. q.*

☞ *Licet Regulares ex antiquo jure cap.* Auctoritate 27. *de Constit. possent de licentia Episcopi Missæ Sacrificium celebrare in privato oratorio sito in eorum domibus ruralibus destinatis pro animi recreatione, vel pro cultura agrorum, post Trident. tamen ibidem celebrare nequeunt absque peculiari indulto. Sed Apostol. ex Decreto Cong. Conc.* 1. *Mart.* 1687. *relato a Card. Petra tom.* 2. *comment. ad Const.* 8. *Honorii III. sect. un. n.* 51. *& seqq.* ☜

2. Q. II. *An intra fines Ecclesiæ Parochialis erigi possit alia Ecclesia Parochialis*? ℞. I. Affirmative; dummodo adsit justa causa, & sufficiens numerus Parochianorum, scil. 10. familiæ, *c.* 2. *& fin. h. t.* Justa autem causa est difficilis accessus ad Ecclesiam Parochialem, pro recipiendis Sacramentis, & audiendis divinis; ut si magna sit distantia, via præsertim in hyeme impracticabilis, flumen medium, quod pontem non patitur, multæ familiæ extra mœnia civitatis, multitudo leprosorum &c. sola autem multitudo Parochianorum plerumque non sufficit, quia his aliter provideri potest per additionem coadjutoris, ut respondit S. Congr. conformiter Trid. *S.* 21. *c.* 4. *de refor.*

3. ℞. II. Licet ob causam justam, & publicam nova Ecclesia Parochialis erigi possit, etiam invito priori rectore, & patrono *c.* 3. *h. t.* tamen regulariter requiritur consensus matricis Ecclesiæ, & patroni, *ibid. & Can.* 9. *de consf. d.* 1. ita ut competens honor ei servetur, v. g. ut Ecclesia nova annuam pensionem præstet matrici, vel ei relinquat sepulturam &c. Quod totum relinquitur arbitrio Episcopi cum consensu capituli; nisi Ecclesia sit exempta, quo casu non est necessarius consensus capituli, Trid. *S.* 21. *cap.* 4. *de reform.*

4. ℞. III. Jus patronatus novæ Ecclesiæ ei acquiritur, qui illam fundavit, vel ædificavit, vel dotavit; adeoque si matrix Ecclesia hæc tria, vel unum ex illis præstitit, præsentatio pertinebit ad rectorem matricis Ecclesiæ, *c.* 3. *h. t.* Quod si alius dotare nolit, tunc dos ex redditibus matricis Ecclesiæ per Episcopum assignanda erit: tum ex subsidio Parochianorum, & domini territorialis, Trid. *l. c.* his deficientibus, succurret Episcopus ex redditibus suæ mensæ *c. fin. h. t.* secus rector more Apostolico vivet ex labore manuum suarum *Can.* 3. *d* 91.

5. ℞. VI. Initio ædificandæ Ecclesiæ Episcopus per se, vel per alium Domini Crucem figit, atrium designat, lapidem primarium ponit, *c.* 5. *de consecr. d.* 1. & ex recepto usu jubet Ecclesiam erigi in formam navis oblongam, ita ut altare summum respiciat orientem versus, quod hodie non servatur, sed potius ratio habetur commoditatis loci, & fabricæ.

6. Q. III. *Quid juris circa reparationem Ecclesiæ*? ℞. 1. De jure communi Ecclesia reparanda est ex propriis redditibus ad fabricam deputatis, *Can.* 10. *decernimus* 10. *q.* 1. *& Can.* 1. *cum seqq.* 10. *q.* 3. Quod si Ecclesia tales redditus non habeat, tunc ad illius reparationem concurrere debent beneficiati, patroni, & quicumque alii aliquos proventus ab Ecclesia habentes: tum Parochiani; & tandem si Ecclesiæ lapsæ succurri nequeat, jura illius transferenda sunt in vicinam Ecclesiam, cum facultate Ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi: ita de jure novo Trid. *S.* 21. *c.* 7. *de refor.*

Si

Si vero patronus ab Ecclesia nihil percipiat, attento jure comm. non tenetur speciali titulo ad ejus reparationem, ne beneficium sit ei onerosum. Nec obstat *cit. Trid.* quia loquitur de patronis aliquos fructus ab Ecclesia percipientibus. Huic juri comm. prævalet consuetudo, & pacta specialia, quæ circa reparationem Ecclesiæ observanda erunt, ita ut patronus, talis consuetudo sit, teneatur illam reparare; etsi ab ea nullos fructus percipiat.

7. ℞. 2. In decimatoribus servatur ordo, ut pro reparanda Ecclesia deputentur decimæ novalium; tum illæ, quæ ultimo loco ab Ecclesia avulsæ sunt: tandem devenitur ad decimas laicales, si cum tali onere sunt translatæ: alioquin decimatores laici, præsertim si decimas titulo oneroso obtinuerunt, regulariter non tenentur ad reparationem Ecclesiæ; cum decimæ istæ, ita separatæ vim habeant patrimonii profani. Ipsi vero Parochiani, in casu, quo vocantur ad reparationem Ecclesiæ, contribuere debent secundum proportionem facultatum, sicut ad alia opera publica, licet usus sit communis diviti, & pauperi, v. g. in foro, platea &c. *l. 12. de operib. publ.*

8. ℞. 3. Ad reparationem Ecclesiæ cathedralis, seclusa consuetudine, tenetur solus Episcopus ex quarta suorum redditũum, *Can. 27. quatuor 12. q. 2.* tum compellendi sunt Canonici, & alii beneficiati: vel Episcopus cum capitulo reservare potest fructus vacantium beneficiorum. Hæc omnia proportionaliter servandam sunt in necessaria ampliatione Ecclesiæ, dum ista populum capere nequit.

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

Agitur de his in Sexto, Clementinis, & Extrav. comm. *h. t.* in Decreto *Can. 5. & seqq. d. 87. & d. 97. & Can. 7. cum seqq. 2. q. 1. & 17. q. 4. & 23. q. 8.* in Trid. *sess. 22. in decreto: quanta & sess. 25. c. 20. de ref.* in Codice Justin. *l. 1. tit. 2. & 12. 25.* Item *tit. ff. & C. de relig. & per arg. ex tit. ff. de vacat. muner. & de jure immunit. in libr. 50.* & in Codice *lib. 10. tit. 40. & seqq. Nov. 17. c. 7.*

1. *Nota* 1. In omni republica dari *munera*, & *honores*: *munus* est officium privati hominis sine gradu dignitatis, ex quo commodum in rempubl. dimanat; ac proinde in omni munere continetur onus. *l. 14. §. 1. & seqq. ff. de munerib. l. 239. §. 3. ff. de V. S. Honor.* est administratio Reipubl. cum dignitatis gradu, sive cum sumptu, sive sine erogatione contingens, *cit. l. 14. pr.* Sunt autem *munera*, seu *onera* triplicia: *Personalia*, quæ personis subditis imponuntur sine ullo respectu ad bona eorum, ut tutela, cura, procuratio annonæ, capitatio &c. *Patrimonialia*, seu *Realia*, quæ imponuntur intuitu bonorum, seu rerum, non attenta personæ qualitate. *Mixta*, quæ partim personis, partim rebus imponuntur, ut ire ad bellum propriis sumptibus. Divisio ista habetur *l. fin. ff. de munerib.* ubi plura de his legi possunt.

2. *Nota* 2. Immunitatem esse contrariam muneri; & definiri, quod sit exemptio a munere, seu onere, quo reliqua communitatis membra gravantur. Et quamvis nonnulli immunitatem a privilegio distinguant per hoc, quod immunitas competat universitati personarum, rerum, vel locorum; privilegium vero uni, vel alteri personæ, hæc tamen differentia non habet fundamentum in jure; cum etiam particulari personæ immunitas concedi possit *t. fin. §. 29. ff. de munerib.* Melior videtur illa differentia, quod privilegium latius pateat, & in quacumque materia juris concedi possit; immunitas vero coarctetur ad libertatem, seu exemptionem a communibus muneribus; atque ita sit species privilegii. Porro in jure Can. immunitas Ecclesiastica est jus singulare, quo personæ, loca, & res, seu patrimonia Ecclesiastica eximuntur a communibus oneribus, seu muneribus: ac proinde est triplex: *Personis*, quæ personis Ecclesiasticis: *Localis*, quæ Ecclesiis, & locis sacris: & *Patrimonialis*, seu *Realis*, quæ patrimonio, seu bonis Ecclesiarum, ac Clericorum conceditur.

§. I.

De Immunitate Ecclesiastica personali, & reali.

3. Q. I. *In quibus consistat immunitas personalis Clericorum?* ℞. In seqq. 1. in privilegio fori, & exemptione ab obligatione legum civilium, ut suis locis dictum. 2. In privilegio Canonis, de quo *lib. 5. tit. de sentent. excom.* 3. In exemptione a muneribus personalibus, & de hac in præsenti. Unde ℞. 1. Clerici immunes sunt: 1. A muneribus *sordidis*, statum Clericalem dedecentibus, ut purgare stabula: item a muneribus *honorificis*, ut regere civitatem; & *indifferentibus*, ut agere tutorem, curatorem, nisi sponte ob causam rationabilem ea suscipere vellent, *l. 1. 2. & seqq. l. 50. C. de Episc. & Cler.* ne scil. per talia munera a suis spiritualibus officiis, & meditationibus avocentur. 2. A tributis personalibus, uti est capitatio, vectigalibus, teloniis, aliisque exactionibus; uti etiam ab angariis, & parangariis, seu operis publicis, & servitiis, quæ ob aliquam necessitatem imponuntur, *l. 1. 2. auth. item nulla C. de Episc. & Cler.* ubi fusius ista legi possunt, *c. 4. h. t. c. 1. eod. in 6.*

4. Q. II. *An, & quæ res Ecclesiasticæ gaudeant immunitate reali, seu patrimoniali?* ℞. 1. Loca sacra, ut Ecclesiæ, cæmeteria: item vasa sacra, & aliæ res ad cultum divinum destinatæ, gaudent immunitate ab omni seculari onere, cum sint extra commercium humanum *l. 1. pr. ff. de divis. rer.* nullumque habeant usum pretio æstimabilem.

5. ℞. 2. Bona dotalia, seu patrimonialia Ecclesiarum, si libera ad Ecclesias pervenerunt, immunia sunt ab omnibus operibus, & tributis laicalibus *c. 1. de censib. c. 4. h. t.* ita ut nova onera eis imponi nequeant, cum subtracta sint jurisdictioni principis secularis, *c. 1. h. t. in 6. Auth. item nulla C. de Episc. & Cler.* At si gravata erant oneribus antiquis realibus ex causa dominii, aut pacti impositis, & ita pervenerunt ad Ecclesiam, hæc non est immunis ab istis oneribus, quia res cum suo onere transit, *c. 5. de pignorib.* secus si onera imposita erant ex vi jurisdictionis tantum: tunc enim, sicut res eximitur a jurisdictione laicali, ita quoque ab oneribus jurisdiction. *c. 1. h. t. in 6.* Neque per hoc fit injuria principi, quia nemo tenetur bona sua relinquere sub jurisdictione principis, sed libere potest de iis disponere, donando ea Ecclesiis, & piis causis. His non obstant *Can. 27. si tributum 11. qu. 1. Can. 22. tributum 23. q. 2.* nam procedunt vel de antiquis oneribus realibus, vel de tributis dandis ex consensu Episcoporum pro necessitatis casu, pace, & quiete, sicut etiam nunc ex licentia Papæ Clerici, & Religiosi tributa pendunt August. Imperatori. Jura autem civilia, si quid contrarium statuunt, non curantur, uti *l. 5. C. de SS. Eccles. l. 3. C. de Episcop. & Cler. &c.* Si autem princeps bona aliqua infeudavit Ecclesiæ cum certis oneribus, aut tributis, ista utique præstanda erunt, cum feuda cum his oneribus accepta sint ab Ecclesiis. Eadem doctrina proportionaliter applicanda decimis, & prædiis Ecclesiasticis, ex quibus ministri aluntur, *c. 10 de Const. c. 46. de sent. excom. c. fin. h. t. in 6.* Trid. *sess. 25. c. 20. de refor. Auth. item nulla C. de Episc. & Cler.*

6. Q. III. *An bona patrimonialia Clericorum gaudeant immunitate reali?* ℞. Affirmative *c. 4. h. tit. Clem. un. eod.* & Const. Urbani VIII. incip. *Romanus* 23. *Sept.* 1641. & sæpe decidit S. Congr. patrimonium Clerici esse exemptum instar bonorum Ecclesiasticorum ut patet ex Tricariensi, 14. *Nov.* 1603. *Ratio* est, quia res sequuntur conditionem personæ, & *quæ religiosis adhærent, religiosa sunt l. 43. ff. de R. V.* ergo sicut Clerici quoad suas personas sunt immunes ab oneribus personalibus, ita quoque quoad res suas ab oneribus, & tributis realibus; secus saltem indirecte ratione rerum subderentur potestati, & jurisdictioni seculari. Neque hic audienda est glossa marginalis in *c. 4. de censib. in 6.* ubi excipit *res patrimoniales*, nam exceptio ista violenta est, & repugnat universalitati textus *d. c.* aliorumque jurium mox citatorum: tum quia tributa realia imponuntur vi jurisdictionis, & præstantur in signum subjectionis, *c. 2. de censib. ex Rom. 13. v. 6. Subditi estote, ideo enim tributa præstatis,* sed Clerici

non sunt subditi jurisdictioni laicæ, ergo non tenentur præstare tributa ex rebus suis. At tributa antiqua realia jure dominii particularis imposita, v. g. vi contractus emphyteutici, feudalis, censualis, & hujusmodi, omnino a Clericis solvenda sunt, quia res cum onere suo transit. Non tamen tributa antiqua vi jurisdictionis a principe olim imposita, cum res exempta a jurisdictione, in consequentiam etiam eximatur a tributis, ratione jurisdictionis impositis, ut supra dixi ex *c. 1. h. t. in 6.* Oppositum non improbabiliter insinuat Engl a *n. 26.* existimans, Clericos non videri exemptos ab illis tributis antiquis, ordinaria lege ab antiquo cuique fundo impositis ad sustentationem principis. Vide Laym. *lib. 4. tr. 9. c. 6.*

7. ℞. 2. In casu necessitatis communis privatæ, quæ privatum singulorum commodum respicit, tenentur Clerici pro rata concurrere, ut sæpius respondit S. Congr. Immun.: nam talia tributa non exiguntur via jurisdictionis, sed via æquitatis naturalis, ut qui sentit commodum, etiam sentiat onus. Quod si autem Clerici nollent contribuere, non per laicum, sed per Superiorem Ecclesiasticum cogendi sunt. Casus hujusmodi necessitatis esse possunt, v. g. munitio ripæ contra vim fluminis, fossa eruenda pro recipiendis aquis tempore exundationum, cisterna fabricanda pro aqua communi, maxime si necessaria sit ad incendia arcenda, via lapidibus sternenda ante singulorum domos &c. At contra in casu necessitatis publicæ, quæ principaliter respicit commoda totius reipublicæ, Clerici regulariter nihil tenentur contribuere, v. g. pro bello, viis publicis, pontibus, palatio principis &c. *c. 4. 7. h. t.* nam nullo titulo ad id tenentur, non titulo jurisdictionis, quia ab hac exempti sunt; non titulo civitatis, aut pacti taciti, quia Clerici sunt membra privilegiata civitatis, ut neque tacite censeantur se obligare ad talia tributa; non denique titulo commodi, quia commodum istud, quod ex publica felicitate sentiunt, abunde compensant per sua obsequia spiritualia.

8. R. 3. In casu communis, & gravis necessitatis, cui per laicorum facultates succuri non potest, Clerici de æquitate naturali obligantur aliquid contribuere, servata tamen forma Conc. Lateran. *c. 4. h. t.* puta, ut contributio ista fiat sponte a Clero absque ulla coactione per laicos facta, ut Episcopus cum Clericis, seu Canonicis suis deliberet, an, & quantum contribuendum sit, & ut desuper consulatur Rom. Pontifex, nisi periculum esset in mora: quo casu prima gabella solvi posset absque recursu ad Papam; pro ceteris vero solvendis, recursus iste est necessarius; secus Clerici non tenebuntur contribuere. Tunc autem dicuntur *facultates laicorum non sufficere*, dum laici etiam in particulari, salva sua honesta sustentatione, non sufficiunt ad sublevandum necessitatem, Reiff. Schmalz. & alii Insuper ex *c. 2. h. t.* Clerici in gravi hostilitatis periculo, dum laici non sufficiunt, videntur obligari ad vigilias murorum.

☞ *In Ditione pontificia pro negociis ad Ecclesiasticos pertinentibus in publicis consiliis quorumcumque locorum ex Constit. Bened. XIV.* Quamvis 29. *Jul.* 1752. *deputandi sunt duo Ecclesiastici, unus ex Clero seculari, alter ex regulari, & ambo ex seculari, si desint regulares, interpellandi toties, quoties per tractandum est aliquid ad ipsos pertinens, ut intersint in iisdem consiliis, cum suffragio consultivo dumtaxat; cum facultate tamen recurrendi, si laici contrarium resolverint. Si vero neglexerint interesse, non inde invalidum erit, quidquid in dictis consiliis decretum fuerit. Vocandi sunt etiam, quando redditur ratio expensarum, quæ ab iisdem Ecclesiasticis tolerantur, eisque communicandi in loco designato a Gubernatoribus, non vero tradendi libri computorum, cum facultate pariter recurrendi ad Superiores, si quid injustum in illis deprehenderint.*

9. Q. IV. *In quibus casibus princeps laicus exigere possit collectas a Clericis, & Ecclesiis?* ℞. In seqq. 1. Si habeat expressam licentiam Papæ. 2. Si ipse princeps dedit bona Ecclesiis, reservato sibi jure eisdem imponendi tales gabellas; vel si bona cum tali conditione infeudavit Ecclesiis. Id vero Princeps facere nequit, ut omnia prædia, in suo territorio sita, in perpetuum faciat tributaria ad quascumque manus pervenerint: nam hoc modo indirecte violaretur immunitas Ecclesiastica, & jurisdictio laica protenderetur ad prædia, quæ ad Ecclesias, & Clericos devoluta, non amplius continentur sub tali jurisdictione.

10. De excommunicationis pœna contra violatores Ecclesiæ immunitatis lata vide *c. 4. 7. h. t. c. fin. eod. in 6. Clem. un. h. t.* qua corrigitur *cap. 3. h. t. in 6.* item vide *Clem. fin. de censib. & casum* 18. Bullæ Cœnæ de quo dixi supra *tit. de censib. in fin.* Nec contra agentes excusantur consuetudine; tum quia tali consuetudini perpetuo resistit jus Can. tum quia immunitas ista est juris divini, cui consuetudo prævalere non potest, *c. fin. de consuetud.* Taciturnitas autem Papæ non habetur pro consensu, sed pro patientia ad majora mala evitanda. Vide Laym. *l. 4. tr. 9. c. 6. & seqq.*

§. II.

De Immunitate Ecclesiastica locali.

Immunitas ista consistit potissimum in duobus: 1. Quod in locis sacris certi actus fieri prohibeantur. 2. Quod in eis confugientes reperiant asylum, ut inde extrahi nequeant.

11. Q. I. *Qui actus in Ecclesiis, seu locis sacris fieri prohibeantur?* ℞. 1. Omnia *placita secularia*, h. e. actus judiciales cum strepitu forensi; ita ut omnia acta, judicis, vel arbitri laici sint ipso jure nulla *c. 2. in fin. h. t. in 6.* & quidem judicium sanguinis prohibetur in Ecclesia, aut cæmeterio exerceri sub interminatione anathematis, seu excommunicationis saltem ferendæ, *c. 5. h. t.* quæ tamen pœna non extenditur ad exercentes judicia civilia. In domo autem Ecclesiæ propria, cum licentia Prælati judicia secularia exerceri possunt, cum id non prohibeatur. Judicia quoque Ecclesiastica absolute in Ecclesia fieri possent, sed decentius in palatio Episcopali, vel alio honesto loco expediuntur, *Can. fin. 2. q. 2. & c. 25. de appell.* ibi: *non in Ecclesia*. 2. Prohibentur in Ecclesia fieri concilia politica, & parlamenta, vana, & profana colloquia, negotiationes, nundinæ, contractus seculares, qui tamen non irritantur; imo si in silentio fiant, excusantur a gravi culpa: ludi theatrales, nisi ob causam pietatis excusarentur, convivia, lusus profani, & alii actus a pietate alieni, qui cum reverentia templi non componuntur *c. 2. h. t. in 6.* Multi autem actus honesti permittuntur in Ecclesia, ut manumittere servos, tutores, aut curatores dare, prælegere lectiones scholasticas, præsertim Sac. Theologiæ, conferre gradum magisterii, disputationes celebrare &c. Venditio candelarum, quæ fit in cæmeterio, vel atrio Ecclesiæ ad promovendam devotionem fidelium, ex generali consuetudine cohonestatur.

12. ℞. 2. Non omnes actus peccaminosi, qui fiunt in Ecclesia, contrahunt specialem malitiam sacrilegii, sed tantum illi, qui ex determinatione legis Ecclesiasticæ specialiter contrariantur sanctitati loci, ut homicidium, effusio sanguinis, aut seminis humani, sepultura infidelis, aut fidelis excommunicati vitandi, quibus locus sacer polluitur, ut supra *tit.* 40. dictum. Item furtum, si res Ecclesiæ auferatur, vel persona quidem, sed templi custodiæ commendata, quo casu evadit, quasi res Ecclesiæ. An vero furtum sit sacrilegum eo casu, quo res profana per accidens est in Ecclesia, & tollitur, ut si fur alicui pecuniam ex sacco tollat, dubium est inter DD. affirmant Suar. Perez, & alii ex *Can. 22. quisquis* 17. q. 4. ibi *sacrilegium committitur, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro*. Negant probabiliter Victor. Fagund. Ant. de Spiritu Sancto ly *non sacrum de sacro* restringentes ad *non sacrum*, quod est proprium, vel commendatum Ecclesiæ. De pœnis furum sacrilegorum dicetur *tit. de furtis in lib. 5.* Ceterum contra eos, qui in Ecclesia peccant, vel exercent aliquos actus prohibitos, si specialis pœna non est a jure prodita, erit pœna arbitraria.

13. Q. II. *An, & quo jure jus asyli competat Ecclesiis?* ℞. Jus Asyli competit Ecclesiis, quidem probabilius jure humano, non vero naturali, & divino. I. pars patet ex *h. t. & tit. C. de his, qui ad Eccl.* II. pars est Covar. Zoes, Engl, Schmier, Reiff. cum citat. contra Farin. Decium &c. nam jus naturale, quod præcipit cultum divinum, & reverentiam

locis ſacris imponendam, non attribuit aſylum: tum quia malefactorem extrahere ex templo non eſt per ſe intrinſece malum, ſed medium bonum ad exercendam juſtitiam; tum quia extractio malefactoris de ſe non adverſatur cultui divino, & reverentiæ templis debitæ; ergo jure naturali non competit aſylum Eccleſiis. Non etiam jure divino ſcripto, aut tradito; quia de hoc plene non conſtat, cum præceptum veteris legis circa civitates refugii, utpote cæremoniale, aut judiciale, expiraverit per mortem Chriſti; & aliunde aſylum hoc non dabatur, niſi illis, qui præter intentionem deliquerunt *Exod.* 21. *v.* 13. *Deuteron.* 19. *v.* 4. *& ſeqq. Joſue* 20. *v.* 5. Reſtat ergo, ut dicamus aſylum iſtud competere Eccleſiis jure humano, tam Eccleſiaſtico, quam politico, licet occaſio hæc jura condendi deſumpta ſit ex veteri lege. Nec obſtat textus Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 20. *de reform.* ibi: *Eccleſia* &c. nam procedit de immunitate perſonali, & reali: localis vero quoad aſylum Canonicis ſanctionibus conſtituta eſt.

14. Q. III. *Quæ loca ſacra gaudeant jure aſyli?* ℞. I. Omnes Eccleſiæ auctoritate Epiſcopi erectæ cum cæmeterio, & tota ſua fabrica interiori, & exteriori, licet Eccleſia necdum ſit conſecrata, benedicta, aut plene extructa; & licet ſit polluta, interdicta, aut diruta cum ſpe reædificationis, *c. 9. h. t. c.* 4. *de Relig. domib. & Can.* 3. *nulli liceat* 12. *q.* 2. Unde reus etiam vectem portæ, vel murum Eccleſiæ tangendo, gaudet aſylo. 2. Omnia monaſteria cum ſuis hortis, areis, ſtabulis intra ſepta monaſterii ſitis. 3. Omnia loca, quæ jure Can. cenſentur religioſa, ſeu cum auctoritate Epiſcopi erecta, ut cæmeteria, hoſpitalia, oratoria &c. Neque tamen hoc privilegium extenditur ad 40. paſſus ab Eccleſia cathedrali, & 30. ab inferiori, quia *Can. 6. &* 35. 17. *q.* 4. diſtantiam iſtam concedit eis, qui jam ad Eccleſiam fugerunt, pro requiſitis naturæ: imo contraria conſuetudine aliud obſervatur. 4. Palatium Epiſcopi, licet ad 40. aſſus diſtet ab Eccleſia cathedrali, & publica capella careat: ita generalis textus *Can.* 36. *id reſtituimus* 17. *qu.* 4. alioquin nihil ſpeciale haberet domus Epiſcopi, cum etiam domus Canonicorum, & Parochorum, ſi tantum ad 40. paſſus diſtent a ſua Eccleſia, gaudeant tali immunitate, uti & domus privatorum publicam capellam habentium. Idem privilegium competit probabiliter domui Epiſcopi titularis, & Prælati juriſdictionem quaſi-Epiſcopalem habentis ut teſte Dian. Fagn. &c. fertur declaraſſe S. Cong.

15. ℞. 2. Jure aſyli non gaudent: I. Oratoria privata ſine auctoritate Epiſcopi erecta, licet ibi ex licentia Papæ Miſſæ celebrentur, S. Congr. in *Peruſina* 1631. *die 9. Nov.* II. Palatia S. R. E. Cardinalium, cum de his nihil ſtatutum ſit: niſi extra urbem conſuetudo id privilegium eis tribuat, vel etiam galero cardinalitio in caput rei occurrentis appoſito. Intra urbem palatia cardinalitia, niſi titulis Eccleſiarum adhæreant, non gaudent jure aſyli ex declaratione Gregor. XIII. & Sixti V. multo minus id privilegium conceditur palatiis principum ſecularium, vel eorum ſtatuis, niſi princeps in certo loco profanum aſylum conſtituere velit. III. Nec Sacerdos Hoſtiam ſacram deferens, gaudet jure aſyli, niſi pia conſuetudo aliud obtineat: nam nullo jure id cavetur: & a locis ſacris, etiam propter majorem reverentiam, non eſt facienda extenſio ad alios caſus, ſed ſtandum eſt diſpoſitioni Gregorianæ, de qua infra. Ac proinde aſyli jure non gaudent ara portatilis, ſupra quam in tentorio celebratur; calix cum paterna, & aliæ res ſacræ, neque Crux, niſi proxima ſit Eccleſiæ, tanquam ejus pars: nec Reliquiæ Sanctorum, nec domus rurales Regularium, nec domus piæ quæcumque auctoritate Epiſcopi non erectæ &c.

16. Q. IV. *Quæ præſonæ gaudeant aſylo?* ℞. Generaliter omnes ſpecialiter non exceptæ. Et quidem 1. Banniti, interdicti, & excommunicati, quibus ſolum ingreſſus formalis ad divina audienda, non vero materialis ad vitam ſalvandam in Eccleſia eſt prohibitus. 2. Hæretici, excepta cauſa hæreſis. 3. Judæi, & alii infideles, ſi ante delictum, ſigna converſionis ad fidem dederunt, & in aſylo profiti baptiſmum petant, quo ſenſu eis applicatur generalitas textus *c. 6. h. t.* at ſi ante delictum nulla ſigna oſtenderunt, etſi petant baptiſmum, probabiliter non gaudent aſylo: quia hæc petitio præſumitur ficta, niſi aliud ex indiciis colligatur. Et hoc ſenſu procedit *l. 1. C. de his, qui ad Eccl. confug.*

☞ *Ex tribus tamen Decr. Cong. Immun. relat. a Fer. Pomp. Bibl. Verb. Immun. ar. 2. n.* 138. *abſolute gaudent.* ☜

17. IV. Effractor carceris ſecularis, vel qui cuſtodi juratam fidem dedit de reditu in carcerem, cum caſus iſti non excipiantur, ut ſæpius declaravit S. Congr. V. Debitor in cauſa civili ob debita, tributa, & alias obligationes incarcerandus; etſi eſſet mercator, campſor, ad ratiocinia obligatus, vel fraudulentus decoctor ſuæ ſubſtantiæ, gaudet aſylo ad evitandum ſqualorem carceris. Ita de jure Civ. *l. 1. C. d. t.* ubi clare ſupponitur in Eccleſ. evitari poſſe crimina, & pondera debitorum, ſeu pœnas corporales pro his debitas, & clarius id ipſum habetur *l. 6. pr. &* §. 34. *eod.* quæ jura civilia generaliter approbantur a Sac. Canonibus *c. 6. h. t.* ibi: *ad mortem, vel pœnam, & Can.* 10. *&* 36. 17. *q.* 4. Neque obſtat Conſtitutio Pii V. circa fraudulentos decoctores, quia ei derogatum eſt per Conſt. Gregotianam infra allegandam. Neque eo caſu injuſtitia fit creditoribus: nam promiſſa impunitate, debitor vel per ſe, vel per procuratorem tenetur citatus comparere; alioquin ſervato juris ordine fiet immiſſio in ejus bona, vel proponetur eorum ſubhaſtatio, *cit. l. 6.* quæ utiliter perlegi poteſt.

18. VI. Servus adverſus judicem gaudet aſylo, quia reſpectu judicis reputatur pro libero; ſed ſi nullum, vel leve delictum commiſit, juramento promiſſa impunitate, etiam invitus reſtituendus eſt domino: ſecus ſi grave delictum commiſit, & iram domini timeat, dominus cogi debet, ut eum veneat, cum Reipubl. interſit, ne quis abutatur re ſua, maxime ſervo, *cit. l. 6. §. 6. & Can.* 31. *metuentes* 17. *q. 4. c. 6. h. tit.* Idem proportionaliter dicendum de colonis, adſcriptitiis, libertis, damnatis ad triremes, & militibus, qui fugientes ad ſuos dominos, quibus obſequia debent, promiſſa impunitate, redire tenentur, niſi ſubſit gravius delictum, ob quod mors, aut mutilatio, vel gravis pœna corporalis timeatur. Hinc fericidæ ſuis dominis ſubditi, & contra prohitionem feras capientes, non ſunt reſtituendi ex Eccleſia, niſi dominus juramento promittat, quod nulla pœna corporali eos afficere velit. Si enim ſervus non eſt extrahendus, multo minus liber homo, niſi juramento promiſſa impunitate.

19. VII. Clerici ſeculares adverſus judicem Eccleſiaſticum quoad pœnas vindicativas corporales gaudent aſylo in Eccleſia; ut ſi deberent degradari, curiæ ſeculari tradi, ad triremes condemnari &c. ita Barboſa *l. 2. J. E. cap. 3. a num.* 135. cum citt. DD. item Zoes, Schmier, Engl, Schmalz. Reiff. &c. contra Abb. Sylv. Armill. Laym. Haunold. &c. nam jura generaliter hoc privilegium concedunt confugientibus, nec alicubi Clericos excipiunt *Can. 9. 35. & ſeq. 17. qu. 4. & cap. 6. h. t.* & pro favore Clericorum reſpondit S. Congreg. in Faventina *die* 20. *Aug.* 1601. his verbis: *Clerici confugientes ad Eccleſiam, gaudent immunitate etiam reſpectu utriuſque judicis*, ne ſcil. ſint deterioris conditionis, quam laici. *Dices*: Immunitas perſonalis Clerici non obſtat judici Eccleſiaſtico, quo minus illum delinquentem puniat, ergo nec immunitas localis. ℞. Neg. con. nam immunitas perſonalis eſt exemptio a juriſdictione laica, non Eccleſiaſtica, alias Clericus a nullo unquam puniri poſſet; e contra immunitas localis eſt diverſa, locis ſacris conceſſa, ne rei eo confugientes abſtrahantur. Ceterum quoad correctionem, diſciplinam, & pœnas Canonicas Clericus non gaudet aſylo, & ideo judex Eccleſiaſticus etiam in Eccleſia poteſt illum judicare, cenſuris innodare, beneficio privare &c. & hoc, non plus ſuadent argumenta oppoſita. Vide cit. Barboſ. cujus tamen dicta non omnia probo, quatenus dicendis adverſantur.

20. VIII. Religioſi adverſus ſuos Superiores non videntur gaudere aſylo: nam nullus effectus aſyli applicari poteſt Religioſis: non *defenſio a pœna ſanguinis*, aut mutilationis, quia hanc Prælatus regularis non infligit per *c. 9. ne Clerici:* neque *defenſio ab alia pœna corporali*, & vindicta publica, aut defenſio ne religioſus extrahatur ex loco ſacro, quia Prælatus regularis alias pœnas, etiam graviſſimas dictare poteſt religioſo delinquenti, ut pœnam perpetui carceris, triremium &c.

eumque ex monasterio etiam invitum ejicere potest, & pœnas dictas exequi, ut praxis probat juribus, & Apostolicis Constitutionibus munita, *cap. 2. de regular. in 6. Clem. 1. de privil.* ibi: *si quis vero &c.* Const. Gregor. XV. incip. *Universi Dominici*. *Dices* cum Barbos. *l. c. & c. 6. h. t.* hæc quidem vera esse, si Religiosus delinquat intra claustrum; secus vero, si delinquat extra, & ad Ecclesiam alienam confugiat pro asylo. ℟. Ecclesiæ alienæ non majorem esse immunitatem, quam proprii monasterii; ergo si in hoc non gaudet asylo, neque in illa. Barbosa supponit, sed non probat, quod delinquens in loco asyli, non gaudeat asylo, cum tamen ex Constit. Gregoriana soli homicidæ, aut mutilatores in loco sacro homicidum, aut mutilationem perpetrantes, priventur asylo, non vero alii aliter in loco asyli delinquentes. De praxi Romana, vi cujus Religiosi dicuntur gaudere asylo in aliena Ecclesia, aut monasterio, cum plenam notitiam non habeam, nihil certi affirmare possum.

☞ *Cum neque ex Constit. Greg. XIV.* Cum alias: *neque Bened. XIII.* Ex quo divina: *neque Clementis XII.* In Supremo Justitiæ: *nec tandem Bened. XIV.* Officii nostri: *Idib. Martii* 1750. *Religiosi confugientes, sive ad Ecclesias sui Ordinis, sive ad quascumque Ecclesias, & monasteria aliorum Ordinum, priventur jure asyli pro delictis non exceptis in dictis Constitutionibus, nullo fundamento dici potest, eo non posse gaudere, cum non debeant esse deterioris conditionis, quam ceteri rei, etiam gravioris criminis juxta Decret. S. Cong. Immunit. in Fulignaten.* 9. *Martii* 1639. *& in Neapolitan.* 11. *Octob.* 1692. *Et quamvis in Æsina* 19. *April.* 1701. *declaratum fuerit ab eadem Cong. Provincialem Ordinis Minorum Observ. Reform. non incurrisse excommunic. pro extractione sui religiosi ab Ecclesia Æsina ejusd. Ord. indeque per rescriptum ad preces Procuratoris General. a Clem. XII. indulta fuerit* 19. *Sept.* 1734. *Provincialib. & Guard. Ordinis facultas ducere faciendi delinquentes religiosos, & contumaces ab Ecclesiis eorum respective conventuum ad claustrales carceres; hæc tamen revocata fuit per organum secretariæ memorialium, ut vocant,* 28. *Julii* 1756. *ad instantiam ejusdem S. Cong. Immunitat., cum expressa declaratione, ut in similibus refugii, & extractionis casibus procedatur juxta termin. juris, prout legitur in originali mandato in scriptis transmisso a Card. Corsini, tunc memorialium Secretario, Commissario generali Ordinis. Unde corrigendi sunt Auctores in contrarium scribentes; & maxime Matthæucci, Official. cur. c.* 24. *quoad Immunitat. n.* 19. *sisus cit. Decreto Congr. ann.* 1701. *ut supra revocato.* ☜

21. Q. V. *Qui delinquentes non gaudeant asylo loci sacri?* ℟. Attento jure hodierno, illi solum, qui exprimuntur in Constit. Greg. XIV. *Cum alias nonnulli.* 9. *Cal. Jun.* 1591. & in Const. 4. Bened. XIII. incip. *Ex quo divina* 1725. *idus Jun.* ab asylo excluduntur.

1. *Publici latrones*, qui in viis publicis per insidias, vel in domibus privatis per violentiam homines aggrediuntur, eos spoliando, & se defendentibus cædem, aut vulnera infligendo.

2. *Publici grassatores* viarum, qui in viis, & stratis publicis viatores aggrediuntur, & spoliant; attamen absque cæde, & vulneratione. Ut quis dicatur latro, vel grassator publicus, sufficit unicus actus in via publica, aut vicinali admissus; *dummodo tamen grassati, seu invasi mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, cit. Const. Benedict.* §. 3. ex quo colligo latronem, & grassatorem publicum fere synonymice hic usurpari. Sed hic quæri potest, quot grassationes requirantur, si mors, aut mutilatio non sequatur? ex communi DD. videntur requiri saltem duæ, aut plures grassationes; cum ex unico facto non censeatur quis statim dici grassator. Latronibus, & grassatoribus accensentur etiam piratæ, & hujusmodi publici deprædatores: non vero fures, qui simplex furtum committunt, vel qualificatum sine violentia.

3. *Depopulatores agrorum*, non tantum *nocturni*, ut dicitur *c. 6. h. t.* sed probabilius etiam *diurni* qui per ignem suppositum, vel alio modo fructus agrorum, vel arborum devastant: nam Constit. Gregoriana non tantum firmat jus antiquum, sed illud reducit ad novam formam, & casus aliquos addit; ergo cum indistincte ab asylo excludat *depopulatores agrorum*, censetur excludere etiam diurnos.

4. *Homicidium*, vel mutilationem membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cæmeteriis committentes. Quo casu comprehenduntur etiam illi, *qui stantes in Ecclesia, vel cæmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel cæmeterium, aut ipsis membrum mutilant; & qui stantes extra Ecclesiam, aut cæmeterium occidunt stantes intra Ecclesiam, vel cæmeterium, aut iis membrum mutilant; & qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesiis, alioque loco immuni violenter extrahunt, & abducunt*, cit. Const. Bened. §. 4. Ceterum sub hoc casu non continentur alii delinquentes in Ecclesia, ut fures in templo furantes, vulnerantes sine mutilatione, via necessariæ defensionis occidentes, vel ex subita ira, & provocatione, ut teste Pignat. censuit S. Congr. Immun. quia Constitutiones istæ, cum sint odiosæ, non debent extendi ad hos casus non expressos.

5. *Proditorie proximum suum occidentes.* Magna inter DD. est controversia, an ad homicidiam proditorium requiratur, ut quis non tantum ex insidiis, sed etiam sub specie amicitiæ saltem communis, alterum nihil simile cogitantem occidat? hodie pro præsenti casu cessat hæc controversia, quia *cit. Const. Benedict.* §. 6. privat *immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato*, ac proinde non requiritur, ut homicidium præmeditatum fiat sub specie simulatæ amicitiæ.

6. *Assassini*, qui ex communi sententia sunt quicumque tam fideles, quam infideles, qui pecunia conducti aliquem christianum improviso occidunt. Sub hoc casu continentur non tantum mandatarii exequentes, sed etiam mandantes, secuto effectu occisionis, etsi promissio mercedis nullum habuerit effectum, *cit. Const. Bened.* §. 5. Ex quo a sensu contrario colligitur, quod mandantes fieri homicidium sine qualitate assassinatus, non videantur privati asylo, quia in hac materia odiosa *mandantes* non veniunt nomine *occidentium*. Item colligitur, quod mandans fieri homicidium assassinium, non secuto effectu, non privetur asylo, licet forsan contrarium insinuetur, *c. 1. in fin. de hom. in 6.* quia in Const. Ben. expresse additur; *dummodo assassinium re ipsa patratum fuerit*. Cum vero dictus Pontifex casum istum non declaraverit de teste, & judice pecunia corruptis, & moraliter ad mortem condemnati concurrentibus, videntur isti non comprehendi sub assassiniis; vel saltem de hoc dubium est porro hoc nomen assassinorum tractum est ab assassinis populis infidelibus ad Phœnicis montes habitantibus, quorum præcipua obligatio fuit observare principis sui mandata in trucidandis principibus, magistratibus, & populis christianis. Atque ita assassinus magis proprie est infidelis pecunia conductus ad occidendum christianum: sed hic ut dixi, nomine assassini venit etiam fidelis hoc modo conductus.

7 *Hæretici* in causa hæresis, quia rebelles filii non merentur favorem Matris Ecclesiæ juxta Const. Joan. XXII. *ex parte* 13. *Aug.* 1316.

☞ *Hæc Constit. confirmata est a Benedict. XIV. in Epistola ad Inquisitores S. Inquisitionis* Elapso 20. *Feb.* 1751. *quibus præscribit modum extrahendi a loco immuni reos hæresis, certiorato Episcopo, vel ante, vel post capturam, prout secreti servandi lex postulaverit, ne illi indicia communicentur. Si vero agatur de aliis criminibus tam exceptis, quam non exceptis a beneficio asyli, quorum cognitio spectat ad eorum tribunal, quia patrata sint ab iis, qui ejusdem tribunalis jurisdictioni subsunt, præcipit servanda esse in eorum extractione, quæ in sequentibus Const. Bened. XIII. & Clem. XII. sancita sunt. Addit insuper reos delictorum non exceptorum fugitivos ex triremibus, vinculis, vel alio pœnæ loco, gaudere pariter privilegio asyli, si effugerint, quando e manibus ministrorum justitiæ liberi essent, nisi obtenta sit ab Apostol. Sede, vel ab Episcopo hoc indulto donato, facultas pro illorum recuperatione.*

8. *Rei criminis læsæ majestatis* in ipsam personam principis, ut vulnerando illum, conjurando, machinando in necem ejus. Crimen autem læsæ majestatis non committitur nisi a subdito. Et hi sunt 8. casus in Const. Greg. §. 3. expressi, reos ab asylo excludentes, quibus Benedict. XIII. *cit. Constit.* sequentes addidit, nempe falsificantes litteras Apostolicas: ministros montium pietatis, aut banchi furtum, aut falsitatem

tatem ibidem committentes, ut pœnæ ordinariæ locus sit: conflantes adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam principum exterorum, si in loco ubi crimen admittitur, liberum habeat usum, & commercium; vel dictas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: ac tandem illos, qui sub nomine curiæ alienas domos ingressi, rapinas ibi committunt cum homicidio, aut mutilatione alicujus ex domesticis earumdem domorum, vel etiam exteri, quem ibi forte reperiri contigerit.

☞ *Clemens vero XII. Constit.* In supremo 1. *Febr.* 1734. *excludit ab immunitate etiam quoscumque Ecclesiasticos homicidii reos, declaratque omnes tam laicos, mulieribus etiam comprehensis, quam Ecclesiasticos, qui in ditione Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecta.* Ex causa, & occasione homicidii etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, immunitatis præfatæ beneficio minime gaudere - *Declarat insuper* - homicidii reos natu minores xxv. majores vero xx. annis tam laicos, quam Clericos, atque omnes, & singulos sive laicos, sive Clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium, cooperationem, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dicta Benedict. Constit. comprehensos esse, ac deinceps censeri debere.

Bened. XIV. Constitut. Officii nostri *Idib. Mart.* 1750. *Declarat prædictos omnes, regularibus, & militibus etiam comprehensis, non obstantibus militaribus privilegiis, licet homicidium commissum non fuerit cum armis ad mortem inferendam aptis, sed etiam cum baculo, & saxo, quamvis in rixa, si actus prodierit ex odio, & nocendi animo: sicut si secuta fuerit mors ex vulnere inflicto cum gravi vitæ periculo juxta relatione chirurgi ad illud inspiciendum acciti, ita ut vulnerans interim extrahi possit, servatis servandis, e loco immuni, nec eidem restituendus, donec elapsum fuerit tempus a legibus constitutum, intra quod vulneratus superstes vixerit.*

Ex altera Constit. Bened. XIV. Detestabilem 4. *idus Novemb.* 1752. *excluditur etiam ab Ecclesiastica immunitatis beneficio reus homicidii perpatrati in duello, sive publico, sive privato, ut jam dixi Elencho VI. n. CXV.* ☜

23. Præter hos casus alii non sufficiunt ad privationem asyli, ut patet ex Const. Gregor. §. 2. 3. & 4. ubi omnia jura antiqua revocat, & in unam formam reducit, & Const. Bened. §. 10. ibi: *in reliquis porro casibus tam in hac nostra, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis &c.* Neque facile consuetudini aliquid tribuendum est, cum consuetudo ista inimica sit immunitati Ecclesiasticæ, sed si enormis casus accidat, consensus Sedis Apostolicæ requirendus erit, ut reus ex loco sacro extradatur. Unde asylo gaudent fures sacrilegi, raptores virginum, sodomitæ, simoniaci, perjuri, &c. qui tamen a pœnitentia, & damnis resarciendis, quæ proximo causarunt, non excusantur, *c. 6. h. t.*

24. Q. VI. *Quæ beneficia habeat reus confugiens ad Ecclesiam in casu non excepto?* ℞. 1. Recipi debet, alias eum repellentes incurrunt excommunicationem reservatam, *Extrav. 3. de pœnit. & remiss. int. com.* 2. Alimenta ex bonis suis ei suppeditari debent absque ullo impedimento judicis laici. Si vero bona propria non habeat, nec consanguinei, vel alii ei succurrere possunt, Ecclesia ipsum alet, & is tenebitur laborare in commodum Ecclesiæ. 3. Judex laicus circa reum nihil criminaliter disponere potest, non judicare, vel ad mortem, aut pœnam gravem condemnare: multo minus reum ab Ecclesia extrahere potest, & si extraxit, tenetur illum Ecclesiæ spoliatæ restituere; *Can.* 8. 9. *& seqq.* 17. *q.* 4. foris tamen extra Ecclesiam potest vigilias ponere.

☞ *Non tenetur autem illum restituere, si dolo tantum extraxerit, cum dolus in hoc casu ad facultatem potius ipsius, quam ad circumventionem judicis debeat retorqueri, ut respondit Innoc. III. Episcopo Lingonen. c.* Cum dilectus 6. de iis, quæ vi &c. *Et quamvis secus statutum fuerit a Concilio Aurelianensi celebrato an. 541. cum tamen fuerit peculiare unius provinciæ, illius tantum terminis concluditur. Ideoque attendendum est decretum Cong. particularis 22. Decem. 1716. a Clem. XI. approbatum (quod refert. Bened. XIV. Instit. 41. §. 9.* Illæ dumtaxat extractiones suffragentur *(extractio a loco immuni)* quæ aut violenter patratæ, aut sub fide salviconductus ab aliquo judice ordinario, seu delegato concessi, & subscripti secutæ fuerint. Qui tamen salvus conductus suffragari poterit pro tempore tantum in eo præscripto. ☜

IV. Rector Ecclesiæ servare debet vitam, & membra confugæ *c. 6. h. t.* neque reum extradere debet, nisi juramento promissa impunitate; & ne privilegium inutile sit reo, tenetur ei judex remittere pœnam corporalem.

☞ *Circa extractionem rei, & consignationem curiæ seculari attendenda sunt sancita a Ben. XIII. & Clem. XII. ut in additione in calce seq. num.* ☜

V. Si reus sponte fugiat ex loco asyli, licite capitur a judice laico, quia definit esse in loco immuni; at rector Ecclesiæ reum, etiam sponte volentem non potest extradere judici laico, nisi de licentia Papæ, cum reus favori publico Ecclesiæ renuntiare non possit, licet ipso facto sponte egredi possit absque extraditione.

25. Q. VII. *Quid juris observandum in casu excepto, quo reus non gaudet asylo?* ℞. 1. Nec rector Ecclesiæ tradere, nec curia secularis, seu judices laici sua auctoritate reum extrahere possunt absque licentia Episcopi: secus laici incurrunt pœnas violatorum immunitatis Ecclesiasticæ. 2. Rector Ecclesiæ facta simplici narratione facti, totam istam causam defert ad Episcopum, qui solus, vel ab eo deputatus, est in illa judex privative, exclusο quocumque Prælato inferiori, etiam exempto, vel ordinario in suo territorio, ita ut is teneatur quæstionem istam, *an reus gaudeat asylo?* deferre ad Episcopum vicinorum quoad commorationem, non quoad diœcesim. 3. Episcopus ante omnia videre debet, an sint indicia delicti sufficientia ad capturam, & si adsunt, conjiciet reum ad carceres curiæ Ecclesiasticæ, ibidem custodiendum, etiam adhibita custodia seculari, donec constet ex processu, an crimen sit exceptum, & patratum. 4. In hoc judicio citandi, & audiendi sunt procurator Ecclesiæ, & ipse reus, utrique concessis necessariis dilationibus: & quamvis Episcopus stare possit processu, quem judex laicus formavit antequam reus ad Ecclesiam fugeret, non tamen tenetur, cum sit diversa causa immunitatis, & delicti puniendi, sed ipse instituere potest novum processum, recipiendo testes, & attestationes; & deinde processum publicando, ne reo, & Ecclesiæ tollatur facultas se defendendi. Tandem Episcopus fert sententiam definitivam, an crimen sit exceptum, vel non? quæ sententia, nulla appellatione obstante, danda est executioni, licet Bonacinna admittat appellationem curiæ seculari. 5. Lata sententia contra reum, quod crimen sit exceptum, si adsint indicia delicti ultra torturam, tunc primum reus judici seculari traditur, exacta tamen, receptaque prius ab eo obligatione in forma juris valida de restituendo extracto, si is indicia contra se prolata diluerit, & purgaverit; secus, si ea non diluerit, secundum formam juris contra eum a curia seculari procedetur. At si indicia patrati criminis ultra torturam non adsint, reus ab Ecclesia extractus, non in carcere curiæ secularis, sed Ecclesiasticæ custodiendus est; nec inde tradendus, donec Episcopus cognoscat crimen exceptum fuisse commissum, vel saltem adesse indicia ultra torturam, ut crimen a reo fuisse patratum moraliter credi possit. Ita hæc omnia habentur in *Const. Gregor.* §. 4. *&* 5. *& Benedict.* §. 8. *&* 9. Cum vero Bened. XIII. *cit. Const.* §. 7. cassaverit, & annullaverit omnes interpretationes DD. & declarationes S. Congr. Immun. quatenus ejus Constit. adversantur, ex hactenus dictis facile scies, qualiter emendandæ sint sententiæ antiquiorum DD. super Const. Gregoriana scribentium.

☞ *Ex cit. Const. Clem. XII. quoties de homicidio deliberato, vel per insidias, aut etiam per rixam patrato judicium statuitur, satis est in Ditione Ecclesiastica, ut foro seculari reus committatur, habere indicia non ultra torturam, ut Benedictus XIII. præceperat, sed acquisita, seu subministrata ad torturam tantum sufficientia.*

Ne autem erretur in modo, & forma extrahendi reos, atten-

attendenda est regula ab eodem Bened. XIII. præscripta §. Quotiescunque *ibi* - Tunc curia Ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum executorum, implorato etiam quatenus opus sit brachii secularis auxilio, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, & faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eundem extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum extractum ministris, & officialibus curiæ secularis tradere & consignare possit, ac debeat: exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum Ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, & vere delinquens repertus fuerit, curiæ seculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere licet.

In contrafacientes autem accessit declaratio Bened. XIV. cit. Const. Officii nostri *ibi* - Contrafacientes quoque, & transgressores, easdem omnes pœnas, quæ in præallegatis Constitutionibus indictæ sunt, omnino incurrere statuimus, atque sancimus: Decernentes, in numero transgressorum hujusmodi eos etiam esse, & censeri, qui, in spretum Ecclesiasticæ auctoritatis, & canonicarum sanctionum, præscripto ad Superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, & loca immunia obsidere præsumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur: sive aliter, eosdem in curiæ secularis potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusm. de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes, & singulas pœnas, atque censuras adversus Ecclesiasticæ immunitatis violatores, in jure, ac in prædictis Const. Apostolicis latas, atque statutas, incurrere decernimus, ac declaramus.

In hac eadem Constit. præscriptus est modus extrahendi reos delicti excepti perpetrati in una ditione, & rei confugiunt ad locum immunem in alteram ibi- Mandamus, ut si hujusmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quæ in Apostolicis Constitutionibus præfatis excepta sunt, in temporali Romanæ Ecclesiæ dominio patraverint, indicia ad capturam requisita, ab Episcopo diœcesano, seu respective viciniori illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur; eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum cœpit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni præfatæ locus esse debeat, extractionem delinquentis e loco immuni, auctoritate sua, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, fieri mandet. Eadem ratione, si in præfatis aliorum principum ditionibus, in quibus traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Constitutionis, sive ratione concordati cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratæ pro excepto haberi debeat; volumus, & statuimus, ut Episcopus ille, ad quem ratione loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eaque transmittat ad Episcopum ditionis Ecclesiasticæ, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit; ut hujus scilicet Antistitis auctoritate, aliisque servatis servandis e confugii loco extrahi: ac si ita res feret, externæ postulanti curiæ valeat consignari.

Præcipit tamen in extractione, & reliquis omnibus servari dictas Constitutiones, & concordata. ☞

26. Q. VIII. *Quæ sint pœnæ violantium immunitatem localem Ecclesiarum?* ℞. 1. Præter gravissimum peccatum sacrilegii, & injustitiæ, quo læditur loci sanctitas, & violatur jus, quod Ecclesia habet ad defendendum reum, violatores ejusmodi de jure Can. ipso facto incurrunt excommunicationem, qui cum effectu reum extrahunt, vel extrahi faciunt, vel extractum non restituunt, dum is indicia contra se prolata diluit, atque ita contraveniunt formæ a dictis Pontificibus præscriptæ, Const. Gregor. §. 8. & Benedict. §. 9. quam excommunicationem reservatam esse Sedi satis clare insinuatur in his Constit. *& Extrav. 3. de pœnit. & remiss.* & teste Barbos. declaravit S. Congr. Concil. Excusantur autem ab hac excommunicatione ignorantes, attentantes extrahere, effectu non secuto: & probabiliter, ut sentit Delbene, qui extrahunt, sed moniti mox restituunt reum, quia moraliter, & in effectu non censetur extractus, qui mox restitutus est.

2. Incurrunt pœnam pecuniariam, & pœnitentiam publicam, *Can. 20. & seq. in fin. 17. quæst. 4.* quæ pecunia convertenda est in usum Ecclesiæ illæsæ. Dicit Clarus, quod pœna 30. librarum argenti: seu 900. solidorum, sit antiquata, sed oppositum est verius, cum pœnæ juris antiqui innovatæ sint per dictas Constit. & per Trid. *S. 25. c. 20. de refor.* Pœna capitalis de jure civili *l. 2. 6. C. de his, qui ad Eccl. conf.* statuta, non est in usu, sed attenduntur pœnæ a jure Can. inflictæ.

☞ *Ex cit. Constit. Clem. XII. occisor puniendus est pœna ordinaria, licet homicidium sequutum fuerit in rixa, si ille fuerit auctor ejusdem rixæ: a qua pœna non eximit calor iracundiæ.* Ubi inter tempus rixæ, ac patratum homicidium sex horarum spatium intercesserit, id sufficere volumus, ut reus ad actus extraneos diverterit, vel divertisse debuerit. *Insuper ibidem declaratur.* Prædicta pœna ordinaria teneri ne dum ore proprio homicidium confessos, sed etiam qui de commisso homicidio juxta juris Can. & civil. dispositionem, quam in ceteris quibuscumque delictis sartam, tectamque fore volumus, convicti fuerint, quibusvis prætensis usu, & stylo, rebusque judicatis in contrarium minime attentis. ☞

T I T U L U S L.

Ne Clerici, vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.

Agitur de hac materia in Sexto *h. tit.* in Decreto *dist. 86. Can. 24. & seqq. & d. 88. & 22. q. 4. & 33. q. ult.* & sparsim in tr. de pœnit. Trid. *S. 22. c. 1. de ref.* item sparsim C. de Episc. & Cler.

1. Præsens titulus coincidit cum primo ejusdem libri; quia ad vitam, & honestatem Clericorum, ac monachorum spectat secularia negotia, hoc est, officia, & opera reipublicæ secularibus propria, vitare juxta illud Apostoli *2. Timoth. 2. v. 4. nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Ac proinde nomine negotii non accipitur hic pactum ultro, citroque obligatorium sicut in *l. 5. ff. de præscr. verb.* nec controversia litigiosa, sicut, *l. 16. ff. de legation. l. 36. ff. de jur. fisc.* nec pro eo negotio, quod carnem sapit, & spiritui adversatur, atque a laicis etiam est vitandum; sed pro negotio de se licito; attamen personis sacris indigno.

2. Q. I. *Quæ officia, & negotia secularia Clericis prohibeantur?* ℞. 1. Clerici non debent esse ministri voluntarii Principum, nec procuratores judiciales laicorum coram judice laico, *c. 2. h. t. Can. fin. d. 86.* Ea tamen officia, quæ dignitati eorum annexa sunt in utilitatem Ecclesiæ obire possunt, ut interesse comitiis &c. uti & procurare causam miserabilium personarum, maxime coram judice Ecclesiastico.

3. R. 2. Clerici non debent esse judices, vel consiliarii, vel assessores in judicio sanguinis, *c. 9. h. t.* secus fiunt irregulares, si mors, aut mutilatio sequatur *c. 5. eod.* quia peccant contra mansuetudinem, quam præsertim in Clericis Ecclesia requirit *Can. 29. sæpe 23. q. 8.* Prælatus autem, cujus dignitati annexum est imperium merum, debet, & licite potest citra irregularitatem causam sanguinis delegare, *c. fin. h. t. in 6.* Et hic casus est unus ex illis, in quibus potest quis per alium, quod non potest per se ipsum.

4. ℞. 3. Clerici non debent esse tabelliones, seu notarii publici, etiam coram judice Ecclesiastico *c. 8. h. t.* nam vile est officium notarii; & ideo prohibetur decurionibus *l. 15. C. de decur.* & notarius dicitur *servus publicus c. 2. de usur. in 6.* Excipe causam fidei in crimine

ne hæresis *c.* 11. §. *verum de hæret. in* 6. & Clericos minoristas, maxime pauperes: item si consuetudo habeat, ut Cancellarii Episcoporum sint Clerici, quæ consuetudo, præsertim hodie est rationabilis.

5. ℞. 4. Clerici, & Religiosi absolute non debent exercere chirurgiam, & medicinam, etiam sine incisione, & adustione; cum tale exercitium tanquam seculare generaliter prohibeatur Clericis *c.* 1. *h. t.* Si vero artes istas exerceant cum incisione, aut adustione, fiunt irregulares, dummodo mors, aut mutilatio sequatur *c.* 9. *h. t.* & *c.* 19. *de homicidio*. Nec obstat *c.* 7. *de ætate*, quia Canonicus iste non curavit cum incisione, aut adustione: & adhuc hodie, si Clericus, vel Religiosus peritus sit, ex causa pietatis curare potest personam miserabilem; attamen sine incisione, vel adustione: secus morte, aut mutilatione secuta, non excusatur ab irregularitate.

6. ℞. 5. Minoristæ volentes in Clericatu permanere, & Regulares laici, extra casum urgentissimæ necessitatis publicæ, non debent contra hostes pugnare sub pœna excommunicationis, *Can.* 3. *eos, qui* 20. *q.* 3. *Can.* 4. & *seqq.* 23. *q.* 8. nec præesse Ruptuariis, qui machinis bellicis muros rumpunt, vel balliftrariis, aut sagittariis, *c.* 9. *h. t.* quia actiones istæ dedecent milites Christi. Potest tamen sacerdos esse capellanus bellicus, & in bello justo milites animare ad fortiter pugnandum; dummodo determinate ad occisionem hostium eos non incitet, *c.* 9. & *seqq.* 23. *q.* 8. & *c.* 5. *de pœnis*.

7. ℞. 6. Religiosi sub pœna excommunicationis non debent extra claustrum in scholis publicis audire leges: seu jus civile, & physicam, seu medicinam, *c.* 3. *h. t.* nisi intra spatium duorum mensium redeant. Item Archidiaconi, Decani, Plebani, dignitatem, aut personatum habentes, & Presbyteri quicumque sub eadem pœna prohibentur prædicta audire *c. fin. h. t.* quæ dispositio utpote pœnalis, non extenditur ad seculares Diaconos, subdiaconos, & minoristas nullam dignitatem, aut personatum obtinentes, *c.* 1. *h. t. in* 6. & probabilius neque ad eos Clericos, aut monachos, qui publice docent has scientias, præsertim jus civile. Ratio prohibitionis est, ne monachi rursum negotiis mundanis involvantur, & ne studium Sac. Theologiæ negligatur. Hodie ex privilegiis, aut consuetudine Clericis, & religiosis tum licentia Prælatorum licitum est audire jus civile in scholis publicis, & multo magis intra claustrum; quia ut hic practicatur, non audiuntur leges, ut Clerici causas forenses in tribunali laico tractent, sed ut melius intelligant Sac. Canones, & Theologiam moralem, & magisque idonei fiant ad exercenda judicia Ecclesiastica. Pro Religiosis in *c.* 2. *h. t. in* 6. est specialis dispositio, quod latam excommunicationem incurrant ipso facto, si in scholis, aut alibi habitum temere dimittant, vel si sine licentia Prælati accedant extra claustrum ad quæcumque studia litterarum: quam excommunicationem pariter incurrunt magistri, qui tales *Religiosos habitu suo dimisso leges, vel physicam audientes scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere.*

8. Q. II. *Quæ negotiatio Clericis, & monachis sit interdicta?* Ante resp. nota, negotiationem hic accipi ample pro omni commercio in emendo, & vendendo consistente, sive ematur, & vendatur ipsa proprietas rerum, sicut in contractibus stricte commutativis, ut in venditionibus, & permutationibus; sive tantum fruitio, & usus rei, sicut in contractibus successivis, ut emphyteusi, locatione, usufructu &c. Est autem negotiatio triplex: *Æconomia*, qua quis res sibi superfluas vendit, & emit alias necessarias, vel utiles ad sui, suæque familiæ sustentationem. *Politica*, qua idem fit ad civitatis necessitatem. *Lucrativa*, qua quis lucrandi causa res aliquas emit, ut eas carius vendat, vel per *mercaturam* vendendo carius easdem res non immutatas, vel per *artificium*, seu artem, & industriam res in aliam formam mutando, & carius vendendo; ut si facias ex ferro gladium, ex uvis vinum.

9. ℞. 1. Negotiatio politica, qua emuntur necessaria exercitui, & civitati, prohibita est Clericis: nam hi per *c.* 5. *h. t.* & *Ca*. 3. *d.* 88. arcentur a gubernationibus, & officiis laicalibus, nisi urgentissima causa necessitatis, & pietatis aliud suaderet; ut si tempore famis Clericus annonam pro pauperibus procuraret.

10. ℞. 2. Negotiatio proprie lucrativa severe prohibetur Clericis sub pœna excommunicationis, *Can.* 2. 9. 10. *dist.* 88. *c. fin. de vita, & honest. Cler. c.* 6. *h. t.* Trid. *S.* 22. *c.* 1. *de ref.* Ex qua pœna colligitur, Clericum ita negotiantem peccare mortaliter; nisi parvitas materiæ excuset, ut si id una, vel altera vice faciat; cum unus, vel alter actus non faciat negotiatorem; vel nisi excuset casus necessitatis, ut si Clericus non habeat, unde vivat, neque alio labore, & artificio possit sibi necessaria quærere, quia necessitas non habet legem. Sæpe etiam a mortali excusat consuetudo locorum permittens Clericis certa commercia; modo hæc per substitutos exerceantur, & spiritualibus officiis non obsint. Porro specialius loquendo prohibetur Clericis: 1. Emere merces cum intentione, ut eas non immutatas carius vendant, v. g. frumentum, vinum, ferrum, pannum, equos &c. 2. Emere merces cum intentione, ut eas immutatas carius divendant, ut frumentum pro farina, & pane, uvas pro vino, animalia, & pabulum, ut eo saginata majoris distrahantur, conducere prædia, & animalia, ut fructus inde collecti cum lucro vendantur &c. *c.* 6. *h. t.*

11. ℞. 3. Negotiatio œconomica permissa est Clericis, & monachis: nam *cit. c.* 6. *h. t.* prohibetur negotiatio lucri causa, qualis utique non est œconomica, sed hæc, spiritualibus exercitiis attemperata, necessaria est ad sustentationem Clericorum, ne hi cum damno suo res proprias abjicere cogantur. Unde Clerici, & monachi licite possunt: 1. Frumentum ex agris suis collectum, vinum ex vineis suis, aliosque fructus divendere. 2. Animalia suo pabulo saginare ad carius vendendum. 3. Si habeant bona, & prædia, quibus annexum est jus pocillandi, possunt vinum, cervisiam, crematum, & similia per substitutos divendere &c. 4. Si ad usum suum aliqua emerunt, & eis non indigent, mutata intentione, possunt ea distrahere, sive immutata, sive non immutata, S. D. 2. 2. *q.* 77. *ar.* 3. adeoque etiam licet eis pro sua necessitate prædia, & hortos conducere, & quod superest de fructibus, vendere &c. quorum omnium ratio est, quia res istæ non emuntur cum intentione lucrandi, quod Sac. Canones requirunt ad negotiationem Clericis, & monachis prohibitam. 5. Pharmaca, quæ monachi pro se principaliter, & pro suis necessitatibus, conficiunt, superflua licite vendunt, ut ex pretio redacto officina pharmaceutica conservari possit, maxime in illis locis, ubi talis officina non habetur: ita S. Congr. Regg. in *Neapol.* 26. *Maii* 1602. in una *Dominicanarum* 11. *Octob.* 1647. quibus declarationibus, teste Pignatell. id permittitur regularibus viris, & monialibus. Oppositum tamen tenent Monacel. Matthæuc. & alii ex decreto S. Congr. Conc. 1637. Sed forsan decretum istud conciliandum est cum dictis declarationibus, & tunc locum habet, dum officinæ pharmaceuticæ lucri causa eriguntur.

12. Q. III. *Quæ sint pœnæ Clericorum negotiantium?* ℞. 1. Excommunicatio sententiæ ferendæ, *c.* 6. *h. t.* 2. Potest Prælatus tales Clericos suspendere ab officio, imo & deponere a gradu, & ordine Clericali, *Can.* 1. *Clerici* 14. *q.* 3. *c.* 4. *h. t.* ubi dicuntur religiosi districtius in hoc puncto puniendi. 3. Privantur immunitate a victigalibus, *Clem.* 1. *de vita, & honest. Cler.* saltem post trinam admonitionem *c. fin. eod.* 4. Bona ex negotiatione quæsita cedunt tanquam spolia Cameræ Apostolicæ, puta post sententiam judicis, Constit. S. Pii V. incip. *Decens* 1560. *nonis Novembr.* Quibus pœnis tenentur Clerici etiam minoristæ non-beneficiati, Regulares utriusque sexus, etiam ejecti, cum omnes isti sint personæ Ecclesiasticæ, quibus negotiatio, tanquam indecens, & avaritiæ fomes, & manifesta spiritualium exercitiorum ruina prohibetur. Excusantur autem ab his pœnis Clerici negotiationem exercentes, non personaliter per se, sed per substitutum; ut colligitur ex *cit. Clem.* 1. *de V. & H. C.* quamvis Episcopus, maxime ex causa scandali sub pœna gravi prohibere possit Clericis negotiationes per substitutum.

☞ *Vide innovationes circa negotiationem, & pœnas additas a Benedict. XIV. Elenc. VI. num. XXXVIII. part. I. pag.* 460. ☜

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS DECRETALIUM GREGORII IX.

De Causis Matrimonialibus.

Libro præcedenti explanatæ sunt causæ civiles Ecclesiasticæ, a potiori Clerum concernentes; in hoc examinandæ veniunt causæ matrimoniales, quæ licet propriæ sint laicorum, tamen judicibus Ecclesiasticis, & animarum curatoribus scitu sunt valde necessariæ. Cum vero matrimonium a Christo Domino venerabilibus Sacramentis annumeratum sit, in eo contrahendo, & judicando, non jura civilia, sed divina, & Canonica instituta servanda sunt: ac proinde solers jurium studiosus facile emendabit leges sæculi, quæ in hac materia Canonicis obveniant institutis.

TITULUS I.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

Agitur de his in Sexto *h. t.* in Decreto 27. *q.* 2. *&* 32. *q.* 1. 2. & sparsim a *causa* 27. *usque ad finem* 36. In Trid. *sess.* 24. *de Sacr. matrimonii* cum subjunctis Canonibus, & decreto *de refor. matr.* In Institutionibus *lib.* 1. *tit.* 10. In Pandectis *lib.* 23. *tit.* 1. 2. In Cod. *lib.* 5. *tit.* 1. *&* 4. *Nov.* 22.

1. Præsens rubrica duas habet partes: alteram de sponsalibus stricte sumptis, prout ordinantur ad matrimonium; alteram de ipso matrimonio: neque tamen rubrica ista adæquat nigrum, cum in hoc etiam agatur de quibusdam impedimentis matrimonii. Unde expediet post tractationem de sponsalibus, & matrimonio generalem doctrinam præmittere de iisdem impedimentis, & in specie ea examinare, quæ in hoc libro propriis titulis carent.

§. I.

De Sponsalibus.

2. *Nota*, nomen *sponsalium* derivari a *spondendo*: *nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras, unde & sponsi, sponsæque appellatio nata est l.* 2. 3. *ff. h. t.* illi vero, qui spondebant, quod viro stipulanti fœminam in uxorem darent, dicebantur *sponsores*; & actus quo cæremonia ista peragebatur, dictus est *sponsalia*. Omissis aliis acceptionibus, sponsalia in jure præsertim Canonico dupliciter accipiuntur: 1. *Stricte*, seu *specifice*, prout important promissionem futuri matrimonii. 2. *Late*, & cum addito *sponsalia de præsenti*, prout important matrimonium ratum; cujusmodi significatio est frequens in jure *tit. de sponsa duorum c.* 22. *&* 31. *h. t. l.* 1. *C. si nuptiæ ex rescr.* &c. firmaturque usu quotidiano, quo recens matrimonio juncti dicuntur *sponsi*, & *sponsæ*; ut proinde non sint curandi, qui, cum res ipsas carpere non valeant, nomina carpunt. Hic agendum de sponsalibus primo modo spectatis.

3. Q. I. *Quid sint sponsalia quoad rem*? ℞. Sunt *mentio, & repromissio nuptiarum futurarum l.* 1. *ff. h. t.* seu sponsalia sunt contractus consensualis, quo vir, & mulier reciproce consentiunt super futuro matrimonio legitime inter se ineundo: ita in re comm. *Ratio* introducendi sponsalia fuit, tum ut matrimonium non temere, sed cum magna deliberatione eligeretur; tum ut daretur competens terminus ad impedimenta detegenda. Simpliciter autem loquendo, matrimonium contrahi valet absque prævìis sponsalibus, ut clare colligitur *ex c.* 9. 22. *&* 31. *h. t. l.* 9. *ff. eod.* Nec est paritas a novitiatu: quod enim is præmitti necessario debeat professioni religiosæ, habetur hodie jus clarum Trid. *S.* 25. *c.* 15. *de Regg.* quale jus non extat de sponsalibus matrimonio præmittendis.

4. Dicitur autem *legitime ineundo*, quia sponsalia valide non contrahunt, nisi illi, inter quos matrimonium consistere potest absque ullo impedimento juris naturalis, & Canonici; ne scilicet detur obligatio sponsalitia ad aliquid invalidum, vel turpe adstringens: unde defectu usus rationis sponsalia inire nequeunt infantes, furiosi, amentes, nisi in lucidis intervallis; perfecte ebrii: item, qui simul mutus, surdus, & cœcus est, moraliter loquendo, vix aptus est ad contrahenda sponsalia, cum nec verbis, nec signis instrui possit de matrimonio. Denique sponsalia contrahere non possunt, quicumque laborant aliquo ex impedimentis dirimentibus, aut impedientibus.

5. Q. II. *Qualis esse debeat consensus sponsalitius*? ℞. 1. Debet esse *certus* super his numero personis: nam sicut matrimonii, ita, & sponsalium objectum substantiale sunt personæ determinatæ in individuo; & conf. error in persona ipso jure naturali vitiat sponsalia, *cum errantis voluntas nulla sit, seu nullus consensus*, *l.* 8. 9. *C. de J. & F. Ign.* Quod si quis cum duabus, vel pluribus simul contraxit, nullam determinate tenetur ducere; sed, si velit matrimonium inire, unam ex his eligere debet *ex reg.* 54. *in* 6. Hæc tamen electio cessat in casu, quo cum altera sponsa matrimonium subsistere nequit; ut si quis post sponsalia cum duabus sororibus inita, cum una illarum fornicetur; tunc enim defloratam obligatur ducere, quia cum altera ob impedimentum affinitatis nuptiæ consistere non possunt.

6. ℞. 2. Consensus sponsalitius debet esse *deliberatus*, hoc est, cum tanta advertentia, quanta sufficit ad peccatum mortale, seu ad promissionem humano modo factam: ita comm. nam sponsalia sunt contractus, seu actus moralis; ergo perfici debent consensu deliberato. Unde quia passio amoris, iræ, odii, vel alia similis, rarissime aufert usum rationis, non obstat valori sponsalium, nisi oppositum probetur: quo sensu explicatur *l.* 48. *ff. de R. J.* Nec contrariatur *Can.* 5. *si quis* 2. *q.* 3. *& Can.* 21. *de pœnit. dist.* 1. nam *cit. c.* 5. plus non dicitur, nisi quod convitium in ira dictum, vim accusationis non habeat, licet vim convitii habere possit. In *Can.* 21. dicitur, quod discessio non statim faciat divortium, nisi deinde constet, quod uxor diverterit *animo perpetuam constituendi discessionem*.

7. ℞. 3. Consensus sponsalitius debet esse *verus*, & non *fictus*: unde vi fictæ promissionis nullus in foro interno obligatur ad contrahendas nuptias: nam sine animo se obligandi nulla nascitur obligatio fidelitatis, aut justitiæ: at in foro externo, in quo verba censentur conformia menti, ficte promittens compellitur ad standum his sponsalibus, nisi probet fictionem; ut si vir illustris puellæ rusticæ promittant nuptias, cum talis jocari potius, quam sponsalia celebrare præsumatur. Damna autem, quæ ex ficta promissione alteri parti inferuntur, in conscientia reparanda sunt ab eo, qui suo perniciosо mendacio, seu delicto partem illam damnificavit.

8. II. Deflorans puellam sub ficta promissione matrimonii, in conscientia non tenetur determinate ad illam ducendam: ita S. Ant. Bonac. & alii contra Sanch. Schmier, Laym. &c. Prob. ex *cap.* 26. *hoc tit.* ubi deflorator sub ficto contractu matrimonii non contrahit obligationem maritalem: *quoniam dolus solummodo adfuit, & defuit omnino consensus*; ergo ob eandem rationem deflorator non contrahit obligationem sponsalitiam. Ratio est, quia obligatio ista determinata non oritur

oritur ex *promissione* deflorantis, cum sola promissio vera, & non ficta inducat obligationem; non ex contractu innominato; *do usum corporis, ut me ducas*: nam licet puella sub hac conditione offerat copulam, alter tamen hoc ipso, quod ficte promittat nuptias, eam non acceptat sub tali conditione; & conf. ex hoc contractu inchoato a puella non obligatur. Denique obligatio ista non oritur *ratione domini illati*, quia hoc damnum aliter reparari potest, constituta, vel aucta dote, vel alio modo. Si vero deflorator aliter damnum illatum reparare non posset, nisi per nuptias, tunc teneretur defloratam ducere; cum injustus damnificator eo modo, quo potest, teneatur damnum illatum resarcire. Hæc pro foro interno: in externo autem proceditur secundum ante dicta, *Dices: c.* 1. *de adulter.* ibi: *dotabit eam, & habebit uxorem*. 2. Deflorator ex justitia obligabatur habere consensum sponsalitium verum; ergo illum supplere debet, ne aliud pro alio invitæ creditrici obtrudat contra *l.* 2. §. 1. *ff. de R. C.* ℞. *Ad* 1. particula *&* ex usu communi accipienda est disjunctive per *l. sæpe* 53. *ff. de V. S.* quod etiam adversarii fatebuntur. In alternativis vero debitoris est electio ex *reg.* 70. *in* 6. *ad* 2. Dist. ant. obligabatur, si copulam acceptasset sub ea conditione, sub qua fuit oblata, conc. ant. si acceptavit sub ficta promissione, neg. ant.

9. ℞. 4. Consensus sponsalitius debet esse *non mere internus*, sed simul *externus*, verbis, vel aliis sensibilibus signis manifestatus; nam sponsalia fieri debent modo humano, quo alii contractus, scil. per signa sensibilia indicantia internum consensum.

10. Et quidem 1. verba, quæ sunt signa nobiliora, intelligenda sunt secundum communem significationem, aut morem patriæ; ita ut constet ea serio prolata esse animo contrahendi sponsalia. Hæc verba: *nullam ducam, nisi te*, per se significant sola sponsalia conditionata: *si quam duxero, aliam non ducam, præter te*: nam in sensu juris particula *nisi* relata ad futurum, parit solum affirmationem conditionatam *lib.* 21. §. 5. *ff. de act. empt. l.* 40. §. 2. *ff. de cond. & demonstr.* licet relata ad præteritum, vel præsens, ex negativa faciat affirmativam absolutam; v. g. *non habemus Regem, nisi Cæsarem*, hoc est Cæsar est noster Rex, & non alius. Hæc autem verba: *volo te habere in conjugem*, sunt ambigua, an sponsalia, an matrimonium significent? Hodie in locis, ubi Trid. viget, quæstioni huic vix est locus, quia matrimonium contrahitur coram Parocho cum solitis verbis, & cæremoniis.

11. II. Annuli traditio, porrectio manuum, & similia signa, de se non sunt sufficienter manifestantia consensum sponsalitium, quia fieri possunt ex alio fine, v. g. amicitiæ, vel amoris, etiam pravi, nisi mos patriæ, vel aliæ circumstantiæ illa determinent ad significanda sponsalia; ut si tractetur de sponsalibus, & desuper sequatur traditio annullorum &c.

12. III. Taciturnitas, v. gr. fœminæ, dum vir ei promittit matrimonium, non est signum sufficiens sponsalium, quia in his obligatoriis tacens non habetur pro consentiente, etsi forsan interne consentiret: siquidem consensus in mente retentus, nihil operatur in contractibus humanis.

13. IV. Si parentes utriusque sexus pro liberis puberibus, vel impuberibus, præsentibus, vel absentibus contrahant sponsalia, hæc præsumuntur valida ex sola liberorum taciturnitate: ita clare deciditur *c. un.* §. *fin. de sponf. impub. in* 6. Ratio hujus specialis decisionis est, quia tacens, etiam in præjudiciosis, tunc habetur pro consentiente, quando tenetur, & potest contradicere, nec tamen contradicit: quo sensu recte intelligitur *reg.* 43. *qui tacet in* 6. sed dum parentes pro liberis contrahunt sponsalia, isti, si nolint ea fieri, tenentur, & possunt contradicere, mentemque suam aperire; ne alioquin peccent acta parentum contemnendo, & eludendo; ergo si præsentes taceant, vel absentes, postquam resciverint, non contradicant, censentur consentire in sponsalia a parentibus contracta. Et hoc pro foro externo, in quo jus præsumit talem consensum ex eo, quod liberi voluntatem suam conforment justæ voluntati parentum, & hi optime velint liberis prospicere de futuro matrimonio. At pro foro interno, in quo præsumptio cedit veritati, si liberi tacendo dissentiant, re ipsa nulla sunt sponsalia; cum de essentia eorum sit consensus personalis. Hæc tamen dispositio, utpote correctoria juris naturalis, non est extendenda ad fratres, patruos, tutores, similesque personas, quæ sine mandato speciali sponsalia pro aliis contrahere nequeunt. Nec obstat *c.* 14. *de restit. spoliat. & cap.* 1. *de matrim. contrar.* nam in *cap.* 14. vel sponsalia non erant contracta a patruo pro nepte, vel non erant valida. In casu *cap.* 1. *cit.* soror non tacuit, sed consensit expresse.

14. ℞. 5. Consensus sponsalitius debet esse *reciprocus* h. e., mutuo ab utraque parte datus, & mutuo acceptatus: nam sponsalia sunt contractus bilateralis, utramque partem obligans ad ineundas nuptias, ut insinuat Florent. *lib.* 1. *ff. hoc tit.* & Julian *lib.* 11. *eod. sponsalia*, inquiens, *sicut nuptiæ consensu contrahentium fiunt*; ergo: unde promissio ab una parte facta, & ab altera acceptata, sine repromissione futuri matrimonii, non facit sponsalia, sed tanquam liberale, & gratuitum pactum obligat solum promittentem, qui optime faciet præfigendo terminum promissario, ut, intra illum repromittat, prior promissio committatur. Si vero promissio matrimonii, etiam præsenti facta, non sit acceptata, nullo modo ex obligatoria, cum non sit duorum in idem consensus, *l.* 1. §. 2. 3. *ff. & c.* 1. 3. *de pactis. Dices: c.* 1. *qui Cler. vel vov.* sola promissio matrimonii inducit sponsalia. 2. Promissio acceptata virtualiter est repromissio; cum sicut nuptiæ, ita & sponsalia claudicare nequeant. ℞. *ad* 1. In isto casu vir, & mulier, mediante procuratore, vere consenserunt in sponsalia, ut ibi notat Glossa. *Ad* 2. Neg. antec. nisi aliud ex circumstantiis colligatur; ut si in præsentia testium ad sponsalia convocatorum puella acceptet promissionem, quia talis acceptatio censetur fieri animo ineundi sponsalia. Nec urget paritas a matrimonio: quia hoc ex natura sua est conjunctio viri, & mulieris, adeoque reciproce obligatorium: e contra promissio matrimonii potest esse, vel sponsalitia utrinque, vel mere liberalis, & gratuita.

15. ℞. 6. Consensus sponsalitius debet esse *liber* a coactione, quia libertas requiritur ad substantiam actus humani moralis. An vero sponsalia metu gravi injusto extorta valeant? controvertunt DD. Negant Abb. Covar. Laym. Schmier, Wex, & plures alii; sed cum Sylv. Less. Perez. Pirh. Schmalz. & aliis subscribo sententiæ affirmanti sponsalia metu extorta valere ipso jure. *Prob.* 1. Talia sponsalia valent *jure naturali*, quia metus non tollit voluntarium simpliciter; valent etiam *jure positivo* humano, quia nullibi irritantur expresse, neque tacite in *cap.* 14. *&* 15. *hoc tit.* nam jura ista de matrimonio loquentia, cum sint odiosa, & juris naturalis correctoria, non debent porrigi ad sponsalia. *Prob.* 2. Sponsalia ista non officiunt matrimonio, quia non obligant: neque sunt via ad matrimonium metu, sed purgato metu, sponte ineundum; neque nocent parti metum passæ, sed potius prosunt, quia in arbitrio ejus est, ut, vel rescindantur probato metu, vel si deinde commoda appareant illi, pars metum incutiens teneatur eis stare: neque ex alio fundamento talis irritatio eruitur, ergo. Porro pars metum passa, si urgeatur ad nuptias, habet exceptionem *quod metus causa* §. 1. *Inst. de except.* si vero se liberare vult ab obligatione sponsalium, habet actionem *quod metus causa lib.* 1. *&* 9. §. 3. *ff. quod met. caus.* si tandem sponte renuntiet exceptioni, seu actioni *quod metus causa*, tunc metus purgatur, & sponsalia evadunt plene libera, obligantia utrinque efficaciter ad nuptias ineundas. Neque ratificatio ista, seu renuntiatio actionis facit nova sponsalia, cum ab altera parte non acceptetur, sed præcise est conditio, qua posita, prior consensus acceptatus, qui ex causa metus potuit infirmari, fit firmus, & efficaciter obligatorius; sicut accidit in aliis actibus metu gestis, dum pars metum passa renuntiat actioni metus, volendo stare contractu prius inito. Ex quo dissipantur ea omnia, quæ per longum, & latum affert P. wex. *Dices*: 1. *cap.* 11. *ex litteris, de sponf. imp.* sponsalia metu gesta dicuntur invalida. 2. Dispositum de matrimonio, censetur dispositum de sponsalibus *l.* 16. *ff. h. t.* ergo sicut matrimonium, ita sponsalia metu gesta non valent, 3. Pars metum passa multum gravaretur: nam contraheret impedimentum publicæ honestatis, & in casu, quo metus probari non posset, vel judex Ecclesiasticus ex malitia nollet

nollet rescindere sponsalia, cogeretur ad nuptias ineundas. ℟. *ad* 1. Sponsalia ibi vel erant valida, & ex causa metus rescissa, si puella nollet expectare puerum: vel erant nulla ex defectu consensus, quia puella *nunquam eum voluit, nec vult in virum habere.* Ex quibus verbis patet, dissensum puellæ fuisse non tantum in traductione in domum pueri, sed etiam in ipsa desponsatione. *Ad* 2. Ubi diversa est ratio sponsalium, & matrimonii, diversa est dispositio: hic autem diversa est ratio: nam matrimonium ex natura sua est insolubile: & ideo jus vult illud esse spontaneum: econtra sponsalia ob metum, & alias plures causas dissolvi possunt. *Ad* 3. Neg. antec. ad p. impedimenta a jure introducta non gravant, ut patet in affinitate orta ex copula illicita. Alterum gravamen, si accideret, per accidens se haberet etiam in sententia Adversariorum: nam si pars metum passa non posset probare metum, vel si judex ex malitia probationes non admitteret, vel injuste pronuntiaret sponsalia esse valida, pars ista in foro externo, nisi appellaret, cogeretur ad nuptias; sed hæ in foro interno, stante metu, non valerent in utraque sententia. Ex his patet, quod metus sponsalibus immixtus nullo modo influat in matrimonium, quia hoc non aliter valet, nisi metu purgato per renuntiationem actionis, *quod metus causa.*

16. ℟. 7. Sponsalia clandestina sunt valida, & per se licita: nam nullibi irritantur, vel prohibentur, tanquam illicita: neque sunt via ad matrimonium clandestinum, sed publicum coram Parocho, & testibus ineundum. Consultius autem fiunt sponsalia publica coram testibus, ut facile probari possint: secus conficienda erit scriptura super illis contractis: epistola vero, nisi sit confessata, non probat; uti nec litteræ amatoriæ, quæ solam præsumptionem de se levem faciunt.

17. Q. III. *An, & quæ pacta adjici possint sponsalibus?* ℟. 1. *Arrha* de utroque jure licite apponitur sponsalibus: nam jure Can. nullibi reprobatur: jure vero civili *l.* 3. 5. *C. hoc tit.* expresse permittitur arrharum constitutio. Nomine *arrhæ* objective sumptæ venit illa res mobilis, vel immobilis, quæ a sponsis, vel eorum parentibus datur, quasi pignus, in securitatem futuri matrimonii, sicut in aliis contractibus. Jam si quis ex sponsis juste resiliat a sponsalibus, arrha non duplicatur, ne quis ob justum factum puniatur, sed juste resiliens, si arrham accepit, eandem restituit, vel suam repetit: si vero non accepit, ad nihil tenetur. At si quis injuste resiliat, arrha duplicatur, hoc est, accipiens arrham tenetur eam restituere, & alterum tantum dare. Arrhæ quadruplicatæ, v. g. ut qui accepit 100. pendat 400. admittuntur ex speciali conventione: ultra quadruplum vero nequeunt augeri, *cit. lib.* 5. *C. hoc tit.* ubi tamen minor, si veniam ætatis non impetravit, excusatur ab excessu arrharum, & solum ad arrham, si quam accepit, restituendam obligatur. Item pater, si per eum non stet, quo minus filius, aut filia nuptias contrahant, datam a se arrham non perdit, ne alieno delicto prægravetur. 2. Excessus arrhæ ultra simplum accepti probabilius non debetur ante sententiam judicis, nisi aliud inter sponsos convenerit: ita Sanch. cum citt. contra Covar. Menoch. &c. volentes duplicationem, vel quadruplicationem arrhæ in conscientia deberi, saltem conditionate, si pars altera exigat. Ratio est, quia ille excessus vim habet pœnæ; hæc autem regulariter non debetur, nisi post sententiam judicis, licet sit pœna conventionalis, si aliter non sit conventum. 3. Si inter sponsos nuptiæ secutæ sunt, arrhæ repetuntur, vel computantur in dotem, aut donationem propter nuptias; nisi aliud habeat consuetudo loci: nam impleto contractu, arrha sine causa esset penes accipientem, ergo.

18. ℟. 2. Pœna moderata contra injuste resilientem licite apponitur in sponsalibus: ita Suar. Laym. Reiff. cum citt. contra Bartol. Covar. wex &c. nam talis pœna nullo jure reprobatur: non naturali, ut de se patet, cum pœna ista invitet ad actum honestum justitiæ, seu ad sponsalia implenda: non jure positivo, quia de hoc non constat; siquidem *c.* 29. *gemma h. t.* loquitur de sponsalibus invalidis puellæ infra septennium: vel si valida erant, puella facta viripotens ex privilegio juris, vel alia causa juste recedere potuit a sponsalibus *c.* 7. *de desponſ. imp.* ergo. Præterea pœna ista non minuit libertatem, sed tantum restringit temeritatem, ne quis sponsorum injuste resiliat: sicut arrha; vel pœna a judice Ecclesiastico lata contra injuste resilientem; ergo pœna in sponsalibus licite apponitur, sicut in aliis actionibus, & contractibus *lib.* 14. *ff. de pact. cap.* 4. *de arbitr.* Hinc Leo Imp. in sua *Nov.* 18. statuit, *ut in sponsalibus constituta pœna solvatur,* ne sponsalia sursum deorsum ferantur. *Dices: cit. c.* 29. *h. t.* in parte dispositiva generaliter prohibetur pœna in sponsalibus, uti etiam in *l.* 134. *ff. de V. O. & l.* 5. *C. h. t.* ibi in fin. *si cautio pœnam &c.* ℟. *cit. c.* 29. dispositio generalis ponitur pro omnibus similibus casibus, quibus juste resilitur a sponsalibus; & tunc non esse locum pœnæ ultro fateor. *Cit. l.* 134. liberi sponsalia a parentibus facta non ratificarunt; & ideo stipulatio pœnæ eis adjecta non valuit. *Cit. l.* 5. reprobatur pœna indifferenter posita contra juste, vel injuste resilientem. Imo verius puto ibi corrigi Jura antiqua civilia, secundum quæ, soluta pœna, potuit quis resilire a sponsalibus, & matrimonio jam contracto *l.* 14. *C. de nuptiis l.* 2. & *seqq. ff. de divort.* Et hoc modo stipulatio pœnæ sponsalibus adjecta est omnino turpis. Opposita sententia est practice tuta, eamque sequi potest, & judex in foro externo, & confessarius in foro interno, reum non condemnando ad pœnam promissam.

19. ℟. 3. Pœna late talis de lucro perdendo, aut non acquirendo, recte ab extraneo apponitur sponsalibus, ut si testator leget 100. Cajæ, si Titio nupserit: nam in tali casu fit liberalis promissio sub conditione certarum nuptiarum; ergo si conditio deficiat, etiam deficit promissio. At similis pœna adjecta ab ipsis contrahentibus, reprobatur a Jure, quia præsumitur amore libidinis facta *lib.* 97. §. 2. *ff. de V. O.* ut si Caja dicat: *si me uxorem duxeris: hanc villam tibi dabo.* Excipe, nisi talis donatio sit onerosa ex causa dotis, vel donationis propter nuptias.

20. ℟. 4. Sponsalitia largitas, seu donatio, quam sponsi sibi mutuo faciunt ob causam futuri matrimonii, secuto matrimonio, manet accipienti. Si culpa donantis non sequantur nuptiæ, sponsalitium donum manet donatario: si vero culpa donatarii non sequantur nuptiæ, is donum reddere tenetur: si tandem neuter sit in culpa, quo minus matrimonium sequatur, utrinque fit restitutio: sponsa tamen, si sponsus ei osculum dedit, medietatem doni sponsalitii lucratur, *l.* 15. 16. *C. de donat. int. nupt.* Hæc sponsalitia largitas aliter vocari solet *jocale, seu jocalium, mundus mulieribus, & dotalitium,* vel *donatio ante nuptias;* licet voces istæ etiam alias significationes habeant. Circa *proxeneticum*, quod datur proxenetæ, seu conciliatori nuptiarum in remunerationem industriæ adhibitæ, servatur consuetudo, vel conventio; idque speciale est, quod proxeneta conveniri nequeat, quamvis liberalius, quam verum erat, depinxerit qualitates, & facultates sponsi, aut sponsæ, *l.* 2. *ff. de proxen.*

21. ℟. 5. Pactum de habitando, vel non habitando in certo loco, recte apponitur sponsalibus, & contractis nuptiis, servari debet: nam tale pactum de se non est illicitum, neque contrariatur matrimonio. Excipe, nisi emergeret justa causa discedendi, antea non prævisa; ut si supervenirent capitales inimicitiæ, insalubritas aeris, &c. tunc enim uxor teneretur sequi maritum alio discedentem.

22. Q. IV. *Quis sit effectus sponsalium?* ℟. Duplex præcipuus: 1. Obligatio gravis justitiæ ad contrahendas nuptias, & conf. impedimentum impediens juris naturalis, ne matrimonium licite cum tertio contrahatur: ita *Can.* 27. 50. *& fin.* 27. *q.* 2. *c.* 2. 10. *& c. u. t. c.* 1. *de sponſ. duor.* Quibus juribus corrigitur jus civile *lib.* 1. *C. hoc tit.* ubi permittitur renuntiare sponsalibus, & cum alia contrahere, licet talis sponsus ob hoc notetur infamia *lib.* 13. §. 3. *ff. de his, qui notant. infam.* 2. Impedimentum publicæ honestatis, de quo infra, & jure veteri, ubi Trid. non viget, sponsalia per copulam firmata transeunt in matrimonium, *c.* 15. *&* 30. *hoc tit.* nam est præsumptio juris, & de jure, copulam istam factam esse affectu conjugali, ad excludendum peccatum fornicationis: si tamen copula habita est affectu fornicario, cessat præsumptio ista pro foro interno, licet in foro externo nulla probatio, saltem directa in contrarium admittatur.

23. ℟. 2. Dies obligationis sponsalitiæ, cujus impletio-

pletioni nullus terminus præfixus est, statim cedit, & venit a tempore initorum sponsalium: nam *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*, *l.* 14. *ff. de R. J.* neque ratio est, cur sponsalia implenda sint post unum, aut plures menses, & non post diem. Hoc tamen moraliter accipe, sicut in aliis contractibus, ex quibus præsenti die debetur, puta intra competens spatium temporis, quia etiam stipulator non statim eadem die cum sacco venire debet pro pecunia *lib.* 105. *ff. de solution.* Opposita sententia Navarri, Sanchez &c. docens, obligationem sponsalium non urgere, nisi altera pars exigat eorum impletionem, est practice probabilis, & usu firmata: Parocho tamen incumbet cura, ut sponsalia quantocyus in effectum deducantur, præsertim si altera pars ex verecundia, vel alia causa non audeat exigere impletionem sponsalium.

24. ℞. 3. Renuens absque justa causa implere sponsalia, a Judice Ecclesiastico monendus est, & prout prudentia dictaverit, etiam aliis pœnis, & censuris compellendus ad eorum impletionem: ita *c.* 10. *h. t.* & *cap.* 2. 17. *eod.* ubi tamen monetur Episcopus, ut si viderit, excommunicationem nihil prodesse propter pertinacem resilientis contumaciam, a censura abstineat, & inflictam revocet; quia tolerandum est potius minus malum, ne majus sequatur ex matrimonio coacto. In hoc tamen casu parti nocenti salubriter alia pœna infligi poterit, cum violetur justitia in re gravi, & legitimo præcepto superioris non pareatur.

25. ℞. 4. Fides sponsalium probabiliter violatur per fornicationem alterius ex sponsis; & consf. talis fornicatio præter speciem luxuriæ continet etiam speciem injustitiæ necessario in confessione exprimendam: ita Sarmient. Schmalz. &c. contra Covar. Henriq. & alios: nam juxta *cap.* 25. *de jurejur.* fornicatio ista est contra regulam desponsationis; siquidem violat jus ex sponsalibus quæsitum de corporis usu non alteri, sed sibi tradendo, ergo. Opposita sententia etiam est practice probabilis, quia per sponsalia non videtur acquiri aliud jus, nisi ad contrahendum matrimonium, quod jus per fornicationem non læditur. Multo minus fornicatio sponsæ est adulterium, cum non sit violatio thori alieni. Nec obstat *lib.* 13. §. 3. *ff. ad L. Jul. de adulter.* nam ibi sola accusatio, seu vindicatio sponsæ fornicantis permittitur ob injuriam sponso illatam; non vero talis fornicatio dicitur esse adulterium proprie tale.

26. Q. V. *An, & quibus modis sponsalia dissolvi possint?* ℞. 1. Sponsalia, cum ex natura sua non inducant aliquem statum fixum, & stabilem, dissolvi possunt sicut alii contractus humani, non tantum morte naturali, quæ omnia solvit, sed pluribus aliis modis, ut mutuo consensu, fornicatione alterius sponsi, susceptione Ordinis sacri, professione religiosa &c. de quibus hic ordine dicam.

27. ℞. 2. Sponsalia, etiam jurata, licet juramentum præstitum sit non solum in favorem partis, sed etiam principaliter intuitu pietatis, v. g. erga pauperem puellam, mutuo consensu partium dissolvi possunt, ex *reg.* 1. *in antiq.* quia *nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est*, *l.* 35. *ff. de R. J.* & favore suo quisque etiam puella pauper renuntiare potest ex reg. antiqua *l. pen. C. de pactis*. Ut vero dissolutio ista honeste, & licite fiat, requiritur justa causa; alioquin sponsi non erunt sine culpa, si temere, ex levitate, ira, & alia passione sponsalia solvant: quo sensu procedit *c.* 2. *h. t. Dices*: S. D. 2. 2. *q.* 89. *a.* 9. *ad* 2. dicit, quod promissarius non possit remittere juramentum intuitu pietatis factum, seu principaliter in honorem Dei; ergo neque puella pauper tale juramentum remittere poterit. ℞. S. D. loqui pro illo casu, quo res juramento promissa non cedit tota in utilitatem ejus, cui juratum est; ut si quis alicui juraret, quod certam Religionem ingredietur, Ecclesiam ædificabit &c. at hic tota sponsalia cedunt in utilitatem puellæ pauperis, cui utique renuntiare potest, ut colligitur ex posterioribus verbis S. D. *loc. cit.*

28. ℞. 3. Fornicatio non tantum sponsæ, sed etiam sponsi, dat parti innocenti justam causam resilendi a sponsalibus: ita comm. ex *cap.* 25. *de jurejur.* quod, licet expresse loquatur de sponsa fornicante, tamen comprehensive intelligitur de sponso fornicante: tum quia ratio utrobique est eadem, quod pars fornicans veniat *contra regulam desponsationis*, & frangenti fides non sit servanda: tum quia sponsus, & sponsa in hoc puncto non debent ad imparia judicari, sicut maritus, & uxor adulterantes. Si autem pars innocens velit stare sponsalibus, non licet parti nocenti resilire, ne commodum ex delicto suo referat, & detur occasio sponsalia fornicationibus dissolvendi. 2. Si sponsus, & sponsa cum tertio fornicentur, probabilius uterque resilire potest a sponsalibus: ita Palao, Wiestn. Schmalz. & alii contra Palud. Schmier, & alios, docentes, neutrum posse resilire, & contra Sanch. Pichler &c. docentes, sponsum resilire posse, non vero sponsam, quia in hac præter delictum fornicationis, in quo par est sponso, etiam altera causa est specialis turpitudinis: nam causa sufficiens resiliendi est violatio fidei sponsalitiæ *cit. c.* 25. *de jurejur.* & rationabilis timor, atque diffidentia de observanda olim fide conjugali; sed hæc causa manet, etsi uterque sponsus fornicetur; ergo utrique resilire licet. Nec obstat, quod sponsus alteram causam resiliendi habeat: sufficit enim sponsæ una causa principalis, scil. fides sponsalium fracta, & diffidentia de fide conjugali; sicut uxori sufficit adulterium mariti, ut ob hoc divertere possit, licet major sit turpitudo uxoris adulterantis. Nec pro secunda sententia facit *l.* 10. §. 2. *ff. de compens.* quod paria delicta mutua compensatione tollantur: nam lex ista procedit de compensatione civili pecuniaria, ut si tibi feci damnum 100. & tu mihi damnum 100. delicta ista mutuo civiliter compensamus; at in nostro casu locum non habet: quia posito æquali delicto fornicationis non tollitur causa resiliendi, puta diffidentia de fide conjugali. 3. Si sponsa per vim corrupta est, dat causam resiliendi, quia notabiliter evadit deterior, & turpior, *Can.* 33. *raptor.* 27. *quæst.* 2. & quamvis idem videretur dicendum de sponso per vim corrupto, tamen oppositum est probabilius: quia sponsus per hoc non fit vilior, nisi forsan sodomitice corruptus foret. 4. Tactus impudici, oscula, & similes actus a sponsa admissi dant sponso causam sufficientem resiliendi: nam talis sponsa præsumitur impudice vivere, & sponsus sine dedecore eam ducere nequit. Secus est in sponso, qui per tales actus cum alia femina commissos regulariter non fit vilior, neque dedecus, vel infamiam sponsæ infert, nisi actus isti essent frequentes, qui generarent diffidentiam de fide conjugali: tunc enim essent sponsæ causa sufficiens resiliendi a sponso.

29. ℞. 4. Omnis notabilis mutatio sponsalibus superveniens, vel antecedens quidem, sed primum post illa innotescens, est causa sufficiens resiliendi; uti est ex *parte corporis* deformitas, velut amissio oculi, narium, manus, lepra, paralysis, vel alius morbus incurabilis, *c.* 25. *de jurejur.* Ex *parte animi*, pravi mores, crudelitas, ebrietas, scortatio, hæresis, veneficium, inimicitiæ capitales inter sponsos, aut eorum propinquos &c. Ex *parte fortunarum*, si unus, vel uterque patitur notabilem jacturam bonorum, cum minus idonei fiant ad ferenda onera matrimonii: item si parentes nolint dare dotem &c. Ratio horum est, quia sponsi præsumuntur se non velle obligare ad casus tam difficiles, sed tacite conditionem apponunt: *si res in eodem statu permaneant*. Idem dic, si talis causa antea existens, v. gr. morbus gallicus, primum post sponsalia innotescat, quia in jure paria sunt non esse, & non apparere, *l.* 30. *ff. de testam. tutel.* unde sponsus, qui cogitavit se contrahere cum virgine, si primum post sponsalia innotescat, eam esse corruptam, vel viduam, non tenetur eam ducere. Excipe, nisi sponsus, cognita notabili mutatione sponsæ, eam carnaliter cognovisset, quia hoc modo censetur renuntiare juri resiliendi, sicut maritus accedendo ad conjugem adulteram censetur injuriam condonare. An divitiæ insperatæ, vel nobilitas superveniens sponsalibus det justam causam resiliendi, dubitatur. Affirmant Schmier, Vvex & alii, sed probabilius negant Sanchez, Konig &c. nam altera pars per hoc non fit deterior in se, neque exequutio sponsalium fit durior, nisi per accidens, quatenus offerri possent pinguiora sponsalia, quæ causa non est sufficiens resiliendi; alioquin toties recedi posset a sponsalibus, quoties alia pinguiora offeruntur.

30. ℞. 5.

30. ℞. 5. Discessus sponsi in terras remotas animo mutandi domicilium, si sponsa non consensit, dat ei sufficientem causam resiliendi, *cap.* 5. *hoc tit.* nam ita discedens, ipso facto præsumitur renuntiare juri sponsalium, cum sponsa eum sequi non teneatur: unde si constet sponsum tali animo abivisse, sponsa statim convolare potest ad alia sponsalia. 2. Si sponsus abivit in terras longinquas animo revertendi, & reditus est valde difficilis, seu moraliter impossibilis probabilius etiam in isto casu sponsa resilire potest, sive discessus factus sit ex causa necessaria, sive voluntaria: nam sponsus hoc modo non servat debite fidem datam, sed cedit jure suo; cum alias dura accideret sponsæ expectatio usque ad reditum sponsi, qui tam facile rediturus non speratur. Hoc tamen casu, antequam sponsa convolet ad alia sponsalia, conveniat sponsum per epistolam: & si hoc nequit, rem totam ad Episcopum referat, ejusque judicio submittat. Nec hic obstant jura civilia, *lib.* 2. *C & l.* 17. *ff. h. t. & l.* 2. *C. de repud.* nam loquuntur de perditione arrharum, si sponsa non expectavit sponsum absentem intra provinciam biennio, extra triennio, & ex causa necessaria quadriennio; quæ dispositio trahi non debet ad resolvenda sponsalia per renuntiationem saltem tacitam. 3. Si reditus sponsi facilis sit, vel difficilis quidem, attamen si cum licentia, seu consensu sponsæ sponsus discessit, tenetur eum sponsa expectare, usque ad tempus conventum, finiendæ obligationi præfixum; nam ita volenti sponsæ nulla fit injuria.

31. ℞. 6. Lapsu termini, *finiendæ obligationi* præfixi, solvuntur sponsalia ex parte innocentis; nocens vero tenetur stare sponsalibus *cap.* 22. *hoc tit.* idque probabilius verum est etiam in casu, quo alter ob moram legitimam, seu impedimentum necessarium non potuit intra terminum implere sponsalia: nam contractus ex conventione legem accipiunt, *reg.* 85. *in* 6. ergo lex, seu obligatio sponsalium non porrigitur ultra terminum finiendæ obligationi præfixum. Nec obstat, quod impedito tempus non currat *lib.* 1. §. *fin. C. de annal. except. cap.* 5. *de concess. præbend.* nam licet non currat ad pœnam legalem, aut conventionalem, currit tamen ad finiendam obligationem, si intra hoc tempus non fiat, quod ex conventione faciendum erat. Opposita sententia Sanchez, Pontii &c. non videtur improbabilis pro praxi. 2. At si terminus præfixus sit tantum *implendæ obligationi*, eo elapso, manet adhuc obligatio sponsalia implendi; nam terminus hoc modo præfixus respicit solam commoditatem contrahendi, non vero inducit ablationem obligationis. Exempla obvia habes in debitore, qui non solvit termino præfixo, in homine fideli, qui tempore Paschali non communicavit: nam & iste tenetur deinde communicare, & ille solvere. In dubio, an terminus præfixus sit *finiendæ*, an *implendæ* obligationi, attendendæ sunt causæ, & circumstantiæ; nam si terminus præfigatur ex causa, quia parti grave est diu abstinere a nuptiis, censetur terminus præfigi finiendæ obligationi: si vero terminus præfigatur ex causa, quia videtur esse commodum tali tempore nuptias celebrare, censetur terminus præfigi implendæ obligationi. In casu, quo per utrumque stetit, quominus nuptiæ celebrarentur intra terminum finiendæ obligationi præfixum, tunc ex parte utriusque sponsalia solvuntur; nisi ambo in prorogationem termini consentirent.

32. ℞. 7. Sponsalia resolvuntur pluribus aliis modis, ut 1. Deficiente, seu non impleta conditione, *cap.* 3. *de condit. appos.* 2. Professione religiosa, etiam post biennium in S. J. Susceptione S. Ordinis; & probabiliter voto perpetuæ castitatis, ut *tit.* 6. dicam. 3. Matrimonio de præsenti cum alia contracto: tunc enim saltem ex parte innocentis priora sponsalia pereunt, *cap.* 31. *hoc tit.* 4. Sponsalia ab impubere contracta, solo dissensu in pubertate facto evanescunt, *c.* 7. *de despons. impub.* 5. Legitima dispensatione Papæ. 6. Impedimento juris naturalis superveniente sponsalibus, uti est impotentia perpetua, quia tali casu matrimonium est impossibile. At si ex delicto alterius superveniat impedimentum juris Ecclesiastici, v. g. affinitas ex fornicatione cum consanguinea sponsæ in primo, aut secundo gradu, tenetur pars delinquens, si potest citra majus suum incommodum, & damnum, dispensationem petere, & injuste datum obicem tollere.

33. Q. VI. *An auctoritas judicis Ecclesiastici necessaria sit ad dissolvenda sponsalia?* ℞. 1. Si adsit justa causa, & simul notoria, nullo jure requiritur talis auctoritas, sed partes privata potestate resilire possunt. Excipe, nisi speciale aliquod statutum contrarium esset in diœcesi; tunc enim sponsalia præsertim publica, ad evitandum scandalum, necessario auctoritate Episcopi dissolvenda forent. 2. Si causa non sit notoria, aut certa, v. g. delictum fornicationis, plene probari debet coram Episcopo, ne per causam prætextam, & incertam tollatur alteri jus certum ex sponsalibus quæsitum. Si tamen pro causa allegaretur impedimentum dirimens, sufficeret judici etiam unus testis, fama, vel propria confessio utriusque, vel unius sponsi, *argum. cap.* 2. *hoc tit. cap.* 10. *de despons. imp. cap.* 2. *de consang. & affinit.* nam ubi agitur de vitando periculo animæ, seu de peccato, minor probatio requiritur.

§. II.

De Matrimonio.

34. *Nota* 1. Matrimonium, quoad nomen a *matre*, & non a *patre* dici, quia in procreatione prolium, ad quam matrimonium ordinatur, magis mater attenditur, quam pater; cum mater semper sit certa, pater vero incertus, ipsæque proles, ante partum onerosæ, in partu dolorosæ, & post partum laboriosæ matri esse soleant; ut merito status iste conjugalis matrimonium potius, quam patrimonium dicatur. Aliter vocatur *consortium*, *conjugium*, *& connubium*, seu *nuptiæ*; quia olim sponsæ velo, quasi nube tegebantur ob naturalem pudorem, & verecundiam, *Can.* 7. *& seq.* 30. *q.* 5.

35. *Nota* 2. Matrimonium quoad rem definiri, quod sit *viri*, *& mulieris conjunctio legitima*, *individuam vitæ consuetudinem continens*. § 1. *Inst. de patr. potest. lib.* 1. *ff. de rit. nupt.* Et quidem si *conjunctio* accipiatur casualiter, seu efficienter, definitio ista competit matrimonio in *fieri*, prout est actualis contractus, & legis novæ Sacramentum: si vero *conjunctio* accipiatur formaliter pro vinculo permanente, data definitio competit matrimonio in *facto esse*, prout est vinculum viri, & mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens. Quæ circa particulas hujus definitionis examinari possent, infra dicentur.

36. *Nota* 3. Matrimonium varie dividi: 1. In *legitimum*, *ratum*, *& consummatum*. *Legitimum tantum* est, quod secundum leges, præsertim naturales, contractum est inter personas idoneas, attamen fine ratificatione Ecclesiæ; & conf. non est Sacramentum, sed purus contractus civilis, sicut sunt matrimonia infidelium, *cap.* 7. *de divort. Can. fin. v. item illud*, 28. *quæst.* 1. *Ratum* est, quod secundum leges Christi contrahitur a baptizatis; & conf. ratificationem Ecclesiæ habet, estque verum novæ legis Sacramentum. *Consummatum* est, quod per copulam carnalem, quasi integraliter, & per modum complementi perficitur. 2. In *verum*, *præsumptum*, *& putativum*. *Verum* est, quod re ipsa valide contrahitur. *Præsumptum*, quod ab Ecclesia, seu a jure præsumitur contractum, sicut jure antiquo *cap.* 30. *hoc tit.* sponsalia per subsequentem copulam præsumebantur transire in matrimonium. *Putativum*, quod putatur legitime contractum: re ipsa tamen non est ob latens impedimentum dirimens. 3. In *publicum*, quod fit in facie Ecclesiæ, scil. in præsentia proprii Parochi, & testium: & *clandestinum*, quod fit clam, absque præsentia Parochi, & testium. 4. In *solemne*, in quo adhibentur solemnitates civiles, ut pacta dotalia, consensus parentum, solemnis traductio sponsæ in domum sponsi, musica &c. aliter vocatur *politicum*, seu *civile*: *& non solemne*, seu pure *theologicum*, aut *Canonicum*, in quo adhibentur ea solum, quæ de jure Can. necessaria sunt ad nuptias. Sicut autem in matrimonio solemni *ducta* vocatur *uxor*, ita in matrimonio non solemni *ducta* dicitur *concubina*, licet re ipsa sit vera uxor, *Can.* 35. *& seq. d.* 34. Sub matrimonio pure Canonico continetur matrimonium contractum ad morganaticam, de quo infra *tit.* 5.

37. Q. I. *Quid requiratur ad matrimonium, ut est con-*

contractus civilis, seu pure humanus? ℞. 1. Legitimæ personæ, mas, & fæmina; cujusmodi sunt omnes homines, qui specialiter non prohibentur: nam edictum de matrimonio contrahendo est prohibitorium in materia generaliter permissa, ergo. Prohibentur autem ob *defectum judicii* infantes, furiosi, amentes; perfecte ebrii; & probabilius illi, qui a nativitate surdi, muti, & cæci sunt, ut supra *num.* 4. dictum. Ob *defectum ætatis* impuberes; senes vero, dummodo apti sint ad actus conjugales, non arcentur a nuptiis jure hodierno: & ideo Justin. *lib.* 27. *C. de nuptiis* correxit L. Juliam Papiam, quæ senes ultra 60. annos non admittebat ad nuptias. Denique prohibentur a nuptiis omnes illi, qui laborant aliquo impedimento dirimente, aut impediente.

38. ℞. 2. Ad substantiam matrimonii requiritur consensus reciprocus, quo vir, & mulier sibi mutuo tradunt, & acceptant corpora in ordine ad actus conjugales. Unde consensus conjugalis explicite ferri debet in jus reale, seu potestatem maritalem, & saltem implicite in copulam: ita comm. sententia contra Pontium, & paucos alios, qui essentiam matrimonii constituunt in solo consensu, seu conjunctione animorum sine ullo consensu in copulam. Prob. *ex Gen.* 2. *v.* 24. *ibi: adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, &* 1. *Cor.* 7. *vers.* 4. *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Idem docet Florentin. in *Decr. un.* §. *septimum,* Tridentin. *Sess.* 24. *c. matrimonii & c.* 1. *de reform. matrim.* Ex qua doctrina ita argumentor: matrimonium essentialiter, & ex natura sua institutum est ad procreationem prolium, & propagationem generis humani; ergo consensus maritalis essentialiter ferri debet in jus, & potestatem ad actus conjugales: *subs.* sed hoc ipso, quod quis consentiat in talem potestatem, etiam implicite consentit in copulam, seu in actus conjugales; nam consentiens in causam, virtualiter, & implicite consentit in ejus effectum; ergo consensus conjugalis, saltem implicite fertur in copulam: secus non apparet repugnantia, cur inter patrem, & filiam non posset matrimonium consistere. Unde S. D. in supplem. *q.* 48. *art.* 1. docet, consentire in matrimonium idem esse, ac *consentire in copulam carnalem implicite, non explicite; non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in causa: quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re sua est causa usus.* Et *p.* 3. *q.* 29. *art.* 2. *in corp.* ait, *omnino verum fuit matrim. Virg. Matris Dei, & Joseph, quia uterque consensit in copulam conjugalem,* (hoc est in vinculum, seu potestatem conjugalem) *non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret.* An vero consensus maritalis suppleri possit a Deo? dubitatur: affirmantium opinio videtur probabilis; quia Deus, cum in sua potestate corpora hominum habeat, potest virum, & mulierem conjungere absque ullo eorum consensu, tribuendo utrique jus mutuum ad usum corporum. *Dices contra superiorem Resp.* 1. Nuptias non concubitus, sed consensus facit. *lib.* 81. *ff. de R. J.* quod etiam docet S. August. *lib.* 3. *de bono conjug. cap.* 3. & alii SS. PP. 2. In aliis rebus dominium directum separabile est ab utili; ergo etiam in matrimonio potest dari potestas directa sine potestate utendi corporibus. 3. Sufficit, quod ex parte contractus consentiatur implicite in copulam, licet non ex parte contrahentium. 4. Videtur requiri consensus expressus in copulam, quia per matrimonium sunt duo in carne una: unde *Can.* 16. *& seq.* 27. *q.* 2. dicitur: *non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commistio sexus non docetur fuisse.* ℞. *ad* 1. Consensus iste, seu conjunctio animorum, non est qualiscumque, sed essentialiter ordinatus ad actus conjugales, qui saltem implicite continentur in jure maritali. *Ad* 2. Neg. conseq. nam dominium, seu jus maritale per se est potestas utendi corporibus, sine qua nullæ sunt nuptiæ; econtra dominium aliarum rerum per se non est potestas utendi; & ideo in aliis rebus dominium utile separari potest a directo. *Ad* 3. Subtilitas ista videtur inconceptibilis; si enim ex parte contractus consentitur in copulam, necessario etiam consentitur ex parte contrahentium, qui contractum faciunt. *Ad* 4. Neg. anteced. *ad pr.* duo in carne una dicuntur per hoc, quod alter alterius potestatem habeat. Canones allegati, utpote depravati, qui in fontibus non reperiuntur, nihil probant, nisi per *commistionem sexus* intelligatur *commistio,* seu *conjunctio* viri, & mulieris in potestatem maritalem consentientium.

39. ℞. 3. Consensus maritalis debet esse. 1. *Verus* sine fictione; alioquin matrimonium simulatum sine animo contrahendi, coram Deo est nullum, *cap.* 26. *h. t.* & ficte consentiens, utpote alteram partem injuste damnificans, tenetur damna illata resarcire, quod vix alio modo fieri potest, nisi præstando consensum verum; modo non obsit aliquod impedimentum dirimens. 1. *Mutuus,* seu reciprocus, quo alter alteri tradat, & acceptet corpus, *cap.* 1. *de sponsa duor.* 3. *Liber* a coactione, & metu gravi injusto, *cap.* 14. 29. *hoc t.* 4. *Simultaneus,* saltem moraliter, ne interim tempore intermedio ab uno revocetur. 5. *Expressus* ab ipsis contrahentibus: & ideo parentes, licet pro liberis suis contrahere possint sponsalia; non tamen matrimonium, quod fortiorem obligationem, & majora gravamina post se trahit; ut proinde dispositio *cap. unic.* §. *fin. de despons. impub.* utpote correctoria juris naturalis, non sit extendenda ad matrimonium. 6. Consensus matrimonialis debet esse verbo, vel alio signo æquivalente, extrinsece manifestatus: tum quia matrimonium est contractus humanus, qui verbis, aut signis exterioribus perficitur; tum quia est simul Sacramentum, quod signo visibili, seu sensibili constare debet. Decens tamen est, ut personæ loqui valentes, consensum suum verbis claris exprimant; maxime si alias scandalum oriretur, vel dubium de valore matrimonii. Hoc, & non plus colligitur *ex cap.* 25. *hoc tit. c.* 3. *de spons. duor.* Interpreti, quo mediante, contrahitur, integre credendum est; cum sit communi contrahentium voluntate electus.

40. Q. II. *An, & quod matrimonium sit Sacramentum?* ℞. 1. Matrimonium fidelium in lege Christi est verum Sacramentum: ita contra Sectarios definitum est in Conc. Florent. in *decret. un.* §. *quinto, &* §. *septimo,* Trident. *Sess.* 7. *Can.* 1. *de Sacram. & Sess.* 24. *Can.* 1. Quæ definitio fundatur in perpetua traditione, a Christo Domino accepta, & in verbis Apostoli *Ephes.* 5. in fin. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Ratio est, quia, ut docet Trident. *cit. Sess.* 24. *in doctrina de sacr. matrim.* matrimonium confert gratiam, quæ naturalem conjugum amorem perficit, indissolubilem unitatem confirmat, conjugesque sanctificat, & ad sustinenda onera matrimonii corroborat, ergo. Videtur autem hoc Sacramentum institutum, vel illo tempore, quo Christus nuptiis interfuit *Joan.* 2. vel dum, sublato libello repudii, voluit matrimonium esse insolubile; vel complete post Resurrectionem suam, dum multa locutus est de regno Dei, seu statu Ecclesiæ *Actor.* 1. His non obstat *cap.* 3. *de Presbyt. non baptiz.* nam ibi dicitur, quod aliqua, quæ in Ecclesia sunt Sacramenta, ab infidelibus more profano, & materialiter recipi possint, ut Eucharistia, & matrimonium in ratione contractus civilis.

41. ℞. 2. Essentia metaphysica Sacramenti matrimonii consistit in conjunctione maritali, significativa, & collativa gratiæ; physica vero in materia, & forma: & quidem corpora conjugum sunt materia remota; proxima vero est consensus externus, ut habet vim traditionis; forma autem est idem reciprocus consensus, ut habet vim acceptationis, determinantis traditionem, seu materiam. Denique ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, non vero Sacerdos: ita vera sententia contra Canum: nam ille est minister matrimonii, qui illud efficit; sed ipsi contrahentes efficiunt Sacramentum matrimonii, quia per *cit. Flor.* §. *septimum, causa efficiens matrimonii est mutuus consensus:* Sacerdos vero est tantum testis ab Ecclesia deputatus, qui benedictionem conjugibus impertit, ergo, tum qui ante Trid. matrimonium fuit, Sacramentum, & tamen absque Sacerdote contrahi potuit, Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de ref. matr.*

42. ℞. 3. Matrimonium est Sacramentum transiens, seu consistens in actuali usu; non vero permanens, sicut Eucharistia: ita Bosco, Schmier &c. contra Sanch.

Laym. & alios: nam Sacramentum novæ legis est signum practicum ex opere operato collativum gratiæ, sed talis gratia confertur conjugibus in ipso actuali contractu: non vero ex opere operato in ipsa copula carnali, ut communis docet ex *Can.* 4. *connubia* 32. *q.* 2. ibi: ***non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus dabitur***, ergo. Ex quo patet disparitas a Sacramento Eucharistiæ, quæ in usu sui sanctificat ex opere operato. *Dices*: matrimonium semper significat insolubilem unionem Christi cum Ecclesia: ergo semper est Sacramentum. ℞. Significatio ista speculativa non competit præcise ex eo, quia Sacramentum est, alias etiam competeret matrimonio rato; sed ex eo, quia matrimonium, quod susceptum fuit ut Sacramentum, per copulam consummatum est. Ut vero quid sit proprie Sacramentum, debet esse signum practicum significativum gratiæ.

43. ℞. 4. Matrimonium fidelium non est duplex, sed unicum Sacramentum: nam inter duos unicus est contractus, ad rationem Sacramenti elevatus; ergo & unum Sacramentum: unde si ex dispensatione Apostolica fidelis contraheret cum infideli, sicut S. Monica cum Patritio patre S. Augustini, Clotildis cum Clodovæo Francorum Rege, probabilius ex parte neutrius est Sacramentum: nam cum sit unum Sacramentum, unusque contractus, deberet esse totum, seu unum in utroque; sed in infideli non potest esse Sacramentum, ergo nec in fideli. Nec obstat textus ex 1. *Cor.* 7. *v.* 14. nam vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, non sanctitate sacramentali, sed legali, seu legitima, quatenus proles legitimæ sunt; item externa, & occasionali, quia ex cohabitatione datur occasio conversionis ad fidem.

44. ℞. 5. Matrimonium conversorum ad fidem non transit in Sacramentum proprie tale: ita Bosco, Schmalz, contra Sanch. &c. qui volunt transire ipsa baptismi susceptione, & contra Bellarm. Laym. &c. volentes transire, dum prior consensus post baptismum renovatur. Prob. ex dictis, quia actualis contractus matrimonii elevatus est ad rationem Sacramenti; sed contractus iste non fit tempore baptismi, neque post baptismum, cum supponatur factus in infidelitate, ergo. *Dices*: juxta S. D. in 4. *d.* 39. *q. un. a.* 3. *ad* 1. infidelium matrimonium est Sacramentum non actu, sed habitu, seu aptitudine, & post baptismum fit ratum. ℞. S. D. loqui de Sacramento, non stricte, & proprie, prout est signum practicum collativum gratiæ, sed late, prout est signum speculativum significans insolubilem unionem Christi cum Ecclesia; cujusmodi signa sunt omnia matrimonia consummata fidelium.

45. ℞. 6. Fideles, etiam post Tridentinum, contrahere possunt per procuratorem matrimonium in ratione Sacramenti; ita com. contra Durand. Can. &c. nam matrimonia a fidelibus contracta sunt Sacramenta, ut definit Flor. & Trid. *ll. citt.* sed matrimonia contrahi possunt a fidelibus per procuratorem, *c. fin. de Procur. in* 6. cujus dispositio non adversatur Tridentino, cum procurator nomine principalis contrahere possit coram Parocho proprio, & testibus, ergo. Idem dic de litteris continentibus consensum matrimonialem; quia & istæ litteræ exhiberi possunt Parocho, & testibus, & coram eis reciprocus consensus dari: ceterum, ut tale matrimonium valeat, requiritur in procuratore speciale mandatum, quod propter arduitatem negotii subtmandari non potest: & ne interim principalis tempore intermedio suum consensum revocet, *cit. cap. fin. Dices*: pœnitentia, Ordo, & alia Sacramenta non possunt suscipi per procuratorem; ergo nec matrimonium, maxime cum principalis eo tempore, quo contrahitur, posset dormire, & nihil cogitare de matrimonio. 2. Consensus matrimonialis est personalissimus; ergo suppleri non potest per procuratorem, sicut nec consensus tutoris. ℞. *Ad* 1. Neg. conf. nam cetera Sacramenta non imitantur naturam contractus, neque in eis verificaretur forma: *ego te absolvo &c.* econtra matrimonii Sacramentum sequitur naturam contractus, nec habet formam determinatam per certa verba, cum sufficiant quæcumque æquivalentia signa. Illa autem verba; *ego vos copulo*, sunt cæremonia accidentalis, & verificari possunt hoc sensu: *ego vos nomine procuratorio contrahentes copulo*. Quod principalis eo tempore dormiat, non officit, quia consensus ipsius moraliter perseverat in mandato, & dormiens, modo aliunde impeditus non sit, gratiam recipere potest. *Ad* 2. Dist. antec. est personalissimus per exclusionem procuratoris, neg. antec. per exclusionem alterius, qui sine mandato speciali contrahat, conc. antec. quod tutor substituere sibi nequeat subtutorem, specialiter a jure introductum est favore pupillorum, cum datio tutoris legi reservetur; quod jus, & ratio non currit in contrahentibus matrimonia.

46. ℞. 7. Fideles contrahendo validum matrimonium, non possunt rationem Sacramenti separare a contractu matrimoniali: ita Petr. de Ledesm. Laym. Sanch. Schmalz. & alii; quorum sententia mihi videtur probabilior, licet aliquando oppositam defenderim cum Gonet. Vasq. Dicastill. &c. Prob. ex cit. Flor. §. *septimum*, & Trid. *sess.* 24. *Can.* 1. ubi generaliter, & indistincte matrimonium fidelium dicitur esse vere, & proprie Sacramentum: sed hæc definitio conciliaris non esset vera, si aliqua matrimonia valide a fidelibus contracta non essent Sacramenta; ergo omnia sunt Sacramenta: vel si Sacramenta non sunt, neque sunt vera matrimonia. Ratio est, quia Christus matrimonium in ratione contractus validum elevavit ad rationem Sacramenti, seu voluit esse Sacramentum, & conf. conditionem ei apposuit, ut, si fideles valide illud contrahere velint, contrahant illud modo christiano cum ratione Sacramenti; non vero more ethnico in ratione puri contractus; ergo matrimonium a fidelibus contractum semper est sacramentum; vel si hoc non est, neque est validum matrimonium: tum quia non est credibile, Christum Dominum in arbitrio fidelium reliquisse, ut pro placito suo matrimonia contrahant cum, vel sine ratione sacramenti. *Dices*: 1. Juxta Florentin. intentio est necessaria ad valorem cujuscumque sacramenti; sed contrahentes matrimonium possunt habere positive contrariam intentionem non conficiendi sacramentum, maxime si sint hæretici, negantes matrimonium esse sacramentum. 2. Christus elevando res ad sacramenta, non sustulit naturam physicam, vel moralem illarum; ergo neque sustulit valorem matrimonii in ratione contractus. 3. Ex nullo jure constat, quod conditio sacramenti annexa sit matrimonio fidelium modo irritativo, ut matrimonium secus contractum sit nullum in ratione contractus. ℞. *ad* 1. Fideles, uti & hæretici habent generalem intentionem contrahendi matrimonia more christianorum; & conf. in ratione sacramenti, cui intentioni non prævalet privatus error, quo cogitant, vel matrimonium non esse sacramentum, vel illud a se non contrahi in ratione sacramenti. Quodsi autem nec generalem intentionem habeant contrahendi more christianorum, sed contrahere velint more ethnicorum, tunc quidem, fateor, non conficiunt sacramentum ex defectu intentionis, ut sanior TT. sententia tenet, sed neque conficiunt matrimonium in ratione contractus validum: tum quia non observant conditionem a Christo annexam; tum quia sequeretur, talem contractum non esse sacramentum ex doctrina Adversariorum, & esse sacramentum ex doctrina Conciliorum docentium omne matrimonium a fidelibus contractum valide, esse sacramentum, cum Christus matrimonium in Ecclesia validum elevaverit ad rationem sacramenti. Sicut ergo in lege Christi repugnat, ut matrimonium ponatur validum in ratione sacramenti, & invalidum in ratione contractus, ita quoque repugnat, ut matrimonium ponatur validum in ratione contractus, & invalidum in ratione sacramenti; cum ista duo Christus inseparabiliter conjunxerit, Sanch. *l.* 2. *de matr. disp.* 10. *in fin. Ad* 2. Nihil quidem sustulit, sed tamen annexuit conditionem sacramenti, ut contractus iste validus esset sacramentum; ergo si fideles volunt contrahere valide, debent etiam velle conficere sacramentum. Sic ordinatio clericorum, si non valet ut sacramentum, neque valet ut actus civilis deputans ad ministeria clericalia. Unde phrasis ista: *Christus non immutavit naturas rerum ad sacramentum elevatarum*, sane est intelligenda, quod scil. ratio sacramenti non destruat, sed elevet essentias rerum; non vero quod ea, quæ attento jure naturali valide fierent, etiam valide fiant in Ecclesia Christi sine ratione sacramenti, ut probari potest per omnia sacramenta. Sic etiam Tridentinum irritando matrimonia clandestina, non sustulit naturam matrimonii, sed determi-

terminavit; & tamen hodie matrimonia clandestina sicut non valent in ratione sacramenti, ita neque valent in ratione contractus. *Ad* 3. Eodem jure, quo constat matrimonium validum elevatum esse ad rationem sacramenti, etiam constat per necessariam consequentiam nullum in Ecclesia Christi matrimonium valide contrahi, quod non sit sacramentum. Vel Adversarii ostendant exceptionem, aut dicant Concilia temere loqui, dum sine exceptione definiunt matrimonia fidelium, utique valida, esse vere, & proprie sacramenta; quæ definitio non esset vera, si vel unum matrimonium, valide a fidelibus contractum, non esset sacramentum. *Dices*: Valida est baptizatio physica, etsi non sit sacramentum; ergo etiam validus est contractus matrimonii, etsi non sit sacramentum. ℞. Istam paritatem non esse ad rem: nam baptizatio non elevatur ad lavandum corpus, sed ad lavandam animam a peccatis: sine ratione autem sacramenti aqua nec physice, nec moraliter lavat animam: & similiter matrimonium in lege Christi, sine ratione sacramenti moraliter non ligat animam, licet physice ponatur consensus internus, & externus, sicut physice ponitur baptizatio corporis, in quo paritas ista currit, non vero in valore, de quo loquimur: secus etiam ordinatio sacerdotum, de jure naturali sufficiens, sine ratione sacramenti sufficeret ad sacerdotium novæ legis christianæ, quod unice volunt Sectarii.

47. Q. III. *Qui sint effectus, & proprietates matrimonii*? ℞. seqq. 1. *Vinculum conjugale*, quod ex natura sua relativum est, dicens habitudinem mariti ad uxorem, & econtra, S. D. in supplem. *q.* 44. *art.* 1. Et per tale vinculum ex mutuo maritali consensu resultans constituitur matrimonium in facto esse, seu status conjugalis ex natura sua continens individuam vitæ societatem; ac proinde vinculum istud ab intrinseco, ex natura sua, seu de jure naturali est indissolubile, ut infra dicam *tit. de divortiis*. 2. *Bonum fidei conjugalis*, seu jus *maritale*, aut mutua potestas in corpora, vi cujus conjuges obligantur mutuam amicitiam, & amorem sibi exhibere, communiter in eadem domo habitare, communi mensa, & thoro uti, debitum sibi reddere, & nulli extraneo commisceri, vel copulari per nuptias; & ideo de jure naturali contrahunt impedimentum *ligaminis* dirimens alias nuptias. Quæ omnia expressit Deus *Gen.* 2. *vers.* 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: eademque inculcat Apostolus 1. *Cor.* 7. Ex mutuo tamen consensu jura ista restringi, vel remitti possunt, quatenus subjacent potestati conjugum, ut jus cohabitandi, exigendi debitum, modo absit periculum incontinentiæ. 3. *Bonum prolis*, quæ sit legitima, ali, & christiane educari debet a parentibus. 4. *Bonum sacramenti*, vi cujus conjuges recipiunt gratiam sanctificantem cum jure ad specialia auxilia bene, & sancte vivendi in hoc arduo statu, ejusque onera sustinendi. Quod si conjuges in peccato mortali contrahant matrimonium, peccant gravi peccato sacrilegii: juxta nonnullos duplici, vel uno æquivalente duobus, quatenus indigne sibi administrant, & recipiunt sacramentum: probabile tamen est, quod remoto obice, gratia matrimonii eis conferatur, cum sacramentum matrimonii virtualiter perseveret in vinculo conjugali; atque ita capax sit suum producere effectum. Ex bono sacramenti, quatenus ordinati ad consummationem matrimonii, oritur etiam absoluta, & omnimoda indissolubilitas, ita ut matrimonium consummatum nulla potestate humana, etiam Summi Pontificis dissolvi possit; quia Christus Dominus voluit unionem suam indissolubilem, quam habet cum Ecclesia per carnem, significari per matrimonium consummatum, ut docet Apost. *Ephes.* 5. *v.* 32. Trid. *sess.* 24. *in doctr. de sacr. matrim. & Can.* 5. *&* 7. Et hi sunt præcipui effectus matrimonii utrique conjugi communes: speciales autem effectus ex parte mariti sunt: *potestas maritalis*, vi cujus maritus est caput uxoris, quæ non ut ancilla, sed ut socia subordinata, tenetur marito obedire in his, quæ pertinent ad curam domesticam, & rectam familiæ administrationem: item *potestas patria* respectu liberorum, de qua fuse agunt Civilistæ. Ex parte uxoris speciales effectus sunt, quod uxor coruscet radiis mariti, participando ejus nobilitatem, dignitatem, privilegia fori, sessionis, immunitatis, domicilii &c. de quibus consule Civilistas.

48. Q. IV. *Quid juris circa petitionem, & redditionem debiti*? ℞. Obligatio reddendi debitum, si ab altero conjuge petatur, ex genere suo est gravis, regulariter sub mortali obligans, nisi justissima causa excuset, 1. *Cor.* 7. *v.* 3. *Gen.* 2. *crescite, & multiplicamini*: nam obligatio ista est justitiæ orta ex contractu matrimoniali graviter obligatorio. At *petere debitum* per se neuter conjux obligatur; quia nemo obligatur jure suo uti. Per accidens, si altera pars ex verecundia non petat, ad removendum periculum incontinentiæ, saltem ex charitate obligatur alter ad petendum debitum; quia tunc petere, moraliter est reddere debitum.

49. ℞. 2. In dubio de valore matrimonii, eadem observantur, quæ in dubio dominiorum, possessionum, & similium jurium. Et quidem 1. In dubio positivo, dum pro, & contra adsunt rationes probabiles, uterque licite petit, & reddit debitum: nam ob rationem solum probabilem neuter privatus est commodo possessionis: & aliunde opinio vere probabilis de valore matrimonii contracti excludit periculum fornicationis formalis. 2. Qui bona fide contraxit matrimonium, & superveniente dubio, incipit dubitare de valore illius, si adhibita sufficienti diligentia, veritatem comperire nequeat, deposito hoc dubio speculativo, licite petit, & reddit debitum: nam ob superveniens dubium non debet deturbari ex possessione bona fide acquisita, Reiff. Theolog. moral. tract. 4. dist. 13. num. 84. cum aliis ibi cit. 3. Si unus bona, & alter mala fide contraxit, veritate non comperta, bonæ fidei conjux debitum petere potest ob rationem mox datam: at male fidei conjux, qui suspicionem habens de impedimento latente mala fide matrimonium contraxit, debitum petere non potest; quia ex contractu malæ fidei non acquisivit jus petendi, & utendi; reddere tamen debitum debet, ut communior docet contra Sotum, quia conjux bonæ fidei non debet privari jure & commodo possessionis ob malam fidem alterius, donec probetur matrimonium esse nullum. Si vero uterque mala fide contraxit, neuter petere, & reddere potest debitum, ob eandem rationem: quo sensu procedit *cap.* 44. *de sentent. excom.* 4. Si uterque dubitare incipit de valore matrimonii bona fide contracti, probabilius ante sufficiens examen, neuter licite potest reddere, aut petere debitum: ita Sanch. & alii contra Cordub. Henriq. &c. docentes licitum esse reddere, sed non petere: nam possessio dubia, non præmissa sufficienti investigatione veritatis, non tribuit jus utendi, sed deficiente tali jure, alter nec tenetur, nec potest dare usum corporis; ergo. Nec est paritas a conjuge ligato per votum castitatis: nam talis in materia justitiæ habet jus exigendi debitum, licet peccet in materia Religionis; & consf. altera pars licite ei reddit debitum.

50. Q. V. *Quis parentum teneatur alere proles*? ℞. 1. Pater mox a nativitate, imo existentibus in utero tenetur providere de alimentis: ita verior sententia ex *lib.* 5. §. 1. *& seqq. ff. de agnoscend. & alend. liber. & lib.* 8. *eod.* ubi onus alendi liberos generaliter attribuitur patri, *& lib.* 5. *ff. de ventre in poss. mitt.* ubi JCtus ait; *curator ventris alimenta mulieri statuere debet; quia videntur, quæ ita præstantur, ipsi præstari, qui in utero est*. Nec obstat *lib.* 9. *Cod. de patria potest.* ex qua nonnulli volunt matrem obligari usque ad triennium alere proles: nam lex ista, ut bene advertit Lauterbach, Schmier, & alii, procedit de alimento lactis, & cura infantis, non vero de aliis alimentis, quæ etiam in utero existenti pater præstare tenetur. In defectum patris ad alendos liberos obligantur ejus ascendentes; & tandem mater *cit. leg.* 5. §. 2. *&* 4. *ff. de agnoscend. liber.* Si vero liberi aliunde sufficientem sustentationem habeant, excusatur pater ab eorum sustentatione; uti etiam si ingratitudinis delictum in patrem committant *lib.* 5. §. 7. *&* 11. *eod.* Porro nomine alimentorum venit victus, vestitus, habitatio, medicamenta, & cetera, quibus tuendi, curandive corporis nostri gratia utimur, *l.* 44. *ff. de V. S.* Et quamvis de jure civ. *Nov.* 89. *cap.* 15. *Auth. Ex complexu C. de incest. nupt.* prohibeantur alimenta dari spuriis, seu ex damnato coitu natis; hoc tamen correctum est per jus Can. *cap.* 5. *de eo qui duxit*, ubi jubentur

tur tales liberi sustentari; cum juri naturali contrarietur prolem, quæ non deliquit, ab alimentis parentum arceri.

51. Q. VI. *An matrimonium sit in præcepto?* ℞. Respectu communitatis humanæ est in præcepto; non vero respectu singulorum hominum. Ratio 1. quia Deus præcepit speciem humanam propagari, & ita conservari *Gen.* 2. *crescite, & multiplicamini*; ergo hoc præceptum afficit communitatem generis humani: & ideo in casu necessitatis posset is, qui communitati præsidet, aliquos cogere ad matrimonium. *Ratio* 2. quia non est necesse ad conservationem generis humani, ut singuli matrimonio jungantur: imo hodie, dum terra repleta est hominibus, expediet, ut cœlum repleatur virginibus.

52. Q. VII. *An concubinatus, in quo unicus cælebs unicæ cælibi jungitur absque contractu maritali, sit licitus?* ℞. Negative: nam licet olim jure civili permissus fuerit; jure tamen naturali, divino, & Canonico damnatur, cum foveat peccatum mortale tanto gravius, & perniciosius, quanto concubinatus est diuturnior, *Can.* 6. *audite d.* 34. *Can.* 11. *meretrices* 32. *q.* 4. Unde concubinarii, donec deserant occasionem proximam peccandi, non sunt absolvendi in Sacramento pœnitentiæ, de quo plura TT. & Trident. *Sess.* 24. *cap.* 8. *de reform. matrim.* Nec obstat *Can.* 4. *cum seq. d.* 34. nam loquitur de uxore ducta sine solennitatibus civilibus, quæ in sacris litteris, & in jure sæpe dici solet concubina, licet re ipsa sit vera uxor.

§. III.

De Impedimentis Matrimonii.

Cum in matrimoniis maxime spectanda sit honestas *lib.* 42. *ff. de ritu nuptiar.* recte jus induxit certa impedimenta, seu obstacula moralia, quibus certa matrimonia ob quandam indecentiam iniri vetantur: & de his in præsenti.

53. Q. I. *An detur in Ecclesia, & penes quem resideat potestas inducendi impedimenta matrimonii?* ℞. 1. Potestas ista datur in Ecclesia: ita sub anathemate definivit Trid. *Sess.* 24. *Can.* 4. nam præscribere formam contractui, ad rationem sacramenti elevato, non excedit potestatem Ecclesiæ, cum Christus Dominus hoc ipso, quod non determinaverit, qui contractus matrimonii sit legitimus, censeatur talem determinationem specificam reliquisse arbitrio Ecclesiæ; ergo.

54. ℞. 2. Potestas inducendi impedimenta dirimentia matrimonii residet in solo Papa: ita com. ex continuo usu Ecclesiæ: nam negotium istud circa talia impedimenta est unum ex gravioribus; ergo merito reservatur Sedi Apostolicæ: unde Prælati Papa inferiores, licet ex justa causa interdicere possint matrimonia, seu aliqua impedimenta impedientia statuere, non tamen dirimentia; cum potestas ista nullo jure sit eis attributa.

55. ℞. 3. Princeps politicus, sive fidelis, sive infidelis, non potest fidelibus statuere impedimenta dirimentia matrimonii; bene vero infidelibus sibi subjectis: ita com. cum S. D. in 4. *d.* 42. *art.* 2. *ad* 4. 1. *Ratio* 1. quia contractus matrimonii propter conjunctionem cum sacramento, est res spiritualis subducta a potestate politica, & attributa soli potestati Ecclesiasticæ, Trid. *Sess.* 24. *Can. fin.* neque fideles in contrahendis matrimoniis subduntur Regibus, sed Pontificibus; ergo. *Ratio* 2. quia matrimonia infidelium sunt purus contractus humanus, & civilis, cui Princeps certam formam præscribere potest; ergo, & impedimenta statuere, quorum plura videre est *tit. ff. de ritu nupt.*

56. ℞. 4. Consuetudine induci, & abrogari possunt impedimenta dirimentia matrimonii; etsi consuetudo ista non sit expresse approbata a Papa: ita communior ex reg. generali *cap. fin. de consuetud.* ubi approbatur omnis consuetudo rationabilis, & legitime præscripta; sed consuetudo, qua inducuntur, vel abrogantur impedimenta solo jure Ecclesiastico dirimentia matrimonium, potest esse rationabilis, & legitime præscripta, seu legitimo tempore durans, sicut *cap.* 1. *&* 3. *de cognat. spirit.* jubetur observari consuetudo circa impedimentum cognationis spiritualis; ergo. Ex hoc capite multi DD. præsertim Germani, docent matrimonia hæreticorum in Germania, quæ contracta sunt cum solo impedimento juris Ecclesiastici, esse valida, quia leges connubiales, saltem quoad vim irritativam, abrogatæ videntur per contrariam consuetudinem, quæ in his circumstantiis reputatur rationabilis ob bonum commune, ne plurima matrimonia dissolvantur, filii pro spuriis habeantur, atque incapaces sint officiorum publicorum, & beneficiorum, ne pax, & tranquillitas publica turbetur, præsertim, si nullo modo speretur observantia sac. Canonum. *Dices*: 1. Consuetudines istæ reprobantur *cap.* 1. *hoc tit. & cap.* 5. *de consanguin.* 2. Sequeretur, quod Sacerdotes apostatæ valide contrahant matrimonia in terris hæreticorum. 3. Consuetudo *cap.* 1. *&* 3. *de cognat. spirit.* ideo sustinetur, quia expresse approbatur a Papa. ℞. *ad* 1. *cap.* 1. *hoc tit.* prætexebatur lex, aut consuetudo contraria juri divino, vi cujus matrimonium rite contractum dissolveretur, *cap.* 5. *cit.* procedit de consuetudine irrationabili, & legitime non præscripta, quam præsumptores inchoare attentarunt. *Ad* 2. Neg. seq. nam quoad matrimonia Sacerdotum, & religiosorum non est inducta consuetudo, sed potius consuetudo contraria observatur: siquidem isti ad Ecclesiam reduces separantur ab uxoribus putatitiis, & hæ ad alias nuptias transire permittuntur. *Ad* 3. Approbatio ista est solum declarativa legitimæ consuetudinis, quæ ante ullam personalem approbationem vim suam habuit.

57. ℞. 5. Papa ex gravi causa potest inter duas personas interdicere matrimonium sub nullitate, seu cum decreto irritante, v. g. si magna sit inæqualitas contrahentium, timor discordiarum, scandalorum &c. nam Papa, cum possit respectu omnium, etiam potest respectu duorum ponere impedimentum dirimens: imo in pœnam gravissimi delicti, præsertim si pendeat in futurum, & timeatur continuandum in posteris, potest aliquem perpetuo inhabilitare, ne matrimonium contrahere possit, sicut, teste Calderin. Urbanus V. inhabilitavit Barnabonem Vice-Comitem Mediolanensem, ejusque liberos Ecclesiæ rebelles. Ceterum ut licite, imo & valide statuantur impedimenta dirimentia, requiritur justa causa; quia matrimonium est juris naturalis permissivi respectu singulorum; quod jus tolli non potest, vel mutari absque justa causa.

58. Q. II. *Qui obligentur legibus, & impedimentis nuptialibus?* ℞. 1. Si impedimenta sunt juris naturalis, & divini, iis ligantur omnes homines, etiam infideles: nam ab obligatione juris naturalis, & divini nemo eximitur. 2. Impedimentis juris Ecclesiastici ligantur soli fideles, seu baptizati, etiam regulariter hæretici: nam hi omnes subduntur Ecclesiæ, ejusque legibus. At infideles, ut judæi, & pagani, cum sint extra Ecclesiam, non ligantur his legibus; bene vero illis, quæ a Papa, ut principe politico, aliisque principibus eis præscribuntur.

59. Q. III. *Quotuplicia sunt impedimenta?* ℞. 1. Duplicia: *Dirimentia*, quæ vitiant valorem matrimonii, ut hoc valide non contrahatur: & *impedientia tantum*, quæ obstant honestati, ut matrimonium valide quidem, non tamen licite contrahatur: & in his locus est regulæ; *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, ex cap.* 16. *de regular.* ℞. 2. Utraque hæc impedimenta dividuntur in ea quæ sunt juris naturalis, & quæ juris Canonici, seu positivi. De jure naturali tantum impedientia sunt *votum, & sponsalia*, quia res uni promissa, licite, & honeste alteri non traditur: dirimentia vero sunt: *error personæ, ætas infantilis, impotentia, ligamen, & consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ*: nam priora quatuor ex natura sua adversantur substantiæ matrimonii: ultimum vero ob perpetuam turpitudinem, quæ reperitur in matrimonio patris cum filia, & filii cum matre irritat ejusmodi matrimonium; cetera sunt juris positivi. Et quidem de jure civili romano varia inducta fuerunt impedimenta dirimentia, v. g. liberi sine consensu patris non poterant inire matrimonium, senatores, eorumque liberi cum libertinis, tutor, & ejus filius cum pupilla, præses provinciæ cum fœmina provinciali, & plures alii non valebant certa matrimonia contrahere, ut fuse refertur, *tit. ff. de ritu nuptiar.* sed in Ecclesia Christi hæc impedimenta non curantur, nisi illa, quæ a sacris Canonibus recepta, & approbata sunt.

60. Q. IV. *Quæ in Ecclesia sint impedimenta impedientia matrimonii?* ℞. De jure hodierno sunt tantum

rum quatuor: *Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum*. De jure antiquo erant 12. scilicet impedimentum ex catechismo, & ex 7. criminibus. De impedimento sponsalium, & voti simplicis castitatis agetur *tit.* 4. & 6. de reliquis omnibus *tit.* 16. quo te remitto.

Circa ista impedimenta impedientia vide notata in Elencho I. n. XXI. par. I. pag. 391.

61. Q. V. *Quot, & quæ sint impedimenta dirimentia?* ℞. De jure antiquo sunt duodecim, vel quatuordecim, si triplicem cognationem numero distinguas. His de jure novo Trid. adduntur duo: *clandestinitas, & raptus*: ætas vero impuberum reducitur ad impotentiam. Hæc impedimenta comprehenduntur his antiquis versiculis: *Error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, si sis affinis, si forte coire nequibis, si parochi, & duplicis desit præsentia testis, si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto: hæc facienda vetant, connubia cuncta retractant*. *Error* hic intelligitur circa individuum personæ: *conditio* significat servitutem, *votum* professionem religiosam: *cognatio* propinquitatem personarum legalem, spiritualem, & carnalem: *crimen* machinationem in mortem alterius conjugis, vel adulterium cum promissione matrimonii: *cultus disparitas* religionem aliam a christiana: *ordo* tres sacros ordines: *ligamen* vinculum matrimoniale cum alio: *vis* metum: *honestas* impedimentum publicæ honestatis: *si sis affinis* impedimentum affinitatis: *si forte coire nequibis* impedimentum impotentiæ: cetera verba significant impedimentum *clandestinitatis, & raptus*. Ex his impedimentis quædam habent suos proprios titulos: nam de ætate agitur *tit.* 2. de clandestinitate *tit.* 3. de ligamine *tit.* 4. de conditionibus adversis matrimonio *tit.* 5. & de conditione servili *tit.* 9. de voto, & sacro Ordine *tit.* 6. de crimine *tit.* 7. de cognatione *tit.* 11. 13. & 14. de impotentia *tit.* 15. Reliqua non habent proprios titulos in jure, sed quædam insinuantur *hoc tit.* ac proinde hic mihi videbatur agendum de errore, vi, seu metu, raptu, dispari cultu, & justitia publica.

Impedimentum erroris.

62. Hic revoca ex dictis *lib.* 3. *tit.* 14. errorem in contractibus alium esse *substantialem*, qui versatur circa ipsum objectum substantiale: alium *accidentalem*, qui versatur circa accidentia, & circumstantias objecti. Uterque vel est *antecedens*, seu *dans causam contractui*, quo præcognito, contractus non fuisset celebratus: vel *incidens*, seu *concomitans*, quo præcognito, nihilominus contractus fuisset celebratus.

63. Q. VI. *Quis error dirimat matrimonium?* ℞. 1. Error substantialis circa individuum personæ reddit matrimonium ipso jure naturali nullum: ita com. ex *Can. un.* 29. *q.* 1. ibi: *error personæ-conjugii consensum non admittit*: nam ad valorem matrimonii requiritur consensus, *sine quo certa nequeunt fœdus perficere conjugale c.* 26. *h. t.* sed stante errore substantiali circa individuum personæ, nullus adest consensus, quia *errantis nulla est voluntas, nullus consensus* per *l.* 8. 9. *C. de J. & F. Ignor.* ergo. Instantiam habes in omnibus contractibus, in quibus error circa substantiam objecti causat invaliditatem actus, ut si emas poculum aurichalcinum putans esse aureum, aquam coloratam pro vino &c. Porro cum impedimentum istud sit juris naturæ, locum habet etiam in infidelibus: neque ab Ecclesia tolli potest, cum Papa consensum personalem supplere nequeat. *Dices*: 1. Sine consensu stat matrimonium in eo, qui contrahit sub conditione impossibili *c. fin. de condit. apposit.* & in eo qui ante Trid. sponsam de futuro cognovit *c.* 30. *h. t.* 2. Jacob contraxit cum Lia, licet cogitaverit esse Rachelem. 3. Error personæ non invalidat reliqua sacramenta; ut si puer baptizetur, cum tamen sit puella. ℞. *ad* 1. In utroque casu, si verus consensus defuit, non est *verum* matrimonium; sed tantum *præsumptum*, quæ præsumptio in foro poli cedit veritati. *Ad* 2. N. a. nam contractus iste a principio fuit invalidus, deinde autem Jacob expresse consensit in Liam. *Ad* 3. N. c. nam in ceteris sacramentis non attenditur hæc, vel ista persona, sed solum præsens, quæcumque illa sit; nisi minister intentionem suam restringeret ad hoc individuum personæ: econtra in matrimonio attenditur hæc individua persona, cum contrahentis intersit sociam thori habere illam, in quam consentit.

64. ℞. 2. Error substantialis non tantum antecedens, sed etiam incidens relinquit matrimonium invalidum: ita com. nam licet error incidens non faciat involuntarium, sed potius secum trahat voluntarium habituale, tamen non causat actuale, & positivum voluntarium, seu consensum ad valorem matrimonii requisitum; ergo tali casu ex defectu consensus, matrimonium est invalidum; ut si contraxisti cum Caja, quam cogitasti esse Bertam, & nihilominus contraxisses cum Caja, si scivisses esse Cajam: hic enim, ut vides, non fuit actualis contractus celebratus cum Caja, sed tantum fuisset celebratus, si notitia Cajæ adfuisset.

65. ℞. 4. Error circa qualitatem, & circumstantias personæ, sive sit antecedens, sive incidens, per se, & regulariter non vitiat valorem matrimonii: ita com. ex *Can. un. in fin.* 29. *q.* 1. ibi: *error fortunæ, & qualitatis non excludit consensum*: nam stante tali errore, absolute, & voluntarie consentitur in hanc numero personam; qui consensus sufficit ad valorem matrimonii, licet secundum quid sit involuntarius circa accidentia, & causas impulsivas; ut circa nobilitatem, divitias, sanitatem &c. cum quibus matrimonium non contrahitur; ergo. Præterea bonum commune suadet talia matrimonia sustineri: cum enim error circa accidentia sæpe interveniat in contractu nuptiali, multa matrimonia deberent dissolvi cum ingenti prolium, & reipubl. damno, & scandalo publico. *Excipe* 1. nisi qualitas deducta sit in conditionem; ut *duco te, si es nobilis, dives* &c. tunc enim deficiente conditione, deficit matrimonium. In dubio non censetur qualitas deducta in conditionem, quia matrimonia conditionata non solent admitti. *Excipe* 2. nisi qualitas redundet in substantiam, seu individuum personæ, quia hoc casu non est error mere accidentalis, sed substantialis circa personam, quatenus vestitam hac qualitate. S. D. 1. *p. q.* 29. *a.* 1. Quando autem qualitas redundet in substantiam personæ; difficile est dignoscere: Sanchez hanc regulam subministrat: si persona, prius non visa, per certam qualitatem designetur, animoque apprehendatur, tunc error in qualitate redundat in errorem personæ, v. g. Titius ob spem regni vult contrahere cum primogenita hujus Regis, adeoque in hunc finem eligit matrimonium, tanquam medium: si deinde ei offeratur secundogenita, consentiens in illam censetur errare in persona. Item vult quis inire amicitiam cum hac illustri familia, & in hunc finem eligit matrimonium cum Titia Caji filia, si deinde alia persona ei offeratur, in eam consentiendo, errat in persona. Econtra si qualitas non determinat hoc individuum personæ, error circa illam non redundat in errorem personæ, v. g. Titia dicit, se esse primogenitam Regis, non determinando cujus Regis? vel dicit, se esse illustrem, non determinando, cujus sit familiæ? error, aut dolus circa has qualitates non transfunditur in errorem personæ, sed tantum impellit ad contrahendum; & conf. stante tali errore, valet matrimonium. *Dices*: Contrahens cum errore antecedente circa qualitatem, ita est dispositus, ut deficiente qualitate, nollet contrahere; ergo consensus ipsius non est voluntarius, & conf. insufficiens ad valorem matrimonii. 2. Contractus bonæ fidei ex errore antecedente initi, ipso jure non valent in probabili sententia, vel saltem rescindi possunt; ergo & matrimonium. 3. Metus vitiat matrimonium, licet causet tantum secundum quid involuntarium; ergo & error circa qualitatem, cum & iste causet secundum quid involuntarium. ℞. *ad* 1. Habitualis dispositio contraria non tollit consensum voluntarium in personam; ergo nec vitiat matrimonium. *Ad* 2. Dist. ant. contractus ex natura sua solubiles, omit. ant. ex natura sua indissolubiles, sicut matrimonium, aut professio religiosa neg. ant. *Ad* 3. Neg. con. ob contrariam juris dispositionem. Disparitas congrua est: quia metus minuit voluntarium circa substantiam personæ, facilius probari potest, neque eum removere est in potestate metum passi; econtra error minuit voluntarium circa qualitates, difficulter probari potest, & plerumque diligentia adhibita, removeri potest; ergo licet irritetur matrimonium metu initum, non tamen dolo, aut errore accidentali contractum.

66. ℞. 4. Error privatus, quo alter, vel uterque falso putat subesse impedimentum dirimens, quod re ipsa non subest, non obstat valori matrimonii: ita Sanch. cum citt. contra Abb. Sylv. Sotum &c. nam error iste non impedit consensum per *Clem. unic. de consang.* ubi contrahentes scienter in gradibus prohibitis excommunicantur: quod sane non fieret, si non consentirent; ergo: tum quia talis error, licet inducat peccatum, quatenus agitur contra conscientiam, tamen rem ipsam non mutat, ut patet in aliis sacramentis: ut si velit quis more christianorum baptizare, valet baptismus, etsi baptizans falso cogitet baptismum non esse sacramentum. Nec obstat *lib. 15. ff. de acquir. hæred.* nam ibi hæres voluntarius, qui cogitavit se esse necessarium, ideo repudiare nequit hæreditatem, quia scire debet, ex quo jure, & causa similem actionem exerceat; quod tamen ad matrimonium non requiritur.

Impedimentum metus.

67. *Nota*, impedimentum metus antiquo, & perpetuo usu Ecclesiæ introductum esse; non vero jure naturali, ut vult Scotus, & alii, cum spectato jure naturali, contractus metu gesti valeant, eo quod metus non tollat voluntarium simpliciter.

68. Q. VII. *Quis metus dirimat matrimonium?* ℞. 1. Metus gravis injuste, & directe a causa libera incussus ad extorquendum matrimonium, vitiat valorem illius: ita deciditur *cap.* 14. 15. 28. *h. t.* nam Ecclesia voluit matrimonia esse plene libera, seu spontanea; tum propter arduitatem vitæ conjugalis: tum propter significationem voluntariæ conjunctionis Christi cum Ecclesia: tum maxime ad præcavendos tristes, & infelices exitus, qui ex matrimoniis coactis sequi solent, ut discordia inter conjuges, malum prolis, pericula adulterii &c. Gravis metus censetur, v. g. mortis, exilii, mutilationis, confiscationis bonorum, carceris squalidi, privationis officii &c. Levis autem metus, qui non cadit in virum constantem, sed facile superari potest, non irritat matrimonium: cujusmodi etiam regulariter est metus reverentialis erga parentes, dominos &c. *Dicitur autem* 1. *Injuste*: nam si metus juste incutiatur, non vitiat matrimonium, cum non injuriet; ut si judex defloratorem cogat ad ducendam defloratam, cui matrimonium promisit. *Dicitur* 2. *a causa libera*: nam si metus incutiatur a causa necessaria, ut morbo, peste &c. non vitiat matrimonium; siquidem nullam injuriam infert. Porro resolutio ista probabilius locum habet etiam in illo casu, quo quis cogitur ad unam, v. gr. ex tribus sororibus ducendam, quia & hic deficit plena libertas contrahendi, & infelices exitus timentur. Nec est paritas a casu, quo electores coguntur, v. g. ad unum ex tribus eligendum, quia hic, præter diversam juris dispositionem, etiam dispar est ratio; cum electio comparetur sponsalibus, & non matrimonio; neque tanta mala timeantur ex electione, quæ ex matrimonio.

69. ℞. 2. Metus indirecte incussus, hoc est, alio fine, quam ad extorquendum matrimonium, probabilius vitiat valorem matrimonii: ita Palatios, Schmier, Schmalz. & alii contra Sanchez, Laym. Zoes &c. nam jura supra allegata *cap.* 14. 15. 28. *hoc tit. cap.* 2. *de eo, qui duxit*, requirunt ad valorem matrimonii plenam libertatem, & securitatem contrahendi; neque distinguunt inter metum directe, & indirecte incussum, idemque manet motivum, scilicet periculum infelicium, & tristium exituum, & similiter injuria infertur, sive quis directe, sive indirecte cogatur ad aliquod matrimonium, ergo. Unde non valet matrimonium, si ægra contrahat cum medico, alias ex justitia ad curandum obligato, quia timet per malitiam ejus se non curandam: vel si innocens contrahat cum judicis filia, quia timet se injuste condemnandum &c. *Dices*: Tali casu metus non influit in matrimonium, sed hoc sponte eligitur, tanquam medium ad evadendum malum imminens. ℞. Neg. anteced. nam matrimonium eligitur in gratiam metum injuste incutientis, atque ita consensus injuria obtinetur; ergo metus influit in hoc matrimonium, & conf. vitiat illud. Ceterum quia juramentum non supplet defectum consensus spontanei, sequitur matrimonium metu contractum, etsi juramento firmatum sit, esse invalidum, ut clare colligitur ex *cit. cap.* 2. *de eo, qui duxit*. Cui non obstat *Can.* 22. *inter cetera*, 22. *q.* 4. nam licet ibi metus fuerit in promissione, tamen matrimonium, cessante metu, initum est.

70. ℞. 3. Matrimonium ex metu invalidum, convalescit, si metus purgetur 1. per spontaneam cohabitationem sesqui anni. 2. per voluntariam copulam, nullo metu extortam. *Prima pars* habetur, *c.* 21. *hoc tit.* quia talis cohabitatio præsumitur continuata affectu conjugali; estque hæc præsumptio juris, & de jure non admittens probationem in contrarium. *Secunda pars* pariter deducitur ex præsumptione, quatenus copula ista voluntaria, ad excludendum peccatum, præsumitur fieri affectu conjugali, & non fornicario, ut recte observant TT. & Canonistæ *arg. c.* 30. *h. t.* idque ipsum docet S. D. in 4. *d.* 29. *q. un. a.* 3. *q.* 2. *ad* 2. Secus dic, si etiam copula vi, & metu extorqueretur, quia tunc prior consensus a metu non purgatur. Nec obstat *c.* 22. *h. t. c.* 4. *de desponf. impub c.* 4. *qui matr. accus.* nam jura ista procedunt de copula spontanea; stante enim metu, copula potius præsumitur fornicaria, quam conjugalis. Quare remedium evadendi fornicationem, & malum ex metu imminens, vel erit spontaneus consensus in copulam, vel petitio dilationis in aliud tempus, quo metus deponi possit, vel fortis resistentia.

71. ℞. 4. Matrimonium metu initum non est dissolvendum, donec metus plene probetur per testes, & alia indicia: nam metus est quid facti, & de genere delictorum, quæ non præsumuntur, sed probari debent. In dubio, an metus fuerit gravis, vel injuste incussus, standum est pro favore, & valore matrimonii per *c.* 47. *in fin. de testib.* ibi: *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare*. Porro in illo casu, quo constat metum intervenisse, pars altera metum incutiens, non tenetur de novo contrahere, licet pars metum passa spontanee contrahere vellet: nam obligatio ista ex nullo jure colligitur, neque ex causa injuriæ, cum ista tollatur per matrimonii dissolutionem, & aliam pœnam huic delicto infligendam. Si tamen præcesserunt sponsalia valida, vel pars metum passa sentit damnum aliter non reparabile, quam per matrimonium, poterit pars metum incutiens per judicem compelli ad matrimonium spontanee contrahendum. His non obstat paritas ab aliis contractibus, quibus stare tenetur metum incutiens, quia contractus isti sunt validi; at matrimonium metu contractum est invalidum. Cetera, quæ hic incidenter quæri possunt, solvuntur ex dictis *l.* 1. *tit. de his, quæ vi.*

Impedimentum Raptus.

72. *Nota* secundum antiquos Canones *causa* 36. *q.* 1. *&* 2. matrimonium absolute irritari inter raptorem, & raptam, saltem si hæc desponsata non fuit. At per *c.* 7. *& fin. de raptorib.* subsistit matrimonium inter raptorem, & raptam; dummodo hæc, etiam in potestate raptoris constituta libere consentiat. Hodie circa hoc impedimentum servatus jus novum Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de ref. matr.*

73. Q. VIII. *Quando raptus dirimat matrimonium?* ℞. Si vir violenter abducat fæminam invitam de loco ad locum matrimonii contrahendi causa, invalidum est matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu rapta est in potestate raptoris; etsi illa post raptum commissum sponte consentiret in raptorem: ita Trid. *loc. cit.* & quia ibi generaliter loquitur, non distinguendo inter mulieres, sed libertati matrimoniorum consulendo, sequitur hoc impedimentum dari, etsi rapiatur fæmina inhoneste vivens, aut propria sponsa, præsertim si habeat causam resiliendi. Præter nullitatem matrimonii statuitur triplex pœna his verbis: *Nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio*

bitrio judicis dotare. Cessat hoc impedimentum 1. Si rapta constituta in loco tuto extra potestatem raptoris sponte in illum consentiat, *ibid.* 2. Si non fuit invita, sed sponte consensit in sui abductionem, etiam ignorantibus, vel invitis parentibus; quia hic volenti non fit injuria, neque libertas contrahendi minuitur. In praxi tamen propter sedandum scandalum, maxime si parentes sunt inviti, solet rapta separari, & deponi in loco tuto, ut constet de libero consensu. 3. Probabilius cessat hoc impedimentum, si fœmina rapiat virum: tum quia dispositio Trid. utpote odiosa, non est extendenda a raptore ad raptricem: tum quia dispar est ratio, eo quod rarissimum sit, ut fœmina virum rapiat: jura autem non solent condi de casibus insolitis, & perraro evenientibus, *l.* 4. 5. *ff. de LL.* Neque dispositio ista extendenda est ad sponsalia, quæ in raptu facta mero jure valent; cum non obligent ad matrimonium in raptu celebrandum, sed si placuerit mulieri in loco tuto positæ; secus ad instantiam ejus ex causa violentiæ rescindi debent.

Impedimentum disparis cultus.

74. Per disparem cultum hic intelligitur diversitas Religionum inter fidelem, & infidelem, seu non baptizatum; ut si fidelis contrahat cum Judæa, vel Saracena.

75. Q. IX. *Quo jure dispar cultus dirimat matrimonium?* ℞. 1. Non jure naturali, aut divino; quia de hoc non constat, licet hoc jure talia matrimonia ob periculum perversionis sint illicita *Deut. c.* 7. & 2. *Cor.* 6. ibi: *nolite jugum ducere cum infidelibus.* Sic valida erant matrimonia Jacobi, Josephi, Moysis cum fœminis infidelibus, Davidis cum Maacha Chananæa &c. imo ex justa, & urgenti causa cohonestari possunt etiam in lege Christi, sicut fuit matrimonium S. Cæciliæ cum Valeriano, S. Monicæ cum Patritio, Clotildis cum Clodovæo. 2. Dispar cultus solo jure Ecclesiastico, tradito potius, quam scripto dirimit matrimonium, ut unanimiter tenent DD. cum usu, & praxi Ecclesiæ.

76. Q. X. *An subsistat matrimonium hæretici cum catholica, & econtra?* ℞. 1. Affirmative, quia nullo jure irritatur, licet fiat cum pacto, ut proles in hæresi educentur: ita com. contra Schmier: nam illa solum pacta irritant matrimonium, quæ adversantur bono physico, seu naturali prolis; uti est evitare generationem &c. non vero illa, quæ adversantur bono spirituali; alias hæretici valide non contraherent cum pacto, ut proles in hæresi educentur. 2. Matrimonium catholici cum hæretica regulariter, & per se est graviter illicitum *Can.* 15. & *seq.* 28. *q.* 1. & *c.* 14. *de hæret. in* 6. quia jus naturale, & Canonicum jubet declinare periculum perversionis, & peccati, quod ex talibus matrimoniis imminet; præsertim si adjiciantur impia pacta de quibusdam prolibus in hæresi educandis; cum omnes proles educari debeant Deo, & ad vitam æternam, non vero diabolo, & ad interitum sempiternum. In certis tamen circumstantiis cohonestari potest matrimonium catholici cum hæretica; ut si ex una parte nullum sit periculum perversionis; ex altera vero parte adsit gravis causa, maxime boni publici, ut pacis, defensionis fidei catholicæ &c.

☞ *Semper tamen expetenda est facultas non ab Episcopis, sed a Sede Apostolica, ut decisum fuisse testatur a Cong. S. Officii Cardinalis Albitius de inconstantia in fide c.* 36. *n.* 164. & *seq.* & *n.* 204. 205. 225. 238. *Ceteroquin dicta facultas concedi numquam solet a Sede Apostolica sine adjectis quibusdam conditionibus, & opportunis cautelis, relatis a Bened. XIV. in Epist. ad Primatem Regni Poloniæ* Magnæ nobis 8. *Junii* 1748. *ut in ejus Bullario* Romæ *impresso tom.* 2. *pag.* 414. & *seq. ac lib. IX. de Synod. diœc. c.* 3. ☜

His non obstat *Can.* 72. Sextæ Synodi generalis, ubi tales nuptiæ dicuntur irritæ, & nefarium conjugium: nam Canon iste Trullanus vel nunquam receptus fuit ab Ecclesia, vel contrario usu abrogatus est.

Impedimentum publicæ honestatis.

77. Hoc impedimentum aliter vocatur justitia publicæ honestatis; estque affinitas quædam imperfecta orta ex sponsalibus, vel matrimonio rato. Ortum habet a jure Ecclesiastico *Can.* 11. & *seqq.* 27. *q.* 2. *c.* 3. 4. 8. *hoc tit. cap. un. eod. in* 6. &c. quia publica honestas suadet, ut sponsus abstineat a nuptiis cum consanguineis sponsæ, & hæc cum consanguineis sponsi.

78. Q. XI. *In quibus casibus, & gradibus publica honestas dirimat matrimonium?* ℞. 1. Jure novo Trid. *S.* 24. *c.* 4. *de ref. matr.* publica honestas oritur ex sponsalibus validis, non vero ex quacumque causa invalidis: neque ultra primum gradum extenditur, v. g. Titius contraxit sponsalia cum Berta, adeoque matrimonium contrahere nequit cum ejus sorore, matre, aut filia, bene vero cum nepte, consobrina, avia &c. Hoc jure Trid. correctum est jus antiquum, quo publica honestas dirimens matrimonium oriebatur ex sponsalibus etiam invalidis, dummodo invalida non fuerint ex defectu consensus, *c. un. h. t. in* 6. & extendebatur usque ad quartum gradum, sicut affinitas, *c.* 8. *de consang.* Porro ut impedimentum hoc oriatur ex sponsalibus, hæc debent esse *pura*, & non conditionata, *certa*, non vero incerta; ut si quis duabus sororibus promittat matrimonium; tunc enim ante eventum conditionis, vel electionem unius ex pluribus, nullum est impedimentum, *cit. c. un. h. t. in* 6. Si sponsalia sint invalida ex causa fictionis, putat Sanchez, & alii locum esse huic impedimento, quia, cum fictio sit occulta, perseveret publica indecentia obstans matrimonio: Navar. Gobat, & alii contrarium probabilius tenent, quia Trid. generaliter dicit hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus quocumque ex capite invalidis.

79. ℞. 2. Publica honestas ex matrimonio rato orta extenditur usque ad quartum gradum inclusive: ita declaravit S. Pius V. Const. incip. *Ad Romanum* 1568. 1. *Jul.* nam Trid. loquitur solum de publica honestate, quatenus orta ex sponsalibus; ergo circa honestatem publicam ex matrimonio rato ortam servatur etiam hodie jus antiquum, cum non reperiatur mutatum. Insuper sicut olim, ita hodie locus est huic impedimento, etsi matrimonium ratum pure, & non conditionate initum, fuerit invalidum, v. g. ex causa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis &c. dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, v. g. propter metum, errorem personæ, revocatum mandatum procuratori datum &c. *cit. c. un. h. t. in* 6. Ex qua generaliter textus videtur sequi hodie impedimentum hoc oriri ex matrimonio clandestino, cum non sit invalidum ex defectu consensus: licet oppositum probabiliter teneant Sanchez, Engl, & alii; quia talis contractus sine parocho, & testibus non habet figuram matrimonii, præsertim cum personæ a Trid. inhabilitentur ad sic contrahendum, atque ita non videantur consentire.

80. ℞. 3. Impedimentum publicæ honestatis est perpetuum, etiamsi sponsalia dissolvantur morte, vel mutuo consensu, *Can.* 11. & *seqq.* 27. *q.* 2. *c.* 8. *h. tit.* ita Sanchez, Laym. & communior DD. quam firmat declaratio S. Congr. 1658. *die* 6. *Julii* approbata ab Alex. VII. præcipiente id amplius in dubium non vocari, teste Fagn. & Gobat; nam impedimentum hoc oritur ex sponsalibus semel validis, ut docet Trid. *l. c.* sed talia fuerunt etiam illa, quæ mutuo consensu dissolvuntur; neque ex ullo jure constat, quod dissolutis sponsalibus, vel matrimonio rato, etiam dissolvatur honestas publica inde nata; ergo. Oppositum docuerunt Gutier. Barbos, Engl. hic §. 6. *n.* 3. nixi quadam declaratione S. Congr. sed huic declarationi, si tamen extitit, præferenda est cit. declaratio Alex. VII. præsertim cum meliori jure, & ratione nitatur.

81. ℞. 4. Publica honestas non habet vim retroagendi, *c. un. h. t. in* 6. ut si Cajus ineat sponsalia valida cum Berta, & deinde matrimonium ratum contrahat cum Titia ejus sorore, ex hoc matrimonio invalido non oritur impedimentum honestatis, & consf. Bertam in uxorem ducere potest; at si Cajus cum Titia fornicatus est, neutram potest ducere: non Titiam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum; non Bertam propter impedimentum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum d. Titia. De ceteris impedimentis agetur in seqq. titulis.

TITULUS II.

De Deſponſatione Impuberum.

Agitur de hac materia in *6. h. t.* & in Decreto 30. *q.* 2. & examinatur hic impedimentum ætatis, ſeu ætas requiſita ad ſponſalia, & matrimonium, & quam neceſſarius ſit conſenſus parentum ad matrimonium filiorumfamilias.

1. Q. I. *Quæ ætas requiritur ad ſponſalia:* ℞. 1. Regulariter ſeptemnium completum, *c.* 4. 5. 13. *h. t. c. un. eod. in* 6. *& l.* 14. *ff. de ſponſal.* nam jus non præſumit uſum rationis citius adeſſe, niſi completo ſeptemnio. Si tamen poſt ſeptemnium non adeſſet uſus rationis, ſponſalia jure naturali ex defectu conſenſus liberi eſſent invalida; quia iſta præſumptio juris in facto fundata cedit veritati. Porro cum verſemur in materia obligatoria, probabilius ſeptemnium computandum eſt mathematice de momento ad momentum *arg. l.* 3. §. 3. *ff. de minor.* ut non ſit paritas ex *l.* 5. *ff. qui teſt. fac.* nam ibi ultima dies anni XIV. habetur pro completa; quia conditio teſtamenti merum favorem teſtatoris continet: econtra ſponſalia plura ſecum gravamina trahunt.

2. ℞. 2. Valent ſponſalia a minore ſeptemnio inita, ſi malitia, ſeu potius prudentia ſuppleat ætatem, hoc eſt, ſi uſus rationis acceleretur ante ſeptemnium S. D. in 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. S. Anton. Covar. Sanch. cum citt. contra Abb. Roſ. Engl. Schmier &c. nam talia ſponſalia jure naturali valent, cum adſit conſenſus: jure autem poſitivo nullibi irritantur, ſed potius ſupponuntur valida *c.* 3. *de ſponſal.* ubi juvenis puellam nedum ſeptemnem duxit, & inde contraxit impedimentum publicæ honeſtatis; quod etiam jure veteri oriri non potuit, ſi ſponſalia fuiſſent invalida ex defectu conſenſus. Ratio eſt, quia jus præſcribit ſeptemnium ex ſola præſumptione facti, quod uſus rationis citius non adſit; ergo ſi uſus rationis acceleretur, præſumptio iſta cedit veritati; & conſequenter ſponſalia valide contrahentur; ſicut matrimonium ante legale tempus, ſi pubertas citius adveniat *c.* 9. *h. t.* unde JCtus *l.* 14. *ff. de ſponſal.* ait: *In ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium definita non eſt.* Ex quibus explicantur poſteriora verba, forſan a Triboniano addita, *ſi non ſint minores, quam ſeptem annis*: hæc enim, uti & *c.* 4. 5. 13. *h. t.* diſponunt præſumptive, quod ante ſeptemnium non ſit uſus rationis. Nec fruſtra ætas iſta præſcribitur: nam qui aſſerit ſponſalia ante ſeptemnium inita fuiſſe valida, vel poſt ſeptemnium invalida, probare debet illic adfuiſſe, & hic defuiſſe uſum rationis. Econtra qui dicit ſponſalia ante ſeptemnium eſſe invalida, & poſt ſeptemnium valida, propter præſumptionem juris relevatur ab onere probandi.

3. ℞. 3. Sponſalia impuberum ex beneficio juris non ſunt firma; quia imbecillis eſt conſenſus eorum. Et I. ſi ambo impuberes contraxerunt ſponſalia, durante impubertate, non poſſunt ea ſolvere, ne hæc facile, & temere contrahantur, & diſtrahantur: at ſi uterque ſimul, vel alter eorum citius ad annos pubertatis perveniat, ſtatim uterque, vel alter, non expectata alterius pubertate, reſilire poteſt a ſponſalibus, *c.* 7. 8. *hoc tit.* Si autem pubes factus ſtatim (quod tempus mathematice definiri non poteſt) non reſiliat, cenſetur ſaltem tacite priora ſponſalia ratificare; ac proinde amplius variare non poteſt.

4. II. Si pubes cum impubere ſponſalia contraxit, pubes reſilire non poteſt; ſed tenetur expectare alterum, donec ad annos pubertatis perveniat; qui ſi ſtare voluerit ſponſalibus, efficaciter obligabit puberem ad matrimonium ineundum, *ibid.* nam privilegium reſiliendi ſolis impuberibus, non puberibus a jure datur. In illo tamen caſu quo ſponſalia propter reclamationem impuberis facti puberis reſolvuntur, non ceſſat impedimentum honeſtatis publicæ, utpote ex ſe perpetuum, *c.* 4. *h. t.* Probabile autem eſt, quod diſſenſus in impubertate factus, ſi continuetur in pubertate, ſufficiat ad ſolvenda ſponſalia: quia ut ita continuatus æquivalet novo diſſenſui in pubertate elicito.

5. III. Sponſalia jurata ab impuberibus inita, non poſſunt a puberibus alterius conſenſu contrario diſſolvi, *c.* 10. *de ſponſal.* ubi ratio datur, quia periculoſum eſt contra ſuum venire juramentum, quod ſine diſpendio ſalutis ſervari poteſt. Notant tamen Perez, Laym. Reiff. & alii diſpoſitiones iſtam procedere de impuberibus pubertati proximis: qui autem erant infantiæ proximi communem poſſunt ſequi regulam; quod ſicut a ſponſalibus, tanquam principali, ita etiam a juramento tanquam acceſſorio, reſilire poſſint. At mutuo conſenſu ambo puberes ſponſalia jurata diſſolvere poſſunt, ut dictum *tit. præced. n.* 26.

6. ℞. 4. Promiſſio matrimonii a pubere infanti facta, vim habet ſimplicis promiſſionis: ita ut pubes promiſſor reſilire non poſſit, S. Ant. Decius, Sanchez &c. nam promiſſio infanti facta non requirit perſonalem acceptationem, ſed ab ipſo jure ſtatim acceptatur *arg. l.* 5. *C. de emancip. liber.* Nec obſtant aliqua exempla perſonarum illuſtrium in contrarium facta; quia juribus, non exemplis judicandum eſt. Quodſi infantes poſt ſeptemnium promiſſionem acceptent, & repromittant, aut ſponſalia antea invalide inita ratificent, adepto uſu rationis, hæc convaleſcunt, acſi poſt ſeptemnium fuiſſent primo inita, Sanch. &c.

7. Q. II. *Quæ ſit ætas legitima ad matrimonium?* ℞. I. In maſculo annus 14. & in fæmina 12. quo tempore a jure præſumitur adveniſſe pubertas, ſeu aptitudo ad generandum, *c.* 6. 10. *&* 11. *h. t.* In fæmina minor ætas requiritur, quia fæmina, tanquam imperfectior, citius adoleſcit, ſeu ſit viripotens, & apta ad actus conjugales.

8. II. Si malitia ſuppleat ætatem, hoc eſt, ſi aptitudo generandi præveniat tempus a jure præſcriptum, valet matrimonium ante illud contractum, *c.* 9. *h. t.* quia hic præſumptio cedit veritati, dummodo conſtet de tali habilitate. In dubio tempus iſtud mathematice computandum eſt: ſi vero poſt tempus legale contrahentes necdum ſint habiles ad generandum, & contrahant, valet matrimonium; quia jus in hoc caſu non requirit potentiam actu expeditam, ſed aptitudinem generandi. Quod ſi mas in plena pubertate 18. annorum generare nequeat, præſumitur impedimentum perpetuum, ratione cujus, ſervatis ſervandis, matrimonium diſſolvi poteſt. Ceterum impuberes, niſi eos excuſet cauſa urgentiſſima, contrahendo peccant graviter, quia violant præceptum Eccleſiæ in re gravi: & ideo Nicol. I. *cap.* 2. *h. t.* dicit ſe diſtrictius prohibere talia matrimonia.

9. III. Diſpenſare in ætate ad matrimonium poteſt ſolus Papa, cum Epiſcopi ſint inferiores jure communi, nec reperiatur facultas eis conceſſa ad ita diſpenſandum. Diſpenſati vero, antequam fiant habiles ad generandum, cohabitare non debent propter periculum incontinentiæ.

10. IV. Puella impubes deſponſata viro, etſi tradacta ſit in domum ejus, pubes facta reclamare poteſt, & audiri debet, cum matrimonium præſumatur eſſe invalidum. Si tamen vir aſſerat, quod eam cognoverit, viro potius creditur affirmanti, & juranti, *Can.* 3. *ſi quis* 33. *q.* 1. niſi mulier contrarium probet: quo caſu etiam ſponſalia in impubertate facta reſolvuntur.

11. V. Matrimonia impuberum præſumuntur vim habere ſponſalium, & ex illis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, *c. un. fin.* §. *idem h. t. in* 6. nam ſi actus iſte non valuit, ut debuit, valet ſaltem ut potuit; maxime ſi id ex circumſtantiis colligatur. Ceſſat autem iſta præſumptio, ſi impuberes nuptias ſolum, & non ſponſalia contrahere voluerunt; cum actus agentium non operentur ultra intentionem eorum *arg. lib.* 19. *ff. de R. C.* Hodie in locis in quibus Trid. viget, caſus iſti non ſunt timendi, quia impuberibus parochus non aſſiſtet.

12. Q. III. *An matrimonia filiorumfam. ſine conſenſu parentum inita ſint valida?* ℞. I. Affirm. de jure Can. ita definivit Trid. *S.* 24. *c.* 1. *pr. de ref. matr.* cui conſonat jus antiquum *Can.* 2. *ſufficiat.* 27. *q.* 2. *c.* 13. 14. 23. 25. *de ſponſal. c.* 12. *de Regul. c.* 7. *de raptor.* in quibus juribus ad valorem matrimonii requiritur ſolus conſenſus contrahentium, non vero parentum: nam liberi quoad ſpiritualia, & electionem ſtatus non ſubſtant patriæ poteſtati: unde etiam ſponſalia ſine conſenſu patris inita regulariter ſunt valida, excepto caſu, quo matrimonium iniretur cum gravi offenſa patris: tunc enim, cum obligarent ad aliquid illicite agendum, non eſſent valida. Neque pater talia ſponſalia irritare po-

re potest, quia patriæ potestati non præjudicant, S. D. 2. 2. *q.* 104. *a.* 5. *in corp.* His non obstant *Can.* 1. *aliter* 30. *q.* 1. *& Can.* 3. *cum seq.* 30. *q.* 5. *c.* 3. *qui matrim. accus. pr. In. de nuptiis l.* 2. 18. *ff. de rit. nupt.* nam jura civilia hic non curantur: Canones vero recte conciliantur cum aliis juribus, dicendo nuptias sine consensu patris non esse legitimas, aut justas quoad honestatem, & licitatem; quia regulariter sunt illicitæ, quatenus filius, aut filia omittit, aut contemnit judicium paternum in re tam gravi.

13. ℞. 2. Pater ad certum matrimonium cogens filium, aut filiam, per se graviter peccat: nam tollit plenam libertatem a jure concessam, est causa tristium eventuum ex matrimonio coacto consequentium: non tamen incurrit excommunicationem latam a Trid. *S.* 24. *c.* 9. *de ref. matr.* nam ibi sermo est tantum de dominis temporalibus, & magistratibus ad certa matrimonia cogentibus. Si tamen adsit urgentissima causa maxime boni publici, v. g. propter bonum pacis, licebit patri filium, aut filiam compellere ad certas nuptias, cum in tali casu liberi teneantur patri obedire.

14. ℞. 3. Filius in contrahendo matrimonio nolens sequi consilium, aut præceptum patris, non potest ideo exhæredari: nam casus iste non numerantur in *Nov.* 115. *cap.* 3. An vero de jure statutario talis exhæredatio, vel dotis negatio induci possit, dubitant DD. Negative subscribunt Abb. Sylv. Nav. Clar. Covar. Sanch. Gobat &c. Affirmant. Bald. Sot. Laym. Zoes, Schmalz. & alii, quorum sententia videtur probabilis, saltem pro illo casu, quo nuptiæ contrahuntur cum personis indignis, & vilibus, nam statutum istud cohonestatur ob utilitatem publicam, ne sanguis illustris commaculetur, discordiæ, & scandala oriantur, ut reverentia liberorum erga parentes conservetur, abusus, & temeritas libertatis restringatur: & ita fertur practicari in Lusitania, Bavaria &c. Nec in hoc casu sæcularis potestas disponit de rebus spiritualibus, sed præcise punit abusum libertatis, & contemptum parentum. At si liberi sine consensu parentum dignas suo statu ineant nuptias, judico tali pœnæ non esse locum; quia jure suo utentes, nullique injuriam facientes, non sunt puniendi; & aliunde libertas matrimonii talibus pœnis non est coarctanda, *c.* 29. *de sponsal.*

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

Agitur de hac materia in Decreto, *Can.* 4. *consanguineorum*, 3. *q.* 4. *&* 30. *q.* 5. *per tot.* in Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.*

1. In *hoc tit.* examinatur impedimentum *clandestinitatis*, quod oritur 1. Ex omissione publicarum denuntiationum. 1. Ex omissione publicæ præsentiæ parochi, & testium.

2. Q. I. *An matrimonio præmittendæ sint denuntiationes publicæ?* ℞. 1. Affirmative ex Conc. Later. *c. fin. pr. h. t.* cui inhæret Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de ref. matr.* nam Episcopi, & parochi est curare, ut honeste, & sine impedimentis matrimonia contrahantur: ad hunc vero finem potissimum inventæ sunt denuntiationes publicæ, ut si quis de populo impedimentum novit inter sponsos, illud intra præfixum terminum manifestet coram parocho. Porro præceptum eas faciendi cum sit grave, concernens reverentiam Sacramenti, regulariter obligat sub mortali; non tamen est irritativum, ut sæpius declaravit S. C. quia decretum irritans in *citat. Trid.* afficit posteriorem dispositionem de præsentia parochi, & testium, non vero priorem de faciendis proclamationibus: neque contrarium elicitur ex ablativo: *denuntiationibus factis:* siquidem ablativus iste significat conditionem accidentalem de præcepto, non vero substantialem de necessitate ad valorem matrimonii.

3. ℞. 2. Denuntiationes faciendæ sunt tribus diebus festis continuis in Ecclesia inter Missarum solemnia, *cap. fin. pr. h. t.* Trid. *l. c.* nam tali tempore, & loco frequentior populus convenit. Ob quam rationem satisfieret Tridentino, si die non festo conveniret magnus populus, v. g. ad concionem, vel processionem, & coram illo fierent denuntiationes; item si parochus uno, alterove festo intermedio omitteret denuntiationes, quia continuitas ista moraliter est intelligenda, ne nimium temporis intervallum inter has denuntiationes intercedat.

4. ℞. 3. Denuntiationes faciendæ sunt a proprio parocho sponsorum, licet committi possint alteri sicut alicubi fieri solet per laicos æd ituos: nam Trid. talem commissionem non prohibet. Si sponsi sunt actu diversarum parochiarum, denuntiationes faciendæ sunt in utraque parochia; quia sic facilius impedimenta deteguntur. 2. Si sponsi transtulerunt domicilium, circa denuntiationes servanda sunt in primis statuta cujusque diœcesis; ut vero menti Conciliorum satisfiat, discrimen adhibendum est: & quidem si sponsi noti sunt in loco contrahendi matrimonii; sufficit ibi fieri denuntiationes; si vero sint ignoti ambo, vel alter eorum, denuntiationes fieri debent non tantum in nova parochia, sed etiam in priori parochia, ut ita facilius innotescant impedimenta, de quibus parochi inquirere debent ex præcepto Conc. Lateranensis, cui inhæret Trid. *l. c.* licet solum meminerit denuntiationum in propria parochia faciendarum. Notat tamen P. Reiff. & alii, quod, sponsi a loco nativitatis absint per quinque, vel sex annos, non sint in eo denuntiandi, sed in loco domicilii, vel quasi-domicilii, sicut opifices, famuli &c. nisi specialis ratio aliud suadeat. Expediet autem, si tali casu parochus exigat juramentum ad cautelam, quod nullis sponsalibus, vel matrimonio ligentur.

5. Q. II. *Quid juris circa deferenda impedimenta?* ℞. 1. Populus sub gravi obligatione tenetur manifestare impedimenta latentia; cum omne jus præcipiat avertere peccatum, & irreverentiam Sacramenti. Prius tamen ex lege charitatis monendi sunt sponsi de impedimento; & si monitio non prodest, necesse erit manifestare parocho impedimentum. 2. Cessat obligatio manifestandi, si exinde grave damnum denuntiatori immineat, vel timeatur grave apud alios scandalum; vel denuntiatio credatur non profutura, sed potius bona fide contrahentibus obfutura; vel si sciatur dispensationem pro foro interno esse obtentam &c. Per hoc tamen non excusatur a denuntiando, quod sub secreto impedimentum cognoverit, quia secreto prævalet reverentia Sacramenti; imo ipsi contrahentes ab Ordinario interrogati, tenentur fateri impedimentum, vel a nuptiis abstinere: etenim quisque tenetur in conscientia delictum proprium manifestare, quando agitur de vitando peccato. 3. Si parochus extra confessionem certo novit impedimentum, tenetur illud, sicut quiscumque alius, denuntiare Ordinario; nec potest assistere sponsis matrimonium etiam publice petentibus. At si impedimentum novit tantum ex confessione, debet monere pœnitentem, ut a nuptiis abstineat; secus nolentem, utpote indispositum, non absolvet. Si tamen publice petat matrimonium, tenentur ei assistere, quia scientia sacramentalis ad actus exteriores non porrigitur, nec ea uti licet *c.* 2. *de off. Ord.* 4. Si Episcopus, vel parochus sciunt impetratam esse dispensationem pro foro interno, dissimulare possunt, & sponsos copulare: secus vero si quis alius impedimentum denuntiet, quia dispensatio ista non porrigitur ad hunc casum. 5. Delato impedimento, officium parochi est interdicere matrimonium, non tamen de illo cognoscere, sed cognitio ista spectat ad Episcopum *c. fin. pr.* & §. *fin. h. t.* licet sit tantum impedimentum impediens: Ordinarius vero, si saltem semiplene probetur impedimentum, prohibebit nuptias; quia ad avertendum peccatum sufficit semiplena probatio, licet ad dissolutionem matrimonii, utpote negotium valde arduum, plena probatio requiritur, *cap. fin. in fin. pr. hoc tit.* 6. Si nullum impedimentum appareat, sponsi obligantur quantocyus matrimonium contrahere: si vero illud differant ultra tres, vel quatuor menses, novæ denuntiationes faciendæ sunt, ut fertur declarasse Sac. Cong. teste Rebello, quia intra tantum tempus facile novum impedimentum oriri potuit. Quodsi autem sponsi sine denuntiationibus contraxerunt, istæ supplendæ sunt post matrimonium ante ejus consummationem, Trid. *loc. cit.* nisi Ordinarius ex justa causa tales denuntiationes remiserit.

6. Q. III. *Quis, & ex qua causa dispensare possit in denuntiationibus?* ℞. 1. Jure novo Trid. *l. c.* Ordinarius, uti est Episcopus proprius, Legatus apostolicus in sua provin-

cia, prælatus pleniffime exemptus cum clero, & populo, capitulum, fede Epifcop. vacante: & probabilius etiam Vicarius generalis Epifcopi, cum & ifte in materia fibi accommoda veniat nomine Ordinarii; idque praxi, & ufu confirmatur. Parochus econtra, cum nomine *Ordinarii* non veniat, regulariter in denuntiationibus difpenfare nequit, nifi quantum ei permittit confuetudo in cafu neceffitatis, qui moram non patitur recurrendi ad Epifcopum; ut fi concubinarius in articulo mortis vellet contrahere cum concubina &c. quod procedit etiam in cafu, quo Epifcopus ex obligatione officii fui tenetur difpenfare, quia nullo jure conftat, in tali cafu facultatem difpenfandi devolvi ad parochum.

7. ℞. 2. Ordinarius facultatem difpenfandi poteft alteri delegare: nam id nullo jure prohibetur; imo Ordinario licet generaliter omnes caufas matrimoniales committere; ergo & facultatem in denuntiationibus difpenfandi. Nec verum eft cum Hoft. Covarruv. Sanch. &c. quod Concilium ad hanc difpenfationem eligat induftriam perfonæ Epifcopi, ideoque eam delegare nequeat: nam induftria perfonæ non cenfetur electa, quando negotium a jure committitur prudentiæ perfonæ incognitæ, & indeterminatæ, nifi expreffe aliud ftatuatur.

8. ℞. 3. Juftæ caufæ difpenfandi in denuntiationibus funt: 1. Probabilis timor de malitiofe impediendo matrimonio, fi denuntiationes præmitterentur. 2. Scandalum publicum; ut fi concubinarius velit ducere concubinam, quæ publice exiftimatur ejus effe uxor. 3. Repentinus cafus; ut fi ftatim proficifcendum fit ad bellum, vel fi copulandi fint concubinarii, ne a judice comprehendantur. 4. Cafus revalidandi matrimonii antea publice in facie Ecclefiæ contracti. 5. Qualitas perfonæ, ut fi Reges, & alii proceres velint contrahere, quia eorum matrimonia non folent denuntiari. Similiter etiam ob ludibrium evitandum remitti folent denuntiationes feni volenti contrahere cum juvencula. 6. Si inftet tempus Adventus, vel Quadragefimæ, præmiffa una denuntiatione, reliquæ ommitti poffunt. 7. Denique quæcumque notabilis commoditas, five fpiritualis, five corporalis, vel incommoditas evitanda.

9. ℞. 4. Judicare de juftitia caufæ eft Ordinarii, qui, antequam difpenfet, fummarie, & extrajudicialiter cognofcet, an caufa fit jufta difpenfandi: nam Trid. totum hoc committit prudentiæ, & confcientiæ Epifcopi; & conf. neceffario non requirit probationes judiciales, fed nudam, & planam cognitionem, etiam extrajudicialem. Et quamvis Ordinarius, ftante jufta caufa, non teneatur ex rigore juftitiæ difpenfare, cum difpenfatio fit gratiæ, & non neceffitatis *Can.* 15. *in fin.* 1. q. 7. *c.* 14. *de elect.* ibi: *poffit Ordinarius gratiam difpenfationis facere*; tamen quando adeft caufa boni communis, vel notabilis commoditatis in bonis animæ, corporis, aut fortunæ, obligatur Ordinarius vi officii fui, quo tenetur ftudere bono fubditorum, difpenfationem impertiri; alioquin poteftas ifta non effet ad ædificationem. Idem argumentum currit in difpenfatione aliorum generum, & materiarum.

☞ *In Conftit. Bened. XIV.* Satis vobis 17. *Novemb.* 1741. *circa matrimonia contrahenda, quæ vocantur confcientiæ, præcipitur. I. Ut hujufmodi matrimonia contrahenda cum denuntiationum difpenfatione celebrentur coram parocho alterius ex contrahentibus: nec fine gravi caufa adhibeatur alius facerdos; & tunc a folo Epifcop. deputandus. II. Ut documenta fic celebrati matrimonii, ftatim a parocho, vel alio facerdote, ut fupra deputato, ad Epifcopum tranfmittantur, tranfcribanturque in libro diftincto ab altero, in quo adnotantur matrimonia publice contracta, in Epifcopali cancellaria figillis obfignato affervando, & nunquam aperiendo, nifi de licentia Epifcopi: documenta autem a parocho tranfmiffa, vel facerdote, qui illius vices geffit, ferventur in fecretiori loco penes ipfum Epifcopum. III. Ut proles inde fufcepta baptizetur in Ecclefia, in qua aliis baptifmus indiftincte confertur, denuntieturque Epifcopo intra triginta dies a nativitate dictæ prolis numerandos, vel per parentes, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per aliam perfonam ab ipfis defignatam, ac ejufdem prolis, & utriufque parentis vera nomina in libro adnotentur diftincto ab altero matrimoniorum, eodem modo, quo hic, cuftodiendo. IV. Ut conjuges aperte moneantur a parocho, vel facerdote, ac fupra deputando, harum binarum conditionum adimplendarum pacto eis permitti fecreti matrimonii celebrationem fub pœna evulgationis matrimonii per Epifcopum faciendæ, licet hoc contractum fit data per eumdem Epifcopum fecreti fide.* ☜

10. Q. IV. *An matrimonia clandeftina, fine parocho, & teftibus præfentibus fint invalida?* ℞. Affirmative in locis, ubi viget decretum Trid. *cit. feff.* 24. *c.* 1. *de ref. matr.* ibi: *Qui aliter, quam præfente parocho, & duobus, vel tribus teftibus matrimonium contrahere attentabunt, eos fancta Synodus ad fic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujufmodi contractus irritos, & nullos effe decernit.* Quo decreto correctum eft jus antiquum, juxta quod matrimonia clandeftina erant valida *c.* 2. *h. t.* femper tamen graviter illicita, ut teftatur Trid. *cit. c.* 1. *pr.* ex *Can.* 1. *& feqq.* 30. *q.* 5. Rationes graviffimas, ob quas matrimonia clandeftina irritata funt, infinuat Trid. *l. c.* uti funt gravia peccata, pluralitas conjugum, & continuatio adulteriorum; dum aliqui, relicta uxore clandeftine ducta, cum alia palam contraxerunt, & cum ea in perpetuo adulterio vixerunt &c. Et quia hoc decretum irritans fundatur in præfumptione periculi univerfalis, fequitur illud non ceffare, etfi per accidens in uno, vel altero cafu ceffent ifta mala, & matrimonium non negetur.

11. ℞. 2. Decretum hoc Trid. in nulla alia parochia obligat, nifi in qua publicatum, & ufu receptum eft, Trid. *cit. c.* 1. *in fin.* Unde 1. Non ftringit fideles in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Saxonia, Bruffia &c. quia ob hærefim refignantem in locis non eft publicatum. Et fimiliter non ftringit fideles inter Turcas, & alios infideles commorantes, cum ibi publicatum non fit. 2. Hæretici in locis, in quibus Trid. publicatum eft, ligantur hoc decreto per fe, & regulariter; cum rebelles fubditi non eximantur ab obfervatione legum, nifi decretum hoc contraria confuetudine abrogatum fit. 3. Fideles commorantes, v. g. in Hollandia, & aliis provinciis confœderatis, ubi Trid. publicatum eft, fi nullum habere poffunt facerdotem catholicum, videntur valide coram duobus, vel tribus teftibus contrahere matrimonia; tum quia pia mater Ecclefia videtur condefcendere ad eorum valorem; tum quia in talibus locis decretum Trid. moraliter impoffibile eft obfervari: paftor tamen hæreticus non eft adhibendus, ut talis recognofcatur a catholicis.

☞ *Benedictus XIV. per organum facræ Cong. Conc. coram fe habitæ die* 13. *Maji* 1741. *generali decreto a fe confirmato die* 4. *Novemb. ejufdem anni per extenfum relato in ejus Bullario tom.* 1. *pag.* 87. *declaravit. I. Matrimonia contracta, & contrahenda five ab hæreticis inter fe, five a catholicis cum hæreticis, aut catholicus hæreticam fœminam ducat, aut catholica hæretico nubat, in fœderatorum Ordinum Belgii provinciis valida effe, etiam fi in iis celebrandis non fervata fuerit forma a Tridentino præfcripta; ita ut, fi contingat utrumque conjugem ad catholicæ Ecclefiæ finum fe recipere, non opus fit eos coram parocho catholico confenfum renovare: fin autem unus tantum five maritus, five uxor convertatur, neuter ad alias nuptias tranfire poteft, quamdiu alter vivit. II. Similia matrimonia itidem valida effe, etiam contracta extra fines dominii eorumdem fœderatorum Ordinum ab iis, qui addicti funt militaribus copiis, quæ ab eifdem fœderatis Ordinibus tranfmitti folent ad cuftodiendas, muniendafque arces conterminas; dummodo uterque conjux ad eafdem copias pertineat. III. Hujufmodi declarationem complecti etiam matrimonia contracta in civitate Mofæ trajectenfis, quamvis non jure dominii, fed oppignorationis tantum a republica fœderatorum Ordinum poffeffa.* ...

Nota tamen ex epiftola decretali ejufdem Pontificis ad Paulum Carmelitam excalceatum in iifdem provinciis miffionarium- Redditæ funt, *fub die* 17. *Sept.* 1746. *tom.* 3. *hujufmodi declarationem non fuffragari fponfis utriufque catholicis ibidem degentibus, fi coram civili magiftratu, aut hæretico miniftro confenfum in matrimonium de præfenti declaraverint, nec illud ad formam Tridentini contraxerint, aut poft contractum more hæreticorum confenfum renovaverint.* ☜

12. ℞. 3. In cafu, quo revalidatur matrimonium ob impedimentum publicum, neceffaria eft præfentia

ria parochi, & testium: nam alias non erit matrimonium firmum, & probabile in facie Ecclesiæ. At si impedimentum est occultum, non est necessaria talis præsentia, ut declaravit S. Pius V. quam declarationem sequitur S. Pœnitentiaria, & communis praxis: nam Tridentino satisfit per hoc, quod antea matrimonium contractum sit in facie Ecclesiæ, adeoque probari possit; ita ut revalidatio retrotrahatur ad tempus, quo præsentia parochi, & testium fuit adhibita. Nec obstat, quod Clem. VIII. feratur dispensasse, ut revalidatio fieret sine parocho, & testibus: nam dispensatio ista vel fuit ad majorem cautelam & securitatem; vel necessaria fuit, ex eo quia impedimentum in foro externo fuit probabile, Schmalz. a *n.* 119.

13. ℞. 4. Episcopus contra decretum Trid. non potest dispensare, ut matrimonium clandestinum valeat: nam talis potestas ei non conceditur, maxime cum ipsi contrahentes reddantur omnino inhabiles ad sic contrahendum. Neque in casibus, in quibus ante Trident. matrimonia clandestina erant licita, hodie post Trid. sunt valida; quia casus isti non reperiuntur excepti a decreto irritante: uti sunt, periculum mortis, grave malum ex publico matrimonio secuturum, malitiosa impeditio matrimonii, periculum amittendæ opportunitatis illud contrahendi, & revalidatio illius publice contracti, si impedimentum fiat notorium.

14. ℞. 5. Fideles transeuntes ex loco, ubi Trid. non observatur, ad locum ubi observatur, tenentur servare formam Tridentini: nam ratione contractus sortiuntur forum *c. fin. de foro compet.* ergo ut valide contrahant, tenentur servare formam substantialem præscriptam matrimonio in tali loco contrahendo. At si ex loco, ubi Trid. observatur, veniant ad locum, ubi non observatur, animo ibi figendi domicilium, valide contrahunt matrimonium clandestinum.

☞ *Quod verum est, etiamsi ibi figant domicilium solo animo, ut sine parocho & testibus contrahant, si hoc vere transferatur, ut ex infra cit. decreto.* ☜

Quod speculative loquendo, verum est etiam in illo casu, quo data opera se conferunt ad illum locum contrahendi matrimonii clandestini causa: quia utentes jure suo, nihil faciunt in fraudem legis. Sed hodie contrarium est tenendum ex decreto Cong. Conc. *an.* 1627. 14. *Aug. (relato etiam a Bened. XIV. Inst. Ecclesiast.* 33.*)* quod approbavit Urban. VIII. idemque recepit Archiep. Coloniensis.

☞ *Ubi insuper declarantur invalide contrahere, si per dictum locum transeuntes, etiam sine fraude contrahant, quoties adhuc retinent domicilium in loco, ubi Tridentinum quoad hoc punctum promulgatum est.* ☜

13. ℞. 6. Matrimonia clandestina non valent per se in vim sponsalium: ita Sanch. Barbos. Fagn. & alii contra Laym. Coninck &c. nam talis contractus est absolute irritatus; ergo nec valet in vim sponsalium, nisi alia esset intentio contrahentium. Hinc S. Congr. teste Joan. Gallemart. respondit Episcopo patavino, matrimonium clandestinum non resolvi in sponsalia. Nec obstat *cap. unic.* §. *idem de desponſ. impub.* nam jus præsumit matrimonia impuberum valere, saltem ut sponsalia: quæ præsumptio non stat in matrimonio clandestino, ne scil. actus agentium operentur ultra intentionem eorum.

16. Q. V. *Qualis debeat esse parochus assistens matrimonio?* ℞. 1. Debet esse parochus proprius domicilii, vel quasi domicilii, ratione cujus sit aliquis parochianus: nam aliæ qualitates a Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de refor. matr.* non requiruntur in parocho. Nomine parochi veniunt etiam illi, qui cumulativam potestatem habent cum parocho: ut Episcopus, Legatus apostolicus, Papa, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, capitulum, Sede vacante: item illi, qui vices parochi agunt, ut Vicarii perpetui, & temporales. Unde 1. in parocho non requiritur qualitas sacerdotii; quia sine hac est verus parochus, & assistere potest; cum assistentia non sit actus Ordinis, sed testimonii. Nec obstant verba *cit. Trid. vel alio sacerdote*, nam particula *alius* non semper est repetitiva similium, sed quandoque dissimilium, prout subjecta materia patitur; sicut *Luc.* 23. *ducebantur autem & alii duo nequam cum eo*. 2. Parochus suspensus, vel excommunicatus, etiam non toleratus, valide assistit matrimonio, quia adhuc est parochus; cum censuræ istæ non tollant titulum parochiæ, neque inficiant talem assistentiam; cum ista nec sit actus jurisdictionis, nec actus officii sub censuram cadens, nec actus testimonii specialiter qualificati; eo quod testes etiam infames recipiantur ad probationem matrimonii. 3. Parochus, cui ordinarius specialiter prohibuit assistere matrimonio, licet assistendo graviter peccet contra præceptum superioris, valide tamen assistit; quia per hanc prohibitionem non desinit esse proprius parochus: ac proinde locus est regulæ: *multa fieri prohibentur* &c. Ex quo patet disparitas ad *c.* 16. *de elect.* quia suspensio privat voce activa, & passiva: & consf. inficit electionem: econtra dicta prohibitio non privat titulo parochiæ. Multo minus validæ assistentiæ obstat vita criminosa parochi, vel occultus defectus tituli; dummodo ex errore communi habeatur pro parocho, ut alias sæpe dictum ex *l. Barbarius* 3. *ff. de offic. Prætor.*

17. ℞. 2. Parochus, licet excommunicatus, potest delegare facultatem assistendi matrimonio; non tamen alii, quam sacerdoti sive seculari, sive regulari ex Trid. *loc. cit.* ubi in delegato requirit qualitatem sacerdotii ibi: *vel alio sacerdote*: secus sine hac commissione, & qualitate sacerdotii invalida est assistentia ob decretum irritans ibi subnexum.

☞ *Sacerdos a proprio parocho ad hoc delegatus potest assistere matrimonio nedum intra delegantis parochiam, sed etiam extra propriam diœcesim; & multo magis delegatus ab Episcopo, ut probat Fagnan. hoc eod. tit. cap.* Quod *nobis num.* 33. *& seqq. non posset autem assistere cum consuetis solemnitatibus, nec sponsos benedicere sine consensu parochi, intra cujus parochiam contraheretur matrimonium: cum tunc exerceret jurisdictionem in alieno territorio. Reiff. hoc tit.* §. 2. *num.* 67. ☜

Venit autem in generali commissione ad sacramenta administranda etiam facultas assistendi matrimoniis; ut com. cum praxi tenet contra Henriq. Sanch. &c. nam licet parochus proprie non administret sacramentum matrimonii; vulgari tamen, & abusivo modo dicitur administrare, quatenus præsentiam præstat huic sacramento; ergo si vicario alicui generaliter committat sacramentorum administrationem, censetur includere etiam assistentiam matrimonii: si v. gr. inter duos parochos, vel capellanos bellicos est generalis conventio, aut consuetudo, ut alter alterius absentis vices suppleat in actibus parochialibus, valide alter loco alterius assistit matrimonio; cum talis commissio generalis non prohibeatur a Trid.

18. ℞. 3. Licentia præsumpta de futuro non sufficit ad valide assistendum; bene vero præsumpta, seu tacita de præsenti, dum parochus est præsens, videt, non contradicit ei, qui vult assistere: ita com. *Ratio* 1. quia licentia præsumpta de futuro, non est actu licentia, quam requirit Trid. sed tantum esset, si parochus adesset, ergo. Neque locum hic habet ratihabitio ex *reg. in* 6. quia valor matrimonii non pendet ex solo mandato parochi, sed etiam ex consensu partium, qui sine actuali licentia parochi non est legitimus. *Ratio* 2. est ex *reg.* 43. *qui tacet in* 6. quia tacens tunc habetur pro consentiente, etiam in odiosis, dum facile posset, & deberet contradicere, & non contradicit: sed in dato casu parochus facile posset, & deberet contradicere; ergo. 2. Si licentia, conscio sacerdote, petita est, is valide assistit matrimonio; dummodo licentia prius sit data, licet nuncio in via existente necdum sit intimata: nam talis licentia censetur statim accepta a momento concessionis. Hoc tamen modo illicite agit sacerdos; quia sacramentum exponit periculo invaliditatis, casu, quo licentia est denegata, vel posterius concessa. Si autem sacerdote inscio, licentia data est, donec intimetur, non est valida assistentia; quia non censetur acceptata. 3. Ordinarii licentia, ut sacerdos assistat copulationi Titii cum certa persona, non sufficit ad assistendum contrahenti cum alia persona, cui Ordinarius interdixit matrimonium; quia iste casus specialis non venit in generali commissione ex *reg.* 81. *in* 6. at si dedit licentiam, ut assistat, præmissis denuntiationibus, his omissis, valide assistit; quia concessio ista censetur conformis juri, juxta quod matrimonium, omissis denuntiationibus celebratum, est validum. 4. Licentia metu extorta valet, cum nullibi irritetur, sicut irritatur concessio jurisdictionis metu facta *l.* 2. *ff. de judic.*

judic. Dolus, nisi sit in causa finali, non vitiat licentiam; quia causa finalis vera, licet impulsiva sit falsa, sufficit ad validam impetrationem. 5. Revocatio licentiæ non prius sortitur effectum, donec ab Ordinario per se, vel per litteras, aut nuntium sit intimata commissario, licet is aliunde sciverit esse revocatam: ita Sanchez, & alii ex *lib.* 17. *ff. de off. præsid.* nam licentia data est voluntate parochi, & accepta voluntate commissarii; ergo etiam utriusque voluntate dissolvi debet, scil. per intimationem ab Ordinario, seu Parocho factam. *Nec obstat* paritas a delegato, cujus jurisdictio, re integra, expirat morte delegantis *c.* 20. *de off. Deleg.* quia delegatus non potest agere in virtute delegantis, utpote mortui; at in nostro casu commissarius tamdiu censetur agere in virtute parochi, donec revocatio mandati ei intimetur; quod etiam accidit in procuratore *c.* 13. *de procur.*

19. ℟. 4. Si sponsi actu sint diversarum parochiarum, valide assistit parochus, sive sponsæ, sive sponsi: ita fertur declarasse S. Cong. nam propter unitatem hujus Sacramenti parochus unius sponsi fit parochus etiam alterius. I. Quoad licentiam attendi debet consuetudo diœcesium, juxta quam in plerisque locis copulatio spectat ad parochum sponsæ. II. Sponsus æqualiter habitans per annum in duplici domicilio, contrahere potest coram alterutro parocho; licet conveniens sit, ut contrahens in hyeme, adhibeat parochum hyemalis domicilii; & econtra. Principes, & alii magnates coram parocho sui palatii contrahere debent. III. Vagi regulariter contrahunt coram parocho loci, in quo tempore contractus versantur, quia in eo sortiuntur forum: licet Sanchez dicat probabile, quod vagi, vel saltem si unus sit vagus, eligere sibi possint parochum. Circa matrimonia vagorum observandum est præceptum Trid. *Sess.* 24. *cap.* 7. *de reform. Matrim.* ut scil. nullus parochus eorum matrimoniis assistat, nisi prius facta diligenti inquisitione de ipsorum statu, & habilitate, re tota delata ad Ordinarium, atque ab eo obtenta licentia. Quod sane fit propter evitandum periculum animarum, ne uxores uxoribus superinducantur, prolibus noceatur, & alia mala perpetrentur. Idem dic de matrimonio forensium, seu peregrinorum, qui alibi domicilium habent. IV. Milites in castris contrahunt coram Curione, seu Capellano castrensi, si is a Papa, vel Ordinario loci approbatus sit ad curam animarum; & si facultas Curionis extendat se etiam ad præsidia, potestas ista est non privativa, sed cumulativa cum potestate parochi, sac. Congreg. in una Belgii 1683. 29. *Maji.* Si vero Capellanus bellicus non sit approbatus ad curam animarum, milites contrahere debent coram parocho loci, in quo existunt; cum iste sit proprius eorum parochus. Ceterum approbatio ab Episcopo unius diœcesis non extendit se ad aliam diœcesim: & ideo non sufficit ad valide assistendum matrimonio militum, ad aliam diœcesim discedentium.

☞ *Ex decretis Cong. Conc. relatis a Bened. XIV. Instit. Eccl.* 33. *rite contrahere possunt matrimonium coram parocho loci, intra cujus parochia limites degunt I. prætor, judex, medicus temporalis, professor alicujus facultatis, discipuli, & famuli, licet exteri: circa quod punctum vide regulam ab Auctore allatam lib. II. tit.* 2. *de foro comp. n.* 11. *& seq.* 2. *Carceribus detenti, dummodo non detineantur pro custodia tantum, videlicet donec eorum causa judicis sententia cognoscatur.* 3. *Puellæ exposita in hospitio spuriorum detentæ.* 4. *Puellæ, quæ in aliis hospitiis, seu conservatoriis servantur, & eorumdem proventibus aluntur, licet per breve tempus discedant suos domesticos invisuræ. Puellæ vero, quæ data fide, & viro jam destinatæ per consanguineos invitæ monasteriis detinentur, ex generalibus decretis Congreg. Episc. & Regul. cit. Instit. relatis, extrahi debent ab iisdem monasteriis, licet Ordinario minime subjectis, ut contrahere possint coram Parocho, cujus ditioni paterna ædes adjecta judicabitur. Quod si difficile sit ad extractionem devenire, illæque in alia parochia domicilium non habeant, tunc matrimonium contrahent coram parocho, intra cujus parochiam situm est monasterium: si vero proprium domicilium habeant, coram hujusmodi domicilii parocho contrahent, ut probat idem Benedictus loc. cit.*

Quis autem debet assistere matrimonio, quod aliquando ineundum est ab iis, qui in xenodochiis in gravi vitæ periculo versantur, ut animæ saluti prospiciant, an scilicet xenodochii capellanus, vel parochus, in cujus ditione illud situm est, magna est contentio inter DD. ideoque standum erit in tali casu declarationi, seu deputationi Ordinarii, ut ibidem sentit idem Pontifex. Verum tunc monendus erit ægrotus, ne sanitati restitutus ad uxorem accedat, donec paruerit iis, quæ a S. Officio præscribuntur circa juramentum ab eo præstandum de sua libera conditione, ceterisque impedimentis, juxta instructionem d. Tribunalis relatam a Corrado in praxi dispensat. lib. 7. *c.* 6. *n.* 23. *si temporis spatium non suppetat ea uti, antequam matrimonium sive intra, sive extra præfata xenodochia contrahatur.*

Ceterum ex aliis decretis Cong. Conc. cit. Inst. relat. parochus loci, ubi quis degit rusticationis, recreationis, vel negotiorum causa; seu ad quem quis se transfert solo animo contrahendi matrimonium, non autem contrahendi domicilium, non est proprius quoad ipsum matrimonium.

20. Q. VI. *Quot, & quales esse debeant testes matrimonio interessentes?* ℟. Saltem duo; in quibus tamen nulla specialis qualitas requiritur, sed sufficiunt qualitates de jure naturali requisitæ, scil. usus rationis, & plena advertentia ad id, quod agitur inter sponsos: ita colligitur ex Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de refor. matr.* ibi: *duobus, vel tribus testibus*: ubi pro testibus nulla specialis qualitas exprimitur; ergo nec nos illam requirere debemus, ne magis in hac materia correctoria recedamus a Jure naturali. Ratio congrua est, quia favor matrimonii exposcit testes etiam minus habiles, uti sunt fœminæ, minores, infames *arg. c.* 6. *de hæret. in* 6. ne præcludatur via contrahendis matrimoniis; maxime cum minor idoneitas testium regulariter adjuvetur per excellens testimonium parochi. Unde in hoc contractu cessat Edictum prohibitorium de testibus *l.* 1. *& seqq. ff. de test. Can.* 2. *placuit* 4. *q.* 3. *c.* 28. *de sponsal.* His non obstat *c.* 1. *de consang.* nam ibi non agitur de contrahendo, sed dissolvendo matrimonio; quæ dissolutio, ne fiat cum irreverentia tanti Sacramenti, exigit testes omni exceptione majores.

21. Q. VII. *Qualis, & in quo loco debeat esse præsentia parochi, & testium?* ℟. 1. Præsentia ista non debet esse mere *physica*, sicut est dormientium, ebriorum; sed *moralis*, ut testes adsint modo humano, & intelligant, quid agatur, non mere *casualis* sine advertentia: si tamen testes, qui casu advenerunt, admoneantur a sponsis, ut attendant contractui celebrando, sufficit eorum testimonium, cum per eos probari possit matrimonium: ita sæpius decidit S. Congreg. Ob eandem rationem sufficit præsentia parochi, & testium vi, aut dolo extorta, ut com. tenet contra Seguram, & sæpius declaravit S. Congr. nam hoc modo, cum probari possit matrimonium, obtinetur principalis finis Tridentini; & aliunde *voluntaria* præsentia nullibi a Jure requiritur, ad valorem matrimonii. Huc valet illud JCti *lib.* 209. *ff. de V. S. scire, non etiam velle is debet, cum eo invito recte fit. Dices*: Ad auctoritatem præstandam requiritur præsentia moralis secundum intellectum, & voluntatem; puta, ut quis sciat, & velit contractum fieri *lib.* 1. *in fin. ff. de auct. tut.* sed parochus nomine Ecclesiæ debet præstare auctoritatem matrimonio, & sponsos copulare per verba: *ego vos conjungo*, &c. ergo. ℟. Dist. min. debet præstare de ritu accidentali Conc. m. de ritu substantiali ad valorem matrimonii requisito, N. m. Auctoritas parochi est solum ritus accidentalis; & conf. sciente, & invito parocho, valide contrahitur matrimonium, non tamen licite; quia parocho coacto injuria, & præcepto Ecclesiæ contemptus infertur: ac proinde ita contrahendo graviter peccatur. Similiter parochus, si data opera omittat consueta verba copulationis, videtur graviter peccare, cum talis omissio adversetur gravi præcepto; licet Sanch. Gonz. & alii dicant non excedere veniale; quia verba ista nec sunt de forma Sacramenti, nec de ritu magni momenti.

22. ℟. 2. Matrimonium regulariter celebrandum est in Ecclesia propriæ parochiæ, ut habet com. praxis. Potest tamen parochus proprius extra fines suæ parochiæ, imo & diœcesis assistere matrimonio suorum parochianorum; quia talis assistentia nec est actus jurisdictio-

dictionis contentiosæ, nec per se exigit actum Ordinis, sicut benedictio nuptiarum, neque locum a Trid. habet determinatum. Si tamen Parochus solemniter vult assistere matrimonio in aliena Parochia, opus habet licentia parochi loci, ne functiones eorum perturbentur. Ex causa aliqua potest parochus matrimonio assistere in oratorio, vel domo privata; ut si sponsus, vel sponsa ægrotet &c. Hæc eadem proportionaliter observat commissarius, cui parochus licentiam dedit assistendi.

23. Q. VIII. *Quomodo probetur valor matrimonii?* ℞. 1. De jure Trident. probatur ex testimonio parochi, & testium, uti etiam ex libro parochiali; quia parochus in annotandis matrimoniis constituitur a citat. Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de ref. matr.* instar notarii publici. 2. De jure veteri matrimonium probandum est ab eo, qui asserit esse contractum, quia afferentis est probare ex *l.* 2. *ff. de prob.* ex qua regula suppletur textus *c.* 1. *h. t.* ibi: *Viro incumbit probatio*, puta asserenti, vel mulieri asserenti. Si uterque neget, non sunt cogendi ad matrimonium: si vero uterque affirmet matrimonium esse clandestine contractum, eis credendum est *c.* 2. *h. t.* Porro matrimonium clandestinum, postquam ex judicio Ecclesiæ publicatum est, habetur pro valido, ac si ab initio in facie Ecclesiæ contractum fuisset, *c.* 2. *in fin. h. t.* De legitimitate filiorum agetur *tit.* 17. & de benedictione nuptiarum *tit. fin.*

24. Q. IX. *Quæ sint pœnæ clandestine contrahentium, vel matrimonio assistentium?* ℞. 1. Contrahentes matrimonium sine denunciationibus sequentes incurrunt pœnas: 1. Si tale matrimonium est invalidum ex quocumque impedimento dirimente, sive illud sponsi sciverint, sive non, proles ex illo genitæ sunt illegitimæ, *c. fin.* §. *si quis h. t.* nam ita contrahentes præsumuntur habere malam fidem, & scientiam latentis impedimenti. *Nec obstat*, quod *cit. c. fin.* mentio fiat tantum consanguinitatis, affinitatis, vel alterius agnationis; nam de aliis impedimentis eadem est ratio, & gradus prohibiti ponuntur per modum exempli, quod regulam non restringit. At si tale matrimonium publicatum est ab Ecclesia ut validum, proles sunt legitimæ, ut comm. docet contra Maurum; siquidem in *cit. c. fin.* sermo est de prolibus natis ex matrimonio invalido. Imo facta publicatione, quæ retrotrahitur, omnes proles ex tali matrimonio susceptæ sunt legitimæ; licet postea detegatur impedimentum latens; quia approbatio Ecclesiæ tollit omne vitium clandestinitatis, & præsumptionem ignorantiæ affectatæ, Sanch. *lib.* 3. *disp.* 42. *&* 43. Schmalz, & alii, licet Brunellus, Rosella, & alii dicant, illas tantum proles esse legitimas, quæ natæ sunt post approbationem Ecclesiæ. 2. Altera pœna est, quod contrahentes sine denuntiationibus priventur omni spe impetrandæ dispensationis in impedimento dirimente, Trid. *S.* 24. *c.* 5. *de refor.* quia non sunt digni gratia Ecclesiæ, qui ejus salutaria præcepta contempserunt: unde circumstantia ista aperienda est in supplicatione dispensationis. 3. Pœna contrahentium matrimonium clandestinum absque præsentia parochi, & testium, præter inhabilitatem ad sic contrahendum, est gravis, arbitraria, ab Episcopo infligenda: ita jubet Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de refor.* gravior autem erit pœna, si tale matrimonium de se invalidum consummatum est, cum & gravius sit delictum. In quibusdam diœcesibus statuitur pœna excommunicationis, ut melior hujus decreti observantia habeatur.

25. ℞. 2. Pœna parochi assistentis matrimonio sine præmissis denuntiationibus, extra casum dispensationis, est suspensio triennalis ab officio, vel alia gravior pro qualitate delicti, *c. fin.* §. *fin. h. t.* Est autem ferendæ sententiæ ob verbum: *suspendatur*, neque privat fructibus, cum tantum sit ab officio, & non beneficio. Hæc pœna pro casu, quo omissæ sunt denuntiationes, adhuc hodie durat, cum non reperiatur a Trid. correcta. 2. Parochus, vel de ejus licentia alius sacerdos assistens matrimonio clandestino ob defectum testium duorum, vel trium, subjacet arbitrariæ pœnæ ab Episcopo infligendæ ex Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de refor. matr.* ubi etiam tali pœnæ subiiciuntur testes, sine parocho interessentes matrimonio. In hoc autem casu non habet locum triennalis suspensio lata *cit. c. fin. h. t.* tum quia hoc cap. loquitur de sacerdotibus copulantibus sine denuntiationibus; tum quia, licet idem cap. procederet de copulantibus sine numero testium, tamen pœna triennalis suspensionis a Trid. commutata est in pœnam arbitrariam; siquidem nova pœna novæ materiæ, & novo delicto apposita tollit pœnam priorem alteri materiæ, & delicto appositam; sed hic nova pœna apponitur novæ materiæ, & novo delicto: nam ante Trid. tale matrimonium valuit, post illud non valet, ergo.

26. ℞. 3. Sacerdos secularis, vel regularis, qui sine licentia proprii parochi ausus fuerit conjungere sponsos, vel eorum nuptias benedicere, incurret ipso jure suspensionem tamdiu, quamdiu ab Ordinario illius parochi absolutionem non obtinuerit, Trid. *cit. S.* 24. *c.* 1. *de refor. matr.* ibi: *quod si quis parochus*. Videtur autem suspensio ista ferri, non ut pura censura, & pœna medicinalis, sed ut pœna vindicativa prioris delicti, cum ejus absolutio relicta sit arbitrio Episcopi.

27. Sacerdos alienus ex simplicitate, vel ignorantia, etiam crassa, modo non sit supina, & affectata, ita assistens matrimonio, non incurrit dictam suspensionem a Trid. latam: ita Sanchez, Barbos. & alii: nam Trid. loquitur de sacerdote præsumptuose, & temerarie assistente, ut patet ex verbo: *ausus fuerit*, quod temerariam audaciam, & præsumptionem significat, *l.* 7. *si quis in tantam pervenerit audaciam C. unde vi. Auth. habita C. ne filius pro patre:* ibi: *ut nullus de cetero tam audax inveniatur &c.* sed qui assistit ex simplicitate, & ignorantia modicum crassa, non assistit præsumptuose, & temerarie: nam adhuc ignoranter facit, & non scienter, quod requiritur ad præsumptionem, & temeritatem; ergo non incurrit istam suspensionem. An vero sacerdos temere, vel ignoranter assistat, in foro externo colligi debebit ex circumstantiis. *Dices:* ignorantia juris, præsertim notorii, ut hic, non excusat sacerdotem, ex *reg.* 13. *in* 6. quia sacerdotis est scire sacros canones *c.* 1. *d.* 38. ℞. Licet aliqualis culpa sit in sacerdote ignorare Sac. Canones, tamen ignorantia ista, cum non faciat illum contumacem, excusat a censura suspensionis, uti etiam a pœna vindicativa, si ad hanc incurrendam jus prærequirat audaciam, & temeritatem.

28. ℞. 4. Sacerdos regularis præsumens sine licentia proprii parochi solemnizare matrimonia, præter suspensionem a Triden. latam, non incurrit excommunicationem latam in *Clem.* 1. *de privil.* ita fertur declarasse S. Congr. oppositum tamen tenet Sanch. Navar. & alii. Prob. excommunicatio lata in *cit. Clem.* locum habet, dum regularis assistit matrimonio clandestino valido, ex quo olim multa incommoda sequebantur, testante Trid. *S.* 24. *c.* 1. *pr. de refor. matr.* ergo cum pœnæ non sint laxandæ, pœna ista extendi non debet ad casum diversum, dum regularis assistit matrimonio clandestino hodie invalido, ex quo tot mala non sequuntur. Præterea hic nova est materia, novum delictum, & novum jus Trident. ergo etiam nova est pœna suspensionis, per quam antiquata est pœna anterior excommunicationis, alteri delicto constituta. *Dices:* Tunc pœna posterior mitior corrigit priorem severiorem, quando venit infligenda ministerio judicis, non quando utraque ipso jure incurrenda statuitur, ut tenet frequens DD. opinio; sed hic utraque pœna excommunicationis, & suspensionis incurritur ipso jure; ergo posterior non tollit priorem. ℞. Omissa illa opinione, dist. maj. si pœna posterior feratur super eadem materia, eodemque delicto, transf. maj. si super diversa materia, & diverso delicto, neg. maj. aliud autem fuit olim, aliud est hodie assistere matrimonio clandestino; & ideo alia dispositio, alia pœna.

29. Q. X. *An Episcopus absolvere possit parochum, vel alium sacerdotem a suspensione lata in c. fin.* §. *fin. h. t.?* ℞. Sanchez *lib.* 3. *de matr. disp.* 48. *n.* 2. ait, hoc tempus trienni posse ex causa justa augeri, vel minui, & *disp.* 52. *n.* 2. ait, Episcopum non posse ab hac suspensione absolvere, pro qua sententia plures DD. citat. sed probabilius ℞. Affirmative; ita Host. Jo. Andr. Præpos. & alii: nam tempus triennii committitur arbitrio Episcopi, ut illud laxare, vel stringere possit, ut fatetur Sanchez, & alii *arg. c.* 5. *de appell.* ergo etiam in arbitrio ejus est ex justa causa absolvere ante triennium, cum regulariter ejusdem

sit in solvendo, cujus erat in ligando arbitrium: tum quia a censura non reservata Episcopus potest absolvere per tritum *c. 29. de sent. excom.* ibi: *quia conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi;* sed suspensio triennalis *cit. c. fin.* statuta non reservatur Papæ, ergo. *Dices*: Pœna in tempus definitum lata a Conc. gener. nequit ab Episcopo tolli, cum iste sit inferior Conc., & jure comm. ergo. ℞. Dist. ant. si tempus istud non relinquatur arbitrio Episcopi, vel si pœna sit reservata, conc. ant. secus, neg. antecedens.

TITULUS IV.

De Sponsa duorum.

Agitur de hac materia in Decreto 27. q. 2. maxime *Can. fin.* & in Trid. *S.* 24. *Can.* 2. & examinatur hic duplex impedimentum *ligaminis*: alterum *impediens* ortum ex sponsalibus; alterum *dirimens* ortum ex matrimonio. Ne vero rubrica ista sit incompleta, in ea subintellige alteram partem: *de sponso duarum*.

1. Q. I. *An ex sponsalibus oriatur impedimentum juris naturalis, prohibens contrahere cum alia?* ℞. 1. Affirmative ex *c. 1. h. t.* nam spectato jure naturali, res uni promissa, alteri illicite traditur, cum prima fides violetur; sed per sponsalia promittitur sponsæ corpus, & futurum matrimonium; ergo licite alteri tradi non potest; si tamen tradatur, inito matrimonio de præsenti, valet matrimonium, *cit. c. 1. h. t. & c. 22. & 31. de sponsal. & arg. l. 15. C. de R. V.* quia vinculum matrimonii fortius est sponsalibus.

2. ℞. 2. Sponsalia dissolvere regulariter non potest Papa, nisi vi dominii alti ex justa, & gravi causa: nam Papa ligatur jure naturali: neque jus alteri quæsitum tollere potest, nisi adsit justa causa sufficiens ad irritationem prioris consensus: quia irritatione facta, indirecte tollitur obligatio sponsalium per subductionem materiæ. Hæc tamen potestas irritandi non est concessa Episcopo, ut colligitur ex *c. 10. de sponsal.* cum jus quæsitum tollere non possit, nisi supremus princeps.

3. ℞. 3. Sponsalia priora non dissolvuntur per posteriora jurata, vel per copulam firmata: ita comm. ex *c. 22. & 31. de spons. Ratio primi*, quia per sponsalia priora jus matrimoniale est uni promissum; ergo de jure naturali valide promitti alteri nequit, etiam accedente juramento; quia hoc in præjudicium tertii non tenet *c. 28. de jurej.* ne sit vinculum iniquitatis: unde posteriora sponsalia sunt jure naturali invalida, neque obligant, etsi priora dissolverentur; nisi per accidens sub hac conditione inita fuissent, ut valerent, si priora dissolverentur. *Ratio secundi*, quia copula illicita non tribuit jus resolvendi priorem contractum, neque per illam tolli debet jus alteri sponso quæsitum, ergo. Excipe locum, ubi Trid. non viget: ibi enim, si copula facta est affectu conjugali, sponsalia secunda transeunt in matrimonium. In illo casu, quo sponsa secunda deflorata, ignara priorum sponsalium, pateretur damnum aliter non reparabile, nisi per matrimonium, sponsa prior saltem ex charitate teneretur remittere jus suum, ut docet Sanchez: ad id tamen in rigore ab Episcopo cogi non posset: quia non apparet jus aliquid, ratione cujus cogatur aliquis cedere jure suo, ut proximus a gravi damno liberetur. In praxi parochus, vel Episcopus suadere potest amicabilem compositionem, si hæc sit possibilis. *Dices*: conditio defloratæ est favorabilior, & æquitati conformior, quia ista certat de damno vitando. ℞. Neg. ant. nam etiam prior sponsa certat de damno vitando, ne jure quæsito spolietur; imo si per tales deflorationes priora sponsalia solverentur, lata esset porta ad dissolutionem plurium sponsalium.

4. ℞. 4. Sponsalia per subsequens matrimonium cum alia initum probabiliter non solvuntur, sed tantum suspenduntur; ita Adrian. Vega, Schmier, Schmalz. & alii contra Sanchez, Laym. Guttier &c. quorum sententia est æque probabilis. Prob. 1. negative. nam talia sponsalia non solvuntur jure naturali; quia hoc jure stat obligatio sponsalium cum matrimonio, quatenus respicit tempus habile soluti matrimonii; neque solvuntur jure positivo, *c. 1. h. t. cap. 22. & 31. de sponsal.* quia in his juribus plus non dicitur, quam priorem fidem esse violatam, matrimonium valere cum secunda, neque conjuges esse separandos; non vero dicitur sponsalia esse penitus extincta, ergo. *Ratio* est, quia lex justitiæ non admittit, ut pars lædens, per iniquum matrimonium eximat se ab obligatione justitiæ in primis sponsalibus contracta; ergo talis obligatio perseverat, ut soluto per mortem matrimonio, sponsus teneatur priorem sponsam ducere. Interim ex parte innocentis, si vult, est justa causa resiliendi a sponsalibus, & ad alia vota convolandi. *Dices*: 1. *Can. fin.* 27. *q.* 2. violanti fidem sponsalium sola pœnitentia imponenda est, ibi: *pœnitentiam debet agere de fide mentita*. In *cit. c. 22. de sponsalib.* ibi: *quia primam fidem irritam fecit;* ergo priora sponsalia irritantur, seu solvuntur, ut dicitur in summario. 3. Fortior obligatio perimit debiliorem *arg. c. 5. de regul. in 6.* sed obligatio matrimonii est fortior obligatione sponsalium, ergo. 4. Triste est, & plenum periculi expectare mortem alterius conjugis *arg. l. 83. §. 5. ff. de V. O.* ubi reiicitur obligatio dandi rem sacram, & Stichum, ubi illa profana, & iste servus fuerit: idem reperitur *l. 98. §. fin. ff. de solut.* 5. Venditor secundo emptori rem tradens, non tenetur eam tradere primo, etsi redeat in ejus dominium *l. 15. C. de R. V.* ergo a pari. ℞. *ad* 1. Propter hoc delictum pœnitentia imponenda est; sed per hoc prior obligatio non extinguitur. *Ad* 2. Facere fidem irritam, est illam violare, sed non obligationem illius penitus extinguere: sicut voventes castitatem, si contracto matrimonio, primam fidem irritam fecerunt, nihilominus ligantur voto castitatis, ut soluto matrimonio, aliud inire nequeant. *Ad* 3. Si fortior obligatio quæsita sit eidem personæ, extinguit debiliorem, sicut votum strictioris Religionis extinguitur per professionem in laxiori Religione, idque propter conscientiæ tranquillitatem *cit. c. 5.* at hic obligatio sponsalium, & matrimonii quæsita est diversis personis. *Ad* 4. Periculum istud prior sponsa non induxit, adeoque per accidens est. Paritas de re sacra, & Sticho non probat, quia favore Religionis, & libertatis res sacra, & servus manumissus plene ponuntur in alio statu, & extra commercium humanum: at maritus non ponitur extra statum contrahentium, quia soluto matrimonio, contrahere potest, sicut dari Stichus promissus interim ab hostibus captus, & area promissa, in qua dominus ædificavit, postquam impedimentum captivitatis, & ædificii sublatum fuerit *cit. l. 98.* *Ad* 5. neg. ant. ex multorum sententia; quia jus personale primi emptoris non est extinctum; ergo si res ad venditorem redeat, tenetur eam primo emptori tradere; vel omit. ant. & neg. cons. nam solutio matrimonii pendet a causis naturalibus, adeoque obligatio in illud tempus habile recte subsistit; e contra recuperatio rei venditæ, & traditæ pendet a causis liberis, & pendet etiam a voluntate venditoris, ut eo nolente, non acquiratur ei; adeoque obligatio ista pendens a voluntate obligati, est prorsus inutilis. Unde in tali casu Jus venditorem vult condemnari ad interesse primi emptoris *l. 1. pr. ff. de action. empt.*

5. ℞. 5. Obligatio contrahentis sponsalia secunda est, ut reparet omnia damna inde secuta, sive primæ, sive secundæ sponsæ: nam delicto suo proximum lædens, tenetur ex justitia læsionem, & damni illationem resarcire: unde si sponsa secunda ignara priorum sponsalium (scienti contra, & volenti non fit injuria) deflorata est sub spe, & promissione matrimonii, & prior sponsa jus suum non vult remittere, damnum inde secutum reparandum est; & quidem in conscientia ante sententiam Judicis. Si vero nullum damnum sequatur, sponsus ad nihil tenetur, cum sola virginitatis ablatio non sit pretio æstimabilis.

6. Q. II. *An ex matrimonio, seu sponsalibus de præsenti oriatur impedimentum ligaminis dirimens aliud matrimonium, priori stante, contrahendum?* ℞. 1. affirmative *c. 1. 2, 3. & fin. h. t.* nam matrimonium de Jure naturali est conjunctio unius viri cum una muliere juxta illud; *erunt duo in carne una*; ergo matrimonium ita ligat conjuges, ut in sensu composito aliud non admittat: Unde primum matrimonium ratum non solvitur per subsequens consumatum *c. 31.*

de sponsal. c. fin. h. t. quia corpus uni traditum, alteri invalide traditur. Et quia hoc impedimentum est Juris naturalis, hodie sublato per Christum libello repudii, ligat etiam Judæos, & alios infideles. Nec obstat *c.* 3. *h. t.* quod Pontifices aliter circa hoc judicaverint: nam judicium istud non fuit cathedralis definitio, sed forsan privata litis decisio, aut opinio, in qua Papa errare potest. *Dices:* Si ligamen matrimonii est Juris naturalis, nec Deus in eo dispensare potuisset; quod falsum esse constat ex libello repudii, & polygamia Patriarcharum. ℞. Dist. seq. si est Juris naturalis absoluti, & quoad materiam invariabilis, sicut mendacium, hæresis &c. conc. seq. conditionati, & quoad materiam variabilis, neg. seq. In illis circumstantiis, in quibus Deus remittit jus conjugale, vel uni viro concedit jus in plura corpora uxorum, Jus naturale non extendit se ad ejusmodi matrimonia, utpote ex parte materiæ subducta a communi obligatione.

7. ℞. 2. Polygamia, seu pluralitas uxorum cum eodem viro simul, adversatur juris divino, & naturali: ita quoad rem comm. DD. catholicorum cum Trid. *S.* 24. *Can.* 2. negantium vero opinio sane est intelligenda, quod scil. polygamia non adversetur juri naturali absolute, & ex parte materiæ immutabili, sicut ei adversatur odium Dei, mendacium, & similia, quorum materia in nulla circumstantia cohonestari potest *Prob. de jure div. Gen.* 2. *v.* 24. ubi Adam, vel potius Deus ore Adami dixit: *adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: non *uxoribus*, nec *plures*, sed *duo* in carne una, ut advertit Innoc. III. *cap.* 8. *de divort.* & Christus Dominus *Matth.* 19. *v.* 9. dicit eum mœchari, qui, uxore dimissa, aliam ducit, & a fortiori, si prima retenta, aliam superinducat. *Prob. de jure naturali*: nam præceptum illud, quod Deus per os Adami publicavit, non erat mere positivum, sed simul naturale; cum præter præceptum de pomo non comedendo, non fuerit aliud in paradiso mere positivum, ut communiter fatentur Doctores. *Ratio* etiam est, quia pluralitas uxorum adversatur bono matrimonii, & fini saltem secundario: nam contraria est *bono pacis*, & tranquilitatis domesticæ; quia pluralitas uxorum causa est discordiarum: *bono prolis*, seu generationi saltem secundum quid; quia vir pluribus copulatus minus fœcundus esse solet, ut patet in Salomone ex tot uxoribus unum Roboamum suscipiente 3. *Reg.* 1. *v.* 43. *bono uxorum*, seu remedio concupiscentiæ, quia singulæ ex pluribus uxores pro placito suo non possunt uti marito, ergo. His accedit communis consensus gentium bene cultarum, quæ matrimonium in conjunctione unius viri cum una fœmina constituunt. Quia vero corpora humana substant supremo dominio divino, ideo communis TT. & Cann. docet, Deum ex parte materiæ dispensare posse, ut unus vir jus habeat in plura corpora mulierum.

8. ℞. 3. Polyviria, seu pluralitas virorum cum una uxore omni juri est contraria: nam adversatur primario bono, & fini matrimonii, scil. *generationi*; quia hæc impeditur ex admissione plurium virorum, ut patet in meretricibus: & *bonæ educationi* prolis; quia pater esset incertus, & ita quisque prolem negligeret. Judico tamen de absoluta potentia Dei fieri posse, ut una mulier matrimonio copuletur pluribus viris; nam hoc totum subest dominio Dei: neque tale matrimonium continet materiam absolute incohonestabilem, aut primario fine frustratur: siquidem tali casu Deus providere posset, ne noceretur generationi, & bono prolis; maxime si viri successive post singulas generationes essent admittendi.

9. ℞. 4. Polygamia plurium uxorum sub uno viro nulla humana potestate concedi potest: ita comm. quam sequitur Inn. III. *c.* 8. *de divort.* S. D. in 4. *d.* 33. *q.* 1. *ar.* 2. nam jus in corpora Deus suo dominio reservavit; nec talem potestatem relaxandi jus naturale, & divinum principibus, aut Pontificibus concessit.

TITULUS V.

De conditionibus appositis in desponsatione, & aliis contractibus.

Agitur de hac materia in Decreto 32. *q.* 2. sparsim. Et applicari possunt ea, quæ traduntur *tit. ff. de condition. & demonstr. & tit. de V. O. & tit. de condition. institut.*

1. *Nota* 1. *Conditionem* conformiter huic rubricæ definiri, quod sit affectio orationis suspendens, vel resolvens contractum, ejusque obligationem. Dividitur 1. In *suspensivam*, quæ obligationem actus suspendit, seu differt, donec ipsa conditio existat, v. g. ducam te, si mille attuleris: & *resolutivam*, quæ obligationem ab initio puram dissolvit, & nullam reddit, v.g. ducam te, nisi intra octiduum ditior sponsa se obtulerit: fundus tibi venditus esto, nisi intra proximas calendas alius emptor plus obtulerit. Vide *tit. ff. de in diem addictione.* 2. In *possibilem*, quæ evenire potest: & *impossibilem*, quam evenire repugnat, ut si chymæram obtuleris. 3. Possibilis subdividitur in *necessariam*, quæ naturaliter existet, v. g. si cras sol orietur, vel ex suppositione decreti divini certo ponetur, v. g. si Antichristus extiterit: & *contingentem*, quæ potest evenire, vel non evenire, ut si pater consenserit. Et hæc vel est *potestativa*, seu *arbitraria*, quam implere est in potestate contrahentis, v. g. si capitolium ascenderis, si mihi obsequium præstiteris &c. vel *casualis*, seu *fortuita*, quæ pendet ex eventu incerto, & fortuito; ut si navis ex India venerit: vel *mixta*, quæ partim a libera voluntate, partim ab incerto eventu pendet, v. g. si ex Italia in Germaniam veneris. 4. *Impossibilis*, alia est *ex natura rei*, quam existere natura rei prohibet; ut si chymæram dederis, digito cœlum attigeris: alia *impossibilis de facto*, quæ propter summam difficultatem existere nequit: ut si dicas mendicæ, duco te, si millionem aureorum pro dote dederis, si me Regem feceris: alia *impossibilis de jure*, seu *turpis*, quam ponere jus vetat naturale, divinum, aut humanum; ut si mecum fornicata fueris &c. nam quod lege non licet, id nec nos posse existimare debemus, *l.* 15. *ff. de condition. institution.* Huic opponitur conditio *honesta*, quam jus non reprobat in contractibus. Rursum conditio *impossibilis de jure*, alia est contraria substantiæ matrimonii, seu triplici ejus bono; alia, quæ ita ei non contrariatur, de quibus infra. 5. Conditio alia est *de præsenti*, quæ facit actum dependere ab eo, quod actu existit: alia *de præterito*, quæ facit actum dependere ab eo, quod jam extitit: alia *de futuro*, quæ facit actum dependere ab eo, quod primo existet. Item alia est *expressa*, quæ conceptis verbis apponitur: alia *tacita*, quæ ex mente contrahentium, vel juris dispositione contractui inest, vel generaliter in omni contractu, v. g. si potuero; vel specialiter in certo contractu, v. g. in sponsalibus, si nullum impedimentum intervenerit, si res in eodem statu permanserit &c.

2. *Nota* 2. ex dictis conditionibus illam de futuro contingenti esse proprie dictam conditionem *l.* 10. *ff. de condition. instit.* cum hæc sola differat actum: unde a natura conditionis deficit conditio necessaria, impossibilis saltem naturaliter, vel de facto, & ea, quæ est de præterito, vel præsenti. Hic tamen paulo latius de conditionatis desponsationibus agemus, prout etiam eis admiscentur conditiones improprie tales.

3. Q. I. *An, & quæ conditiones de futuro sponsalibus, & matrimonio apponi possint?* ℞. 1. Conditio de futuro contingenti apponi potest sponsalibus, & matrimonio: ita colligitur ex *c.* 3. 5. *h. t.* nam sponsalia, & matrimonium sequuntur naturam aliorum contractuum; neque numerantur inter illos actus legitimos, qui conditionem non recipiunt, nec diem ex *reg.* 77. *ff. & reg.* 50. *in* 6. ergo initi possunt sub conditione, nisi specialiter talis conditio a jure reprobetur.

4. ℞. 2. Conditio honesta de futuro contingente suspendit valorem desponsationis: ita comm. ex *c.* 3. 5. *h. t. l.* 97. §. 2. *ff. de V. O.* nam natura hujus conditionis est suspendere obligationem actus, donec ipsa conditio existat. Si tamen ejus existentia culpabiliter

ab altero impediretur, conditio haberetur pro impleta *l.* 161. *ff. de R. J.* uti etiam in casu, quo ab illa recederetur. Licet autem in sponsalibus, utpote natura sua solubilibus, conditio de mutuo consensu apponi possit post sponsalia contracta; tamen matrimonio, utpote ex natura sua insolubili, apponi nequit, nisi in ipso contractu matrimoniali.

5. ℞. 3. Matrimonium, purificata conditione perficitur, seu transit in absolutum absque novo consensu: ita Inn. Fagn. Sanch. & alii contra Sotum, Covar. Barbos. &c. quorum sententia, licet mihi videatur minus probabilis, est tamen tutior, & suadenda in praxi ad tollendos omnes scrupulos. Prob. arg. aliorum contractuum, qui purificata conditione, transeunt in absolutos absque novo consensu *l.* 7. *ff. de contrah. empt. l.* 11. *ff. qui potior. in pignor.* uti sunt sponsalia *c. un. de sponsal. in* 6. quia consensus prior moraliter perseverat, sicut consensus principalis contrahentis per procuratorem; ergo posita conditione, consensus matrimoniales fiunt absoluti, & eodem momento conficitur Sacramentum matrimonii; præsertim si conditio notorie existat, atque innotescat parocho, & testibus. Quodsi existentia conditionis non sit notoria, docent Nav. Rodriq. Sanch. Fagn. & alii ex Decreto S. Pii V. & Clem. VIII. non esse opus, ut parocho, & testibus manifestetur impletio conditionis; quia hæc retrotrahitur ad tempus celebrati matrimonii coram parocho, & testibus; & Tridentino satisfit, eo quod matrimonium istud sit probabile; neque contrahentes ad aliud convolare possint, donec discutiatur causa prioris matrimonii. In praxi tamen securius est, ut impletio conditionis manifestetur, parocho, & testibus; quia hi testificari non possent de matrimonio absoluto, Laym. Engl. Schmier &c. Ex nostra sententia sequitur, quod matrimonium post impletam conditionem contractum cum alia non valeat; quia ei obstat prius ligamen jam absolutum: valeat vero in sententia opposita, antequam novus consensus absolutus ponatur. *Dices: c.* 5. *h. t.* ante eventum conditionis non est *quis* cogendus *ad matrimonium contrahendum*; ergo post eventum conditionis est cogendus ad contrahendum; & consequenter contractus matrimonii non fit sola conditione impleta, sed novo consensu. 2. S. D. in 4. *d.* 29. *q. un. ar.* 3. *q.* 3. comparat matrimonium conditionatum sponsalibus; sed post hæc requiritur novus consensus absolutus, ergo. ℞. *ad* 1. Ex contextu patet, quod ly *ad contrahendum* accipiatur abusive loco *ad consummandum*. *Ad* 2. Comparatio ista fit tantum in hoc, quod consensus conditionatus non faciat Sacramentum, quod verum est; impleta autem sensibiliter conditione, consensus fiunt absoluti, & faciunt Sacramentum.

6. ℞. 4. Hæc conditio: *si patri placuerit* censetur impleta, si pater vel expresse consentiat, vel tacens non contradicat; quia sensus illius est: *si pater non reprobaverit*, aut *ægre tulerit*: at si pater primo dissentiat, deficit conditio, etsi mutata voluntate, deinde consentiat; cum conditio ista intelligatur de primo consensu *arg. l.* 29. *ff. de condition. & demonstr.* Cui non obstat *c.* 7. *de procurat. in* 6. quia mandatum procuratorium non supponitur esse hoc modo conditionatum; adeoque procurator, etsi primo dissentiat, tamen antequam revocetur mandatum, liberam habet facultatem illud acceptandi, ita Jure disponente.

7. ℞. 5. Si contracta sunt duo matrimonia conditionata, illud prævalet, cujus conditio citius impleta est, esto posterius sit contractum: nam absolutum prævalet conditionato; sed impleta conditione, fit absolutum, & Sacramentum, ergo: at si utriusque conditio eodem tempore impleatur, neutrum valet, quia utrumque est incertum, & alterum alteri est impedimento, Sanch. & alii. At in sponsalibus, sicut dispar est ratio, ita priora semper prævalent posterioribus ex *reg.* 54. *in* 6. *qui prior tempore, potior jure.*

8. Q. II. *Quam vim habeat conditio de præterito, præsenti, vel futuro necessario?* ℞. 1. Nulla ex his conditionibus suspendit actum; sed si conditio vera est, statim matrimonium evadit absolutum, & validum; invalidum vero, si conditio deficit, §. 6. *Inst. & l.* 120. *ff. de V. O.* nam circa præteritum, & præsens nulla datur dilatio; futurum vero necessarium, sive naturaliter, ut *si cras dies erit*, sive ex suppositione decreti infallibilis, ut si *Antichristus venerit*, in jure habetur pro præsenti *l.* 9. §. 1. *ff. de novat.* ergo: unde matrimonium sub hac conditione: *si nobilis es*, *& non fuisti fornicata*, existente nobilitate sine fornicatione valet; altero horum deficiente, non valet. *Excipe*, nisi conditio necessaria ex mente contrahentium alteretur, & temporis determinationem significet, v. gr. *duco te*, *si mater moriatur*, *hoc est*, post mortem matris.

9. ℞. 2. Conditio de futuro, quæ tacite inest, nihil speciale operatur, etsi exprimatur: unde relinquit matrimonium validum, v. g. *duco te*, *si Religionem non elegero*: prodest tamen ad evadendam pœnam in male contrahentes statutam, ut *duco te*, *si non es consanguinea mea*; quo casu non incurritur excommunicatio *Clem. un. de consanguinit.* Si tamen conditio alio modo exprimatur, quam insit, vera est conditio de futuro suspensiva, v. g. *duco te*, *si Episcopus pronunciaverit nullum esse inter nos impedimentum*. Ex his plures particulares quæstiones solvi possunt, v. g. duco te, *si Deo placeat*, *si Christus est in hac hostia*, *si frater tuus est verus sacerdos &c.* sed ejusmodi quæstiones ad praxim non facientes sanius omittuntur.

10. ℞. 3. Copula carnalis subsecuta non remittit conditionem de præterito, aut præsenti, nisi aliud actum sit inter partes: unde corruit matrimonium initum sub conditione: *si nobilis es*, detecta deinde ignobilitate patris: nam tale matrimonium ab initio est nullum; nisi deinde coram parocho, & testibus cum remissa conditione renovetur. Nec obstat *c.* 3. 5. 6. *h. t.* nam jura ista procedunt de sponsalibus, quibus annexa conditio præsumitur remitti per subsequentem copulam: secus est in matrimonio; nisi speculative dicas remissionem conditionis retrotrahi ad tempus initi matrimonii.

11. Q. III. *Quid operentur conditiones ex natura rei, vel de facto impossibiles?* ℞. 1. Conditio impossibilis adjecta matrimonio habetur pro non adjecta, & matrimonium per se relinquit absolutum, & validum: ita decisum est *c. fin. h. t.* quæ decisio fundatur in præsumptione facti, quod conditio ista adjecta sit joci causa, non vero animo serio irritandi matrimonium. Sic etiam in ultimis voluntatibus conditio impossibilis habetur pro non adjecta, §. 10. *Inst. de hæred. Inst. l.* 3. *& l.* 6. §. 1. *ff. de condit. & demonstr.* nam in contrahendis nuptiis, & disponendis ultimis voluntatibus nemo censetur inutiliter, & sine effectu agere. Hæc tamen dispositio, utpote exorbitans, non extenditur ad alios actus, sed in his; conditio impossibilis habetur pro adjecta, & vitiat valorem actus: ut in sponsalibus, & aliis contractibus. At si præsumptio ista fallat, coram Deo, & in foro conscientiæ nullum est matrimonium; imo & in foro externo, si ex circumstantiis constet conditionem impossibilem serio esse adjectam, ut contrahens ostenderet, se nullo modo velle obligare; ut si princeps rusticæ dicat: *duco te*, *si cælum digito tetigeris &c.* Item si contrahentes ignorarunt constitutionem *c. fin. h. t.* vel erronee cogitarunt conditionem esse possibilem. Ceterum doctrina ista locum habet non tantum in conditione impossibili de futuro, ut vult Zoes, Sylv. & alii, sed etiam de præterito, & præsenti, ut docent Covaruv. Reiff. Schmalz. Schmier, & alii; quia conditio impossibilis rejicitur ex eo, quia omnino impossibilis est; non vero quia ad impossibile obligat: ratio autem impossibilitatis etiam est in præterito, & præsenti *l.* 45. *ff. de hæred. instit.*

12. ℞. 2. Conditio impossibilis defacto, quæ nec auxilio amicorum impleri potest, habetur pro non adjecta, & matrimonium relinquit validum; ut si quis pauperi dicat, *duco te*, *si decem millia aureorum pro dote attuleris*: nam pauperi tam impossibile est istam quantitatem afferre, quam digito cœlum tangere. At conditio, quæ solum difficilis est, superabilis tamen per favorem amicorum, suspendit valorem matrimonii, quia difficultas non liberat: *lib.* 137. §. 4. *ff. de V. O.*

13. ℞. 3. Matrimonium contractum cum hac conditione: *si Papa dispensaverit*, valet conditionate, modo adsit justa causa dispensandi, & impedimentum regulariter sit dispensabile: ita Covar. Reiff. Wex, Schmalz, & alii, contra Host. Sylv. Card. de Luca &c.

Prob.

Prob. ex principio generali: quia actus tempore inhabili gestus, si referatur in tempus habile, valet, dummodo habilitas facile, & communiter obtineri possit, *l. 62. ff. de hæredib. instit. l. 59. ff. de condit. & demonstr. l. 5. ff. de reb. dub. &c.* ubi dicitur valere institutio, vel legatum sub conditione, *cum capere potuerit, si restitutionem civitatis deportato impetraverit, si deportatus consul factus fuerit;* suntque exempla obvia in Episcopo vovente Religionem, si Papa indulserit; in renuntiante beneficium cum reservatione pensionis, si Papa admiserit, in vendente feudum, si dominus consenserit, in postulato acceptante postulationem, si Papa illam admiserit &c. Sed si adsit justa causa dispensandi, & impedimentum sæpe, & facile a Papa solet dispensari, habilitas ad absolute contrahendum matrimonium facile potest obtineri per dispensationem; ergo subsistit tale matrimonium sub conditione: *si Papa dispensaverit:* pro hac sententia stetit sæpius S. Rota. Jura vero in contrarium, & aliæ decisiones locum habent in illo casu, quo non adest justa causa dispensandi, vel impedimentum regulariter est indispensabile, vel eventus conditionis potius timendus est, quam expectandus; ut si liber factus fuerit servus, si res sacra fuerit profana: quo sensu explicantur *l. 35. §. 1. l. 83. §. 5. l. 137. §. 6. ff. de V. O. l. 39. §. 8. & seqq. ff. de legat. 1.* Jam si sponsalia contracta sunt sub dicta conditione, Papa dispensat ad contrahendum; si matrimonium, dispensatio tendit ad illud purificandum, & absolutum reddendum. Quia vero conditio dispensationis pontificiæ est prorsus extrinseca, impediti, contrahendo sponsalia, vel nuptias, si conditionem istam non exprimant, nihil agunt, *l. 35. §. 1. ff. de V. O.* imo subftant pœnis indebite contrahentium.

14. Q. IV. *Quid operetur conditio turpis, seu impossibilis de jure?* R. 1. Conditio turpis de futuro, v. g. *duco te, si patrem occideris*, habetur in matrimonio pro non adjecta, & conf. valorem absolutum matrimonii non suspendit: ita decisum est *c. fin. h. t.* quæ decisio fundatur in præsumptione facti, quod contrahens adjiciat hanc conditionem nugatorie sine animo alterum obligandi: nam Ecclesia semper præsumit id, quod honestum est, & excludit peccatum, ergo; cum conditio turpis invitet ad peccatum, Ecclesia præsumit illam non esse serio adjectam, & conf. habet illam pro non adjecta in matrimonio, sicut in ultimis voluntatibus *l. 15. ff. de conditionib. instit.* Si tamen præsumptio fallat, & conditio turpis animo serio adjecta est, in foro conscientiæ suspendit valorem matrimonii, donec impleatur; cum præsumptio cedat veritati, sicut supra dictum de conditione impossibili *n. 11.* Hæc dispositio exorbitans, a matrimonio, & ultimis voluntatibus non est extendenda ad sponsalia, & alios contractus, sed in his conditio turpis habetur pro adjecta, nisi constet, eam joco adjectam fuisse.

15. R. 2. Conditio turpis de præterito, vel præsenti habetur pro adjecta, & conf. valor matrimonii ab ea pendet, S. D. in 4. *d. 29. q. un. ar. 3.* nam licet *c. fin. h. t.* generaliter loquatur, tamen pressius est intelligendum de illa conditione turpi, quæ proprie est conditio, & invitat ad peccatum, uti est conditio turpis de futuro; sed conditio turpis de præterito nec est proprie conditio, nec invitat ad peccatum, sed præcise importat factum, cui contrahens suam intentionem alligat, ergo. Unde hic contractus: *duco te, si patrem tuum occidisti, si superba es*, valet, vera existente conditione; ea vero non existente, non valet. *Dices:* conditio impossibilis de præterito habetur pro non adjecta, ergo & turpis de præterito. R. Neg. con. nam impossibilis rejicitur ex sola causa impossibilitatis; turpis vero ex eo, quia invitat ad peccatum; quæ causa reperitur in sola conditione turpi de futuro.

16. R. 3. Hæc conditio: *duco te, si dederis centum*, in jure reputatur turpis, & amore libidinis facta, *l. 97. §. 2. ff. de V. O. l. 2. ff. de donat. inter V. & U.* Excipe, nisi adjecta sit ex justa causa v. g. in compensationem dotis, nobilitatis &c. 2. Hæc conditio: *si te virginem invenero*, si intelligatur de exploratione illicita per concubitum, turpis est; honesta vero, si intelligatur de exploratione licita per matronas honestas. 3. Hæc conditio: *si corporis usum dederis*, relata ad expletum bimestre matrimonii, relinquit matrimonium absolutum; quia tacite inest ob jus maritale ad copulam: relata vero ad primum bimestre, quo deliberari potest de ingressu Religionis, est conditio indifferens; adeoque suspendit valorem matrimonii, quod etiam faciunt conditiones impertinentes v. g. duco te, *si cras serenum fuerit* &c.

17. Q. V. *Quid operetur conditio contraria substantiæ matrimonii?* R. 1. Talis conditio de futuro ad utroque contrahente apposita vitiat valorem matrimonii: ita decisum est *c. fin. h. t.* nam spectato jure naturali, nulla res subsistit sine suis substantialibus v. g. ut commodatarius non habeat jus utendi, mutuatarius non fiat dominus rei mutuo acceptæ &c. ergo neque subsistit matrimonium, si apponatur conditio adversa ejus substantiæ, seu triplici ejus bono, scil. *bono prolis* generandæ, & educandæ v. g. *duco te, si generationem prolis evitaveris, sterilem te feceris, prolem suffocaveris* &c. *bono fidei* quo ad petendum, & reddendum debitum, & cum extraneo non adulterandum v. g. *duco te, si debitum non exegeris, alteri te prostituendam tradideris* &c. *bono Sacramenti* exposcenti individuam vitæ societatem, & insolubilitatem v. g. *duco te, si numquam mihi cohabitaveris, si meliorem, vel donec ditiorem invenero* &c. Si talis conditio adjecta sit ab uno contrahente, & ab altero rejecta, valet matrimonium, quia altera pars contradicenti acquiescens, censetur a conditione recedere.

18. R. 2. Conditio de se honesta, contraria bonis matrimonii, vitiat illud: unde non valet matrimonium cum hac conditione, & pacto: *si mecum in perpetua continentia vivas, si castitatem voveas:* ita S. D. in 4. *d. 28. q. un. ar. 4. ad 3.* Sanch. Laym. Zoes, & alii contra Palud. Abul. Pont. Schmier, Picher &c. nam *c. fin. h. t.* absque distinctione inter conditionem turpem, & honestam generaliter statuitur vitiari matrimonium per conditionem contrariam substantiæ matrimonii; sed dicta conditio est contraria substantiæ matrimonii, seu *bono prolis*, cujus generatio evitatur, ergo. *Ratio* est, quia duo jura contraria, & duæ obligationes contrariæ stare simul nequeunt in eodem contractu; sed hoc accideret in præsenti: nam vi matrimonii acquireretur jus petendi, & obligatio reddendi debitum: vi pacti vero, & dictæ conditionis acquireretur jus alterum, obligans ad non petendum debitum, & obligatio ad illud non reddendum: quæ jura, & obligationes manifeste contrariantur in hac materia justitiæ; ergo non stat matrimonium cum pacto, & conditione mutuam servandi castitatem. Quæ ratio probat repugnantiam esse non tantum in actu secundo copulæ, sed etiam in actu primo, & radice, seu in ipsis juribus, & obligationibus sibi contrariantibus. Argumenta in contrarium solvuntur ex dictis *tit. 1. de sponsal. n. 37. Dices:* Subsistit matrimonium cum voto, & intentione castitatis; ergo etiam cum pacto, & conditione castitatis. R. Conc. ant. neg. con. nam per votum castitatis neuter conjux alterum obligat; adeoque jura ista contraria non resultant, sed corpus Deo per votum promissum, valide in materia justitiæ alteri traditur per matrimonium; e contra per pactum, & conditionem castitatis alterum obligat in materia justitiæ; & ideo propter contrarietatem jurium, & obligationum non subsistit matrimonium cum tali conditione, quam solam contrarietatem attendit Pontifex in *cit. c. fin. h. t.*

19. R. 3. Conditio *non exigendi debitum*, vitiat matrimonium, & a fortiori conditio *non reddendi debitum:* nam prior impedit totalem traditionem corporum, posterior insuper generationem prolis. 2. Conditio non cohabitandi ad certum tempus non vitiat valorem matrimonii, de cujus substantia non est perpetuo cohabitare. Secus dic de conditione nunquam cohabitandi, quæ contrariatur juri maritali, & individuæ societati, Sanch. & alii. 3. Conditio *ingrediendi monasterium*, ante consummationem matrim., nude expressa non contrariatur matrimonium, quia jure inest, & nihil speciale operatur. At si exprimatur alio modo, quam insit, puta modo obligatorio, ut ambo, vel alter teneatur Religionem ingredi, vitiat matrim. propter contrarietatem jurium: nam licet conjuges primo bimestri ex privilegio Christi, & juris pontificii possint Religionem ingredi, non tamen ad id obligantur

tur; si autem obligentur, jam impeditur mutua traditio corporum.

20. R. 4. Conditiones de præterito, vel præsenti, quæ ex materia sua videntur adversari matrimonio, non vitiant ejus valorem, v. g. si sterilitatem tibi procurasti, si es ligata voto castitatis &c. nam nec sunt veræ conditiones, nec inferunt obligationem futuram bonis matrimonii contrariam, sed præcise indicant factum præsens, aut præteritum, a quo per se valor matrimonii non pendet.

21. ℞. 5. Conditio contraria substantiæ matrimonii adjecta sponsalibus, si implenda differtur in tempus matrimonii, vitiat illud, & sponsalia; quia perinde est, acsi matrimonio apponeretur, v. g. *ducam te, si in matrimonio generationem prolis evitaveris &c.* Similiter conditio adversa bono prolis, licet implenda sit ante matrimonium, vitiat sponsalia, & matrimonium, v. g. *ducam te, si veneno tibi sterilitatem procuraveris:* nam conditio ista porrigitur ad statum matrimonii, & bono prolis adversatur. At si conditio ante matrimonium implenda adversetur tantum fidei, vel inseparabilitati, non vitiat sponsalia, v. g. ☞ *ducam, te, si mihi dederis usum corporis, vel donec pulchriorem sponsam invenero:* nam talis conditio implenda ante matrimonium, hujus bono non adversatur.

22. Q. VI. *Quæ sint conditionibus affinia, & quid operentur in dispensationibus?* ℞. 1. *Modus, causa, & demonstratio. Modus* est adjectio oneris post contractum ferendi, & exprimitur per particulam *ut*, v. g. *duco te, ut mecum pictoriam exerceas. Causa* est expressio ejus, ob quod contrahitur, & exprimitur per particulam *quia*, v. g. *quia nobilis es, duco te*. Demonstratio est expressio ejus, per quod significatur persona & exprimitur per relativum *qui* &c. v. g. *duco te, quæ es libera, nobilis &c.*

23. ℞. 2. Modus, causa, & demonstratio per se non suspendunt, vel vitiant matrimonium: ita in re com. nam modus obligationem præsupponit, eique solum onus adjicit, *l. 1. & seq. C. de donat. sub modo*; si modus sit impossibilis, aut turpis, vel contrarius substantiæ matrimonii, habetur pro non adjecto, quia nulla est obligatio ad impossibile, & turpe, vel contrarium matrimonio jam in se contracto. *Causa, & demonstratio* non spectant ad vim matrimonii, sed tantum declarant opinionem, quam contrahens habet de altero, & quoddam motivum ad contrahendum alliciens insinuant. Unde tritum illud: *falsa demonstratio non vitiat actum* ex *l. 35. ff. de condit. & demonstr. Dixi: per se*, nam per accidens vitiari potest matrimonium, vel ejus valor suspendi: 1. Si modus induat naturam conditionis, ita ut contrahens nolit valere contractum, nisi existat modus, quod ex mente contrahentium colligendum erit. 2. Si causa, vel demonstratio involvat errorem substantialem personæ, vel status, seu servitutis, vel induat naturam conditionis, v. g. *contraho tecum, quæ es Berta, libera;* nam si est Caja, vel ancilla, nullus est contractus, nisi error esset in solo nomine. Item *duco te, quia mille pro dote dabis*, hoc est, *si mille pro dote dederis.*

24. Q. VII. *An licitum sit matrimonium cum pacto, seu modo morganatica? Ante respons. nota matrimonium morganaticum*, seu *conscientiæ* definiri, quod sit conjunctio viri cum fœmina inferioris conditionis secundum SS. Canones rata: eo tamen pacto, ut uxor, & liberi contenti sint certa portione nuptiali, & a ceteris bonis avitis, & paternis, dignitatibus, titulis, ac insignibus abstineant: portio ista alendæ uxori & liberis destinata, vocatur *morgengaba*, quasi donum matutinum, & corrupte *morganatica;* ex quo nomen trahit matrimonium morganaticum, seu ad morganaticam contractum, *lib. 2. Feud. tit. 29.* Jam ℞. Matrimonium ad morganaticam contractum, & validum est, & licitum: ita Konig, Schmalz & alii. *Ratio primi*, quia tale matrimonium per se nec est contra jus naturale, nec pontificium; ergo si fiat coram parocho, & testibus, erit validum. *Ratio secundi*, quia pactum illud, vi cujus uxor cum futuris liberis non sequitur conditionem mariti, ex multis causis cohonestari potest; puta, quia maritus ex una parte vult esse extra periculum incontinentiæ; ex altera vero parte non vult præjudicare liberis prioris matrimonii per divisionem bonorum, quæ pluribus non sufficerent; & si minutim dividerentur, splendor familiæ deficeret. *Confir.* Matrimonium ad morganaticam contractum imitatur matrimonia Patriarcharum, quæ contraxerunt cum concubinis, seu secundariis uxoribus, quarum filii non succedebant patri, ut patet in matrimonio Abrahæ cum Agar ancilla, cujus filius Ismael ejectus est a possessione, & hæreditate *Gen. 21. v. 10.* ergo sicut ista matrimonia erant licita, ita quoque licita sunt matrimonia ad morganaticam contracta. Ceterum, si pater, mutatis circumstantiis, vult revocare pactum morganaticum, id ei licebit, non obstante aliquali præjudicio priorum liberorum: nam tale pactum imitatur ultimam voluntatem de successionibus disponentem, quæ semper revocabilis est. Item liberi ex matrimonio morganatico nati admittuntur ad successionem in bonis allodialibus, si priores liberi, eorumque descendentes deficiant, exceptis feudis, in quibus non succedunt *lib. 2. F. tit. 29.* His non obstat *Can. 1. & 12. caus. 32. q. 2. & Can. 9. dicat. 33. q. 4. & c. fin. h. t.* nam non loquuntur de nostro casu.

☞ *Vide addita post n. 9. pag. 331.* ☜

Quæ hic dicta sunt de conditionibus, modo, causa, & demonstratione, proportionaliter applicanda sunt aliis contractibus. Hodie vero curabit parochus, ut matrimonia pure contrahantur, nihilque eis admisceatur sine causa urgentissima.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes matrimonium contrahere possint?

Agitur de hac materia in Sexto *tit. de voto*. In Decreto *dist. 27. 28. 30. & seq. & 17. q. 1. 2. & 27. q. 1. per tot.* In Trid. *S. 24. Can. 9.*

In hoc titulo examinantur tria impedimenta, duo dirimentia, scil. Ordo sacer, & professio religiosa; & unum tantum impediens, scil. votum simplex castitatis.

1. Q. I. *An, & quo jure Ordo sacer dirimat matrimonium?* ℞. 1. Dirimit, sed solo jure Ecclesf. *Prima pars* habetur *Can. 8. d. 27. c. 1. de Cler. conjugat. c. un. de voto in 6.* Trid. *S. 24. Can. 9.* nam sacris Ordinibus annexa est continentia, seu votum solemne castitatis, quod obstat valori matrimonii. *Secunda pars* est comm. cum S. D. *2. 2. q. 88. ar. 11.* contra Major. stantem pro jure divino: nam Ordo sacer non dirimit matrimonium contrahendum jure naturali, quia matrimonium absolute non contrariatur ministeriis clericalibus, ut patet in Ecclesia orientali; neque jure divino positivo, quia hoc non constat ex verbo divino scripto, aut tradito, ergo jure Ecclesiastico antiquo, & ab Apostolis constituto *Can. 40. ut lex 27. q. 1.* Vis autem solvendi matrimonium ratum non competit Ordini sacro, ut definitur *c. un. de voto in 6.* & *Extrav. un.* Jo. XXII. de Voto.

2. ℞. 2. Ordinatus invalide, non obligatur voto continentiæ: non solemni, quia hoc annexum est validæ ordinationi; non simplici, quia votum accessorie emissum est; ergo corruente Ordine, tanquam principali, corruit votum, tanquam accessorium. Nec obstat *c. 3. & 12. de conversf. conjugat.* nam in professione religiosa votum castitatis per se, & principaliter emittitur; ergo ex juris interpretatione, si non valet, ut solemne, valet saltem ut simplex.

3. ℞. 3. Ordo sacer collatus infanti non dirimit matrimonium, quia non est credibile, quod Ecclesia infantem ligare voluerit lege continentiæ, nisi ad usum rationis perveniens expresse, vel tacite, exercendo actum Ordinis sacri, ratificasset suam ordinationem. At impubes ratione pollens, sicut in ordinatione valide potest emittere votum castitatis, ita quoque obligatur ad continentiam; uti & metu ordinatus, licet pro illo ex causa imaturi judicii, & pro isto ex causa metus injuste incussi, facile obtineri posset dispensatio in voto continentiæ. Opposita sententia docens nec impuberem, nec metu coactum obligari ad continentiam, non videtur improbabilis. Si vero ordinatio facta est per vim absolutam, non valet, & conf. ex illa non oritur obligatio continentiæ, *c. 3. de baptismo.*

☞ *Vide addita par. 1. p. 584. n. 16.* ☜

4. ℞. 4. Quamvis conjugatus regulariter nec ad

primam tonsuram sit admittendus *c. fin. de tempor. ord. in 6.* si tamen sacris Ordinibus initietur, uxore inscia, vel invita, ordinatio quidem valet; sed ille ab uxore revocatus, tenetur debitum reddere, non tamen petere potest, obstante voto castitatis *arg. c. 3. de convers. conjugat.* nisi legitimum, & perpetuum inter eos divortium factum fuisset: quo casu maritus innocens sacris initiari potest. 2. Uxor, qua consentiente, maritus sacros Ordines suscepit, tenetur emittere votum continentiæ, & si suspecta est de incontinentia, Religionem profiteri, ut dixi *tit. de convers. conjug.* mortuo marito Clerico in sacris constituto, uxor superstes impeditur a contrahendo matrimonio ob reverentiam Sac. Ordinum *Can. 10. & seqq. d. 28. Can. 14. d. 32.* Si tamen consensus illius in ordinationem mariti vi, dolo, aut metu gravi extortus est, non ligatur hoc impedimento; ne delicto alieno prægravetur.

5. Q. II. *An professio religiosa solemnis dirimat matrimonium contrahendum, & quo jure?* ℟. Ad 1. Affirmative: ita conformiter antiquis Canonibus sub anathemate definivit Trid. *S. 24. Can. 9.* nam professio religiosa est spirituale vinculum cum Christo, & quædam mors civilis; ergo non admittit matrimonium, dummodo sit valida.

6. ℟. *Ad 2.* Professio solemnis religiosa jure naturali, & divino dirimit matrimonium contrahendum, & consf. non mero jure Ecclesiastico: ita contra plerosque RR. tenent cum S. D. in 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 3. *qu.* 3. *in corp.* magni nominis DD. allegati a Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 26. n.* 3. ubi doctor iste solidissimus eandem sententiam tenet, conformiter summario: *Proponitur sententia auctoris n. 3.* licet nonnemo illam corrigere voluerit, sed sine effectu; uti & *disput. præced.* sententiam propositam *n.* 7. quæ propria est auctoris, ut patet ex summario *n.* 7. quas correctiones ante me plures viri hujus auctoris lectores observarunt. *Probatur prima pars:* jus naturale dictat, quod res uni plene, & perfecte tradita, eodemque modo acceptata, non possit iterum valide alteri tradi: nemo enim dat, aut transfert, quod non habet, v. g. titulo justitiæ tradidisti equum emptori, non potes deinde eundem tradere Ecclesiæ titulo Religionis, aut voti, & e contra: sed homo per professionem religiosam pleno, & perfecto modo tradit se Deo, & Religioni, eodemque modo traditio ista acceptatur contractu ultro, citroque obligatorio; ergo de jure naturali valide nequit se tradere uxori; cum amplius liberam sui corporis potestatem non habeat: tum quia ex natura rei repugnat, ut quis eandem rem tradat duobus secundum jura contraria; sed religiosus professus tradit corpus suum Deo cum jure, & obligatione continendi, seu abstinendi ab omni actu venereo, etiam licito; ergo non potest corpus suum tradere uxori cum jure contrario, & obligatione exercendi actus conjugales: *Prob. 2. pars* de jure divino *Matth.* 19. *v.* 12. ubi Christus religiosam castitatem proponens ait: *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum:* quibus verbis significatur perpetua inhabilitas ad matrimonium. Hoc jus scriptum magis nobis declaratur Verbo Divino tradito: quia nulla existente lege Ecclesiastica, ita semper a principio Ecclesiæ observabatur tanquam a Domino acceptum: unde Siricius Papa *Can. 17. v. velatæ 27. q. 1.* dicit religiosos matrimonia contrahentes debere separari *Verbo Domini, & Canonica auctoritate;* ergo non mero jure Ecclesiastico, sed divino, & naturali. Ratio est, quia Christus Dominus instituit statum religiosum segregatum a statu conjugali, ut patet ex *Matth.* 19. ergo annexuit ei impedimentum dirimens matrimonii contrahendi; alias unum ab altero non discrevisset. *Confir.* ab inconvenienti: si professio religiosa solo jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, *sequitur* 1. quod Papa possit tollere jus istud, & statuere, ne matrimonium dirimatur per professionem religiosam: quod sane discordat cum antiqua Patrum doctrina, ut patet ex Canonibus *causa 27. q. 1. Sequitur* 2. quod Papa cum religioso in sensu composito Religionis dispensare possit ad matrimonium, cum istud solo jure pontificio incompatibile esset cum statu religioso: sequela autem ista est contra torrentem DD. & apertam definitionem *cap. 6. cum ad monasterium in fin. de statu Monach.* ubi Inn. III. asserit, nec Papam dispensare posse in paupertate, & castitate religiosa: quæ definitio ad minus intelligenda est de dispensatione in sensu composito Religionis. *Sequitur* 3. quod religiosi apostatæ in locis hæreticorum, ubi pleraque impedimenta matrimonii, jure Ecclesiastico introducta, abrogata sunt, valide matrimonium contrahant: quod falsum esse, praxis continua Ecclesiæ docet &c.

Obj. 1. Jure naturali eadem res modo diverso pluribus tradi potest, sicut servus traditur domino, & uxori; ergo & religiosus, qui titulo Religionis tradidit corpus Deo, potest illud titulo justitiæ tradere uxori. 2. Votum religiosum solemne vel dirimit matrimonium, *ut votum est*, vel *ut solemne* est? non primum, alias omne votum castitatis dirimeret matrimonium; ergo secundum: solemnitas autem votorum ex sola constitutione Ecclesiæ inventa est *c. un. de voto in 6.* 3. Votum simplex, saltem religiosum in Soc. J. ab intrinseco non differt a solemni per *c. 6. h. t.* & Constit. Greg. XIII. incip. *Ascendente Domino*; ubi declarat Scholasticos, & Coadjutores non formatos S. J. esse vere, & proprie religiosos, *non secus, ac ipsos tum Societatis, tum aliorum Regularium professos.* 4. Olim professio religiosa non dirimebat subsequens matrimonium, *Can.* 22. 24. *cum seq.* 27. *q.* 1. ergo impedimentum istud hodie habetur ex solo jure Ecclesiastico.

℟. Ad 1. *Dist. ant. modo diverso, hoc est*, secundum diversum jus C. a. modo diverso, hoc est, ex causa, & titulo diverso, N. a alias qui *titulo Religionis*, v. g. ex voto tradidit Ecclesiæ centum florenos, posset deinde illos *titulo justitiæ* tradere alteri creditori, & *titulo gratitudinis* tertio benefactori. Est ergo æquivocatio in termino *modo diverso*: nam si intelligatur præcise causa diversa, seu diversus titulus, falsum est rem uni pleno jure traditam, posse alteri tradi diverso titulo; ut patet ab exemplis allatis, & omnibus causis, seu titulis translativis dominii. Si vero intelligatur *diversum jus*, verum est eandem rem pluribus tradi posse; sicut uni tradi potest proprietas, alteri dominium utile, aut ususfructus, tertio usus &c. Et sic accidit in servo: nam is traditus est domino quoad operas, & effectus civiles dominicæ potestati subjectos: at quoad jus utendi corpore per generationem, non est traditus domino, neque hoc jus subest potestati dominicæ; alias dominus uti posset corpore ancillæ, & domina corpore servi; & ideo servus quoad hoc jus potest se tradere uxori. E contra religiosus quoad jus corporis sui plene, & pro perpetuo per professionem tradidit se Deo, & Religioni titulo Religionis mixto cum titulo justitiæ ratione contractus ultro, citroque obligatorii, & vi talis juris in Deum translati in radice contraxit obligationem continendi, ut ante probavi; ergo cum jus istud sui corporis non habeat, ex ipsa natura rei, non potest se tradere uxori, & ad actus conjugales primæ traditioni contrarios obligare. Quæ eadem ratio est, cur uni uxori traditus non possit se alteri tradere, quia amplius non habet, quod valide tradat. *Dices:* Traditus uxori, potest matrimonio consummato de licentia uxoris tradere se Deo per professionem religiosam; ergo traditiones istæ, & vincula sibi non adversantur de jure naturali. ℟. N. C. pro nostro casu: nam si uxor remisit jus suum, nulla est repugnantia, cur maritus per professionem nequeat se tradere Deo per professionem. Ita in casu, quo servum dedi Cajo ad usumfructum, si is remittat jus suum, possum eundem servum tradere Ecclesiæ ad usum &c. At si professio religiosa præcessit, nulla ad professum redit potestas corpus suum tradendi uxori, nisi Deus jus sibi quæsitum remitteret, & redderet potestatem corpus suum tradendi uxori: quo casu homo desineret esse religiosus, vel forsan maneret religiosus in habitu, & mortua uxore, teneretur vota reddere Domino, & ad Religionem redire. *Ad 2.* dico, quod dirimat, non *ut votum in genere*, sed *ut votum tale in specie*, scil. continens perfectam, absolutam, & perpetuam traditionem sui, cum simili acceptatione; quæ intrinseca ratio in nullo alio voto reperitur: non in voto simplici, quod promissionem continet sine traditione; & ideo, stante tali voto, valide corpus traditur uxori; non etiam in voto simplici religioso S. J. quia hoc, licet habeat traditionem, non tamen habet traditionem perfectam, & absolutam ultro, citroque obligatoriam, sed præcise conditionatam, quamdiu quis in

Societ.

Societ. manserit; & ideo spectato jure naturali (secus de jure pontificio) Scholasticus S. J. valide contrahere posset matrimonium absolutum, non secus, ac ille, qui se tradidit uxori per matrimonium conditionatum, pendente conditione, valide contrahit matrimonium absolutum; quia traditio pura, & absoluta prævalet conditionatæ. Solemnitates ab Ecclesia præscriptæ non constituunt ipsam professionem perfectam, sed sunt conditiones extrinsecæ necessario requisitæ, sine quibus talis professio non ponitur; sicut sine præsentia parochi, & testium non ponitur matrimonium. *Ad* 3. Neg. a. ex dictis, de qua materia vide meas resolut. Can. *tit. de Regular. resol.* 3. & Sanchez *cit. lib.* 7. *disp.* 25. *n.* 7. ubi ponitur propria sententia auctoris. Nec doctrina ista obstat *cit. cap.* 6. *h. t.* nam votum simplex non minus obligat, quantum ad hoc, quod transgressor alterutrius peccet mortaliter: at in modo obligandi est diversitas; quia simplex obligat ratione promissionis, solemne vero, ratione traditionis; & ideo S. D. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 7. *ad* 1. respondet: *votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum simplex, & gravius peccat, qui illud transgreditur:* & in 4. *d.* 38. *q.* 1. *ar.* 2. docet votum simplex, & solemne differre specie, sicut vegetativum, & sensitivum; quia virtus voti complete est in voto solemni, cum traditione compleatur; incomplete in voto simplici, quia traditione non completur; & ideo ligatus voto simplici castitatis valide corpus tradit per matrimonium, licet non licite, agendo contra promissionem Deo factam. Nec doctrina ista periculum affert Constitutioni Gregorianæ: nam Scholastici, & Coadjutores non formati ordinatissimæ Soc. J. sunt vere, & proprie dicti religiosi, quoad genericum conceptum veri religiosi; cum religiosus status consistere possit cum votis simplicibus continentibus traditionem de se stabilem, & ad placitum tradentis non revocabilem; at differunt a professis quoad conceptum specificum, quia vota illorum ab intrinseco non continent perfectam, & absolutam traditionem, & acceptationem utrinque obligatoriam. Vel, ut alii loquuntur cum P. Sanchez (quod re ipsa in idem redit) idem specie est status religiosus: professi tamen sunt in summo, & perfectissimo status religiosi gradu, & dignitate, consistente in absoluta, & omnimoda traditione completa utrinque obligatoria, qualis non reperitur in statu religioso votis simplicibus constante. *Ad* 4. Neg. a. cum Bellar. & omnibus aliis recte sentientibus de statu religioso a Christo instituto, & ab Apostolis, ceterisque fidelibus assumpto; cum inauditum sit in Ecclesia, religiosum professum sua auctoritate valide ad matrimonium transivisse. Nec contrarium probatur ex *citt. cann.* nam tales excommunicantur, donec se dividant, & ad monasteria regrediantur; & ita quoad absolutionem, & alias pœnas poterit Episcopus cum eis humanitatem facere. Hic tamen observa, quod virgines sacræ, præsertim antiquis temporibus, in duplici classe fuerint; aliæ emittebant votum simplex castitatis, etiam habitu, & velamine assumpto, & in privatis domibus habitabant, vel etiam in monasteriis educabantur, vel morabantur, & hæ, si fracta fide, nuptias contraxerunt, jubebantur manere cum marito, sicut *c.* 4. *h. t.* estque talium virginum frequens mentio apud Patres, & in antiquis canonibus; imo & virorum, qui in claustris morabantur, quin facti fuerint veri monachi. Aliæ autem virgines emittebant votum triplex professionis religiosæ, quam vocamus modo *solemnem*; & in his uti etiam in viris professis aliud observabatur; quia contrahentes nuptias separari debebant *sive inviti, sive voluntarii*, & per censuras compellebantur redire ad monasteria, ut ex Apostolo docet S. Gregor. *Can.* 2. *cum seq.* 27. *q.* 1. A ceteris argumentis, quæ hic objici solent, abstineo; tum quia levia sunt, & ex dictis soluta manent; tum quia non est mihi propositum disputatorie scribendi. An, & quomodo professio religiosa dissolvat matrimoninm contractum, dicam *tit.* 19. *de divort.*

7. Q. III. *An votum simplex continentiæ inducat impedimentum impediens matrimonii?* ℞. 1. Votum simplex continentiæ antecedens sponsalia, impedit matrimonium licite contrahendum; & conf. sequentia sponsalia etiam jurata, vel per copulam firmata, jure naturali reddit invalida: ita ex antiquis canonibus generaliter deciditur *c.* 4. *& 6. h. t.* nam spectato jure naturali, res uni promissa nequit valide alteri promitti: sed vovens per votum continentiæ promittit Deo corpus ab omni actu venereo, etiam licito custodiendum; ergo vovens nequit valide alteri corpus promittere per sponsalia; præsertim, cum talis promissio tenderet ad usum conjugalem voto contrarium. Unde sequens promissio sponsalitia est invalida, etsi puella voti ignara deflorata sit, eique immineat damnum aliter non reparabile, quam per matrimonium, ut tenent Laym. Schmier, & alii; quia per istam deflorationem non potest tolli Deo jus ex voto quæsitum: neque ullo jure, aut solida ratione constat, hanc vim, seu privilegium solvendi obligationem voti esse attributum deflorationi. Unde in tali casu, quo defloratæ voti ignaræ imminet damnum aliter non reparabile, quam per nuptias, de alio remedio cogitandum est scil. ut petatur dispensatio, ad quam petendam dolosus deflorator obligatur. *Dices* cum Sanch. Schmalz, & aliis: votum non obligat, rebus notabiliter mutatis, ut in hoc casu. 2. Filius, postposito voto Religionis, tenetur manere in sæculo ad succurrendum patri, & debitor ad satisfaciendum creditoribus; ergo & deflorator tenetur in hoc casu ducere defloratam, non obstante voto; quia obligatio justitiæ est fortior obligatione Religionis. ℞. *ad* 1. Distant. si mutatio accidat ab extrinseco, vel moralem impotentiam inducat exequendi votum, conc. ant. si accidat ex prava voluntate voventis, neg. ant. alias quisque per delictum vellet se a voto liberare. *Ad* 2. Neg. conf. quia nec filius, nec debitor in his casibus assumit statum contrarium voto, sed hujus executio tantum differtur ob necessitatem; at deflorator assumeret matrimonium voto contrarium; quod in præjudicium juris Deo quæsiti illi non licet. Nec tali casu est obligatio justitiæ ad matrimonium; quia sponsalia sunt invalida, licet damnum illatum alio modo reparandum sit; puta per procurationem dispensationis. In obligationibus Religionis, & justitiæ, servatur *reg. qui prior tempore in* 6. sic enim qui per votum vineam promisit Ecclesiæ, licite eam non vendit, & tradit.

8. ℞. 2. Votum simplex continentiæ consequens sponsalia, parit impedimentum impediens matrimonii, & conf. dissolvit priora sponsalia ex utraque parte: ita S. D. in 4. *d.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *qu.* 2. Cajet. Avers. Azor. Salmant. & alii contra Sanch Laym. Zoes &c. licet Sanch. *lib.* 1. *de matr. disp.* 46. *n.* 7. *in fin.* dicat, sententiam nostram esse probabilissimam, & tutissimam. Prob. 1. juxta *c.* 3. *& 6. h. t.* votum simplex continentiæ, si validum est, impedit matrimonium licite contrahendum; sed votum simplex continentiæ post sponsalia emissum, est validum, & licitum: tum quia nullo jure invalidatur, vel illicitum redditur; tum quia religiose servari potest, sicut votum castitatis emissum post nuptias; tum quia Papa *c.* 5. *h. t.* dispensat in tali voto, adeoque supponit esse validum; ergo tale votum post sponsalia emissum impedit matrimonium licite contrahendum; præsertim cum jura omnia sine distinctione dicant, per votum simplex castitatis impediri licitum matrimonium; ac proinde Adversariis incumbit onus probandi, quod votum sponsalia consequens alicubi excipiatur. *Prob.* 2. Sponsalibus inest tacita conditio: *nisi perfectiorem, & Deo gratiorem statum elegero*, *arg. c.* 2. *de convers. conjug. & c.* 4. *de voto*, ubi licet sermo sit de transitu ad Religionem, ejusque voto, recte tamen dispositio ista intelligitur de statu perpetuæ continentiæ: tum quia jus ad rem ex sponsalibus quæsitum, non debet impedire statum perfectiorem; siquidem *omnis consideratio non est digna anima continentis Eccl.* 26. tum quia *propositum, aut promissum non infringit, qui in melius illud commutat. c.* 3. *de jurej.* tum quia matrimonio rato inest tacita conditio: *nisi Religionem elegero*; adeoque sponsalibus etiam minor conditio inesse credenda est; puta *nisi continentiam elegero;* ergo si post sponsalia votum continentiæ emittatur, solvit illa ex utraque parte, ne ad illicitum obligare videantur. *Prob.* 3. Sponsalibus inest hæc generalis conditio: *nisi impedimentum superveniat*, sive tale impedimentum oriatur ex actu malo, sive ex bono, ut ex fornicatione cum sorore sponsæ, ex assumpto Ordine, ex cognatione spirituali &c. sed votum continentiæ est impedimentum matrimonii; quis enim hoc neget? ergo spon-

sponsalia ineuntur sub tacita conditione: *si votum continentiæ non superveniat*; ergo si superveniat, non tantum alteri parti dat justam causam resiliendi a sponsalibus, sed etiam sponsalia solvit ex parte voventis. Idem dic de voto suscipiendi Sac. Ordines, quibus in Ecclesia latina annexum est votum continentiæ. His non obstantibus, fateor oppositam sententiam esse valde probabilem, pro qua.

Obj. 1. *c.* 5. *h. t.* sponsæ voventi continentiam imponitur pœnitentia, ibi: *sibi de mentita fide* &c. 2. Deus nec votum, nec juramentum acceptat in præjudicium tertii *c.* 28. *de jurej.* si enim donasti, vel promisisti Titio decem aureos, deinde per votum non potes illos promittere Deo; sed votum superveniens est in præjudicium sponsæ. 3. Speciale, & exorbitans est, quod sponsalibus insit hæc conditio; *nisi Religionem elegero*; ergo trahi non debet ad aliam conditionem: *nisi continentiam elegero*. 4. Si per tale votum solvuntur sponsalia, sequitur quod dispensatur in voto, possit matrimonium cum alia inire, sed non, quia per hoc via injustitiis aperiretur.

℞. *Ad* 1. Sponsa ista in hoc fuit culpabilis, quod absque justa causa diu distulerit implere sponsalia, & temere provolaverit ad votum, non animo Deo placendi, sed sponsum fraudandi; & ideo pœnitentia ei imponi debuit de mentita fide, & de attentata violatione voti per aliud matrimonium infringendi. Ex quo capite patet communem opinionem fidelium fuisse per votum continentiæ solvi sponsalia; alias puella inutiliter, & sine effectu convolasset ad votum, si eo non obstante, obligata fuisset ad contrahendum matrimonium. *Ad* 2. N. m. nam sponsis non est jus quæsitum absolute, sed conditionate, *nisi meliorem statum elegero*, vel *nisi impedimentum superveniat*. Quodsi per accidens vovens causet damnum alteri parti, tenetur illud reparare: & si aliter nequeat reparari, quam per matrimonium, tenetur ad petendam dispensationem voti: quod tutius esse nec adversarii negant. *Ad* 3. in hac conditione: *si impedimentum non superveniat*, nulla est exorbitantia; ergo recte applicatur nostro casui. Ista vero conditio: *nisi meliorem statum elegero*, ob excellentem favorem continentiæ, & paritatem rationis, censetur comprehensa in *c.* 4. *de voto*. *Ad* 2. N. seq. nam votum continentiæ non dissolvit sponsalia, nisi ad effectum servandi continentiam, sicut votum Religionis ab effectum professionis.

9. ℞. 3. Votum non nubendi reddit sequentia sponsalia invalida, & illicita; quia hæc obligarent ad aliquid illicitum, voto contrarium. Quia vero tale votum est valde imperfectum, de quo SS. Canones nihil disponunt, facile admitti potest per illud consequens non dissolvi sponsalia anteriora. Si quis cum tali voto matrimonium contraxit, illicite quidem egit; tamen contracto matrimonio, licite uti potest petendo, & reddendo debitum: nam objectum hujus voti, scil. *non inire matrimonium*, transivit in impossibile, cum matrimonium sit initum; ergo cessat illius obligatio. Idem probabiliter dic. de eo, qui vovit suscipere SS. Ordines, & post votum contraxit nuptias, quia cessante principali obligatione suscipiendi Ordines, cessat etiam accessoria obligatio continendi. Secus est in illo, qui per se vovit castitatem perpetuam: quia hoc voto obligatur etiam post nuptias, ne debitum licite petere possit, licet obligetur reddere.

10. Q. IV. *An votum amplectendæ Religionis inducat impedimentum licite contrahendi matrimonium?* ℞. 1. Affirmative: nam jus ex Christi institutione non tantum post sponsalia. sed etiam post matrimonium ratum cuilibet permittit ad statum religiosum transire, etsi sponsalia qualificata sint per juramentum, utpote accessorium sponsalium, *c.* 2. 14. *de convers. conjug. c.* 4. *de voto*: nam sponsalibus, & matrimonio rato inest tacita conditio: *nisi Religionem elegero*. His non obstat *c.* 16. *de sponsal.* nam ibi sponsus nondum plene statuit ingredi Religionem, sed habuit quoddam propositum inefficax, quod Papa vocat *legem privatam*, seu legem complacentiæ erga statum religiosum, ut patet ex verbis: *si postea elegerit*: quia vero biennium contrahendo matrimonio præfixum ad finem vergebat, ne fieret perjurus, ideo Papa rescripsit, tutius esse matrimonium contrahere, & deinde, si elegerit, ad Religionem transire. Gonz. Suar. &c.

11. ℞. 2. Vovens ingressum Religionis post sponsalia, etiam jurata, regulariter nequit licite contrahere matrimonium cum proposito ante illius consummationem ingrediendi Religionem: ita Sanch. & alii contra Ant. de Butrio, Petrum de Ledesma &c. nam ita contrahens exponit se manifesto periculo violandi votum, derogat dignitati voti, & status amplectendi, præjudicat sponsæ, quæ cogetur esse sine nuptiis, donec ille vel profiteatur, vel e novitiatu egrediatur. Excipe, nisi id exigeret damnum puellæ defloratæ, metus admittendæ famæ, aut vitæ, vel alia gravis causa: si tamen contraheret, & mutata voluntate consummaret matrimonium, illicite contra votum ageret, cum post matrimonium ratum adhuc potuerit voto satisfacere. At impostertum licite petit, & reddit debitum, quia materia voti, scil. ingressus Religionis, evasit impossibilis; ergo cessat obligatio voti, & conf. ea omnia, quæ annexa sunt Religioni, uti servare continentiam. Soluto aut matrimonio per mortem, aut divortium perpetuum: reviviscit obligatio voti Religionis, & urget ad ingressum, sicut soluto matrimonio, reviviscit votum continentiæ impediens aliud matrimonium: quia vota ista per matrimonium non extinguuntur, sed suspenduntur.

13. ℞. 3. Votum amplectandæ Religionis, vel ingressus in novitiatum ex parte ingredientis non solvit sponsalia, nisi secuta professione: ita Henriq. Laym. & alii com. contra Navar. Gutier. Sanch. &c. nam obligatio sponsalium non est incompossibilis cum novitiatu, cum nec incompossibilis sit cum matrimonio: tum quia si novitiatus solveret sponsalia ex parte novitii, datetur occasio fraudulenter dissolvendi sponsalia per fictum ingressum, ergo. At pars in sæculo manens habet justam causam resiliendi a sponsalibus, ut communis tenet contra Covar. Palud. &c. tum quia novitiatum ingrediens, tacite, & ipso facto renuntiat juri quæsito ex sponsalibus; tum quia quasi statum mutat: quæ causæ sunt sufficientes ad resiliendum a sponsalibus.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.

Agitur de hac materia in Decreto 31. *q.* 1. *per tot.* & 32. *q.* 4. & 7.

1. Præsens Rubrica est strictior nigro; quia impedimentum criminis, de quo tractatur *h. t.* non solum oritur ex adulterio, sed etiam ex homicidio alterius conjugis. Est autem hoc impedimentum dirimens; & specifice vocatur impedimentum *criminis*; licet impedimentum *metus*, & *raptus* etiam ex delicto oriantur: sed hæc servant sua propria nomina. De crimine tantum impediente agetur *tit.* 16.

2. Q. I. *Quibus modis incurratur impedimentum criminis dirimens matrimonium?* ℞. 1. Quatuor modis: duobus quidem ex causa adulterii, & duobus ex causa homicidii. Et 1. si adulteri, vivente conjuge altero, matrimonium de facto iniverunt, *c.* 5. *h. t.* 2. Si adulteri promissionem fecerunt futuri matrimonii post mortem alterius conjugis ineundi, *c.* 6. 7. & *fin. h. t.* 3. Si adulterio non commisso, ambo machinentur in necem alterius conjugis cum effectu, seu secuto conjugicidio, *c.* 1. *de convers. infidel.* 4. Si commisso adulterio, unus ex adulteris occidat proprium, vel adulteri conjugem, animo cum illo contrahendi matrimonium, *Can.* 5. *si quis* 31. *q.* 1. *Ratio* hujus impedimenti ab Ecclesia introducti est ex *parte adulterii*, ut secura sit conjugum fides, amor, & vita, omnisque occasio captandæ mortis alienæ tollatur. *Ex parte homicidii*, quia atrocitas tanti criminis erga conjugem admissi meretur istam inhabilitatem; tum maxime, quia suppositis his criminibus, turpe, & inhonestum, & scandalique plenum est tales personas inter se copulari. *Nec obstat* factum Davidis occidentis Uriam, & cum adultera Betsabea contrahentis: nam in vet. testamento non fuit hoc impedimentum, licet in nov. testam. ob dictas rationes recte sit introductum.

3. ℞. 2. Ut crimen ex adulterio dirimat matrimonium, debet esse 1. adulterium *formale*, non *materiale*, propter ignorantiam, vel invaliditatem prioris matrimonii, completum in sua specie, & durante eodem matrimonio consummatum. 2. Debet cum adulterio copulative concurrere, vel matrimonium actuale de facto, vel promissio matrimonii ineundi post mortem alte-

alterius conjugis: & quidem ſeria, non ficta, ſive iſta præcedat adulterium, ſive ſequatur, conſtante priori matrimonio, ſive fiat in actu adulterii, dummodo promiſſio ſit expreſſe acceptata ab altera parte; ſiquidem tacens in hac materia odioſa non habetur pro conſentiente. Et quamvis probabile ſit ad hoc impedimentum ſufficere promiſſionem acceptatam ſine repromiſſione adulteri, quia hoc modo eſt periculum captandæ mortis alienæ; oppoſitum tamen æque eſt probabile, quia *fides data*, quæ requiritur, plerumque in jure Canon. ſignificat promiſſionem mutuam utrinque obligatoriam, *cap.* 22. *de ſponſal. cap.* 1. *de ſponſal. duor. cap.* 5. *qui Clerici* &c. ergo cum verſemur in materia odioſa, *fides data* accipienda eſt pro mutua promiſſione, quam ſibi faciunt adulteri de matrim. poſt mortem conjugis ineundo. 3. E contra ex adulterio non incurritur impedimentum criminis, ſi adulterium ſit materiale, vel non completum; vel ſi copulative deſit promiſſio, vel iſta ſit ficta, aut remiſſa, nullo præcedente adulterio, licet deinde per accidens ſequatur adulterium: vel ſi promiſſio ſit de matrimonio, vivente altero conjuge, ineundo; vel ſi promiſſio facta ſit in uno matrimonio, & adulterium in ſecundo; quia videtur receſſum a fide data: ita hæc omnia deducuntur ex Canonibus cauſæ 31. *quæſt.* 1. & *cap.* 1. 7. *fin. h. t.* & ſi quæ jura diminutius loquuntur, ſupplenda ſunt ex aliis plene loquentibus, & exigentibus, ut vel adulterium ſit cum actuali matrimonio de facto inito, vel adulterium ſit cum promiſſione matrimonii poſt mortem conjugis ineundi.

4. ℞. 3. Ut conjugicidium mixtum adulterio inducat impedimentum criminis; præcedere debet adulterium; alias poſt cædem copula non eſt adulterina, tum ſequi debet machinatio cum effectu, ſeu cædes conjugis, etiam ab uno tantum ex adulteris patrata animo ineundi matrimonium cum complice, non vero ſolo animo liberius exercendi libidinem, *Can.* 5. *ſi quis* 31. *q.* 1. *c.* 6. *qui fil. legit. c.* 1. 3. 6. *h. t.* S. D. in 4. *d.* 37. *q.* 2. *ar.* 2. *in corp.* & alii communiter. 2. Ut ſolum conjugicidium inducat impedimentum criminis, requiritur, ut uterque concurrat phyſice, vel moraliter in necem conjugis, animo contrahendi matrimonium, & cædes re ipſa conſecuta ſit, *c.* 1. *de converſ. infid.* Sola ratihabitio, qua alter ratum habet conjugicidium nomine ſuo geſtum, non ſufficit; cum fictio iſta nullo jure ſit expreſſa, ſicut expreſſa reperitur de habente ratam percuſſionem Clerici nomine ſuo factam *c.* 23. *de ſent. excom. in* 6.

5. Q. II. *Qui ligentur impedimento criminis?* ℞. I. Soli fideles; cum ſit tantum juris Eccleſiaſtici; ergo infideles non ligat, niſi per accidens, & indirecte, quatenus perſona fidelis impeditur contrahere cum infideli ad fidem converſo, ſi adulterium cum eo commiſit, facta promiſſione matrimonii; vel ſi ab eis conjugicidium patratum ſit modo ante explicato, *c.* 1. *de converſ. infidelium.*

6. II. Qui vivente uxore legitima, contraxit cum alia ignorante ipſum eſſe conjugatum, poſt mortem primæ, tenetur renovare conſenſum, & contrahere cum ſecunda, ſi iſta velit, *cap.* 1. *&* 7. *h. t.* nam ex una parte non eſt hic impedimentum criminis; ex altera vero parte decepta per ſeparationem patitur damnum, quod reparari debet per matrimonium habili tempore ineundum. Si tamen matrimonium ineatur cum tertia poſt mortem primæ conjugis, ſubſiſtit, & deceptæ alio modo damnum reſarciendum eſt.

7. III. Ignorantes ligantur impedimento criminis: ita Moya, & Reiff. Gobat, Schmalz, & communior DD. contra Palud. Major. Pichler &c. nam Sac. Canones 31. *q.* 1. *& h. t.* nullam mentionem faciunt de notitia, an quis ſciverit hoc impedimentum annexum eſſe dictis delictis; ergo voluerunt eo ligari ſive ſcientes, ſive ignorantes; prout Canones iſtos interpretatur praxis Curiarum tam romanæ, quam aliarum Eccleſiarum, tales perſonas ſine diſpenſatione non admittentium ad nuptias. *Ratio* eſt, quia inhabilitates a jure introductæ incurruntur ab ignorantibus, ut patet in irregularitatibus ad Ordines, beneficia &c. ſed impedimentum criminis, licet fundetur in delicto, eſt tamen per ſe, & principaliter inhabilitas ad matrimonium, ſicut alia impedimenta ex crimine orta; ut impedimentum metus, raptus, affinitatis ex copula illicita; quia non decet, nec honeſtum, nec Reipubl. Chriſtianæ expediens eſt tales perſonas inter ſe copulari; cum alioquin in matrimoniis maxime attendatur, quid deceat, honeſtumque ſit, *l.* 42. *ff. de ritu nupt.* ergo. *Dices:* hoc impedimentum eſt pœnale, ſcil. in pœnam tanti delicti; pœna autem ignorantem non ſtringit. 2. Inhabilitatio pœnalis obligat eum, qui peccat contra legem, qua *pœnalem*; ſed ignarus pœnæ non peccat contra legem, qua pœnalem; ergo. 3. Ignorantia facti excuſat ab impedimento criminis; ergo etiam ignorantia juris, cum in neutro caſu peccetur contra legem ignoratam. 4. Irregularitas ex delicto, privatio juris ad petendum debitum conjugale, inhabilitas ad beneficium ex ſimonia, cenſuræ non incurruntur ab ignorantibus, *c.* 2. *de conſt. in* 6. ergo nec impedimentum criminis. ℞. *Ad* 1. Diſt. ant. eſt pœnale occaſionaliter, ſecundario, & in conſequentiam, con. ant. primario, & per ſe, Neg. ant. Hoc impedimentum primario eſt inhabilitas; quia non decet, nec expedit tales perſonas copulari; alioquin ignorantia a pleriſque prætexi poſſet. *Ad* 2. eſt eadem ſolutio: nam inhabilitatio iſta principaliter eſt ob indecentiam, quæ in republica chriſtiana tolerari non debet cum magno diſpendio honeſtatis matrimoniorum. *Ad* 3. Neg. conſ. nam ignorantia facti excuſat ab adulterio, & conjugicidio, & conſ. ab impedimento, non vero ignorantia juris circa inhabilitatem conſtituti. *Ad* 4. Neg. ant. exceptis cenſuris: nam & iſtæ inhabilitates incurruntur ab ignorantibus; non tamen cenſuræ, quæ contumaciam, & conſ. ſcientiam prærequirunt. Argumenta iſta inſtantiam contrariam habent in aliis impedimentis ex delicto ortis. Quia vero oppoſita ſententia ſatis eſt probabilis, ſervire poteſt confeſſario pro illo caſu, quo impedimentum eſt occultum, & adulteria, vel homicidia in futurum non pendent.

8. Q. IV. *An impedimentum criminis ſit perpetuum, & a quo diſpenſabile?* ℞. *ad* 1. Affirmative, ita ut non ceſſet, etſi complices longo tempore in matrimonio putativo vixerint, & proles ſuſceperint, *c.* 5. *h. t.* quia diuturnitas peccatum non minuit, ſed auget: prolibus tamen neceſſaria alimenta miniſtranda ſunt, *ibid.* ubi corriguntur jura civilia, ſpurios ali vetantia.

9. ℞. *Ad* 2. In impedimento criminis diſpenſat ſolus Papa; quia inferiores non poſſunt relaxare jus commune. Si tamen eſt publicum ex conjungicidio ortum, rariſſima, & difficillima eſt diſpenſatio: & ſi ortum eſt ex adulterio conjuncto cum nuptiis, vivente altero conjuge contractis, non diſpenſat Papa, niſi negotio finito in Officio S. Inquiſitionis. S. Pœnitentiaria in hoc impedimento occulto, ſi oriatur ex homicidio, nonniſi ex urgentiſſimis cauſis diſpenſat, injuncta pœnitentia diuturna: facilius autem, ſi oriatur ex ſolo adulterio cum promiſſione; præſertim ſi complices erant ignari hujus impedimenti.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leproſorum.

Agitur de hac materia *Can.* 25. *hi, qui* 32. *q.* 7. *& Can.* 18. *ſi uxorem.* 32. *q.* 5. & alibi ſparſim.

1. Nomine *lepræ* venit hic omnis morbus horridus, & contagioſus; ut paralyſis, epilepſia, morbus gallicus &c.

2. Q. *An lepra ſit impedimentum matrimonii?* ℞. 1. Lepra antecedens ignorata, vel conſequens ſponſalia, dat juſtam cauſam reſiliendi ab illis: ſecus ſi fuit cognita, quia pars altera ſibi imputare debet, quod ſcienter cum leproſo contraxerit ſponſalia.

3. ℞. 2. Lepra ſive antecedens, ſive conſequens, nec dirimit matrimonium contrahendum, nec diſſolvit contractum, *c.* 1. 2. *h. t.* nam vis iſta nullibi attributa eſt lepræ, aut ſimili morbo. *Nec obſtat. c. fin. h. t. & Can.* 18. *propoſuiſti* 32. *q.* 7. nam *c. fin.* procedit de ſponſalibus, quod ſuperveniente lepra, alter non teneatur ad conſummandam, ſeu perficiendam copulam maritalem, quæ conſiſtit in contractu; ſeu quod non teneatur inire matrimonium: *Canon.* 18. procedit de infirmitate *arctitudinis*, ſeu impotentiæ, ob quam invalidum fuit matrimonium, Bellar. Gonz. & alii: ſubſidia autem tali mulieri præbenda ſunt per reſtitutionem dotis, vel ex charitate.

4. ℞. 3.

4. ℞. 3. Lepra contagiosa est causa sufficiens divertendi quoad thorum, & cohabitationem: nam contractui matrimoniali inest conditio divertendi ob justam causam; qualis est incolumitas proprii individui. Si tamen conjux sanus vult cohabitare, & debitum reddere, id ei licebit: quia in morbis diuturnis periculo infectionis prævalet amor conjugalis; præsertim si adsit periculum incontinentiæ in utroque conjuge. Nec obstat, quod forsan proles nascetur leprosa; quia huic melius est leprosam esse, quam nullo modo esse.

5. II. Si lepra non est contagiosa, pars sana tenetur leproso cohabitare, & debitum reddere: quo sensu procedit *c.* 1. *&* 2. *h. t.* quia hic non adest justa causa excusans ab obligatione conjugali; nisi forsan nimius horror esset in reddendo debito.

☞ *Vide notata in summariis cap.* Quoniam 2. *hoc eod. tit. part.* 1. *pag.* 336. *col.* 2. ☜

III. Facta separatione leprosorum, utrinque a judice Ecclesiastico injungenda est continentia, *c.* 1. *h. t.*

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

Agitur de hac materia in Decreto 29. *quæst.* 1. 2. *per tot.*

1. In *h. t.* examinatur impedimentum *conditionis servilis*, quod nunc rarum est; cum servitus legalis apud Christianos fere expiraverit.

2. Q. I. *Quando conditio servilis dirimat matrimonium*? ℞. 1. In unico tantum casu, quo liber ignorans alteram partem esse servituti obnoxiam, contrahit cum illa matrimonium, etsi ignorantia sit modicum crassa: ita *Can.* 4. *& seqq.* 29. *q.* 2. *& c.* 2. *fin. h. t.* nam licet contractus iste jure naturali sit validus, ut comm. tenet, tamen Ecclesia non voluit eum valere ob justas causas; puta ob inæqualitatem personarum, ob injuriam libero illatam, & prolibus inferendam. Quæ assertio locum habet etiam tunc, dum contrahitur cum statulibera; quia tempore intermedio, pendente conditione, & tempore, est ancilla *l.* 9. *ff. de statuliber.* Convalescit autem hoc matrimonium, si liber, cognito errore servitutis, ratificet priorem consensum expresse, vel tacite per copulam *c.* 2. *& fin. h. t.* quia jure antiquo talis copula præsumitur fieri affectu conjugali: jure autem Triden. si servitus publice innotescat, convalidatio fieri debet coram parocho, & testibus.

3. ℞. 2. Valet matrimonium in seqq. casibus: 1. Si liber scienter contrahat cum ancilla, quia volenti non fit injuria; licet ob vilitatem personæ fiat irregularis *Can.* 15. *d.* 34. 2. Si liber contrahat cum libera, quam putat esse ancillam, vel servus cum ancilla, quam putat esse liberam: quia hic non redditur status deterior ita errantis. 3. Si liber ignarus contrahat cum ancilla, quæ vi collocationis in matrimonium a domino factæ consequitur libertatem, *Nov.* 22. *c.* 11. quod jus non reprobatur a sacris Canonibus; quia in ipso contractu ancilla fit libera; adeoque liber non cum ancilla, sed cum libera nuptias init, prior vero servitus ignorata non sufficit ad hoc matrimonium invalidandum.

4. ℞. 3. Si matrimonium cum errore conditionis servilis publice contractum est, dissolutio ejus fieri debet auctoritate Ecclesiæ, *arg. c.* 2. *& fin. h. t. c.* 3. *de divort.* nam quod auctoritate Ecclesiæ contrahitur, auctoritate ejusdem dissolvi debet. In prævio judicio liber probare debet *conditionem servilem*, quam ex parte ancillæ asserit: error vero regulariter non probatur, nisi in illo casu, quo talis persona notorie, & communiter habita est pro ancilla; quia quilibet præsumitur scire, quæ communiter nota sunt *lib.* 2. *ff. & l.* 23. *Cod. de probat.* Si vero communiter non est habita pro ancilla, ista probare debet, quod liber notitiam habuerit de ipsius conditione servili.

5. Q. II. *Quid juris circa matrimonia servorum cum ancillis*? ℞. 1. Talia matrimonia sine consensu domini sunt valida, & regulariter licita: ita decisum est *c.* 1. *h. t.* quo corriguntur jura civilia, quæ inter servos, præsertim sine consensu domini dicunt esse *contubernia*, non matrimonia, *l.* 3. *C. de incest. nupt. Ratio* 1. quia servi jure naturali, & divino habent jus liberum contrahendi, & suscipiendi sacramentum matrimonii, tum ad finem propagationis humanæ, cum etiam in remedium concupiscentiæ; quod jus, utpote toti naturæ humanæ commune, non subditur privatæ potestati dominicæ: ergo matrimonia servorum cum ancillis sunt valida. *Ratio* 2. quia servi utendo jure suo, licite agunt, & nulli injuriam faciunt; licet decens sit, ut requirant consensum dominorum. Dum vero antiqui Canones nuptias servorum dicunt non esse justas, & legitimas, id intelligendum est, non de legitimitate Canonica, sed civili, quatenus non intercedunt pacta dotalia: neque ex talibus oritur patria potestas, nec hæreditas, & successio liberorum: quo sensu explicantur *Can.* 11. *cum seq.* 32. *quæst.* 2. *& Can.* 9. *dicat* 39. *quæst.* 4. *Can. fin.* 29. *quæst.* 2. ibi: *per voluntatem dominorum*. *Dices*: Professio religiosa est favorabilior matrimonio; sed servus sine consensu domini non potest valide profiteri; ergo nec nuptias contrahere. ℞. Neg. conse. quia professio religiosa non est compossibilis cum operis domino debitis; bene vero matrimonium.

6. ℞. 2. Dominus resciens servum tractare de nuptiis, re integra, ante inita sponsalia, potest servum in remota mittere, aut vendere; quia utendo jure suo, non facit illi injuriam. At si sponsalia sint inita, non potest eo medio uti: tum quia præjudicaret juri sponsæ, quod independens est a dominio domini; tum quia directe impediret matrimonium, quod ei non licet. Contracto autem matrimonio, servum alio mittere potest; quia non privatur potestate dominica, licet illicitum videatur sine gravi causa servum eo mittere, aut vendere, quo illum uxor sequi non potest, Sanch.

7. ℞. 3. Servi ipso facto tunc consequuntur libertatem, dum dominus eos collocat in matrimonium cum persona libera ignorante eorum servitutem, *auth. ad hoc C. de latin. lib. toll.* quia hoc modo dominus fingitur cedere jure suo. At si pars altera scivit conditionem servilem, dominus consentiendo in matrimonium, non præsumitur dare libertatem, nisi ancillæ constituat instrumentum dotis, vel servo instrumentum donationis propter nuptias; quæ instrumenta propria sunt hominum liberorum, *l. un.* §. 9. *C. de latin. lib. toll.*

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre.

In *h. t.* qui priori est accessorius, traditur trita regula, quod partus sequatur ventrem, seu conditionem matris quoad statum libertatis, & servitutis: unde mater ancilla parit servum, licet pater sit liber, & mater ingenua, vel liberta parit liberum; dummodo libera sit tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio. De hac materia fusius agunt Civilistæ *lib.* 1. *Inst. tit.* 3. *& seqq.* Vide *Can.* 3. *cum multæ* 15. *qu.* 8. *Can. fin.* 32. *quæst.* 4. *& cap. fin. de serv. non ordin.*

TITULUS XI.

De Cognatione spirituali.

Agitur de hac in Sexto *h. t.* in Decreto 30. *quæst.* 1. 3. 4. *per tot.* in Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de ref. matr.* ubi statuitur jus novum.

1. *Nota* Cognationem in genere esse quamdam propinquitatem personarum; quæ triplex est: *spiritualis*, *legalis*, & *carnalis*; De ultimis duabus agetur in seqq. titulis. Hic examinatur impedimentum dirimens cognationis spiritualis ortæ ex baptismo, & confirmatione.

2. Q. I. *Unde oriatur, & quo Jure matrimonium dirimat cognatio spiritualis*? ℞. *Ad* 1. Oritur ex sacramento baptismi, & confirmationis, non vero ex aliis sacramentis: ita comm. ex Canonibus *causæ* 30. *q.* 1. *&* 3. Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de refor. mat.* nam baptismus comparatur generationi, seu conceptioni in utero; confirmatio vero nativitati, seu editioni in lucem, adeoque in utroque datur gratia permodum generationis,

tionis, & nativitatis: in ceteris vero sacramentis datur gratia per modum nutritionis, sanationis, aut reconciliationis; ergo sicut ex generatione naturali oritur cognatio naturalis, ita ex generatione spirituali per baptismum, & confirmationem oritur cognatio spiritualis. *Nec obstat Can.* 8. *& seqq.* 30. *q.* 1. nam ex sacramento pœnitentiæ est cognatio valde impropria, quæ non habet vim dirimendi matrimonium; licet fornicans cum filia confessionis probabilius teneatur circumstantiam istam aperire in confessione, *S. D.* 2. 2. *q.* 154. *ar.* 10. *ad* 2.

3. ℞. *ad* 2. Cognatio spiritualis jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, & conf. solvit præcedentia sponsalia: ita comm. ex juribus supra citt. nam hoc impedimentum introductum est ex justissima causa; quia valde indecens esset patrem spiritualem copulari filiæ spirituali. Et quia hæc indecentia semper durat, ideo hoc impedimentum est perpetuum. Si vero sequatur ad matrimonium, non dissolvit illud, sicut nec alia impedimenta consequentia, ut affinitas &c. privat tamen jure petendi debitum, de quo infra.

4. Q. II. *Inter quas personas detur cognatio spiritualis?* ℞. 1. De jure antiquo dabatur inter plures personas: nam hoc jure fuit *paternitas directa* inter baptizantem, vel patrinum, & baptizatum: & *paternitas indirecta*, quæ extendebatur ad baptizantis, & patrini uxorem carnaliter cognitam, quæ propter unitatem carnis cum marito fiebat etiam mater spiritualis baptizati: vel e contra ab uxore baptizante, vel levante refundebatur ista cognatio in maritum *c.* 1. *h. t. in* 6. 2. Fuit *compaternitas directa* inter baptizantem, vel levantem, & parentes baptizati; *indirecta* vero refundebatur in uxorem baptizantis, & levantis, ut ante dictum, *c.* 4. *h. t.* 3. Fuit *fraternitas* inter baptizatum, & liberos carnales baptizantis, vel levantis, non vero inter alios fratres, & sorores baptizati *Can.* 4. *super quibus* 30. *q.* 3. ubi corrigitur *Can.* 5. utpote anterior tempore: & ita decidit Alex. III. *c.* 3. *h. t.* nisi specialis esset consuetudo ut inter omnes fratres, & sorores baptizati, & proles baptizantis, aut levantis intercederet ista confraternitas diremptiva matrimonii, *c.* 3. *h. t.* Hæc omnia similiter fiebant in cognatione orta ex confirmatione.

5. ℞. 2. Jure novo Trid. *S.* 24. *cap.* 2. *de refor. matr.* sublata est paternitas, & compaternitas indirecta, uti & fraternitas, & remansit sola *paternitas, & compaternitas directa, & filiatio*: unde hodie cognatio spiritualis ex baptismo datur: 1. Inter baptizantem tanquam patrem, & baptizatum tanquam filium, & similiter inter patrinum, seu levantem tanquam patrem, & baptizatum, seu levatum tanquam filium: ac proinde baptizatus hodie potest ducere uxorem baptizantis, vel levantis, si quam habuerunt, & mortui sunt. Et hæc cognatio vocatur *paternitas*; vel si baptizans, aut levans est fæmina, *maternitas*. 2. Inter baptizantem, & parentes baptizati, vel inter levantem, & parentes levati, quæ vocatur, *compaternitas*, & in fæminis *commaternitas*; quia sicut genitores sunt patres carnales baptizati, ita baptizans, & levans sunt ejusdem patres spirituales; ac proinde inter se sunt *compatres*, vel *commatres*. Nec ultra ad uxorem, vel liberos baptizantis, aut levantis cognatio spiritualis extenditur: unde pater carnalis baptizati, sublato impedimento ligaminis, potest ducere uxorem levantis, aut baptizantis. Hæc eadem doctrina servatur in cognatione orta ex confirmatione. Inter ipsum vero baptizantem, & patrinum, vel inter ipsos patrinos inter se, nec antiquo, nec novo jure aliqua cognatio oritur. Personæ istæ spiritualiter cognatæ exprimuntur *his vers. Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes, levans, levatus, levatique parentes, confirmans, confirmatus, confirmatique parentes, patrinus, confirmatus, confirmatique parens.*

6. Q. III. *Quod sit subjectum cognationis spiritualis?* ℞. 1. Soli fideles, seu baptizati; cum hi soli subjaceant juri Ecclesiastico, *Can.* 302. *de consecr. d.* 4. unde infidelis non est capax cognationis spiritualis *activæ*, v. g. si baptizet, vel levet ex baptismo: nam qui spiritualiter non est natus, seu filius, non potest esse spiritualiter pater; sicut necdum natus secundum carnem, non potest esse carnaliter pater, S. D. & alii communiter contra Henriq. neque etiam capax est cognationis spiritualis passivæ, seu compaternitatis, si fidelis baptizet; vel levet prolem parentis infidelis, Sanch. & alii contra Sylv. Rosell. &c. nam passiva cognatio in tantum afficeret infidelem, in quantum activa cognatio a baptizante, vel levante terminatetur ad illum; sed tali casu hoc ipso quod in infideli non detur compaternitas, utpote ab Ecclesia introducta, neque cognatio compaternitatis datur in fideli baptizante, vel levante: nam cognatio ista est reciproca, & conf. si non datur in uno extremo, neque datur in altero; ergo; tum etiam, quia impedimenta restringenda potius, quam laxanda sunt. *Dices*. 1. Saltem cognatio ista resultat tempore habili, dum infidelis convertitur ad fidem, sicut irregularitas, v. g. ex bigamia orta, *Can. Acutius* 28. *q.* 3. 2. Impedimentum criminis directe a fideli, & indirecte incurritur ab infideli, & dirimit inter eos matrimonium, *c.* 1. *de conversf. infid.* ergo idem dic. de cognatione spirituali. ℞. *Ad* 1. Neg. ant. nam quod ad initio non subsistit, tractu temporis non firmatur, nec convalescit *ex reg.* 18. *in* 6. Irregularitas bigamiæ post baptismum oriri potest, quia perseverat defectus significationis: sed qui in generatione non est pater, nec postea erit. *Ad* 2. Neg. conf. nam cetera impedimenta non sunt ex natura sua relativa, sicut cognatio, sed salvantur in uno impedito; sicut impedimentum ligaminis, impotentiæ, & similiter criminis.

7. Q. III. *Quæ requirantur ad hoc, ut contrahatur cognatio spiritualis?* ℞. 1. In baptizante, & baptizato adulto, præter intentionem ad valorem sacramenti necessariam nihil speciale requiritur. In confirmante requiritur regulariter ordo Episcopalis, & intentio conferendi sacramentum confirmationis.

8. ℞. 2. Ex parte patrini requiritur: 1. Ut a parentibus baptizandi designetur unus, vel ad summum *unus, & una*, Trid. *cit. sess.* 24. *c.* 2. *de refor. matr.* Si nullus a parentibus est designatus, parochus unum designabit: si vero designatio ista omitteretur, & plures tangerent, seu levarent baptizatum, probabilius est, cognationem spiritualem ab omnibus contrahi: ita teste Fagnano fertur declarasse S. Congr. nam decretum Trid. loquitur tantum de illis: qui præter designatum tangunt; ergo si nullus est designatus, & omnes levant, juxta jus antiquum omnes contrahunt cognationem spiritualem: licet Sanchez dicat nullum ex illis contrahere, ut vitetur multiplicitas hujus cognationis, qui fuit finis Tridentini. 2. Ut levans habeat intentionem, saltem implicitam, agendi munus patrini. Si patrinus intentionem suam restringat ad certum individuum, quod in praxi rarum est, levado alium pro alio, probabilius non contrahit cognationem spiritualem ex defectu intentionis; secus si, non obstante privato errore, habuit intentionum levandi præsentem personam. In baptismo privato, quia plerumque materialiter tenetur infans absque animo exercendi munus patrini, raro hæc cognatio incurritur; uti nec tunc, quando supplentur cœremoniæ, quia non levatur infans ex sacro fonte. 3. Ut tempore baptismi patrinus infantem teneat; & quidem ordinarie per physicum contractum, nisi alia consuetudo esset, v. g. ut ipsemet baptizans infantem teneat, & tunc sufficiet, ut patrinus ex manu sacerdotis immediate baptizatum suscipiat, vel saltem eo fine præsentet baptizandum, S. Congregat. 1688. teste Petra cum praxi. Respondere autem pro infante, vel alia præter levationem facere, per se non requiritur in patrino, *c.* 1. *h. t.* 4. Ut baptismus sit validus: quod enim nullum est, nullum operatur effectum, *c.* 8. *de jure patr.* Si baptismus secundus est conditionatus, contrahitur paternitas, nisi constaret primum fuisse validum. Hæc omnia etiam in confirmatione observantur; ubi insuper in patrino requiritur, ut ipse prius sit confirmatus, *c.* 102. *d.* 4. *de cons.* S. Congr. in Liciensi, 13. *Jul.* 1654. Episcopus tamen, etsi non esset confirmatus, contraheret paternitatem; cum in eo sufficiat valide conferre confirmationem.

9. ℞. 3. Patrinus per procuratorem levans, sicut Magnates facere solent, probabilius contrahit cognationem spiritualem: ita Abb. Navar. Laym. Reiffest. Schmier, Schmalz. & alii communius contra Sanch. Gonz. & alios existimantes cognationem istam, vel a neutro contrahi, vel a solo procuratore. Prob. *ex reg.*

reg. 72. in 6. qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum; ergo sicut patrinus per se levans contrahit cognationem spiritualem, ita quoque levans per procuratorem, eam contrahit: alias sequeretur absurdum contra legem Ecclesiæ, quod tali casu nullus sit verus patrinus, cum procurator, non suo, sed alieno nomine levans, non sit patrinus, & spiritualis cognatus baptizati. Præterea per procuratorem, contracto matrimonio, etiam contrahitur publica honestas a principali: ergo, & contrahi potest cognatio spiritualis: stat pro hac sententia declaratio Sac. Congregat. 1582. 29. *Martii & 1631. 15. Martii* teste Clericato. Communitas, si eligatur in patrinum, unum ex suis designare debet, qui nomine suo patrinum agat, & cognationem contrahat, cum communitas, ut persona ficta, talem cognationem contrahere nequeat; neque singuli ex communitate, quia Trid. unum, vel unum, & unam designari jubet. *Dices*. Tangere, levare significant actionem personalem, & physicam; ergo si principalis personaliter non tangat baptizatum, non fit ejus cognatus. 2. Baptizans ex commissione parochi, ille, & non parochus, contrahit cognationem; ergo a pari. 3. Cognatio carnalis contrahitur ex propria actione personali, uti & cognatio legalis *l. 25. §. 1. ff. adopt.* ergo etiam spiritualis. ℟. *Ad* 1. Verba ista verificantur de contactu morali, & non semper physico, cum clare ex jure non constet necessario requiri physicum contactum. *Ad* 2. Neg. conf. nam commissarius baptizat, non parochi, sed suo, & Christi nomine; procurator autem levat nomine principalis. *Ad* 3. Neg. conf. nam cognationem naturalem ipsa natura, legalem ipsa lex prohibet contrahi per procuratorem; qualis prohibitio non est respectu cognationis spiritualis.

10. Q. IV. *Quodnam sit officium patrini?* ℟. Præter munus levandi, proprium patrini officium est, & de se grave, ut baptizatum instruat in doctrina fidei christianæ, saltem in defectum parentum, & magistrorum: & ideo patrini in jure, & a SS. Patribus vocantur fidei doctores, pœdagogi spirituales, fidejussores, sponsores *Can. 100. & 104. de consecr. d. 4. Can. 1. diligere 30. q. 3.* Unde qui non sunt idonei ad hanc instructionem, neque admittendi sunt pro patrinis; ut hæretici, & apostatæ, pœnitentes publici, moribus infames, excommunicati: & ob specialem rationem Regulares utriusque sexus, ne prætextu cognationis spiritualis extra claustra vagentur, *Can. 20. pervenit. 18. q. 2. Can. 103. & seq. d. 4. de consecr.* nisi religiosus per Episcopatum absolveretur a jugo regulæ.

11. Q. V. *An parentes contrahant cognationem spiritualem?* ℟. 1. Si pater in casu necessitatis baptizet, vel levet prolem ex legitima uxore sua susceptam, non incurrit cognationis spiritualis impedimentum, & conf. non privatur jure petendi debitum *Can. 7. ad limina 30. q. 1. quia inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.* 2. Si pater extra casum necessitatis baptizet, vel suscipiat prolem suam per probabilem ignorantiam facti, scilicet ignorando esse communem prolem, vel ex sua uxore genitam, excusatur ab hoc impedimento, quia non habuit intentionem baptizandi, vel levandi prolem, ut suam. An vero ignorantia juris illum excuset, dubium est: affirmant multi, quia privatio juris ad petendum debitum est pœna, quæ ab ignorante non incurritur: negant alii, quia impedimentum cognationis spiritualis est mera inhabilitas propter indecentiam introducta, quæ ab ignorante incurri potest. Prior opinio est favorabilior, & probabilior; nam licet cognatio spiritualis antecedens matrimonium sit inhabilitas, tamen ei superveniens est principaliter pœna privans jure quæsito ad petendum debitum. 3. Si pater, sive in, sive extra casum necessitatis baptizet, vel levet prolem ex fornicatione susceptam, incurrit impedimentum dirimens matrimonii cum fornicaria contrahendi: nam iste casus substat generali regulæ, qua baptizans fit compater cum parentibus baptizati: nec compaternitas ista habet rationem pœnæ, sicut in priori casu, sed est mera inhabilitas ad contrahendum matrimonium cum commatre, qualem incurrit omnis baptizans, sive solemniter, sicut Clericus, sive privatim baptizet, sicut laicus. 4. Vir prolem ex legitima uxore susceptum extra casum necessitatis baptizans, vel levans, privatur jure petendi debitum conjugale, S. D. in 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 1. *in corp.* S. Bonav. Sanch. Laym. & alii communius contra Gloss. *c.* 2. *h. t.* Suar. Zoes. Reiff. Schmalz &c. *Prob.* ex doctrina generali *h. t.* disponente, ut baptizans, & levans contrahant cognationem spiritualem, & impedimentum ei annexum; sed parentes baptizantes, vel levantes propriam prolem, nullibi excipiuntur ab hac generali dispositione, imo expresse comprehenduntur *Can.* 1. *& seqq.* 30. *q.* 1. ubi jubentur separari, non utique quoad vinculum, sed quoad usum thori conjugalis, si ambo rei sunt; alioquin pars rea jubetur manere cum innocente, & eum non fraudare *Can.* 3. *ibid.* ergo. *Dices*: jura antiqua, si contraria sunt, corriguntur per *cap.* 2. *h. t.* ubi Pontifex ait, quod *sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint, non sint ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere &c.* ℟. Textum istum recte intelligi, quod propter delictum, vel ignorantiam unius non sint separandi conjuges, quia ignorantia excusat: fraus vero, & dolus non debet ei patrocinari, qui ex malitia filium e sacro fonte suscepit; adeoque obligatur debitum reddere; an vero petere possit? nihil clare ex hoc capite colligitur. Interim cum sententia ista probabilis, & valde favorabilis sit, utilis erit pro praxi: licet dispensatio ad petendum debitum sit omnino tutior; quam in casu occulto plerique Regulares dare possunt.

12. Q. VI. *Quid dispensare possit in impedimento dirimente cognationis spiritualis.* ℟. Solus Papa, utpote juris conditor; qui tamen in paternitate difficillime, facilius in compaternitate dispensat, adeoque in supplicatione exprimi debet, an dispensatio petatur super paternitate, an super compaternitate.

13. In *c.* 5. *h. t.* mentio fit impedimenti cognationis imperfectæ ex catechismo ortæ, non dirimente, sed tantum impediente, quod dabatur inter catechizantem patrinum, & catechizatum, parentesque catechizati, dum patrinus baptizandum prius instruxit, & pro eo ad interrogata Baptistæ respondit. Hoc impedimentum sublatum est a Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de refor. matrim.* ita hoc jus consuetudine generali interpretante.

TITULUS XII.

De Cognatione legali.

Agitur de hac materia *Can.* 1. *& pen.* 30. *q.* 3. *& §.* 1. 2. *In. de nuptiis & l.* 14. 17. 55. *ff. de ritu nupt.*

1. Hic præscienda sunt ea omnia, quæ in jure civili traduntur de adoptionibus, per quas persona aliena assumitur in filium, vel nepotem: vel perfecte per *arrogationem*, qua arrogatus transit in familiam, & patriam potestatem arrogantis; vel imperfecte per *simplicem adoptionem*, quæ hodie non operatur effectum patriæ potestatis: adeoque nec proprie patrem, nec filium facit, sed tantum adoptato tribuit jus ab intestato succedendi in quarta portione bonorum patris adoptivi Vide *tit. Inst. de adopt. l. pen. C. eod.* Cognatio igitur legalis est propinquitas personarum orta ex adoptione, dirimens matrimonium; non quidem vi juris civilis, a quo introducta est, sed hodie vi juris Can., quatenus cognatio ista a Sac. Canonibus recepta, & approbata fuit.

2. Q. I. *An impedimentum dirimens cognationis legalis oriatur ex sola arrogatione?* ℟. Affirmative: ita Innoc. Sylv. Laym. Sanchez cum citt. contra Gloss. *c. un. h. t.* Abb. Covar. Reiff. Prob. 1. Cognatio legalis fundatur in patria potestate, ita ut adoptans fiat pater, & adoptatus filius patriæ potestati subjectus, ut manifeste constat ex juribus supra allegatis: nam licet Sac. Canones utantur termino *adoptionis*, tamen in ipso sensu loquuntur de perfecta adoptione, seu arrogatione, quæ potestatem inducit, & solvi potest per emancipationem *Can. pen.* 30. *quæst.* 3. *& cap. un. hoc tit.* ibi: *quamdiu durat adoptio*, ubi necessario intelligitur emancipatio solvens patriam potestatem, & cognationem inter filium naturalem, & filiam adoptatam; sed sola arrogatio, non vero simplex adoptio inducit patriam potestatem §. 2. *Inst. de adopt.* ergo. Ratio est, quia impedimentum hoc introductum est partim propter indecentiam; quia non decet, ut ii, qui fictione civili habentur patres, & liberi, fratres, & sorores, inter

inter se copulentur; partim ad vitandam fornicationem, quæ intercedere posset inter personas in eadem familia, & domo commorantes; sed neutra ratio procedit in simpliciter adoptato: non prima, quia defectu patriæ potestatis non habetur pater, vel filius, vel frater civilis; non secunda: quia simpliciter adoptatus non cogitur esse in domo, & familia adoptantis; ergo impedimentum istud non oritur ex simplici adoptione: imo ista neque inducit impedimentum impediens; cum sine claro jure impedimenta non sint multiplicanda.

3. Q. II. *Quot sint species cognationis legalis, & inter quas personas matrimonium dirimant?* R. Esse tres: *prima* est in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes, si quos in patria potestate habet; sicut Augustus adoptavit Tiberium cum Germanico §. *pen. Inst. de adopt.* Et hoc impedimentum in linea recta, est perpetuum *l.* 14. 55. *ff. de ritu nupt.* quia honestas non patitur, ut aliquando sit uxor, quæ antea per adoptionem fuit filia, vel neptis. An vero hoc impedimentum in linea recta extendatur in infinitum, ut probabilior tenet, an vero usque ad quartum gradum, inane est disputare; quia vita hominis tam procul non porrigitur. *Secunda* species est in linea transversa per modum fraternitatis inter adoptatum, & liberos naturales adoptantis in potestate constitutos, *c. un. h. t.* quod desumptum est ex §. 2. *Inst. de nupt. & l.* 17. *ff. de rit. nupt.* & hoc impedimentum est temporale, donec patria potestas durat. Unde sive filius naturalis, sive filia adoptiva emancipentur, fraternitas desinit, & nuptiæ inter eos consistere possunt. *ibid. Tertia* species est permodum affinitatis in linea recta inter adoptantem, & uxorem adoptati, tanquam inter socerum, & nurum, & e contra, inter adoptatum, & uxorem adoptantis, tanquam privignum, & novercam, *l.* 14. *pr. &* §. 1. *ff. de ritu nupt.* Hoc impedimentum perpetuum est; quia non decet, ut quis uxorem habeat, quæ sibi aliquando loco nurus, aut novercæ fuit. Ad alias personas impedimentum cognationis legalis non extenditur: unde consistunt nuptiæ: 1. Inter adoptatum, & matrem, aviam, vel sororem adoptantis. 2. Inter adoptantem, & filiam filiæ adoptivæ, vel filiam illegitimam adoptati; quia nec mater habet patriam potestatem, nec pater respectu illegitimorum, §. 10. *de adopt.* & consequenter cum matre, aut patre non transeunt in potestatem adoptantis. 3. Inter filium illegitimum adoptantis, & filiam adoptivam, ob eandem rationem. 4. Inter filium adoptatum, & filiam adoptatam, vel inter eorum liberos, etsi omnes essent in potestate adoptantis: nam adoptati, licet cognationem contrahant cum liberis naturalibus adoptantis, quamdiu potestas durat, tamen inter se nullo cognationis vinculo ligantur. *Nec obstat*, quod in eadem familia morentur, sintque in periculo fornicationis; quia impedimenta ob similitudinem rationis sine jure non sunt afferenda.

5. Q. III. *Quis dispenset in hoc impedimento?* R. Solus Papa: sed in linea recta cognationis, & affinitatis ob magnam indecentiam difficillima est dispensatio: in linea vero transversa non opus est dispensatione, quia per emancipationem unius solvitur hoc impedimentum.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

Agitur de hac materia in Decreto 32. *q.* 7. *Can.* 19. *& seqq.* & Trid. *S.* 24. *c.* 5. *de refor. matr.* ubi statuitur de impedimento affinitatis ortæ ex copula illicita.

1. Q. I. *An, & quod impedimentum incurrat fornicans cum consanguinea sponsæ, vel uxoris suæ?* R. Sponsus fornicans cum consanguinea suæ sponsæ, incurrit impedimentum affinitatis, quod hodie dirimit matrimonium usque ad secundum gradum, & non ultra, Trid. *S.* 24. *c.* 4. *de reform. matr.* quo casu priora sponsalia solvuntur propter affinitatem: nuptiæ vero cum deflorata, si cælebs est, consistere nequeunt, propter obstans impedimentum publicæ honestatis: & hoc impedimentum affinitatis ex copula illicita adhuc hodie est in usu, ut patet ex *cit. Trid.* & incurritur etiam ab ignorantibus; quia non tam est pœna, quam inhabilitas ob indecentiam; quia non decet tales personas inter se copulari. Nomine *consanguineæ* venit in hac materia odiosa consanguinea *naturalis*, non vero *legalis* ex adoptione; vel *spiritualis* ex baptismo, aut confirmatione.

2. Alterum impedimentum, quod complex, altero complice vivente, non possit inire matrimonium cum quacumque alia persona per *c.* 12. *de despons. impub.* consuetudine contraria abrogatum est; vel sicubi viget, dispensare in eo potest Episcopus.

3. R. 2. Maritus incestum committens cum consanguinea suæ uxoris incurrit privationem juris petendi debitum: reddere tamen tenetur, ne pars innocens alieno delicto gravetur, *c.* 1. 4. *fin. h. t.* Hodie hoc impedimentum affinitatis non extenditur ultra secundum gradum per *cit. Trid.* ita ut privet jure conjugali, licet cognoscens consanguineam uxoris in tertio, vel quarto gradu teneatur circumstantiam istam aperire in confessione, Sac. Congreg. Conc. & S. Pius V. motu proprio edito 20. *Aug.* 1566. Et quamvis multi velint privationem juris petendi debitum incurri ab ignorantibus propter naturalem affinitatem, & indecentiam; oppositum tamen etiam videtur probabile, maxime respectu simplicium, licet tutior sit dispensatio, quam plerique confessarii regulares vi suorum privilegiorum impertiri possunt.

4. Alterum impedimentum, ne complices matrimonium inire possint cum quacumque alia persona (inter se enim nequeunt ob impedimentum affinitatis) per *Can.* 23 *concubuisti* 32. *q.* 7. contraria consuetudine abrogatum est.

5. R. 3. Jus statutum de sponso, & marito, etiam procedit de sponsa; vel uxore fornicante cum consanguineo sponsi, aut mariti: nam in hoc casu propter identitatem rationis non debent ad imparia judicari: & de fæmina idem statuitur *Can.* 21. *si quis viduam* 32. *q.* 7. *& Can.* 9. *si quis* 34. *q.* 2.

6. Q. II. *An incestus commissus cum propria consanguinea primi, vel secundi gradus impediat matrimonium cum quacumque persona contrahendum?* R. Negative, quia id nullo jure constat: majoritas vero delicti non facit extensionem impedimentorum. Nec obstant antiqui Canones: nam loquuntur de incestuosis contumacibus nolentibus parere monitis Episcopi: & his imponenda est publica pœnitentia, qua durante, per accidens impediuntur nuptiæ, *Can. fin.* 35. *q.* 8. & si qui alii Canones sunt ex causa *eadem qu.* 6. *&* 32. *q.* 2. *&* 3.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

Agitur de his in *Clem. un. h. t.* in Decreto 35. *q.* 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. *per tot.* in Trid. *sess.* 24. *c.*4. 5. *de refor. matrim.* in Institution. *lib.* 1. *tit.* 10. in Pandectis sparsim *tit. de rit. nupt.* in Codice sparsim *tit. de nupt. & tit. seq. de incestis, & inutil. nupt.*

1. In *h. t.* examinatur duplex impedimentum dirimens, scil. consanguinitatis, & affinitatis ortæ ex copula licita.

2. Nota 1. Consanguinitatem dici quasi sanguinis unitatem, eamque accipi 1. Vel *stricte*, seu *civiliter* pro vinculo carnali intercedente inter liberos ex eodem patre, & diversa matre natos: quo sensu fratres ex eodem tantum patre nati, dicuntur *consanguinei*; ex eadem tantum matre *uterini*; ex eodem patre, & eadem matre nati *germani*. *Late*, seu *naturaliter*; quo sensu *consanguinitas* est propinquitas personarum, quæ ab eodem propinquo stipite masculino, aut fæminino per carnalem propagationem descendunt. *Dicitur: a propinquo stipite*, puta, ut ejus gradus in morali æstimatione numerari possint; alioquin omnes homines essent consanguinei, quia ab eodem Adamo propagantur. *Stipes* continetur intra lineam consanguinitatis, sive procedat ab alio, sive a nullo; sicut Adamus, qui suis liberis, & nepotibus fuit consanguineus, & tamen a nullo est genitus.

3. No-

3. *Nota* 2. Ex consanguineis alios esse *agnatos*, qui per lineam masculinam descendunt: alios *cognatos*, qui descendunt per lineam fœmininam. Quæ differentia hic non attenditur; imo nec in jure civili, cum cognati per omnia exæquati sint agnatis, *l.* 14. 15. *c. de legit. hæred. Nov.* 118. *cap.* 5. Rursum consanguinei alii sunt *naturales tantum*, inter quos sola natura vinculum sanguinis inducit citra approbationem legis: cujusmodi sunt consanguinei ex cognatione servili, concubinaria, fornicaria, *l.* 4. §. 2. *ff. de gradib. & affinib. l.* 4. *ff. unde cognati tit. In. de cognat. servili*. Alii sunt *naturales simul, & legitimi*, quorum consanguinitatem a natura inductam lex approbat; uti sunt consanguinei ex justis nuptiis procreati, *cit. l.* 2. Hæc differentia attenditur, quoad successiones, & jura familiæ, non quoad matrimonia ineunda: *quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inspiciendus est*, *l.* 14. §. 2. *ff. de ritu nuptiar.*

4. *Nota* 3. Affinitatem quoad nomen esse accessionem ad fines; quia consanguineus mariti accedit ad fines uxoris, & e contra *l* 4. §. 3. *ff. de gradibus, & affinib.* hoc ipso enim, quod maritus, & uxor per copulam fiant una caro, non potest quis esse propinquus uni, nisi etiam propinquus sit alteri, *c.* 1. *fraternitatis* 35. *q.* 10. Affinitas, quoad rem est propinquitas personarum proveniens ex copula carnali perfecta, omni carens parentela, seu communione sanguinis: & per hoc ultimum affinitas differt a consanguinitate, licet per accidens cum ea convenire possit in eadem persona; ut si consanguineus ex dispensatione ducat consanguineam. Ex data definitione *sequitur* 1. Maritum, & uxorem inter se non esse affines, sed principium affinitatis, seu stipitem; nisi per accidens affinis ex dispensatione ducat affinem: nam affinitas non contrahitur, nisi mediante tertia persona. *Sequitur* 2. Affinitatem non dari, ubi non præcessit copula vera, naturalis, & consummata in sua specie: atque ita non oritur affinitas ex sponsalibus, matrimonio rato, copula præpostera, vel in qua sola fœmina seminavit; quia neutra est apta ad generationem prolis. Si vero solus vir consummet copulam, fœmina non seminante, inde oriri affinitatem dicit Sanchez; negat vero Clericatus, & alii ex *Can.* 18. *lex* 27. *q.* 2. ubi desideratur utriusque sanguinis commistio. His præjactis agetur hic 1. De impedimento consanguinitatis. 2. De impedimento affinitatis. 3. De computatione graduum in iisdem,

Impedimentum Consanguinitatis.

5. Q. I. *An, & quod impedimentum matrimonii oriatur ex consanguinitate*? ℞. 1. Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, puta inter patrem, & filiam, matrem, & filium, jure naturali dirimit matrimonium: ita communiter sentiunt omnes gentes bene moratæ, & Persæ contrarium agentes detestantur, tanquam prævaricatores juris naturalis: nam ille contractus est jure naturali invalidus, qui perpetuam turpitudinem continet, non tantum ab initio, sed etiam in usu, & continuatione; ut patet in contractu usurario, concubinario &c. siquidem jus naturale in se sanctissimum non potest ad aliquid turpe obligare; sed contractus matrimonii inter patrem, & filiam initus perpetuam continet turpitudinem: nam pater, tanquam principium influens, & dans esse naturaliter, est superior; filia vero accipiens esse naturaliter, est inferior, debens patri perpetuam reverentiam, & submissionem ex præcepto. 4. Decalogi; cui superioritati, & reverentiæ perpetuo adversatur æqualitas, & familiaritas conjugalis, jus in corpus; & maxime ipsa copula carnalis, quam ob ingenitum pudorem natura tantopere horret; ut verum dixerit Paulus *l.* 14. §. 2. *ff. de ritu nupt. contra pudorem est filiam uxorem suam ducere*; ergo: tum quia incredibile est, quod Deus auctor naturæ permiserit facultatem transferendi jus corporis in eum usum, quem ipsa natura non tantum in hominibus, sed in multis etiam pecudibus horret. Cum vero matrimonium patris cum filia non videatur habere materiam prorsus immutabilem, & incohonestabilem, puto Deum de absoluta sua potentia posse dispensare in illo. *Dices contra assert.* 1. In patre, & filia est potentia generandi, cui consensus mutuus accedere potest; honor vero potest, a patre negligi, & reverentia filiæ remitti. 2. Naturæ non repugnat, ut liberi sint æquales, vel Superiores parentibus; ut si filius fiat Rex, Episcopus; ergo ex isto capite non oritur ista irritatio. ℞. Ad 1. Consensus iste, ad turpitudinem obligans, nullus est, sicut consensus conjugati cum alia contrahentis. Honor, & reverentia, cum non subsint potestati patris, sed ab ipsa natura continuo præcipiantur, remitti non possunt. *Ad* 2. Dist. ant. Superiores superioritate politica, conc. ant. naturali, & privata, neg. ant. Superioritas politica, cum exerceatur nomine reipubl. non contrariatur inferioritati naturali, quam habent liberi respectu parentum; bene vero æqualitas, vel superioritas privata conjugalis.

6. ℞. 2. Consanguinitas in secundo, & ulterioribus gradibus lineæ rectæ non dirimit matrimonium jure naturali, v. g. inter avum, & neptem: ita S. D. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. Cajet. Sanch. cum citt. contra Bellarm. Laym. & alios docentes irritationem istam extendi in infinitum; & contra alios, qui eam constringunt vigesimo, quarto, vel tertio, aut secundo gradu; & contra Ledesm. docentem eam extendi eousque, quousque durat amicitia quoad proprietates individuales; quas discernere sane est difficillimum. Prob. communio sanguinis, quo iste magis dividitur, eo fit debilior, ut consanguinitatem in morali æstimatione fundare nequeat; ergo de jure naturali in infinitum non irritat matrimonium, sed certo gradu concluditur; atqui gradus iste est tantum primus inter patrem, & filiam, matrem & filium, non vero secundus, & ulteriores; ergo. *Prob.* 2. *pars assumptionis*. Sola superioritas, & inferioritas naturalis per se, & ab intrinseco talis, irritat de jure naturali matrimonia consanguineorum, cum in illa sola fundetur honor, & reverentia naturalis; sed in secundo gradu lineæ rectæ, v. g. inter avum, & neptem non est superioritas, & inferioritas naturalis per se, & ab intrinseco talis: tum quia avus non est principium per se influens, & dans esse nepti, sed per accidens, cum accidat patri habere alium patrem, sicut Abel, & Cain erant sine avo; tum quia neptis ex ipsa natura non subjicitur avo, nisi mediate, & per accidens, quatenus suus pater ei subjicitur; & ideo nec fertur tanta reverentia erga avum, quanta erga patrem; ergo spectato jure naturali, non irritatur matrimonium in secundo gradu lineæ rectæ, v. g. inter avum, & neptem. Interim tale matrimonium etiam de jure naturali est graviter illicitum ob reverentiam, quam inferior cognatus debet Superiori; ita ut sine gravissima causa cohonestari non possit. Hoc, & non plus probant argumenta ducta ex §. 2. *Inst. de nupt. l. fin. ff. de ritu nupt. tit. C. de incest. nupt.* quia reverentia ascendentibus debita non est tanta, & per se, ut sufficiat ad irritationem matrimonii, nisi in gradu primo lineæ rectæ.

7. Ex his patet *Lev. c.* 18. impedimenta expressa non omnia esse de jure naturali irritantia matrimonium, ut definit Trid. *sess.* 24. *Can.* 3. *de sacr. matr.* ubi anathematizantur negantes Ecclesiam dispensare posse in nonnullis gradibus per Leviticum prohibitis. Idem statuitur, *c.* 8. *de divor.* nam lex ista Levitici fuit partim cæremonialis, partim judicialis, quæ per Christum abolita novam Ecclesiam non obligat. *Dices*: *c.* 13. *v. opinioni, de restit. spoliat.* Papa rescribit, a Sede Apostolica non posse dispensari ad matrimonia in Levitico prohibita; ex quo colligitur, ea esse jure naturali irrita. ℞. Non potest de cursu ordinario; bene vero extraordinario, si causa gravis urgeat. Neque colligitur irritationem eorum esse juris naturalis: nam nepos prohibetur ibi contrahere cum amita, vel matertera; non tamen neptis cum patruo, vel avunculo, cum tamen sint in eodem gradu; quod signum est, legem istam fuisse positivam divinam, non vero moralem, & naturalem.

8. ℞. 3. Consanguinitas in primo gradu lineæ transversæ, puta inter fratrem, & sororem, jure naturali non dirimit matrimonium; ita S. D. *in* 4. *d.* 40. *qu. un. ar. in corp. &* 2. 1. *q.* 154. *ar.* 9. *ad* 3. subdens: *aliæ personæ, quæ non conjunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam* (sicut parentes, & filii) *sed variatur circa hoc decentia, vel indecentia secundum consuetudinem, & legem humanam, vel divinam*; ubi S. D. impedimentum consanguinitatis extra primum gradum lineæ rectæ refundit in jus

in jus positivum: ita quoque sentiunt Scot. Nav. Gonz. Schemalz, Pichler, Sanchez cum citt. contra Bellar. Laym. Zoes. Reiff. &c. *Prob.* 1. ex primis matrimoniis liberorum Adami, in quibus jus naturale fuisse relaxatum nec auctoritas, nec ratio suadet; imo S. Hieron. in *qq. in gen.* testatur etiam Saram veram fuisse sororem Abrahæ, & simul uxorem *Gen.* 20. *v.* 12. *vere soror mea est* &c. Ratio est, quia inter fratrem, & sororem, ceterosque collaterales non est naturalis superioritas, & inferioritas, cum alter alterius non sit principium, nec alter alteri naturaliter sit subjectus, & obligatus ad reverentiam tantam, quanta sufficit ad irritandum matrimonium; ergo: unde Paulus *l.* 35. §. 1. *ff. de V. O.* docet non natura, sed lege cessare obligationem, *si sororem nupturam sibi aliquis stipuletur*. Interim negari nequit inter fratrem, & sororem etiam de jure naturali illicitum esse matrimonium, & contra aliqualem reverentiam sanguini debitam; qua de causa plurimæ gentes abstinent ab ejusmodi connubiis. *Dices* 1. Conjuncti secundo, & tertio gradu non sunt separandi per *c.* 28. *gaudemus de divortiis*; ergo conjuncti primo gradu sunt separandi, 2. *Lev.* 20. connubium fratris cum sorore morte punitur, 3. Ecclesia nunquam dispensavit in gradu primo lineæ transversæ; quia tale matrimonium est contra pudorem, & habet perpetuam causam turpitudinis, ut insinuat Paulus *cit. l.* 35. §. 1. *ff. de V. O.* ℞. *Ad* 1. de primo gradu, quia Innoc. III. non fuit requisitus, nihil respondit. Constat autem ex *Can.* 8. *de incestis* 35. *q.* 3. nuptias fratris cum germana prohiberi; celebratas tamen in infidelitate non dissolvi. *Ad* 2. Pœna ista facto graviter illicito constituta est, licet de jure naturali sit validum. *Ad* 3. Non ex defectu potestatis, sed causæ gravissimæ, quæ requireretur ad cohonestandum tale matrimonium non solet fieri dispensatio, licet, teste Cajet. Oper. de Matr. & aliis, Martinus V. vel potius II. dicatur dispensasse ad matrimonium inter fratrem, & sororem contrahendum.

9. ℞. 4. De jure positivo Ecclesiastico consanguinitas in linea recta inter ascendentes, & descendentes dirimit matrimonium in infinitum; in linea vero transversa hodie usque ad quartum gradum inclusive. *Prima pars* constat ex *reg. cap.* 1. *de N. O.* quia Ecclesia sequitur dispositionem juris civilis, ubi contrarium per Sac. Canones non statuitur; sed consanguinitas in linea recta de jure civili dirimit matrimonia in infinitum, §. 1. *Inst. de nupt. l.* 53. *ff. de ritu nupt.* neque hoc jus per Sac. Canones corrigitur, sed potius approbatur, *Can.* 2. *conjunctiones* 35. *q.* 3. ergo. Nec obstat *c.* 8. *h. t.* ex quo Gonz. Sanch. & alii hoc impedimentum restringunt ad quartum gradum: nam in *cit. c.* 8. dispositio procedit de consanguineis collateralibus, inter quos solebant conjugia iniri, non vero de ascendentibus, & descendentibus, inter quos vix unquam conjugia contrahebantur. Sed de hoc non est disputandum, quia vita humana in linea recta quartum gradum non excedet. *Secunda pars* decisa est in Concil. later. relato *c.* 8. 3. *Prohibitio h. t.* ubi restringuntur Canones antiqui *causæ* 35. *q.* 3. quibus impedimentum consanguinitatis extendebatur usque ad gradum septimum, vel quo usque memoria retineri potuit parentelæ. *Ratio* a Conc. later. duplex datur: *prima*, quia gradus isti difficillime computabantur, & matrimonia non sine dispendio contrahebantur: *secunda* ex congruentia: quia in corpore humano quatuor elementis constante quatuor sunt humores; ergo cum sanguis ex diversis qualitatibus alteretur, & corrumpatur, post quartam generationem vix aliquid restat de sanguine a stipite derivato, S. D. *p.* 3. *q.* 33. *ar.* 4. Juste autem hæc impedimenta sunt posita: tum quia consanguinei debent sibi reverentiam; tum ut tollatur periculum incestus propter simultaneam habitationem: & hoc procedit de consanguinitate orta etiam ex copula illicita, quia Trident. *S.* 24. *c.* 4. *de refor. matr.* solum impedimentum affinitatis, non consanguinitatis, restrinxit ad gradum secundum. *Dices*. Deus, qui optime novit, quid deceat, ultra secundum gradum non prohibuit nuptias consanguineis; ergo nec Ecclesia debet prohibere, ut arguunt Hæretici. 2. Concil. Turon. II. *Can.* 12. & S. Gregor. *Can.* 20. *quædam* 35. *q.* 3. vetant matrimonia consanguineorum usque ad gradum secundum. ℞. Ad 1. Hæbreis, utpote paucioribus, & ad repudia facilioribus non expediebat plures gradus prohiberi; Ecclesia vero ob rationes alias, potestate a Christo sibi data ampliat, vel restringit impedimenta, prout temporum ratio exposcit. *Ad* 2. In hoc Concil. aliqui tantum gradus numeratur: quoad ceteros fit remissio ad veteres Canones. S. Gregor. cum Anglis recens conversis dispensavit in tertio, & quarto gradu. De pœnis incestas nuptias contrahentium dicam infra *n.* 14.

Impedimentum Affinitatis.

10. Q. II. *Inter quas personas oriatur affinitas*? ℞. 1. Posita copula carnali, affinitas oritur in marito cum consanguineis uxoris, & in uxore cum consanguineis viri: inter alias autem personas, puta inter consanguineos viri, & uxoris, nulla est affinitas impeditiva matrimonii, licet vulgo affines se compellent: ita *c.* 8. *h. t.* Et hoc vinculum affinitatis non est *fictum* a jure, sicut cognatio legalis, aut spiritualis, sed est *naturale*, etiamsi ex copula illicita oriatur, quia propter unitatem carnis, quatenus copulati fiunt una caro, naturaliter fundatur quædam amicitia, & propinquitas personarum, ut agnoscunt Gentes etiam barbaræ; licet affinitas ex copula illicita non attendatur civiliter, quoad successiones, & alios effectus juris: quo sensu explicatur *l.* 4. §. 3. 8. *ff. de gradib. & affinib.*

11. ℞. 2. Affinitatis genus erat triplex: *primum*, quod contrahebatur tantum, una persona mediante: *alterum*, quod duabus: tertium, quod tribus personis mediantibus contrahebatur, *Can.* 3. *& fin.* 35. *q.* 3. Sit exemplum: Cajus frater meus contraxit nuptias cum Berta; mortuo Cajo, Berta contraxit cum Titio, Titius, mortua Berta, contraxit cum Mævia: in his tribus matrimoniis Berta est mihi affinis primo genere affinitatis, Titius secundo, & Mævia tertio genere. Hodie secundum, & tertium genus sublatum est, & remansit solum primum genus affinitatis, *c.* 8. *h. t.* Nec audiendus est Schneidevvin, excipiens affinitatem secundi generis in linea recta per *l.* 15. *ff. de ritu nupt. l.* 4. §. 7. *ff. de gradib. & affinib.* nam juta ista civilia non curantur, dum jus Canon. aliter disponit ex communi intellectu DD. quia, cum matrimonia solita sint contrahi in secundo genere affinitatis lineæ rectæ, reductio impedimenti affinitatis ad primum genus generaliter est intelligenda in linea recta, & transversa: unde hodie vir potest ducere novercam, vel privignam uxoris suæ defunctæ.

12. Q. III. *Quo jure, & gradu affinitas primigeneris dirimat matrimonium*? ℞. 1. Affinitas sive in linea recta, sive transversa jure naturali non dirimit matrimonium etiam in primo gradu: ita S. D. *l. c.* 2. 2. *q.* 154. *ar.* 9. *ad* 3. Cajet. Sanch. Salmant. &c. contra S. Ant. Bellarm. Covar. Reiff. cum citt. qui docent affinitatem in primo gradu lineæ rectæ jure naturali dirimere matrimonium. Prob. ex *Can.* 8. *de incestis* 35. *q.* 3. ubi matrimonium privigni cum noverca prohibetur: contractum vero in infidelitate non dissolvitur, ut textum istum intelligunt DD. pro nobis allegati. *Ratio est*, quia inter affines etiam in primo gradu lineæ rectæ non datur Superioritas, & inferioritas naturalis per modum principii causantis, & termini procedentis; & conf. nec datur honor, & reverentia naturalis tanta, quanta sufficeret ad matrimonium ex natura sua invalidandum, ergo. Talia matrimonia de jure naturali valuisse probat factum Adoniæ 3. *Reg.* 2. *v.* 17. petentis sibi copulari Abisag Davidis patris sui relictam: item exempla Gentilium, ut Seleuci, qui secundam uxorem suam Statonicen, facto divortio, dedit uxorem filio suo, teste Valer. Max. *l.* 5. *c.* 7. Secunda pars de primo gradu lineæ transversæ est certa: nam Jacob duxit duas sorores Liam, & Rachelem, & Deuter. *c.* 35. *v.* 5. frater jubetur ducere uxorem fratris sine liberis mortui; & Pontifices in hoc gradu dispensarunt, ut Alex. VI. cum Rege Lusitaniæ, Julius II. cum Henrico VIII. Rege Angliæ ad ducendam Catharinam Arcturi fratris relictam, Clemen. VIII. cum Casimiro Rege Poloniæ ad ducendam relictam fratris sui Uladislai &c. Quæ dispensationes, ut validæ judicatæ sunt a celebrio-

celebrioribus Europæ Universitatibus. *Dices*: 1. In sac. Scriptura *Lev.* 20. *& Amos* 2. vehementer reprobantur nuptiæ in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, & Apost. 1. *Cor.* 5. *v.* 1. ait: *auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat.* 2. Juxta Conc. Arvenensf. *Can.* 11. tali conjugio naturæ jura pervertuntur. 3. S. Joannes Baptista reprehendit Herodem, quod fratris sui Philippi uxorem duxerit, *Matth.* 14. ergo.

℟. *ad* 1. Matrimonia ista gravibus pœnis subjiciuntur ob magnam indecentiam; & quia olim erant contra legem divinam positivam: ista tamen indecentia non est tanta, ut ex natura sua matrimonium invalidet. Apostolus loquitur de *uxore* patris viventis: & quamvis fuisset *relicta*, tamen tunc juris positivi prohibitio vigebat, ne talia matrimonia valide contraherentur. *Ad* 2. perrumpuntur naturæ jura quoad licitatem, non quoad valorem: quo sensu consuetudo Gentium, & alia jura exponuntur, ut *l.* 38. *ff. ad L. Jul. de adult. l. fin.* §. 1. *ff. de condict. sin. caus. l.* 16. *ff. solut. matrim.* §. 9. *In. de nupt. Ad* 3. Vel frater Herodis tunc vixit, vel si mortuus est, lex divina Herodi non permittebat relictam fratris sui ducere.

13. ℟. 2. De jure Ecclesiastico novo affinitas ex copula licita proveniens, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum; & ex copula illicita usque ad gradum secundum, Tridentin. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de reform. matrim.* ubi impedimentum affinitatis ex copula illicita restringitur usque ad gradum secundum: illud vero, quod oritur ex copula licita, seu conjugali remanet, ut ante, usque ad quartum gradum juxta Decretum Concilii Lateranen. *cap.* 8. *hoc tit.* quo corriguntur vetusti Canones extendentes impedimentum affinitatis usque ad gradum septimum *Can.* 1. 7. 13. *caus.* 35. *q.* 3. In linea tamen recta videtur hoc impedimentum extendi in infinitum, sicut statuitur jure civili. *lib.* 4. §. *fin. ff. de ritu nuptiar. lib.* 4. §. 7. *ff. de gradib. & affin.* licet alii illud concludant quarto gradu: sed de hoc non est anxie quærendum, quia vita humana ultra quartum gradum non extendetur. Ceterum Decretum *cit. Trid.* permittit, ut affines ex copula illicita, sive fornicaria, sive incestuosa, sive adulterina, aut simili alia effecti, non tantum valide, sed & licite matrimonia in tertio, vel quarto gradu contrahere possint, ut declaravit S. Pius V. motu proprio incip. *Ad Romanum* 1566.

14. Q. IV. *Quæ sit pœna contrahentium matrimonia in gradibus prohibitis consanguinitatis, & affinitatis?* ℟. 1. Excommunicatio latæ sententiæ ipso facto incurrenda: quam etiam incurrunt matrimonia contrahentes cum monialibus: item religiosi, & moniales, & Clerici in sacris constituti matrimonia contrahentes, *Clem. un. hoc tit.* dummodo contrahant matrimonia de præsenti *scienter, & libere*; quia ignorantia, modo non sit affectata, uti & coactio, vel gravis injustus metus excusaret contrahentes ab hac censura. 2. Pœna confiscationis bonorum, exilii, & verberationis, si persona sit vilis, *auth. incest. nupt.* quam pœnam multi intelligunt etiam in casu, quo nuptiæ sunt incestæ de jure Canon. tantum: sed Clar. & alii restringunt ad nuptias de jure civ. incestas; ut inter ascendentes, & descendentes, fratrem, & sororem &c. *l.* 6. *C. eodem.*

15. ℟. 2. Excommunicationem d. *Clementinæ* non incurrunt. 1. Contrahentes cum errore, qui putant subesse impedimentum consanguinitatis, & affinitatis, quod re ipsa non subest, cum opinio nostra non inducat censuram. 2. Contrahentes bona fide, licet contracto jam matrimonio, detegatur latens ejusmodi impedimentum, dummodo consensus non renovetur. 3. Contrahentes cum impedimento cognationis legalis, aut spiritualis, vel alio dirimente. 4. Procurator, parochus, testes, consulentes, & similes personæ cooperantes, quia Clementina loquitur de solis contrahentibus. 6. Fæminæ cum religiosis, vel Clericis in sacris constitutis contrahentes; nam istæ non exprimuntur, sed soli viri cum monialibus contrahere non verentes. Ratio horum omnium est, quia cit. Clementina, cum pœnalis sit, ad istos casus ibi non expressos extendi non debet.

16. Q. V. *Quis dispensare possit in gradibus consanguinitatis, & affinitatis jure Pontificio prohibitis?* ℟. Regulariter solus Papa, cum inferior relaxare non possit jus commune, si unus sit in primo gradu consanguinitatis, alter in quinto; vel unus in primo affinitatis ortæ ex copula illicita, & alter in tertio: qui gradus dicuntur mixti, seu inæquales, nulla opus est dispensatione, quia remotior trahit ad se propinquiorem. Nec obstat Const. Pii V. præcipiens exprimi gradus propinquiores, præsertim primum: nam hoc observari debet, dum necessaria est dispensatio; non vero si unus contrahentium sit extra gradum prohibitum: quo casu non opus est dispensatione.

Gradus Cognationum.

17. Q. VI. *Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis?* *Nota* In hac computatione attendi *lineam, gradum, & stipitem*. *Linea* est ordinata series personarum ab uno stipite descendentium; adeoque *stirpes* erit illa persona, a qua descendunt illi, de quorum consanguinitate quæritur. *Gradus* est distantia unius personæ ab altera. Linea est duplex: *recta* in qua collocantur ascendentes & descendentes, quorum unus ab alio procedit per carnalem generationem. *Obliqua*, seu *transversa*, aut *collateralis*, in qua collocantur consanguinei, qui a se invicem non procedunt, licet procedant ab uno communi stipite. Jam si duæ personæ qualiter distant a communi stipite, v. g. secundo gradu dicuntur esse in linea, seu potius in *gradu æquali*: si vero inæqualiter distent, ut unus, v. g. secundo, & alter tertio gradu recedat a communi stipite, dicuntur esse in linea, seu *gradu inæquali*; velut communiter loquimur, in gradu mixto, v. g. in gradu tertio mixto cum secundo, aut primo &c.

18. ℟. In ordine ad matrimonia contrahenda gradus de jure Canonico computantur secundum tres seqq. regulas.

Regula I. Pro linea recta ascendentium, & descentium, *tot sunt gradus, quot sunt generationes*, seu progenies, vel *quot sunt personæ, una dempta*, v. g. avus, & ego sumus in secundo gradu, quia hic duæ generationes intercedunt: una qua pater meus genitus est, altera, qua ego genitus sum; vel quia sunt tres personæ: *avus, pater meus, & ego*: ergo, una dempta, remanent duæ; & conf. duo gradus. Similiter in descensu, & ascensu fit computatio: sint stipes *Cajus, & Caja*, eorum majores erunt: 1. *pater, & mater*. 2. *Avus, & avia. Proavus proavia* 4. Abavus, abavia. Descendentes vero, seu posteri erunt: 1. *Filius, filia.* 2. *Nepos, neptis*, 3. *Pronepos, pronepetis*. 4. *Abnepos, abneptis* &c. ubi vides tot gradus, quot sunt generationes seu quot sunt personæ, una dempta. Ceterum unius generationis liberi omnes in eodem gradu ponuntur, v. gr. omnes filii, & filiæ in primo gradu &c.

19. Regula II. pro linea transversa æquali; *Collaterales tot gradibus distant inter se, quot gradibus uterrales tot gradibus distant inter se, quot gradibus uterque distat a communi stipite*: nam personæ istæ non aliter sibi sunt consanguineæ, nisi quatenus sanguinem trahunt ab eodem communi stipite; ergo tantum distant inter se, quantum distant a communi stipite. Sic per descensum in 1. gradu sunt: 1. *Fratres germani* cum sororibus germanis, qui ab iisdem parentibus procedunt: *fratres consanguinei* cum sororibus consanguineis, qui ab eodem patre, & diversa matre geniti: *fratres uterini cum* sororibus uterinis qui ab eadem matre, & diverso patre nati sunt. In 2. gradu: *Patrueles*, seu liberi ex fratribus: *consobrini*, seu liberi ex sororibus: *amitini*, seu liberi ex fratribus, & sororibus. In 3. gradu: patruelium, consobrinorum, & amitinorum liberi; hi in tertio, & secundo gradu communi nomine dicuntur sobrini. In quarto gradu sunt: patruelium, consobrinorum, & amitinorum nepotes, & neptes. Per ascensum vero in 1. gradu sunt frater, & soror: in 2. gradu *patruus*, seu patris frater, *amita* patris soror, *avunculus*, seu matris frater, *matertera*, seu matris soror; quibus in eodem gradu respondent nepos, vel neptis ex fratre, aut sorore. In 3. gradu sunt: *magnus patruus*, seu avi paterni frater, *magna amita*, seu avi paterni soror, *magnus avunculus*, seu avi materni frater, *magna matertera*, seu avi materni soror: quæ nomina etiam applicantur fratribus,

bus, & sororibus aviæ paternæ, & maternæ: nam in hoc tertio gradu concurrunt in linea masculina frater, & soror avi paterni, item frater, & soror aviæ paternæ: & in linea fœminina frater, & soror avi materni, item frater, & soror aviæ maternæ: quorum omnium nomina non habemus, sed propinquum pro propinquo usurpamus. His in eodem gradu correspondent *pronepotes*, *& proneptes* ex fratre, aut sorore. In quarto gradu est *magnus propatruus*, seu *abpatruus*, hoc est, abavi paterni frater, *magna proamita*, seu *abamita*, hoc est, abavi paterni soror, *magnus proavunculus*, seu *abavunculus*, hoc est, abavi materni frater, magna promatertera, seu *abmatertera*, hoc est, abavi materni soror. Eadem nomina applicantur fratri, & sorori aviæ paternæ, & aviæ maternæ; licet in linguis vernaculis significationes istæ perperam quandoque confundantur. His in eodem gradu correspondent *abnepotes*, *& abneptes* ex fratre, aut sorore.

20. *Regul.* III. Pro linea transversa inæquali *collaterales tot gradibus inter se distant, quot gradibus remotior distat a communi stipite*: nam ex collateralibus non potest alter alteri esse propinquior, quam sit propinquus stipiti, a quo communis sanguis trahitur; ergo necesse est, ut remotior ad suum gradum trahat propinquiorem; licet in dispensationibus inæqualitas, seu mixtio graduum exprimenda sit. Sic patruus, & nepos ex fratre distant duobus gradibus, seu gradu secundo mixto cum primo; quia nepos ab avo distat duobus gradibus, licet patruus distet tantum uno gradu: ita regulæ istæ traduntur *cap.* 2. *& seqq.* 35. *q.* 5. *c. fin. hoc tit.* Ex quibus optimam in mente consanguinitatis arborem efformabis, & in chartula, computatis personis usque ad communem stipem, facile quarumlibet personarum distantiam deprehendes. At in ordine ad successiones, & hæreditates in utroque foro civili, & Canonico, observatur computatio secundum jus civile, ut tot sint gradus, quot generationes, seu personæ, una dempta, ut dixi *L. III. tit. de Success. ob. intest.* rationem diversitatis dat Alex. II. *cit. Can.* 2. *quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam: idcirco curavit secularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis; ideo sacri Canones duas in uno gradu constituere personas &c.*

21. Q. VII. *Quomodo computentur gradus affinitatis?* R. Secundum unicam regulam: *Quo gradu est unius conjugis consanguinitas, eodem gradu est alterius affinitas*; seu *in illo gradu est aliquis affinis uxori, in quo gradu est consanguineus marito*: & econtra *in illo gradu est aliquis affinis marito, in quo gradu est consanguineus uxori*: & quidem si consanguineus est in linea recta, vel transversa, erit quoque affinis in linea recta, vel transversa.

22. *In linea recta* maritus, & uxor, qui sunt principium affinitatis, contrahunt affinitatem cum his personis, quæ in linea recta sunt consanguinei alterius, ut in primo gradu ascendentium est *socer*, seu pater mariti, aut uxoris, *socrus*, seu mater mariti, aut uxor simul ad invicem vocantur *consoceri*, *consocrus*, quorum filii, & filiæ nuptias, simul contraxerunt. His correspondent *gener*, seu maritus filiæ, & *nurus*, seu uxor filii. Item in eodem gradu sunt *vitricus*, seu maritus matris, & *noverca*, seu uxor mariti: *privignus*, seu filius ex alio matrimonio natus, & *privigna*, seu alia ex alio conjuge, seu matrimonio nata: *socer*, *socrus*, *vitricus*, *noverca* sunt affines in primo gradu ascendentium, eorum parentes, seu prosoceri in secundo, illorum avi in tertio, & abavi in quarto gradu affinitatis. *Gener*, *& nurus*, *privignus*, *& privigna* sunt in primo gradu descendentium: liberi privigni, aut privignæ in secundo: nepotes, & neptes in tertio: pronepotes, & proneptes in quarto gradu descendentium. Unde maritus in linea ascendentium non potest ducere uxoris matrem, nec aviam, nec aliam ex ascendentibus: & in linea descendentium non potest ducere privignam, nec ejus filiam, aut neptem, aut aliam ex descendentibus. Similiter uxor non potest nubere socero, seu patri mariti, avo, & alteri ex ascendentibus, nec privigno, ejus filio, nepoti, vel alteri ex descendentibus. Ratio horum omnium est, quia personæ istæ comparantur parentibus, & liberis in linea recta, inter quos non decet matrimonia celebrari, *l.* 14. §. 4. *ff. de ritu nuptiar.*

23. *In linea transversa* maritus cum consanguineis collateralibus uxoris, & uxor cum consanguineis collateralibus mariti contrahit affinitatem: & quidem in linea ascendentium maritus non potest ducere sororem soceri, vel socrus, nec aviam, aliasque fœminas ascendentes. Similiter uxor non potest nubere fratri soceri, aut socrus, nec illius avo, vel alteri ascendenti usque ad quartum gradum. Item in linea transversa descendentium maritus non potest ducere sororem uxoris, nec ejus filiam, neptem, & proneptem; in qua terminatur quartus gradus affinitatis. Similiter uxor non potest nubere fratri mariti, nec ejus filio, nepoti, aut pronepoti, quia impedimentum affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum extenditur. Et hæc est tota tabula affinitatis meo judicio clarior, quam si per figuras depingeretur. Nomina affinium collateralium non habemus in usu, nisi sequentia: *levir*, frater mariti, *glos glotis*, soror mariti, *uxorius*, frater uxoris, *fratria*, uxor fratris, *sororius*, sororis maritus, *congeneri* duarum sororum mariti, *janitrices* duorum fratrum uxores. Congeneri inter se, & janitrices inter se non fiunt affines de jure Can. unde, si Titius ducat Bertam, ejusque sororem Cajam ducat Mævius viduus, mortuo Titio, filius Mævii ex alia uxore procreatus ducere potest Bertam; dummodo Mævius non sit consanguineus Titii.

24. Q. VIII. *Quæ personæ nullam contrahant affinitatem impeditivam matrimonii?* R. Ex dictis, præter maritum cum consanguineis uxoris, & præter uxorem cognitam cum consanguineis mariti usque ad quartum gradum, nulla alia persona ex consanguineis duarum cognationum contrahit affinitatem: unde 1. Si viduus habeat filium, & mater vidua filiam, potest pater viduus ducere viduam, vel filiam ejus, & filius filiam viduæ, vel ipsam viduam, si pater duxit ejus filiam. 2. Duo fratres possunt ducere duas sorores. 3. Pater mariti potest ducere matrem nurus, seu ejus, quæ est uxor filii: & e converso pater uxoris potest ducere matrem generi. 4. Privignus potest ducere matrem, filiam ex alio marito natam, vel sororem novercæ, & privigna potest nubere patri filio, aut fratri vitrici: nam privignus, & privigna solius vitrici, aut novercæ fiunt affines, non vero personarum eis cognatarum. 5. Si frater, & soror moriatur, illius uxor, & istius maritus superstites recte inter se contrahunt, quia nulla affinitate ligantur. 6. Si duo fratres mortui sunt, Titius successive potest ducere utriusque uxorem; dummodo uxores istæ non sint inter se consanguineæ. 7. Privignus vidui, si is deinde aliam uxorem ducat, & moriatur, potest contrahere cum relicta sui vitrici: nam privignus iste est tantum affinis vitrici; uxor autem non contrahit affinitatem cum affinibus, sed cum consanguineis mariti. 8. Maritus Bertæ, ea mortua, ducere potest privignam Bertæ, quia cum hac affinitatem non contraxit. Et similiter uxor mariti habentis privignum ex priori uxore, mortuo marito, potest privigno nubere; & sic de ceteris. Omnes enim casus facillime, & sine timore solves, dummodo observes principium supra traditum, quod scilicet nullus affinitatem contrahat, nisi maritus cum consanguineis uxoris, & uxor cum consanguineis mariti. Nec curanda sunt hic jura civilia, si quid contrarium statuunt.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & impotentia coeundi.

Agitur de hac materia in Decreto 33. *q.* 1. *per tot.* & examinatur hic molestum impedimentum *impotentiæ*, pro quo.

1. *Nota* 1. In hac rubrica tria membra distingui, quia inhabilitas ad actus conjugales provenire potest, vel ex frigiditate, vel ex maleficio, & vel ex impotentia, seu naturali indispositione partium genitalium ad copulam. Hic omissa hac differentia, *impotentia* generaliter accipitur, & definitur, quod sit inhabilitas personarum ad copulam carnalem consummandam, undecumque proveniat. Et communiter ex hac rubrica vocatur *impotentia coeundi*, quæ differt ab *impotentia generandi*, quæ, stante facultate ad coeundum, dari

dari poteſt ex defectu ſeminis prolifici, ſicut in ſterilibus. In hac materia omitto cetera, quæ ad medicos potius, quam Canoniſtas ſpectant.

2. *Nota* 2. Impotentiam dividi. 1. *In perpetuam*, quæ per media naturalia, & licita tolli non poteſt, vel nonniſi difficillime, cum probabili periculo mortis: licet forſan tolli poſſit per miraculum, aut maleficium: & *temporalem*, quæ per media naturalia, ſeu ordinaria, & licita tolli poteſt abſque periculo mortis; licet forſan non abſit periculum morbi gravis: ita com. DD. ex *cap.* 6. *hoc tit.* Talia remedia ſunt, præter artem medicorum, & peritorum, etiam ſpirituales Eccleſiæ, exorciſmi, preces, & hujuſmodi media apud fideles uſurpari ſolita. 2. In *abſolutam*, quæ impedit veram copulam cum omnibus perſonis diverſi ſexus: & *reſpectivam*, quæ impedit copulam cum una, vel altera perſona propter nimiam inæqualitatem, & improportionem: cum aliis vero proportionatis eam non impedit. 3. In *antecedentem*, quæ ante matrimonium contractum extitit in perſona: & *conſequentem*, ſeu *ſupervenientem*, quæ matrimonio jam contracto ſupervenit. 4. In *naturalem*, quæ oritur ex vitio naturali, v. gr. ex defectu, aut ineptitudine partium geniralium: & plerumque incurabilis, & perpetua eſt: & *accidentalem*, quæ oritur ex vitio accidentali, vel intrinſeco, v. g. ex humorum intemperantia, vel extrinſeco, v. g. ex maleficio, morbo &c.

3. Q. I. *Quæ impotentia dirimat matrimonium?* ℞. 1. Impotentia ad veram copulam, modo ſit perpetua, & antecedens, dirimit matrimonium; & quidem abſoluta reſpectu omnium: reſpectiva vero reſpectu eorum, cum quibus perſona coire nequit: ita com. ex *cap.* 1. 2. *hoc tit.* nam talis impotentia jure naturali impedit translationem juris conjugalis: ſiquidem non poteſt dari poteſtas ad id, quod tradi non poteſt; ſicut in noſtro caſu nec actu, nec potentia debitum reddi valet; ergo talis impotentia dirimit matrimonium: tum quia per illam impeditur primarius finis matrimonii, quo vir, & mulier fieri poſſint una caro; ergo. Porro impotentia *ad veram copulam* tunc cenſetur eſſe, dum vel non poteſt fieri coitus ob indiſpoſitionem membrorum, ita ut vir debite emittere, aut fœmina intra vas ſemen recipere nequeat, vel dum mas coire valens, verum ſemen emittere non poteſt: ob quam cauſam ſpado, ſi a natura, vel ex caſtratione utroque teſticulo privatus eſt, non contrahit valide matrimonium, ut declaravit Sixtus V. *an.* 1587. teſte Sanch. & aliis; quia verum ſemen emittere non poteſt. Si tamen talis defectus ſuperveniat matrimonio contracto, non impedit copulam, etſi per accidens verum ſemen non emittatur, quia vitium ſuperveniens non debet conjugem privare jure quæſito.

4. ℞. 2. Valida cenſentur matrimonia, quæ ineunt ſenes decrepiti, & ſteriles; dummodo apti ſint ad coitum; nam verum ſemen emittunt, licet per accidens non ſit prolificum. Exempla, habes in SS. Eliſabetha, Anna &c. tum etiam quia potentia vere *coeundi*, non vero potentia *generandi* cum effectu, eſt de ſubſtantia matrimonii, quod ſterilibus eſſe poteſt ſaltem in remedium concupiſcentiæ: ſecus eſt, ſterilitas, & evitatio prolis deduceretur in pactum, *cap. fin. de condit. appoſ. Can.* 6. *ſolet.* 32. *q.* 2. Illa verba *volo eſſe mater cap.* 1. *hoc tit.* idem ſignificant ac *volo cognoſci a viro*, quod fit etiam inter ſteriles. 2. Valet matrimonium ſpadonis uno tantum teſticulo carentis, ceteroquin apti ad copulam; quia verum, imo, & prolificum ſemen emittere poteſt. Idem dic de conſtituto in articulo mortis, quia per ſe habilis eſt ad copulam, licet per accidens ob vim morbi impediatur. 3. Valet matrimonium fœminæ aptæ ad copulam, etſi ſine periculo mortis numquam pariat, quia hoc periculum non cauſat impotentiam. Si tamen citra periculum incontinentiæ vivere poſſit, tenetur abſtinere a nuptiis, ne vitam ſuam, & ſalutem prolis periculo exponat. Secus tali, quali periculo, quod incertum, & præter intentionem eſt, præponenda eſt fæminæ vita ſpiritualis, ne ſine nuptiis tentationibus ſe exponat. 4. Econtra ſi fæmina eſt nimis arcta abſolute, vel reſpective, non valet ejus matrimonium, etſi parata ſit cum periculo vitæ admittere inciſionem, quia hic adeſt impotentia perpetua, & conſequenter vir permitti poteſt tranſire ad alias nuptias. Si vero arctitudo per opus humanum licitum ſine vitæ periculo tolli poteſt, ſubſiſtit matrimonium, ſive fæmina velit, ſive nolit admittere inciſionem; quia hoc caſu adeſt impotentia temporalis.

5. ℞. 3. In dubio, an impotentia ſit perpetua, vel per medicamenta tolli poſſit, ſtandum eſt pro perpetua, & incurabili, præſertim ſi triennio probata ſit, *cap. fin. hoc tit.* In dubio an impotentia ſit antecedens, an ſuperveniens? videtur ſtandum ſententia media: & quidem ſi ſtatim poſt contractum matrimonium inventa ſit impotentia, præſumitur eſſe antecedens; quia non eſt credibile, quod potentia naturalis tam cito degeneraverit in impotentiam. Et hæc præſumptio elidit contrariam præſumptionem, quod qualitas naturalis inſit, donec probetur abeſſe. At ſi ex intervallo, præſertim longioris temporis deprehendatur impotentia, præſumitur eſſe ſuperveniens, quia tempore matrimonii præſumitur adeſſe qualitas naturalis, donec contrarium probetur. 2. Dubitans, an potens, vel impotens ſit, licite ſtante hoc dubio non contrahit, quia exponit ſe periculo peccandi, & invalidandi matrimonium. Si tamen contraxit, tentare poteſt copulam, cum aliter explorare nequeat de ſua impotentia.

6. Q. II. *Quid permittatur conjugibus in caſu contracti matrimonii cum impotentia?* ℞. 1. Si impotentia fuit antecedens, & ſecluſo periculo incontinentiæ, velint ſibi cohabitare, tanquam frater, & ſoror, id eis permittitur per *c.* 4. & 5. *hoc tit.* Quia vero talis vita ſocialis plena eſt periculi, præſtat agere ad diſſolutionem auctoritate Eccleſiæ faciendam; maxime, ſi juvenes ſint & incontinentiæ ſubjecti; quia tali caſu prævalet jus naturale præcipiens declinare occaſionem peccandi. Ceterum iſta confœderatio impotentium, cum non tribuat jus in corpora, non eſt re ipſa matrimonium, ſed ſocietas tanquam fratris, & ſororis, ut communis tenet contra Palud. Pontium, & paucos alios. *Nec obſtat Can.* 2. *requiſitis* 33. *q.* 1. nam inter impotentes dicitur eſſe *retinaculum conjugale* de facto, & apparenter, non autem de jure, & reipſa.

7. ℞. 2. Si impotentia eſt ſuperveniens, conjuges tenentur ſibi cohabitare; non tamen matrimonio uti in illo caſu, quo ſemen virile ſaltem quoad aliquam partem recipi nequeat intra vas fæminæ; quia ejus diſperſio naturæ adverſatur: quo tamen caſu ceteri actus conjugales imperfecti eis permittuntur; modo fiant ſine periculo majoris incontinentiæ. At ſi impotentia iſta ſuperveniat ex teſtium, aut veri ſeminis defectu, licite utuntur copula, quia per accidens eſt quod verum ſemen non habeatur.

8. Q. III. *Quid juris circa matrimonium hermaphroditi?* ℞. Si uterque ſexus in illo par eſt, vel licet unus modicum prævaleat, tamen ſecundum utrumque aptus eſt ad copulam perfectam, in optione habet contrahere ſecundum alterutrum ſexum, qua electione facta, variare non poteſt, & tenetur præſtare juramentum de non variando. Si tamen viduus factus, contra juramentum illicite contraheret ſecundum alterum ſexum, valeret matrimonium, cum nullo jure irritetur. At ſi alter ſexus ita prævaleat, ut ſecundum alterum nequeat perfecte coire, tenetur determinate contrahere ſecundum ſexum prævalentem, cum ſecundum alterum ſit impotens.

9. Q. IV. *Quomodo facienda ſit diſſolutio matrimonii ex cauſa impotentiæ?* ℞. 1. Fieri debet auctoritate Eccleſiæ; cum ſit cauſa ſpiritualis, & quidem graviſſima. 2. Reclamare poteſt vir, imo & mulier, etſi impotentia ſe teneat ex parte reclamantis: quia utriuſque intereſt ſeparari ab eo, qui ſuus conjux non eſt; & præſertim viri, ne cogatur ad onera matrimonii. 3. Si uterque conjux fateatur impotentiam adeſſe, audiendi ſunt quocumque tempore, etiam poſt multos annos: quo ſenſu procedit *cap.* 6. & *fin. hoc tit.* Si unus tantum proclamat ante triennium, & ſimul affert ſigna certa impotentiæ, vel ſaltem veriſimilia, audiendus eſt ante triennium, & multo magis poſt illud, dicendo toto illo probationis tempore copulam perfici non potuiſſe: ita clare colligitur ex *cit. cap.* 6. & *fin. h. t.* At ſi proclamans ante triennium affert tantum dubia ſigna impotentiæ, non auditur ante triennium, ſed imponitur ei triennalis probatio, ut intra hoc tempus probet conſummationem copulæ. Quo ſenſu procedit, *cap.* 1. *hoc tit.* atque ita tollitur antinomia circa tempus reclamandi in his juribus apparens. Hoc triennium

ex

ex *cap.* 5. *hoc tit.* computatur a die attentatæ copulæ, vel juxta praxim curiæ rom. a die interpositi decreti, estque moraliter continuum, ac proinde absentia unius, vel alterius septimanæ, vel etiam unius mensis non censetur illud interrumpere. Si vero longior fuit absentia, supplenda est post triennium. 4. Exacto triennio, impotentia plene probanda est exploratione medicorum, & matronarum honestarum, a judice Ecclesiastico, cujus vicem agunt, electarum, suumque testimonium dant juramento firmatum. Sufficiunt autem duæ honestæ matronæ, quia duorum testimonium verum est, nec *c.* 4. *hoc tit.* præcipitur septem obstetrices adhiberi, sed factum de illis adhibitis narratur. *Nec obstat l.* 1. §. 8. *ff. de inspiciend. ventr.* nam quod quinque mulieres desiderentur ad partum explorandum id speciale est, ne hæredibus præjudicetur. Solent autem tales explorationes fieri etiam ante decretum triennalis probationis; & si necesse sit post triennalem probationem. 5. Asserenti, sive viro, sive mulieri, consummatum fuisse matrimonium, potius creditur, quam neganti, *cap.* 1. *hoc tit.* quia favor matrimonii id exposcit, nisi indirecte contrarium probetur. Si vero uterque fateatur impotentiam, ob quam nunquam potuit consummari matrimonium, ne colludere videantur etiam post triennium transactum, utrique defertur juramentum cum septima manu propinquorum, ita ut proclamantes jurent super veritate, quod matrimonium nunquam consummare potuerint; septem vero propinqui, seu vicini super credulitate, quod credant matrimonium ab illis non fuisse consummatum. His omnibus rite præmissis, judex Ecclesiasticus matrimonium dissolvit, & petenti liberum transitum ad alias nuptias permittit, *cap.* 5. *& fin. h. t. Can.* 2. *requisisti* 33. *q.* 1. His solemnitatibus non est opus, si post nuptias manifeste appareat impotentia, ut si constet marem utroque testiculo carere, vel fœminam ita arctam esse, ut omnino inepta sit ad copulam: tunc enim non expectato triennio, statim fieri potest dissolutio matrimonii.

10. ℞. 2. Si post factam separationem tractu temporis appareat potentem esse, ob cujus impotentiam matrimonium dissolutum est, prius matrimonium restaurari debet, etsi altera pars ad alias nuptias convolaverit, & ex his proles susceperit: dummodo impotentia sublata sit naturali, & ordinario licito modo, & non per miraculum, aut maleficium; ita instar regulæ tenent DD. ex *c.* 6. *h. t.*

☞ *Et novissime Bened. XIV. lib. XIII. de synod. diœc. cap. XXI. n.* 5. ☜

Nam in hac quæstione facti Ecclesia decepta fuit, judicando impotentiam esse perpetuam, quæ re ipsa fuit temporalis: ac proinde sententia lata est ex errore, quæ in hac causa matrimoniali nunquam transit in rem judicatam *cap.* 7. *de sent. & re jud.* Quod si ex impotentia respectiva matrimonium dissolutum est, & deinde appareat, quod mulier coire possit cum alio viro ejusdem proportionis, & complexionis, pariter prius matrimonium restaurandum est, quia & hic error est facti, & judicium re ipsa falsum. Ne vero ex dissolutione matrimoniorum tanta incommoda sequantur, Episcopus omnibus modis conetur inducere partem impotentem ad ingressum religionis, quia per hujus professionem vinculum matrimonii rati, si quod subest, dissolvetur, & omnia incommoda præcavebuntur.

11. ℞. 3. Impotens ex judicio Ecclesiæ declaratus, si deinde cum alia contrahat, reus est perjurii, & mox a nova uxore separandus est, sive vere sit frigidus, aut ex alia causa impotens, sive non *cap.* 5. *& fin. h. tit.* nam si vere est frigidus, & impotens, laborat impedimento dirimente; si vero non est, tenetur redintegrare præcedens matrimonium; nisi uxor jam fuisset mortua: quo casu vir tamdiu separari debet, donec plene probet, Ecclesiam in priori judicio fuisse deceptam, seque esse potentem.

12. ℞. 4. Dantur quinque casus, in quibus præcedens matrimonium non restauratur, etsi altera pars naturaliter fiat potens: 1. Si impotentia sublata est per verum miraculum, 2. Si sublata est per artem magicam. 3. Si impotentia fuit respectiva, quia hæc plerumque obstat valori respectu hujus personæ. 4. Si impotentia fuit causata ex maleficio, quia hæc communiter est tantum respectiva obstans huic numero matrimonio, Si mulier ob arctitudinem professa est religionem, licet deinde appareat arctitudinem non fuisse perpetuam, sed temporalem; quia vinculum matrimonii per professionem dissolutum est.

13. Q. V. *Quomodo maleficium, ex quo causata est impotentia, licite tolli possit?* ℞. 1. Adhibenda sunt media spiritualia a Deo, & Ecclesia ad tollendas præstigias ordinata, ut invocatio SS. Trinitatis, B.V. & aliorum Sanctor. aqua, & aliæ res benedictæ, Reliquiæ Sanctorum, jejunia, confessio, communio &c. 2. Maleficium per aliud maleficium licite tolli non potest, etsi magnus ad hoc se offerat; quia facere, vel consentire in maleficium est intrinsece malum; cum diabolus hoc modo colatur, & in eo spes collocetur. 3. Si cum dæmone initum est pactum duplex, ut ad positionem certi signi causet impotentiam, vel aliam infirmitatem, & ad remotionem ejus, virtute sua restituat potentiam, & sanitatem, non est licitum tale signum removere; siquidem sanitas peteretur ex virtute diaboli, quod intrinsece malum est. At si præcessit pactum simplex, vi cujus dæmon causat impotentiam, ita tamen, ut remoto signo per se, & naturaliter potentia redeat, licitum est removere tale signum ex communi sententia: nam talis remotio de se est actus indifferens, neque tacitam habet invocationem dæmonis, etsi quis judicet, quod signo remoto, removebitur impotentia, quia sic judicare nullo jure prohibetur. Unde etiam judices in foro externo cogere solent maleficos ad tollenda signa. 4. Si maleficus sciat plura media, alia licita, aut illicita, potest quis petere ab illo solutionem maleficii, saltem ex charitate, præmonendo illum, ut medio licito utatur: nam talis petitio de se est honesta; accidit vero, quod maleficus, neglecto medio licito, utatur illicito. Quia vero petendi vix unquam constare potest, an maleficium modo licito tolli possit, in praxi rarissime peti potest solutio maleficii, præsertim ab alio, qui auctor maleficii non fuit. Plura de his Delrio, Cajet. Sanch. & alii. Vide P. Schmalz. a *n.* 20.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 8. *non oportet* 33. *quæst.* 4. in Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *&* 10. *de reform. matrim.*

1. Ad hunc titulum rejeci tractationem de impedimentis pure impedientibus, cum quibus matrimonia contrahi Ecclesia prohibet, contracta tamen non dissolvit. Nomine *interdicti* non venit hic censura, de qua *lib.* 5. *tit. de sent. excom.* sed impressa significatione venit hic *prohibitio*, qua legitimus superior ex justa causa prohibet celebrationem matrimonii; & si hoc, stante hac prohibitione, celebretur, dicitur contrahi contra impedientia 12. his versiculis expressa: *Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum, atque catechismus, sponsalia, jungito votum, incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris, susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis, vel si pœniteat solemniter, aut monialem accipiat, prohibent hæc conjugium faciendum*, vel brevius: *votum, interdictum, feriæ, sponsalia, crimen, impediunt fieri, permittunt facta teneri*. De sponsalium, voti, & catechismi impedimento egi *tit.* 4. 6. & 11. supra: hic restat agendum de interdicti, feriarum, & septuplicis criminis impedimenro.

2. Q. I. *An stante interdicto, seu prohibitione Ecclesiæ, matrimonium valide, & licite celebretur?* ℞. 1. Valide celebratur: ita com. ex *cap.* 1. 2. *hoc tit.* quia Episcopi, & Prælati Papa inferiores non possunt vetare matrimonia sub irritatione; dummodo impedimentum dirimens de jure com. non subsit, cum non habeant potestatem inducendi impedimenta dirimentia. Imo licet Papa ponat interdictum, regulariter contra illud valet matrimonium, quia etiam Papa conformiter juri communi censetur interdicere matrimonium, scilicet sub ratione impedimenti impedientis, nisi expresse addat decretum irritans, quod & potest ex potestate apostolica: hoc sensu procedit *Can.* 1. *videatur* 35. *q.* 6. *& cap.* 13. *de despons. impub.* At si reipsa subsit impedimentum dirimens, matrimonium est invalidum; non quidem ratione interdicti, sed impedimen-

ti di-

ti dirimentis *cap.* 2. *de desponſ. impub.* & ſi lis pendeat ſuper valore prioris matrimonii, ſponſi ſecundarum nuptiarum ſeparandi ſunt, donec plene conſtet, an prius matrimonium valeat, nec ne.

3. ℞. 2. Stante interdicto, matrimonium illicite contrahitur, *cap. fin. hoc tit.* quia contrahentes violant grave præceptum legitimi ſuperioris; & ideo ſubjici poſſunt excommunicationi, *ibidem:* niſi forſan ex levi cauſa nuptiæ ad breve tempus prohiberentur. Cauſæ juſtæ interdicendi matrimonium ſunt: 1. Sponſalia priora cum tertio inita. 2. Suſpicio non vana latentis impedimenti dirimentis, aut impedientis. 3. Timor gravium diſcordiarum, rixarum, & ſcandalorum, quæ ex contrahendo matrimonio eventura timentur *cap.* 1. 2. *hoc tit. cap. fin. cum autem de cland. desponſ.* Stante ex his aliqua cauſa, non tantum Papa, & Epiſcopus, ſed etiam parochus interdicere poteſt matrimonium *cap. fin. hoc tit.* ſiquidem prohibitio iſta fieri poteſt, & debet a parocho extrajudicialiter, donec Epiſcopus de cauſa cognoſcat. Excommunicatio, vel alia cenſura, per ſe non eſt cauſa interdicendi matrimonium, bene vero per accidens, quatenus excommunicatus, & alter ſponſus ſcienter ei communicans, ratione peccati, & cenſuræ digne, & licite hoc ſacramentum adminiſtrare, & recipere non poteſt, *cap.* 6. *de eo, qui duxit.* Si autem excommunicatus ſit toleratus, alter cum eo contrahens, per ſe videtur immunis ab omni culpa; quia contrahendo utitur jure ſuo, & communicatio cum excommunicato tolerato permiſſa eſt illi ex Conſtit. Martini V. *Ad evitanda.*

4. Q. II. *Quo tempore celebrari non poſſint nuptiæ?* ℞. 1. Sacramentum matrimonii omni tempore anni celebrari poteſt, ut declaravit S. Cong. habetque communis praxis, ne ſcandala, & gravia mala oriantur. In certis tamen diœceſibus parochus ſine licentia Ordinarii non audet aſſiſtere matrimonio feriis prohibitis.

5. ℞. 2. Nuptiæ, ſeu matrimonia cum ſolemnitatibus, & ſtrepitu exteriori non poſſunt celebrari licite a prima dominica Adventus, incipiente poſt mediam noctem, uſque ad Epiphaniam, a die Cinerum, pariter poſt mediam noctem incipiente uſque ad octavam Paſchæ incluſive: ita jure novo Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *de reform. matrim.* ubi reſtringuntur jura antiqua, quæ tempus iſtud ampliabant a ſeptuageſima uſque ad Paſcha, a feria ſecunda Rogationum uſque ad octavam Pentecoſtes, & duabus, vel tribus ſeptimanis ante feſtum S. Joan. Bapt. *Can.* 8. *& ſeqq.* 33. *q.* 4. *& c.* 4. *de feriis.* Porro dictis feriis prohibetur. 1. *Benedictio nuptiarum*, alioquin Sacerdos arbitrarie puniendus eſt: ipſi vero contrahentes in pœnam delicti ſeparari debent, *Can.* 10. *ibid.* 2. *Solemnis traductio* ſponſæ in domum ſponſi *Can.* 11. *ibid.* quod præceptum graviter obligat; ſed non ſe extendit ad privatam traductionem; neque ad conſummationem matrimonii; multo minus ad denuntiationes, quæ propter inveſtiganda impedimenta quocumque tempore fieri poſſunt, & regulariter debent.

6. ℞. 3. Tempore interdicti, ut cenſura eſt, per ſe valide, & licite celebratur matrimonium: nam *c.* 4. *de feriis* dicitur eam eſſe romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur. Nec obſtat *cap. fin. de ſent. excom. in* 6. nam diſpoſitio iſta procedit de ſacramentis tempore interdicti non adminiſtrandis a miniſtris Eccleſiæ, non vero de matrimonio, quod a contrahentibus conficitur inſtar aliorum contractuum: nec opus erat illud excipere, quia ex praxi Eccleſiæ conſtat illud ſemper fuiſſe exceptum. At nuptiæ benedici non debent: quia, cum tempore interdicti prohibeantur miſſarum ſolemnia, etiam benedictiones in miſſa fieri ſolitæ prohiberi cenſentur. Quod ſi contrahentes ſpecialiter ſint interdicti, contrahendo in ſua contumacia, peccant, non ratione cenſuræ, ſed quia indigne in peccato adminiſtrant, & recipiunt ſacramentum matrimonii.

7. Q. III. *Quæ ſint crimina tantum impedientia matrimonii?* ℞. *ſeqq.* 1. *Suſceptio propria ſobolis* ex ſacro fonte, vel confirmatione; puta malitioſe adprivandum alterum debito conjugali: ita ergo levans poſt mortem conjugis non potuit ad alias nuptias tranſire, *Can.* 5. 30. *q.* 1.

2. *Presbytericidium cap.* 2. *de pœnitentia*: nam æquum eſt, ut interfector ſacerdotis, in foro externo convictus, careat nuptiis, quibus ſacerdos aſſiſtere ſolet.

3. *Solemnis pœnitentia*, quamdiu durat, *Can.* 16. 33. 4. 2. quia luctui ob præterita delicta aſſumpto nuptiæ non conveniunt.

4. *Matrimonium cum moniale* ſcienter attentatum *Can.* 13. 27. *q.* 1. quia delinquens in ſponſam Chriſti meretur arceri a quocumque matrimonio cum alia perſona.

5. *Uxoricidium* privata auctoritate patratum, *Can.* 5. *& ſeqq.* 33. *q.* 2. quia uxoricida non eſt dignus aliam uxorem habere, etſi priorem in adulterio deprehenſam occidiſſet, *Can.* 6. *&* 9. *ibid.* Idem dic de uxore, ſi hæc maritum occidat, *cap.* 1. *de divort. Can.* 4. *indignentur* 32. *q.* 6. licet Sanch. & alii id nolint extendere ad uxorem, cum rarum ſit, ut uxor maritum occidat. Huc refertur *occiſio proprii filii cap.* 1. *de his qui fil. occid.* ubi mulier fragilis diſpenſatur ad matrimonium, adeoque laboravit impedimento.

6. *Raptus alienæ ſponſæ*, ne raptor cum ulla alia contrahere poſſit, *Can.* 34. *ſtatutum* 27. *q.* 2.

7. *Inceſtus* commiſſus cum conſanguinea ſuæ uxoris, & econtra, ut dixi ſupra *tit. de eo, qui cognov.*

Hæc impedimenta ex his criminibus orta, teſte Nav. & aliis DD. generali conſuetudine ſublata ſunt: ac proinde hodie quatuor ſunt impedimenta: *Eccleſiæ vetitum*, *feriæ*, *ſponſalia*, *votum*.

Hactenus de impedimentis matrimonii; nunc agetur de ejus effectibus, qui reſpectu matrimonii validi ſunt: legitimatas prolium indiſſolubilitas, acquiſitio dotis, & donationis propter nuptias: & econtra reſpectu matrimonii invalidi, eſt illegitimitas prolium, matrimonii accuſatio, diſſolutio, perditio dotis, aut donationis propter nuptias: & tandem liber iſte concluditur titulo de ſecundis nuptiis.

TITULUS XVII.

Qui Filii ſint legitimi.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 3. *d.* 26. *& Can.* 8. cum *ſeqq.* 32. *q.* 4. *& Can. un.* 35. *q.* 7. in Codice *lib.* 5. *tit.* 27. *& nov.* 89. *c.* 8.

1. *Nota* nomine *filii*, *& filiorum* in materia accomoda venire etiam *filiam*, *& filias lib.* 116. *&* 122. *&* 201. *ff. de v. ſ.* Sunt autem filii alii *veri*, ſeu *naturales*, qui per generationem carnalem procedunt: alii *ficti*, ſeu *legales*, qui a lege finguntur eſſe inſtar filiorum, ſicut adoptivi, & ſpirituales ex baptiſmo, aut confirmatione. 2. Veri vel ſunt *legitimi*, ſeu *juſti*, qui ex juſtis nuptiis procreati ſunt, atque ita eorum nativitas approbatur a lege, ſeu jure: vel *illegitimi*, qui extra juſtas nuptias procreati ſunt; adeoque eorum nativitas non approbatur a jure. Et hi dividuntur in *naturales tantum*, *& ſpurios: naturales*, ſeu *baſtardi* ſunt, qui naſcuntur ex parentibus ſolutis, inter quos matrimonium conſiſtere potuit. *Spurii*, qui naſcuntur ex parentibus, inter quos matrimonium conſiſtere non potuit, uti ſunt *adulterini* ex adulterio: *ſacrilegi* ex copula ſacrilega religioſi, aut religioſæ monialis: *inceſtuoſi* ex inceſtu conſanguineorum, vel affinium: *nefarii* ex aſcendentibus, & deſcendentibus progeniti, §. 1. *in. de nupt. auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.* Geniti ex clerico in ſacris conſtituto, & ſoluto probabilius inter ſpurios ſacrilegos referendi ſunt, propter votum ſolemne caſtitatis, licet dicantur ex fornicatione nati *Can.* 12. *d.* 81. *& cap.* 6. *de bigam.* quia fornicatio tanquam terminus genericus ex ſubjecta materia determinatur ad certam ſpeciem. De jure civili *naturales* illi tantum dicuntur, qui ex concubina nati ſunt; ſi vero ex meretrice, inter ſpurios a quibuſdam numerantur. Sed in hoc puncto obſervanda eſt doctrina juris Canonici, quæ naturalibus filiis omnes eos accenſet, qui nati ſunt ex parentibus habilibus ad matrimonium inter ſe ineundum.

2. Q. I. *Qui filii habeantur pro legitimis*, *ſeu juſtis?* ℞. 1. Non tantum concepti, & nati ex nuptiis juſtis, ſed etiam illi, qui ex fornicatione concepti ſunt, & nati jam poſt contractum matrimonium, etſi hoc una tantum hora nativitatem præceſſerit: ita com. ex *lib.* 11. *v. & multo magis Cod. de natur. liber.* quæ lex uſu, & praxi recepta eſt a jure Can. per 1. *de N.*

O.N.

Q. N. nam illi sunt filii legitimi, seu justi, quorum nativitatem jus humanum approbat: siquidem legitimitas prolium non est effectus juris naturalis, sed creatura juris positivi volentis alios haberi pro legitimis, alios pro illegitimis, sed jus *cit. l.* 11. approbat nativitatem eorum, qui concepti sunt ex fornicatione, & nati jam constante matrimonio, ergo.

3. ℞. 2. Filii nati ex parentibus conjugatis, voto simplici castitatis adstrictis, per omnia sunt legitimi, quia votum simplex non impedit valorem matrimonii; si vero parentes sint soluti, filii sunt *naturales*, & non *spurii*, ob eamdem rationem. 2. Si uterque de mutuo consensu, vel alter parentum professus est Religionem; vel sacros ordines suscepit, & deinde convenerunt, proles inde nata habetur pro illegitima in ordine ad suscipiendos ordines, & beneficia Ecclesiastica *cap.* 14. *de fil. presbyt.* sed quoad successiones hæreditarias, & alios effectus habetur pro legitima, cum nata sit ex parentibus legitimo matrimonio jam consummato conjunctis, quod matrimonium per professionem religiosam non dissolvitur. Secus, si alter eorum post matrimonium ratum profiteretur; quia tunc soluto per professionem matrimonio, sequens copula non esset conjugalis.

4. ℞. 3. Proles nata ex matrimonio putativo, *publice, & bona fide* contracto, est legitima in utroque foro civ. & Canon. licet postea detegatur impedimentum dirimens: ita comm. ex *c.* 2. *hoc tit.* ubi nativitas talium prolium approbatur; quia bona fides quoad forum internum, & publicus contractus quoad forum externum, sicut excusat a copula fornicaria, ita purgat notam illegitimitatis; idque etiam favor liberorum exposcit. At si defuit *bona fides* in utroque conjuge, cum sine illa justa possessio, & jus utendi non acquiratur, vel si matrimonium clam, & sine denuntiationibus fuit contractum, proles habentur pro illegitimis, ut dixi *tit. de cland. desponf. num.* 24. nam *cit. cap.* 2. *&* 14. *hoc tit.* utrumque requiritur, & *publicitas*, *& bona fides*. Data resolutio locum habet in seqq. casibus: 1. Si dubium de valore matrimonii supervenit ei contracto, & veritas deprehendi non potuit, quia dubium superveniens non tollit justam possessionem ex trito *Can.* 5. *si virgo* 34. *quæst.* 2. Secus si dubium antecedens fuit, non præmissa diligenti investigatione; vel si dubium superveniens sublatum est per certam notitiam impedimenti dirimentis: tunc enim proles postea conceptæ ex defectu bonæ fidei habendæ sunt pro illegitimis. 2. Si unus conjugum fuit in bona, & alter in mala fide, proles habetur pro legitima, ut si soluta ignorans alterum esse conjugatum, publice cum eo contraxit, *cap.* 14. *hoc tit. cap. fin.* §. *si quis de cland. desponf.* nam ne proles sit partim legitima partim illegitima, speciali favore juris habetur pro legitima ad hæreditates, officia ecclesiastica &c. Imo in dubio, favore prolis, præsumitur potius ignorantia, quam scientia impedimenti. An vero legitimitas prolis prosit parenti mala fide contrahenti, ut ei succedere possit, controvertunt DD. affirmantium opinio videtur probabilior, cum talis proles dicatur absolute legitima, non vero tantum respectu unius parentis. 3. Si error juris intervenit in contractu matrimonii, non obest legitimitati prolis, quia non tollit bonam fidem; ut si Cajus cognovit sororem sponsæ, & ignoravit affinitatem inde consecutam esse impedimentum dirimens matrimonii: ita Gregor. XIII. ad quæst. Maronitarum respondit, legitimum esse filium natum ex secundo conjugio, quod pater ejus ab uxore adultera divertens contraxit: quia bona fide putavit id sibi licere: tum quia ignorantia juris, licet non prosit ignoranti, tamen aliis, uti prolibus nocere non debet; tum denique quia ignorantia juris, licet impediat bonam Fidem civilem ad quosdam effectus, ut usucapionem, tamen non impedit bonam fidem theologicam, quæ spectatur in matrimoniis, quibus sola ignorantia affectata nocet *cap. fin.* §. *si quis*, *de cland. desponf.* Ex his soluta manent argumenta contraria ex *reg.* 13. *in 6. lib.* 9. *ff. de J. & F. Ign. lib.* 31. *ff. de usurpat. & c.* 4. Si ex matrimonio publice, & bona fide contracto, & lite super valore ejus contestata, proles concepta est ante sententiam latam, habetur pro legitima, *cap.* 2. *h. t.* nam lite pendente, conjuges non sunt privandi commodo suæ possessionis; imo carnale commercium eis permittitur, *cap.* 2. *ut lit. pend.* Nec hic procedit *lib.* 25. §. 7. *ff. de hæred. petit. lib.* 22. *C. de R. V.* nam litis contestatione inducitur mala fides ficta, seu civilis quoad fructus pretio æstimabiles, qui restituendi sunt victori; non vero quoad alia commoda, & fructus pretio non æstimabiles; uti est generatio prolis, præsentatio, electio &c.

5. ℞. 4. Proles natæ ex parentibus infidelibus, qui ignoranter, & bona fide contraxerunt cum impedimento dirimente juris naturalis, sunt legitimæ, quia bona fides purgat vitium natalium; secus si scienter contraxerunt. Impedimenta vero juris Canon. non faciunt proles illegitimas infidelium *c. fin. h. t.*

6. ℞. 5. Filius natus ex muliere, quæ sæpius adulterio polluta est, si interim maritus cum illa congressus fuit, habetur pro legitimo: neque credendum est parentibus contrarium affirmantibus; nam favor liberorum exigit, ut præsumantur ex marito potius, quam adultero geniti, *lib.* 11. §. 9. *ff. ad L. Jul. de adult.* secus esset, si ob longam absentiam, vel similem causam certo constaret prolem esse ex adulterio genitam, *cap.* 4. *hoc tit. l.* 6. *de his, qui sui.* 2. Natus ex vidua decimo mense, vel ad initium undecimi, habetur pro posthumo legitimo *lib.* 29. *Gallus princ. ff. de lib. & posthum.* quia nativitas ad tot menses extendi, vel ad octo, aut initium septimi mensis constringi, & accelerari potest, *lib.* 12. *ff. de stat. hom. lib.* 3. §. 12. *ff. de suis, & legit.* His non obstat *Nov.* 39. *cap.* 2. procedit de undecimo mense completo, vel ad finem vergente.

7. Q. II. *Qui sint effectus legitimitatis prolium?* ℞. seqq. 1. Proles quoad familiam, gentem, nobilitatem, & dignitatem sequuntur conditionem patris, non matris; *lib.* 12. *ff. de statu hom.* & ideo nati ex patre nobili, & matre ignobili succedunt in feudis, & apti fiunt ad officia qualitatem nobilitatis exigentia, nisi desideraretur nobilitas utriusque parentis. 2. Fiunt capaces ad ordines, dignitates ecclesiasticas, & politicas. 3. Habent jus hæreditariæ successionis ex testamento, & ab intestato, uti etiam in fideicommissis, majoratibus, primogenituris &c. Hæc de legitimitate: nunc de legitimatione prolium.

8. Q. III. *Quid, & quotuplex sit legitimatio prolium?* ℞. 1. Legitimatio est speciale beneficium juris, quo liberi illegitimi efficiuntur legitimi. §. *fin. In. de nuptiis*; nam sicut legitimitas, seu justa nativitas est creatura juris humani: ita quoque legitimatio liberorum ab eodem jure proficiscatur. 2. Legitimatio est triplex: *per subsequens matrimonium* inter parentes illegitimi filii contractum: *per rescriptum principis*, dum princeps precibus rogatus illegitimis restituit legitimitatem natalium, acsi a principio nati fuissent legitimi: *per oblationem curiæ*, qua filius illegitimus ad officia curialia oblatus efficiebatur olim legitimus. Hic modis legitimandi in desuetudinem abiit; quia officia curiæ politicæ hodie sunt honorifica, quæ olim probro ducebantur, adeo, ut clerici degradati pro sua pœna ad servitia curiæ traderentur, ut insinuant antiqui Canones *Can.* 18. *si quis sacerdotum* 11. *q.* 1. *&c.*

9. Q. IV. *Quod matrimonium habeat vim legitimandi illegitimos?* ℞. 1. Matrimonium de se validum: ita de jure Can. *cap.* 6. *hoc tit.* & de jure civ. *l.* 6. 10. 11. *Cod. de natural. liber.* idque specialiter concessum est ob favorem matrimonii, quod retrotrahitur, & fictione juris censetur tunc celebratum fuisse, dum proles concepta, & nata fuit, quasi copula non fornicaria, sed conjugalis fuisset. 2. Matrimonium putative justum in facie Ecclesiæ contractum, licet ob latens impedimentum in se sit invalidum, argum. *c.* 2. *&* 14. *h. t.* nam tale matrimonium retrotrahitur; ergo sicut ex illo nata proles fuisset legitima: ita per illud deinde contractum legitimatur. 3. Matrimonium post multos annos, & intermedia matrimonia celebratum; quia jura citata indistincte laquuntur. Unde si Cajus ex fornicatione cum Berta habita suscepit Titium, deinde successive contraxit matrimonium cum Mævia, & Flavia, & tandem his mortuis, post annos, v. gr. quadraginta nuptias inivit cum Berta, per hoc matrimonium legitimatur Titius. Porro ad istam legitimationem sufficiunt ea, quæ ex jure Can. requiruntur ad matrimonium, adeoque non sunt necessaria instrumenta dotalia, quibus dos, & donatio propter nuptias con-

stitua-

stituatur *nov.* 74. *cap.* 4. licet olim de jure civ. requirerentur pro concubinariis, ut palam constaret, quod a concubinatu cessaverint: quo sensu procedit, §. *fin. Inst. de nupt. nov.* 89. *cap.* 8. ibi: *Si quis igitur dotalia scripserit &c.* Hodie igitur plus non requiritur, quam ut præmissis denuntiationibus, matrimonium coram parocho, & testibus contrahatur.

10. Q. V. *Qui filii possint legitimari per subsequens matrimonium?* ℞. 1. Regulariter soli filii naturales orti ex parentibus, inter quos matrimonium consistere potuit: ita com. ex *cap.* 6. *hoc tit.* unde nullus ex spuriis per se loquendo est subjectum legitimationis matrimonialis: quia jus favorem istum ob justas causas noluit extendere ad spurios. Sufficit autem, ut quis sit filius naturalis putative, licet re ipsa ob latens impedimentum sit spurius: nam sicut matrimonium putative justum habet vim legitimandi, ut ante dictum, ita quoque filius putative naturalis habet aptitudinem ad recipiendam hanc legitimationem.

11. ℞. 2. Ut proles legitimetur per subsequens matrimonium, sufficit parentes fuisse habiles ad contrahendum, vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio: ita Covar. Barbos. Schmier. & alii contra Bald. Sylv. Garc. Kees &c. Prob. ex *lib.* 11. *nuper C. de natur. liber.* ubi Imp. per se, & principaliter disponens de legitimatione liberorum per subsequens matrimonium in fine subdit, *in quæstionibus, in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tempus inspiciendum; & hoc favore liberorum, exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari infantium conditionis utilitas expostulat.* Idem expresse disponitur in *nov.* 89. *c.* 8. ibi: *sancimus &c. & arg. lib.* 5. 7. *ff. de statu hom.* ubi ad libertatem partus dicitur sufficere, quod mater fuerit libera quocumque ex tribus temporibus, vel conceptionis, vel intermedio, vel nativitatis. Ratio est, quia jura concedentia matrimonio vim legitimandi sunt favorabilia; ergo recte intelliguntur de parentibus, si saltem tempore natæ prolis sint habiles ad contrahendum: ut si Titius commisit adulterium cum Berta, & antequam nascatur proles, uxor illius moriatur; tunc enim cum nascitur proles, habilis est ad matrimonium cum Berta ineundum. Nec obstat, *cap.* 6. *hoc tit. & l.* 6. *C. de suis & legit. l.* 11. *ff. de statu hom.* nam *cap.* 6. procedit de suscepta, seu nata prole, vivente uxore legitima. Ex *ll. cit.* non constat, an prius matrimonium putativum convalidatum fuerit: & his legibus prævalet recentior constitutio Justiniani pro nobis allegata.

12. ℞. 3. Nepos ex filio naturali legitime natus, respectu avi legitimatur per matrimonium avi, & aviæ, sive filius iste vivat, sive jam mortuus sit: ita Covar. Gonz. & alii contra Decium, Bald. &c. Prob. ex regula generali desumpta ex *c.* 6. *h. t.* & similibus: nam matrimonium avi retrotrahitur ad tempus copulæ: sed si tunc constitisset, legitimasset nepotem respectu avi; ergo & modo illum legitimat, quamvis per accidens non legitimet filium, utpote jam præmortuum: tum quia adoptio facit adoptatum fratrem defuncti filii, *lib.* 5. *ff. de gradib. & affinib.* ergo etiam matrimonium avi facit nepotem ex filio præmortuo legitimum avo: & conf. jure repræsentationis nepos succedit in bona avi. *Dices*: non potest nepos legitimari, nisi prius legitimetur filius naturalis, sed in hoc casu filius naturalis, utpote præmortuus non potest legitimari; ergo neque nepos. 2. Hæredes liberti non liberantur a præstandis domino operis, licet liberaretur pater, si vivens duos, vel plures haberet filios, *lib.* 37. §. 7. *ff. de oper libert.* ergo etiam non legitimatur nepos, etsi pater illius, si viveret, legitimaretur, & ita legitimationem transfunderet in nepotem. ℞. Neg. maj. nam vis legitimandi non est attributa filiis, sed ipsi matrimonio; ergo matrimonium quandocumque contrahatur legitimat omne, quod reperit legitimabile; ergo cum præmortuo filio, reperiat nepotem legitimabilem, etiam illum legitimat, & idoneum facit ad hæreditatem avi. Ex quo patet disparitas ad 2. quia liberatio ab operis proficisci debet ab ipso patre liberto ex dispositione juris; econtra legitimatio procedit a filio naturali, sed a solo matrimonio. Sic etiam solvitur *arg. ex l.* 7. §. 1. *ff. de S. P. R. l.* 44. *ff. de adoption.*

13. ℞. 4. Spurius, qui natus ex parentibus inhabilibus ad matrimonium, legitimari potest per dispensationem Papæ in radice matrimonii, dummodo impedimentum sit solius juris ecclesiastici: ita Abb. Joan. Andr. Covar. Schmier. Schmalz, & alii contra Navar. Perez. Coninck &c. Prob. si Papa a principio dispensasset in impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, matrimonium fuisset justum inter consanguineos, & proles ex eo genitæ fuissent legitimæ; ergo etiam, si post illud contractum dispenset in tali impedimento, spurius ante dispensationem genitus, fiet legitimus, acsi ex matrimonio justo natus fuisset: tum quia talis dispensatio retrotrahitur ad radicem, & primum tempus matrimonii, cum vis retrotractiva Papæ denegari non possit in legibus irritantibus, & dispensationibus, uti frequenter videmus in Bullis Pontificiis; tum quia Papa tollere potest omnes effectus consequentes ex actu, qui jure Pontificio fuit invalidus *Clem. unic. de immun. Eccles.* ergo etiam tollere potest illegitimitatem spurii consequentem ex matrimonio de jure Pontificio invalido; quod olim licuit etiam principi romano *lib.* 57. §. 1. *ff. de ritu nuptiar.* ubi ex dispensatione retrotractiva pronunciantur liberi legitimi, qui nati erant ex matrimonio Flaviæ Tertullæ, & avunculi sui de jure civili invalido. Exempla retrotractionum habes, *lib.* 26. *ff. de stipulat. serv. lib.* 11. *ff. qui potior. in pign. lib.* 78. *ff. de V. O.* Porro ut hæc dispensatio suum habeat effectum, duo concurrere debent: 1. Ut matrimonium fuerit actu contractum, licet invalide; alioquin spurius natus ex solutis per hanc dispensationem legitimari non potest, sed opus est legitimatione per rescriptum, 2. Ut impedimentum non fuerit juris naturalis v. g. ligamen, in quo Papa dispensare non potest, sed juris Pontificii, quod subest dispensationi Papali. His concurrentibus, dispensatio in radice matrimonii est maxime favorabilis, quia spurium legitimat instar matrimonii in quibuscumque terris, & ad quæcumque officia ecclesiastica, & politica, vimque suam habet, etsi parentes mortui sint; quia dispensatio ista non datur, ut matrimonium contrahatur, sed ut matrimonium invalide contractum per retrotractionem fingatur valide fuisse contractum: ac proinde dispensatio in radice matrimonii differt a dispensatione facta per viam derogationis, dum Papa, derogando dispositioni *c.* 6. *h t.* dispensat, ut filius spurius per subsequens matrimonium legitimetur. *Dices*: Gregor. XIII. teste Navar. respondit: *se dispensare non posse*, & Innoc. III. *cap.* 13. *hoc tit.* noluit dispensare in radice matrimonii, ℞. Gregor. XIII. non ex defectu potestatis, sed causæ sufficientis dixit, se non posse dispensare: in *cap.* 13. *hoc tit.* fuit impedimentum ligaminis, quod est juris naturalis a Papa indispensabile.

14. ℞. 5. Matrimonium sine consensu liberorum præstat effectum legitimationis: ita comm. DD. contra Fach. Harpr. Kees &c. nam consensus iste non requiritur jure Can. *cap.* 6. *hoc tit.* nec etiam jure civili, quia *Nov.* 89. *c.* 11. *l. fin. ff. de his, qui sui*, non procedunt de legitimatione per matrimonium; sed quod filius naturalis, vel emancipatus invitus per rescriptum principis redigi non possit in patriam potestatem: imo si quid jura civ. in contrarium statuerent, jus Can. iis foret præferendum. *Ratio* etiam est, quia favor iste matrimonio concessus, est publicus, qui non pendet a consensu, & pactis privatorum per *reg. lib.* 38. *ff. de pact.* Nec obstat *lib.* 69. *ff. de R. J.* quia invito beneficium dari potest, dum hoc ex natura actus, vel dispositione juris sequitur, sicut solutio debiti fieri potest pro invito, *l.* 39. *ff. de negot. gest.*

15. Q. VI. *Quis sit effectus legitimationis per matrimonium?* ℞. Ille præcipuus, quod liberi post contractum matrimonium vere, & proprie sint legitimi, & jura legitimorum consequantur, licet illo tempore intermedio tam ficte legitimi fuerint: quo sensu explicantur illa verba: *legitimi habeantur cap.* 6. *hoc tit.* Unde 1. Legitimati quoad gentem, nobilitatem, & dignitatem sequuntur conditionem patris, non matris, jura successionis habent, capaces fiunt Ordinum, & dignitatum ecclesiasticarum, & sæcularium: denique ea omnia eis competunt, quæ filiis justis. Testimonium eis dari potest, & debet, quod nati sint ex legitimo thoro, honestisque parentibus: hæc enim omnia operatur fictio juris retrotrahens matrimonium ad tempus copulæ, & conceptionis. *Excipe* 1. nisi specialiter cavea-

veatur, ne legitimati per matrimonium admittantur ad primogenituras, & majoratus, 2. Excipe *Cardinalatum* S. R. E. ad quem legitimati non admittuntur ex Const. Sixti V. *Postquam* 1590. An vero legitimatus in primogenitura præferatur primogenito ex intermedio matrimonio nato, controvertunt DD. Negativæ subscripsi in meis Disp. civ. *Disp.* 9. *Controv.* 46.

16. Q. VII. *Qui illegitimi, & quo modo legitimari possunt per rescriptum Principis?* ℞. 1. Omnes illegitimi, etiamsi spurii sint, rescripto principis natalibus restitui possunt; nam sicut principis auctoritate inducitur, ita eadem tolli potest defectus natalium. Ac proinde modus iste amplior est, cum se extendat etiam ad spurios, sed modus legitimandi per matrimonium est favorabilior, & efficacior, ut ex dicendis patebit. Porro potestas legitimandi per rescriptum soli principi competit, ut Papæ, Imperatoribus, & Regibus: ceteris vero ex privilegio, ut Electoribus S.R.I. Comitibus palatinis, & Apostolicæ Sedis Legatis secundum modum sibi præfixum: & ideo Comites palatini non possunt legitimare filios nobilium, nec ad feuda, & majoratus.

17. ℞. 2. Ad legitimationem per rescriptum requiruntur seqq. 1. Ut legitimandus sit subditus legitimantis *cap.* 13. *hoc tit.* 2. Ut consentiat in sui legitimationem, eamque pater per libellum supplicem petat, vel saltem in testamento *Nov.* 74. *cap.* 2. §. 1. *Nov.* 89. *cap.* 9. §. & *cap.* 10. 3. Ut legitimari non possit per subsequens matrimonium, *ibid.* quia habito remedio ordinario, non est recurrendum ad extraordinarium. 4. Ut nulli adsint liberi legitimi: quia in eorum præjudicium princeps non censetur legitimare *cit. Nov.* 74. *cap.* 1. & 2. Si tamen princeps vult procedere de potestate absoluta, conditiones istæ non sunt necessariæ.

18. ℞. 3. Effectus legitimationis per rescriptum sunt tantum illi, qui substant potestati principis. Unde 1. Legitimatus per rescriptum Papæ fit habilis ad Ordines, & officia Ecclesiastica, exceptis illis, quæ requirunt legitimam nativitatem, sicut episcopatus *c.* 7. *princ. de elect.* Canonicatus in Germania, officium Auditoris in Rota Rom. Et quamvis Papa subditos suos legitimare possit ad officia sæcularia, non tamen subditos aliorum principum; nisi via extraordinaria in casu gravissimæ necessitatis, & in favorem fidei. 2. Principes politici suos subditos legitimare possunt ad officia secularia, aliosque effectus politicos, non tamen ad Ordines, & beneficia Ecclesiastica. An vero legitimatus a suo principe habendus sit pro legitimato in territorio alterius principis, controvertunt DD. Affirmativa videtur satis probabilis; quia illegitimitas, cum cum non sit jure naturali constituta, inducitur a proprio principe, ergo ab eodem tolli potest: semel autem sublata, non reviviscit in alieno territorio.

19. Q. VIII. *Ad quem judicem spectet quæstio natalium?* ℞. Ad Ecclesiasticum privative, sive de illa agatur principaliter, sive incidenter, *cap.* 5. 7. *h. tit.* nam quæstio ista est spiritualis pendens a valore matrimonii, de quo cognoscere est solius judicis Ecclesiastici. Unde si apud judicem laicum tractatur causa principalis de hæreditate, alimentis &c. & incidit quæstio natalium, debet supersedere in causa principali, donec ecclesiasticus cognoscat quæstionem incidentem de natalibus, *cit. c.* 5. *h.t.* nisi esset mera quæstio facti, vel nisi quæstio esset super legitimatione per rescriptum principis.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari?

Agitur de hac materia in Decreto 35. *q.* 6.

1. Q. I. *Quis sit ordo accusantium matrimonium?* ℞. 1. Si agatur ad impediendum matrimonium futurum, omnes de populo admittuntur, denuntiantes impedimenta, ut peccatum præcaveatur. 2. Si agatur ad divortium quoad vinculum ex causa impotentiæ perpetuæ, soli conjuges admittuntur; quia, si velint, cohabitare possunt ut frater, & soror *c.* 5. *de frigid.* idem dic si agatur ex causa erroris personæ, conditionis servilis, metus. Si vero agatur ex causa consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis, aut alia simili, præ ceteris admittuntur, qui meliorem notitiam impedimenti habent, ut parentes, consanguinei, vicini, *Can.* 1. *& seqq.* 35. *q.* 6. *& cap.* 3. *hoc tit.* Si tandem ex alio impedimento agatur, admittuntur quicumque alii veraces, præsertim quorum interest *cap.* 1. *de his, quæ vi,* ubi priorissa cum sororibus impugnat matrimonium ut invalidum ratione professionis religiosæ. Si agatur ad divortium quoad habitationem, & thorum, regulariter solus conjux innocens admittitur; cum istius tantum intersit, & si velit, injuriam possit remittere, *cap.* 5. *de procurat. cap.* 25. §. *illud de jurejur. c.* 4. *de adult.* 4. Si agatur criminaliter ad pœnam adulterii, quilibet mas de populo, 25. annis major admittitur ad accusandum, cum adulterium sit crimen publicum *tit. ff. & C. ad l. Jul. de adult.* Rejiciuntur autem ab accusatione matrimonii dissolvendi pecunia corrupti, & qui post denuntiationes publicas impedimentum non manifestarunt; nisi causa absentiæ, vel alia eos excuset: item absentes, qui per litteras accusare non permittuntur; nisi alia adminicula eis suffragentur *c.* 2. 5. *h. t. Can.* 5. *per scripta* 2. *q.* 8. &c.

2. Q. II. *Qui testes admittantur contra matrimonium in facie Ecclesiæ contractum?* ℞. Illi præ ceteris, qui meliorem notitiam impedimenti habent, modo non sint suspectæ fidei, *cap.* 47. *de testib.* unde etiam parentes, & consanguinei admittuntur, etiamsi deponant pro sustinendo matrimonio, eisque creditur, nisi ex circumstantiis testimonium eorum reddatur suspectum; ut si nimis cupiant matrimon. sustineri; vel si sponsa petat in virum aliquem se longe majorem divitiis, nobilitate &c. Rejiciuntur autem a testimonio contra matrimonium, quorum fides non est integra; ut si pecunia sint corrupti &c.

Q. III. *Quo tempore accusatio matrimonii sit instituenda?* ℞. Quocumque tempore; cum impedimenta matrimonii nulla præscriptione tollantur, neque matrimonium cum his initum convalescat, aut sententia super illo lata transeat in rem judicatam *cap.* 7. *de sent. & re judic.* Si tamen conjuges sint mortui, actio contra legitimitatem prolium præscriptione extingui potest per 30. annos.

4. Q. IV. *Quæ causæ matrimoniales pertineant ad forum judicis ecclesiastici?* ℞. Seqq. matrimonii, & sponsalium natura, qualitas, valor, obligatio, benedictio nuptiarum, sponsorum, & conjugum jura, & reciprocæ obligationes, impedimenta, legitimitas, & legitimatio prolium per matrimonium, dissolutio, & redintegratio sponsalium, & matrimonii, dispensatio in impedimentis, & quæcumque alia causa involvens quæstionem juris super matrimonii, & sponsalium contractu, privative spectat ad judicem ecclesiasticum *cap.* 3. *de ordin. cognit. cap.* 5. *qui filii legit.* idque sub anathemate definivit Trident. *Sess.* 24. *Can. fin.* Judex autem iste est Papa in tota Ecclesia, & quilibet Ordinarius in sua diœcesi, vel eorum delegati, aut qui ex privilegio habent jurisdictionem cognoscendi causas spirituales, *cap.* 12. *de excess. Prælat.* Trident. *Sess.* 24. *cap.* 20. *vers. ad hæc causæ matrimoniales, & c. de reform.* ubi ad hoc judicio excluduntur decani, archidiaconi, & alii inferiores Episcopo, seu ordinario.

5. ℞. 2. Causæ matrimoniales temporales per se spectant ad forum judicis secularis; uti causa dotis, donationis propter nuptias, hæreditariæ successionis, alimentorum, ventris inspiciendi &c. si tamen talis causa incidenter moveatur apud judicem ecclesiasticum, ab eo utique cognosci potest, cum ecclesiasticus non sit incapax ad cognoscenda temporalia, sicut laicus incapax est ad spiritualia. Vide dicta *tit. de judic. & tit. de for. compet.*

TITULUS XIX.

De Divortiis.

Agitur de hac materia in Decreto 28. *quæst.* 1. 2. *&* 32. *quæst.* 6. 7. *& Can.* 9. *ab isto* 35. *quæst.* 6. *& quæst.* 9. *fere per tot.* Trident. *Sess.* 24. *Can.* 7. 8. In Pandectis *libr.* 24. *tit.* 2. 3. In Codice *libr.* 5. *tit.* 17. 18.

1. Cum ad accusationem matrimonii sequatur divortium, seu separatio conjugum, recte hic agitur de divortio, quod triplex est: 1. Divortium, *quoad vinculum,*

cultum. 2. Divortium *perpetuum quoad thorum*, *& cohabitationem*, *&* 3. Divortium *temporale quoad thorum*, *& habitationem*. Et quamvis ex matrimonio invalide contracto nullum oriatur vinculum *juris*, sed præcisi *facti*: quia tamen in foro fori inter contrahentes putatur esse quoddam retinaculum, ideo etiam istud dissolvi debet, seu potius declarari matrimonium esse nulliter, & sine effectu contractum.

2. Q. I. *Quo modo dissolvendum sit matrimonium nulliter contractum?* R. 1. Ad hoc necessaria est auctoritas Ordinarii, vel alterius legitimi judicis: secus conjux propria auctoritate recedens, compelli debet ob redeundum, *c.* 13. *v. quod si de restit. spoliat.* nisi notoria esset nullitas matrimonii 2. Nullitas matrimonii probanda est, non per rumorem, sed saltem per duos testes omni exceptione majores *c.* 5. *de eo, qui cognov. c.* 22. *de testib.* tum quia causa dissolvendi matrimonii est gravissima; tum quia caveri debet, ne ex collusione partium dissolutio fiat cum magna irreverentia sacramenti, ad quod requiruntur testes omni exceptione majores: licet alioquin dum agitur ad impediendum matrimonium, & vitandum peccatum, sufficiat unus testis denuntians impedimentum. 3. Posita plena probatione, & per exceptiones non infirmata, judex pronuntiat matrimonium esse invalidum: ac proinde separatis conjugibus, si aliud non obstet, dat licentiam transeundi ad alias nuptias. Si vero plena probatio non est allata, judex pronuntiat pro valore matrimonii, utpote causæ favorabilis *argum. cap.* 22. *de testib.* atque in foro externo matrimonium est validum. At in foro interno, si ambo, vel alter conjugum certam habet notitiam impedimenti dirimentis, non debent, imo nec possunt parere sententiæ judicis, exigendo, & reddendo debitum, vel cohabitando, si periculum sit incontinentiæ; quia hoc non esset aliud, nisi fornicari, & peccare, quod prohibet jus naturale, utique præferendum falsæ sententiæ judicis. Imo si compellantur per censuram excommunicationis, hæc potius humiliter sustinenda est, quam Deus offendendus: ita decisum est *c.* 13. *de restit. spoliat. c.*44. *de sent. excom.* Unde in hoc casu arduo pars conscia impedimenti potest, imo tenetur occultam dispensationem petere a Papa, si bonum prolis, vel alia gravis causa id postulet, modo sit impedimentum dispensabile.

☞ *Ex Const. Bened. XIV.* Dei miseratione 3. *Nov.* 1741. *notandum.*

I. *Quod cognitio causarum matrimonialium extra romanam Curiam pertractandarum committi nequit, nisi Episcopo, præsertim viciniori: etsi nullus sit Episcopus, committi debet uni ex judicibus synodalibus, juxta modum ab eodem Pontifice præscriptum in litteris encyclicis locorum Ordinariis scriptis sub die* 26. *Augusti* 1741. Quamvis paternæ: *Et hujusmodi cognitio numquam finienda est, nisi post duas sententias conformes super nullitate matrimonii; sive post primam appellatum sit, sive non, sub pœnis, ut infra incurrendis.*

II. *In singulis diœcesibus eligendus est ab Episcopo defensor matrimonii; etsi fieri potest ex ecclesiastico cœtu, ad ipsius Episcopi arbitrium removendus, cum mercede, si id munus gratis obire nolit, ei constituenda ab ipsius causæ judice, & solvenda ab ea parte, quæ pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit: sin minus a judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ instantiæ respective ex pecunia mulctarum suorum tribunalium. Quando vero judices causæ erunt judices commissarii carentes foro, & multis, tunc solvenda est ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus diœcesi dicti judices juxta S. Sedis mandatum judicium exercebunt.*

Hunc defensorem statuit Pontifex esse tamquam partem necessariam ad judicii validitatem; ideoque semper citari, & deesse debere in judicio, sive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in judicium veniant: tenerique ne dum præstare juramentum de fideliter suo munere obeundo, quando ad hoc deputatur, sed etiam toties, quoties adesse debebit in judicio pro alicujus matrimonii validitate tuenda.

Ejus autem munus in eo situm est, ut-Si a judice matrimonii validitate judicabitur, & nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a judice secundæ instantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex primæ instantiæ de illius nullitate sententiam pronuntiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor intra legitima tempora appellabit adhærens parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium, subsistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit.

Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, & partium, interposita, si ambo, vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus; ut non solum serventur, quæ adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt; præsertim, ut invicem a cohabitatione separentur, quoad usque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum; vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens, vel contrahentes matrimonium hujusmodi, omnibus pœnis contra poligamos a sacris Canonibus, & Constitutionibus apostolicis Constitutis omnino subjaceant.

Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, & singula quæcumque coram judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui voce, & scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur. Etsi judex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis apostolicæ Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ a nobis superius constituta sunt, peragere possit. Si autem judex in secunda instantia erit judex commissarius, cui a Sede apostolica causæ cognitio demandata sit, & qui tribunal, & jurisdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat defensore matrimonii; volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus diœcesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, æque, ac in prima nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, & ab ea pars, vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit; in potestate, & arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, salvo semper, & firmo remanente jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem judicatam: sed si nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, & rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate, vel altera pars appellaverit, vel hujusmodi fit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet; vel quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, & sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanatæ; volumus, ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, a nobis constitutis subesse decernimus; causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quæ a nobis in prima, & secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet judiciali actu, citato, & audito defensore matrimonii, qui a judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit.

Quoad causas matrimoniorum Romæ disceptandas præcipit, omnia, & singula supra præscripta servanda esse. Verum cum hæc sit particularis curia, vide peculiaria, quæ sequuntur in cit. Constit. a §. 13. *ad totum* §. 15.

3. Q. II. *An, & quomodo vinculum matrimonii rati dissolvi possit?* ℞. 1. Vinculum matrimonii rati, & multo magis consummati de jure naturali, seu ab intrinseco, de jure divino, & pontificio est indissolubile: ita quoad rem communis, & vera sententia contra Michaelem de Medina, quem secuti sunt aliquot inferioris notæ Juristæ, minus caute docentes, matrimonium ratum solo jure ecclesiastico esse insolubile Prob. 1. pars ex *Gen.* 2. *v.* 22. *& seqq.* quem textum explicans Trid. *S.* 24. *per* indistinctè ait: *matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexumprimus humani generis parens, divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* &c. Idem docet Bonif. VIII. *c. unic. de voto in 6.* atqui præceptum hoc, quod Adam pronunciavit, erat omnino naturale ab auctore naturæ inspiratum, cum præter præceptum de pomo non comedendo nullum aliud positivum fuerit in paradiso; ergo matrimonium quoad suam essentiam est de jure naturali, & ab intrinseco insolubile: *Ratio* est, quia matrimonium ex sententia, & definitione sua importat perpetuam vitæ consuetudinem, & societatem, ut omnes gentes bene moratæ agnoverunt, definientes matrimonium, quod sit viri, & mulieris conjunctio, *individuam* vitæ consuetudinem continens. §. 1. *Inst. de patria potest*; ergo matrimonium jure naturali, & ab intrinseco est individuum, & indissolubile: siquidem, quod ab intrinseco contractui competit, id jure naturali competit, sicut est translatio dominii in mutuo, jus utendi in commodato &c. *Prob.* 2. *pars de jure Div. Matth.* 18. *quod Deus conjunxit, homo non separet, Marci* 10. *& Luc.* 16. *qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur, & Rom.* 7. *Mulier, vivente viro, alligata est legi, &* 1. *Cor.* 7. *præcipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere;* qui textus generales indistinctè procedunt de matrimonio tam rato, quam consummato; ergo matrimonium de jure divino est indissolubile. *Tertia pars* de jure pontificio a nullo negatur, & constat *ex c.* 2. *& seqq. h. t.* & alibi passim. Doctores alii huic sententiæ non contrariantur, quia id solum volunt, quod matrimonio jure naturali non competat absoluta, & omnimoda indissolubilitas, ita ut in nullo casu dissolvi possit, & ex parte materiæ mutari: & ideo dicunt esse indissolubile jure naturali *conditionato*, hoc est, quod ex natura sua tamdiu sit indissolubile, quamdiu per legitimam potestatem non ponitur in his circumstantiis, in quibus dissolutio illius cohonestetur, & materia a præcepto naturali subducatur. Quod sane verum est, & doctrina ista generaliter procedit in omnibus præceptis naturalibus, quorum materia mutabilis, & in certis circumstantiis cohonestabilis, est maxime respectu habito ad supremum dominium divinum, cum Deus jus dare possit in vitam innocentis, in corpus solutæ, vel conjugatæ, in aliena bona &c. His præintellectis, *colligo* 1. quod Deus dissolvere possit matrim. non tantum ratum, sed & consummatum, non obstante naturali ipsius insolubilitate: quia sublato jure conjugum, quod utique subest dominio divino, defectu materiæ cessat obligatio juris naturalis, utpote non habens materiam, super qua cadat, Ex quo capite in lege Moysis maritus per libellum repudii, non propria privata, sed auctoritate Dei dissolvebat matrimonium etiam consummatum. Hodie, sublato per Christum libello repudii, insolubilitas naturalis restituta est matrimonio. *Colligo* 2. nec judæos, nec gentiles hodie posse dissolvere matrimonia etiam legitima tantum, non consummata; quia jure naturali ligantur, uti & divino, quo libellus repudii sublatus est. *Dices:* Patres dicunt matrimonium esse insolubile, quia sacramentum est ex Ephes. 5. *& cap.* 7. *hoc tit. & Can.* 15. *cum seqq.* 27. *quæst.* 2. *& Can. fin.* 28. *quæst.* 1. ergo indissolubilitas non competit matrimonio ab intrinseco, sed ab extrinseco ratione sacramenti. ℞. Argumentum istud nimis probare, quod scil. matrimonium ratum, quod proprie est sacramentum, non dissolvatur per professionem religiosam, bene vero consummatum, quod proprie sacramentum non est; item quod matrimonia infidelium, cum non sint sacramenta, valide ab illis dissolvantur, quæ omnia sunt falsa. Unde auctoritates istæ sane sunt intelligendæ, quod scil. matrimonium consummatum Christianorum nulla potestate humana fit solubile, quia est sacramentum, hoc est mysterium, seu signum speculativum significans insolubilem unionem Verbi Divini cum Ecclesia per carnem, vi cujus significationis adeo confirmata est naturalis insolubilitas matrimonii, ut hoc nulla humana auctoritate dissolvi possit: quod non habet matrimonium ratum, nec consummatum apud infideles, cum horum matrimonia dissolvi possint in illo casu, quo uni converso ad fidem, alter citra contumeliam Creatoris cohabitare non vult. Ex his cetera argumenta levia facile dissipantur.

4. ℞. 2. Matrimonium ratum quoad vinculum dissolvitur per professionem religiosam, idque jure divino, seu ex speciali privilegio Christi: 1. pars sub anathemate definita est a Trid. *sess.* 24. *Can.* 6. *si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*: idem habetur *c.* 2. 14. *de conv. conjug. Extrav. un. Joann. XXII. de voto*, ubi vis ista attribuitur professioni religiosæ; negatur vero SS. Ordinibus. 2. pars est Domin. Soto, Salmant. Sanchez *l.* 2. *de matr. disp.* 19. *n.* 3. cum citt. contra plerosque RR. docentes id fieri solo jure Ecclesiastico, & contra S. Bonav. Palud. & alios refundentes vim istam in jus naturale. *Prob.* 1. Professio religiosa *jure naturali* non solvit vinculum matrimonii rati: nam hoc jure matrimonium ratum est insolubile, imo impediret valorem professionis: siquidem homo per matrimonium uxori traditus, non habet potestatem tradendi se alteri, cum nemo det, quod non habet, 2. Neque professio mero jure ecclesiastico matrimonium ratum dissolvit: tum quia nullus Canon id asserens ostendi potest: siquidem Eusebius Papa *Can.* 27. *desponsatam* 27. *q.* 2. non condit novum jus, sed secundum antiquum pronunciat, desponsatam puellam posse sibi monasterium eligere; tum quia non est credibile, quod Ecclesia condiderit legem contra jus naturale, & voluerit alteri conjugi jus quæsitum tollere; tum quia Adversarii docent, Ecclesiam non posse condere legem, qua matrimonium ratum dissolvatur; ut patet ex illa opinione hodie improbabili, docente, quod Papa possit condere legem, qua matrimonium ratum solvatur per subsequens consummatum: sed si professio religiosa mero jure Ecclesiastico solveret matrimonium ratum, jam fuisset condita lex pro eo solvendo, ergo: tum denique, quia jus ecclesiasticum abrogari potest per contrariam consuetudinem *c. fin. de consuetud.* vel per contrariam legem, sed nec consuetudo, nec contraria lex induci potest, ut professio religiosa non solvat matrimonium ratum, sicut illud non solvunt vota simplicia Societ. Jesu; id enim adversatur exemplis Sanctorum, doctrinis Patrum, communi fidelium opinioni, & praxi continuo in Ecclesia observatæ; ergo. *Prob.* 3. directè de jure divino, non tam scripto, quam tradito: nam quod in Ecclesia semper observatum est, & non constat ab Ecclesia conditum fuisse, rectè refunditur in jus divinum, & institutionem Christi; sed semper in Ecclesia observatum fuit, quod professio Religionis dissolverit matrimonium ratum, idque adeo insolitum ab Ecclesia conditum fuisse non constat, imo exempla Sanctorum a nuptiis ad statum religiosum convolantium, uti S. Theclæ, S. Alexii, S. Cæciliæ, & aliorum reducuntur ad vocationem, & instinctum Spiritus Sancti, *c.* 2. *de conv. conjug.* ergo: tum quia Alex. III. *c.* 7. *ex publico eod.* docet matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi *secundum interpretationem sacri eloquii* & Innoc. III. *c.* 14. *eod.* non revocat se ad legem ecclesiasticam, ut alias solet, sed ad vestigia suorum Antecessorum, qui statim a principio tanquam divinam traditionem tenuerunt vinculum matrimonii rati solvi per professionem religiosam. *Ratio* congrua est, quia cum Christus instituerit statum religiosum sibi gratissimum, eumque nuptiis, & statui conjugali prætulerit, merito credendum est, etiam hoc privilegium speciale ei contulisse, ut per illius professionem solveretur vinculum matrimonii rati; non tamen consummati, quia huic Christus alligavit significationem suæ unionis cum Ecclesia. Ex his soluta manent argumenta contraria. Vide dicta supra *tit.* 6. *n.* 6.

5. ℞. 3. Vinculum matrimonii rati dissolvi potest dispensatione apostolica, modo adsit gravis, & publica causa: ita hodie com. sent. contra Scot. Sotum, Pont. Reiff. &c. Prob. ex *Matth.* 16. *v.* 18. *& Joan. ult.* B. Petrus,

rius, ejusque Successores acceperunt a Christo generalem potestatem ligandi, atque solvendi; sed sub hac generali potestate continetur etiam hæc particularis potestas dispensandi in matrimonio rato; tum quia hæc potestas videtur necessaria ad suave Ecclesiæ regimen, & salutem animarum; tum quia Pontifices facto suo declararunt sibi hanc potestatem competere, cum plures in matr. rato dispensaverint, ut Greg. VII. Paul. III. & V. Gregor. XIII. & alii, ut memorant historiæ: neque est credibile eos in hoc facto errasse, cum mature processerint, & cum deliberatione prævia, sicut Clem. VIII. 16. *Jul.* 1599. habita super hoc speciali congregatione; tum denique quia fideles pietate, & doctrina præstantes id continuo docent, & instar traditionis divinæ tenent, quod Christus Dominus eam potestatem dederit suo in terris Vicario *arg. cap.* 2. *& fin. de translat.* ergo. Quod vero ad valorem hujus dispensationis requiratur causa justa, gravis, & regulariter publica, patet ex generali doctrina, quod inferior sine justa causa non possit valide dispensare in jure superioris *cap. inferior d.* 20. sed Papa est inferior jure naturali, & divino, quo vinculum matrimonii rati est insolubile, ergo. Tales causæ sunt: nimia inæqualitas sponsorum in statu, ex qua timentur tristissimi eventus, timor gravium scandalorum, inimicitiarum, bellorum inter principes, superveniens impotentia in fæmina, per quam pro regni felicitate stemma propagari debuit &c. *Dices*: Matrim. ratum est jure naturali insolubile; sed Papa non potest dispensare in jure naturali etiam conditionato; alias etiam dissolvere posset consummatum, ergo. 2. Sequeretur, quod etiam princeps laicus in matrimonio rato subditorum infidelium dispensare possit. 3. Antiqui Pontifices nunquam dispensarunt; imo se non posse dispensare fatebantur *can.* 25. *& seqq.* 32. *q.* 7. *& c.* 7. *de convers. conjug. & c.* 14. *eod. ibi nisi forte secus fieret ex revelatione divina, quæ superat omnem legem*, & teste Abb. Innoc. VIII. respondit, se non posse dispensare. ℞. ad 1. Dist. m. si clare constet generalem potestatem eo se non extendere, C. m. secus N. m. Licet enim matrimonium ratum ab intrinseco, & de jure naturali conditionato non sit solubile, tamen ab extrinseco solvi potest potestate a Christo accepta, sicut & relaxari possunt vota, & juramenta. Sic Angelus ab intrinseco est incorruptibilis, & tamen ab extrinseco per virtutem divinam destrui potest. Paritas a matrim. consummato non urget: nam ei jure div. alligata est significatio unionis perpetuæ Christi cum Ecclesia per carnem, ob quod magnum sacramentum Ecclesia semper tenuit, & tenet matrimonia consummata fidelium non posse dissolvi per professionem religiosam, vel dispensationem pontificiam, licet dissolvi possint per Deum, cum Deus jus suum positivum, & jus naturale conditionatum relaxare possit. Hæc autem ratio non currit in matrimonio rato, quod ad summum significat unionem Christi cum anima per gratiam, & charitatem, pro hoc statu vitæ solubilem. *Ad* 2. Neg. seq. quia non constat principi laico hanc potestatem esse datam. *Ad* 3. Non omnia, quæ in Ecclesia facta sunt, scripta habemus. Dum Pontifices dicunt, se non posse dispensare, verum est, si deficiat justa, & gravis causa, sine qua valide non dispensatur in jure naturali, & divino. *Can.* 25. procedit de matrimonio consummato; vel si de rato, causæ ibi allegatæ non erant sufficientes ad dispensandum, cum justitia, & sufficientia causæ maxime desumenda sit ex circumstantiis; præsertim si ob aliam causam altiorem non expediat dispensatio bono publico *c.* 7. *&* 14. *cit.* in quo proponitur dubitatio de solutione matrimonii rati, dicit quidem illud dissolvi posse per professionem religiosam; dispensationis vero apostolicæ non meminit, quia de hac non fuit ulla quæstio. *Dices*: Trid. *S.* 24. *pr.* postquam dixisset, matrimonii nexum esse perpetuum, & indissolubilem, nihil aliud excepit, nisi solam professionem religiosam, quod per hanc dissolvatur matrimonium ratum fidelium *can.* 6. *ibid.* ergo manifeste exclusit omnem alium humanum modum, quo posset solvi matrim. ratum. ℞. nego conf. nam ex definitione Trid. plus non sequitur, nisi non esse de fide; Papam dispensare posse in matrim. rato, sicut de fide est illud solvi per professionem religiosam.

6. Q. III. *An vinculum matrimonii consummati dissolvi possit?* ℞. 1. Matrimonium consummatum fidelium nulla in terris potestate dissolvi potest: ita omnes Cathol. ex verbis Christi *Matth.* 19. *v.* 6. *quod Deus conjunxit, homo non separet*; quæ verba quo ad omnimodam indissolubilitatem intelligenda sunt de matrimonio fidelium consummato, ut docet Alex. III. *c.* 7. *in fin. de controvers. conjug.* & Patres passim. Unde 1. Vinculum matrim. consummati non solvitur ex causa molestæ cohabitationis, hæresis, absentiæ alterius conjugis, adulterii, vel alia simili: ita definit Trid. *S.* 24. *can.* 5. *&* 7. idemque docent antiqui canones in *causa* 32. *q.* 6. *&* 7. *per tot.* nam Christus clare dicit *Marci* 10. *v.* 11. *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & Luc.* 16. *v.* 11. *omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, &* 1. *Cor.* 7. *v.* 10. *His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit*, puta ex justa causa, v. g. fornicationis viri, *manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Ratio est*, quia Christus voluit per matrimonium consummatum significari indissolubilem unionem suam cum Ecclesia per carnem; tum quia multa mala ex tali dissolutione sequerentur: videlicet malum prolis, damnum alterius conjugis, & via lata aperiretur adulteriis, ut per illa matrimonia solverentur. 2. Matrimonia Hæreticorum valida, sunt omnino post consummationem insolubilia: nam pro his militant eadem argumenta. Nec obest, quod Hæretici erronee, & speculative teneant matrimonia non esse Sacramenta: sed ex conventione dissolvi posse: nam practice habent intentionem generalem contrahendi matrimonia, sicut in Ecclesia Christi contrahuntur: & sic eos contrahere omnino præsumitur, quia quisque præsumitur inire matrimonium validum potius, ex quo legitimos liberos habeat, quam invalidum. Si tamen hæreticus tam malitiosus foret, ut nollet aliud matrimonium contrahere, nisi solubile, nihil ageret, quia apponeret conditionem solubilitatis contrariam substantiæ matrimonii; & conf. invalide contraheret *cap. fin. de cond. apposit.* 3. Matrimonia consummata conversorum ad fidem non possunt dissolvi auctoritate Papæ, nam suscepto baptismo, statim modo insolubili significant unionem Christi cum Ecclesia per carnem *c.* 5. *de bigam.* ex qua significatione oritur summa ista insolubilitas.

Dices: 1. *Matth.* 5. *v.* 51. Christus ait: *omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat*, idem repetitur *c.* 19. *v.* 9. ubi Christus interrogatus, respondit de dissolutione vinculi matrimonialis, sicut fiebat per libellum repudii. 2. Eadem solubilitas insinuatur *Can.* 17. & 23. *causa* 32. *q.* 7. & *Can.* 6. *si qua mulier* 31. *q.* 1. ergo ℞. *ad* 1. Verba ista, ut concordent cum verbis aliorum Evangelistarum, recte intelliguntur de dimissione quoad thorum, & cohabitationem, estque sensus: qui sine justa causa fornicationis dimiserit uxorem, facit eam mœchari, hoc est, dat ei occasionem mœchandi, atque ita mœchia imputatur ei: Judæi enim interrogarunt de dimissione perfecta, quæ duo includit: separationem thori, & cohabitationis, & separationem vinculi: quoad primum Christus respondit, licitam esse separationem thori, & cohabitationis ex justa causa fornicationis: quoad secundum negavit fieri posse separationem vinculi, dicendo, *qui dimissam duxerit, adulterat*: non adulteraret autem, si ob priorem fornicationem separatio vinculi inducta fuisset: hinc etiam Apost. *l. c.* ait; mulierem dimissam debere manere innuptam. *Ad* 2. *Can.* 17. non reperitur in S. Ambrosio, & procedit secundum legem Juliam: at secundum legem Christi æqua est ratio viri, & mulieris, ut idem S. D. docet in *cap.* 16. *Lucæ. Can.* 23. *cit.* hunc habet litteralem sensum: si ante nuptias concubuisti cum sorore uxoris tuæ, neutram habere potes; istam propter impedimentum affinitatis; illam propter impedimentum publicæ honestatis. Uxori tamen ignaræ, datur facultas transeundi ad alias nuptias; viro autem delinquenti negatur ex *Can.* 22. *hi vero* 32. *q.* 7. *Can.* 6. *cit.* procedit de nuptiis post mortem conjugis contrahendis, sicut *c.* 1. *h. t.* Vide Bellar. & alios TT. Polemicos, ad quos quæstio ista spectat.

7. ℞. 2. Matrimonia consummata judæorum, & aliorum infidelium non possunt dissolvi. 1. *Per libellum repudii*, quia iste sublatus est a Christo; licet in lege Moysis non tantum permissus, sed etiam licitus fuerit ex cau-

ſa generali *fœditatis*, *Deut.* 24. ut communior tenet: quia etſi duritia judæorum cauſam libello dederit, tamen Deus in his circumſtantiis diſpenſavit, ut uxor licite, & valide dimitteretur, & alia duceretur. Oppoſitum tenet S. Hieron. Lyran. S. Bonav. Sot. &c. 2. Per *privatam*, vel *publicam poteſtatem* Papæ, aut principis laici: quia Papa juriſdictionem non habet in infideles: juriſdictioni autem temporali talem vim datam eſſe contra jus naturale, & divinum nullo textu, aut traditione conſtat.

8. ℞. 3. Si alter infidelium converſus eſt ad fidem, matrimonium legitimum in infidelitate contractum, non conſummatum, ſolvi poteſt per profeſſionem religioſam, ſicut matrimonia rata fidelium.

℞. 4. Si alter manens in infidelitate, circa contumeliam Creatoris nolit cohabitare conjugi converſo ad fidem, diſſolvitur matrimonium conſummatum; non tamen citius, quam converſus ad fidem ineat aliud matrimonium cum fideli; ita ut contractio ſecundi ſit diſſolutio primi. 1. *pars* eſt com. ex Apoſt. 1. *Cor. v.* 15. ubi dicit fidelem, a quo infidelis diſceſſit, non eſſe ſubjectum ſervituti, ſeu legi conjugali; ergo libellum habet tranſitum ad alias nuptias, ut ex perpetua traditione obſervatur in Eccleſia, & docetur *Can.* 3. & *ſeqq.* 28. *q.* 1. & *c.* 7. 8. *h. t.* nam ob favorem fidei Chriſtus hoc privilegium conjugi converſo ad fidem conceſſit, ſi infidelis nolit ei cohabitare ſine contumelia Creatoris, v. g. directe blaſphemando nomen Chriſti, ejuſque fidem; vel indirecte, inducendo fidelem ad peccatum. Hoc tamen privilegium non reperitur conceſſum, ſi ex fidelibus alter tranſivit ad paganiſmum, vel judaiſmum, etſi ei cohabitare nolit ſine injuria Creatoris, quia matrimonium fidelium conſummata ſunt omnino inſolubilia. 2. *pars* eſt S.D. in 4. d. 39. *q. un. art.* 5. S. Bonav. Sanchez cum citt. contra Innoc. Hoſt. Abb. &c. docentes, matrimonia tunc ſtatim diſſolvi, dum infidelis vel abſolute non vult cohabitare, vel non aliter, quam cum contumelia Creatoris. Ratio eſt, quia non apparet, quando tale matrimonium ſolveretur: non tempore baptiſmi, quia per hunc conjugia non ſolvuntur *c.* 2. *h. t. Can.* 1. *ſi quis*, 28. *q.* 2. non tempore intermedio, quia ſi alter deſiſtens a perfidia convertatur, alter prius ad fidem converſus tenetur eum recipere, *c.* 8. *h. t.* ergo ſupereſt, ut matrimonium iſtud diſſolvatur, dum contrahitur novum matrimonium contrarium priori, & cum eo incompoſſibile; ſicut in phyſicis vetus forma expellitur per novam, & generatio unius eſt corruptio alterius. His non obſtat textus Apoſtoli 1. *Cor.* 7. *v.* 15. & *Can.* 2. *cum ſeqq.* 28. *q.* 1. & *Can. fin.* 28. *q.* 2. nam ex textibus iſtis id ſolum colligitur, quod fidelis juſtam habet cauſam reſiliendi; non vero quod per ipſam alterius perfidiam prius matrimonium diſſolvatur. Unde ſi, v. g. judæa convertatur, & vir ejus judæus aliam ducat, & deinde convertatur ad fidem, antequam illa fideli nubat, reddi debet primæ uxori ad fidem converſæ; quia, cum primum matrimonium non fuerit diſſolutum, ſecundum jure naturali non valuit; & conſ. ſubſiſtente primo, judæus, & judæa ad fidem converſi in eodem remanere debent per *c.* 8. *h. t.* Talem caſum a Sac. Cong. Conc. deciſum legi Romæ 1730.

9. An vero in illo caſu, quo converſus ad fidem habet juſtam cauſam reſiliendi a conjuge infideli, matrimonium reſolvatur per profeſſionem religioſam; controvertunt DD. Negant Abul. Palao, Schmalz &c. ſed verius affirmant S. Bonav. Sanchez, Salmant. cum citat. nam profeſſio religioſa eſt fortior matrimonio rato, cum illud diſſolvat; ſed matrimonium in infidelitate conſummatum ſolvitur per ſequens matrimonium ratum, a converſo ad fidem initum; ergo multo magis ſolvitur per profeſſionem religioſam juxta tritum illud: *ſi vinco vincentem te, multo magis vinco te.*

10. Ceterum eo caſu, quo prius matrimonium diſſolutum eſt, infidelis non tantum valide, ſed etiam licite contrahit novum matrimonium; quia præceptum divinum id prohibens non extat, niſi quoad hoc, ne infidelis citius contrahat, quam converſus ad fidem: quo ſenſu explicatur *cap.* 7. *hoc tit. Can. fin.* 28. *quæſt.* 2.

11. ℞. 5. Si infidelis ſine contumelia Creatoris vult cohabitare fideli, non diſſolvitur prius matrimonium; ita docet Apoſtolus 1. *Cor.* 7. *v.* 12. & rationem dat: quia per conjugem fidelem ſanctificatur conjux infidelis: idem eruitur *ex c.* 7. & 8. *hoc tit.* Excipe, niſi cohabitatio fidelis cum infideli ſit valde perienloſa, uti regulariter eſt uxoris converſæ cum judæo *Can.* 10. *Judæi* 28. *q.* 1. quod tamen periculum non afferunt alii infideles: ſicut etiam hodie dicuntur Æthiopes, & Indi neophyti cohabitare conjugibus infidelibus.

12. Hæc de diſſolutione matrimonii, quoad vinculum. Nunc de divortio, ſeu diſſolutione, quoad thorum, & cohabitationem: cujuſmodi divortium eſt duplex: *Voluntarium*, quod fit ex mutuo conſenſu partium, dum ſtatus religioſus, vel Clericalis per ſac. Ordines aſſumitur; & de hoc in præſenti non agitur, ſed in *lib.* 3. *tit. de converſ. conjug. Coactivum*, dum conjux innocens, altero invito, ſeparatur, vel in perpetuum ex cauſa perpetua fornicationis, vel ad tempus ex cauſa temporali; uti eſt *hæreſis*, vel *apoſtaſia a fide*, *periculum animæ*, vel *corporis*, *ſævitia*, aut *furor mariti*, & *moleſta cohabitatio.*

13. Q. IV. *An, & quomodo ob cauſam fornicationis, ſeu adulterii fieri poſſit divortium, quoad thorum, & cohabitationem?* ℞. 1. Ex cauſa adulterii non tantum vir innocens, ſed etiam uxor innocens divertere poteſt, 1. *pars* habetur *Matth.* 5. & 19. quicumque dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis &c. *c.* 4. 5. 8. *h. t. pars* habetur *c.* 2. *h. t.* & *Can.* 5. *idolatria* 28. *q.* 1. ibi: *ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiſcentias poſſit ſine crimine, & vir uxorem dimittere, & uxor virum. Ratio* utriuſque eſt, quia jus naturale dictat, quod frangenti fidem fides non ſit ſervanda; cum omni contractui, adeoque etiam matrimonio inſit tacita conditio, *ſi alter fidem ſervaverit:* ſed ratio iſta prorſus eadem æqualiter procedit in viro innocente, ut ab adultera, & in muliere innocente, ut ab adultero ſeparari poſſit, ergo. *Dices:* libellus repudii fuit conceſſus tantum viris, & ideo Chriſtus *loc. cit.* tantum loquitur de viro. 2. Adulterium uxoris eſt gravius, ergo non eſt eadem ratio. ℞. *Ad* 1. Divortium in lege Chriſti non imitatur in omnibus libellum repudii; Chriſtus vero, quia interrogatus fuit de uxore dimittenda, ſuper hoc reſpondit, tacite innuens idem ſentiendum de viro dimittendo, ſicut Apoſtolus 1. *Cor.* 7. *v.* 12. docet mulierem diſcendentem a viro debere manere innuptam; ergo uxor ob adulterium mariti poteſt ab eo recedere. *Ad* 2. Neg. conſ. nam hic non attenditur gravitas delicti, ſed fractio fidei, quæ fit tam in viro, quam in uxore adulterante.

14. ℞. 2. Adulterium, ut ſit cauſa ſufficiens divortii, debet eſſe formale, non materiale, completum in ſua ſpecie, voluntarium, probabilius ſine gravi injuſto metu patratum, invito altero conjuge factum; ſecus ſi iſte expreſſe conſentiat, vel tacite non prohibendo, cum facile poſſet *c. 6. de eo, qui cognov.* plene probatum, ſaltem per violentas præſumptiones, de quibus duo teſtes deponant: nam hic verſamur in materia odioſa, adeoque adulterium ſtricte eſt accipiendum. Ceterum vir non cenſetur conſentire in adulterium uxoris, ſi cuſtodes, & teſtes criminis conſtituat, vel uxorem e domo ejiciat, vel ei debitum neget, & iſta fornicetur *c.* 4. *h. t. Can.* 3. *itane* 33. *q.* 2. *l.* 43. *ff. de rit. nupt.* ibi: *neque ignoſcendum eſt ei, quæ obtentu paupertatis, vitam turpiſſimam agit*: nam tali caſu contra maritum agere, non fornicari debet. Ceſſat autem cauſa adulterii, ſi & altera pars adulteret *c.* 3. *h. t. c. fin. de adulter.* quia adulterium adulterio compenſatur, & paria delicta, puta quoad intereſſe civile, mutua compenſatione tolluntur. Item ſi injuria innocenti illata remittatur per reconciliationem expreſſam, vel tacitam; ut ſi vir adulteram domi retineat, affectu maritali tractet, v. g. cum ea comedendo, ludendo, debitum petendo &c. Hac remiſſione facta, ſi pars innocens cadat in adulterium, dat alteri cauſam ſufficientem divertendi; neque prius adulterium, utpote condanatum, ei opponi poteſt, licet gratitudo ſuadeat reciprocam remiſſionem. *Dices:* Innocens tenetur adulterum dimittere: nam per *Can.* 1. *ſicut* 32. *q.* 1. *fatuus eſt, & injuſtus, qui retinet conjugem meretricem: nam patronus turpitudinis ejus eſt, qui crimen celat uxoris, & ejus peccati eſt particeps c.* 3. *de adult.* ergo injuriam adulterii remittere non poteſt. ℞. Neg. ant. ex *Can.* 5. *& ſeq.* 32. *q.* 1. quia tutius eſt adulterium non accuſare,

fare, *l.* 25. §. *illud de jurej.* & favori suo quisque renuntiare potest: *Ad pr.* jura ista procedunt in casu scandali, dum uxor monita, & non resipiscens, sine scandalo non potest a marito detineri.

15. ℞. 3. Si adulterium certum, & simul notorium est notorietate facti, aut juris, innocens propria auctoritate divertere potest a nocente. Hoc sensu procedit, *c.* 4. 6. *h. t. c.* 9. *de sponsal.* a sens. contr. *Can.* 5. *de Benedicto* 32. *q.* 1. nam innocens in tali casu non dicit sibi jus, sed potius utitur jure sibi ex natura matrimonii concesso: & aliunde in notoriis raro necessaria est auctoritas judicis, nisi in causis gravissimis, ut in solutione matrimonii quoad vinculum *Can.* 1. *saecularis* 33. *q.* 2. *& c.* 3. *h.t.* 2. Si de adulterio certo non constat, seu magna est præsumptio, divortium fieri nequit, nisi auctoritate judicis ecclesiastici, plene probato delicto: hoc sensu procedit *c.* 9. *de sponsal. c.* 4. *h. t.* nam per delictum incertum nemo privari debet jure certo; ergo nec conjux, donec coram judice ecclesiastico probetur plene adulterium. 3. Si adulterium parti innocenti est certo cognitum, non tamen publice notorium, practice loquendo divortium faciendum est auctoritate judicis ecclesiastici, S. D. in 4. *d.* 35. *q.* 1. *a.* 3. quia alias sequeretur scandalum; cum divortium saltem in foro externo non permittatur, nisi adulterium sit notorium, vel plene probatum. Si autem hoc probari nequeat, pars innocens certa de alterius adulterio cohabitare quidem tenetur, non tamen debitum reddere, nisi velit; quia frangenti fidem fides non est servanda; neque obligatio est parendi sententiæ judicis, utpote fundatæ in falsa præsumptione facti.

16. ℞. 4. Facto legitime divortio, conjux innocens non tenetur nocentem, etiam ut emendatum recipere, quia pœnitentia, & emendatio jus conjugale non restituit. At de æquitate, si id suadeat causa magni boni promovendi, aut mali avertendi, vel si injuria saltem tacite remissa est, facienda erit talis receptio, saltem ex debito honestatis, si non justitiæ, ut insinuat *Can.* 7. *quod* 32. *quæst.* 1. *& Can.* 7. *ego* 34. *quæst.* 1. *& c.* 3. *de adult.* Econtra si velit pars innocens, tenetur ad eam nocens redire, ne ex delicto suo commodum reportet, & præjudicet juri innocentis. Unde nocens non potest statum mutare, assumendo Religionem, vel Sac. Ordines, nisi nulla spes reconciliationis affulgeat; ut si nocens aliquoties eam petat, & innocens semper deneget; quia tacite innuit, quod nullo unquam tempore reconciliari velit: tunc mutato statu, nocens revocari non poterit. Pars vero innocens quandocumque pro placito suo statum mutare potest, quia juri, & servituti alterius non alligatur. 2. Si facto per sententiam divortio, pars innocens fornicetur, non tenetur recipere nocentem ad solam hujus petitionem, ut docet S. D. in 4. *d.* 35. *q. un. a.* 6. Salmant. &c. quia pars nocens per sententiam privata est jure proximo ad actus conjugales. At per implorationem officii judicis redintegrandum est matrimonium: tum quia sententia tacite fuit conditionata: *si actor non fornicetur;* tum quia causa divortii venit ad non causam; tunc autem agenti non officit exceptio rei judicatæ, *lib.* 2. *ff. de cond. sine caus.* Præter adulterium dari etiam alias causas, ob quas divortium fieri possit, quoad thorum, & cohabitationem, definit Trid. *sess.* 24. *Can.* 8. unde.

17. Q. V. *An, & quomodo ob adulterium spirituale, seu hæresim, aut apostasiam a fide, fieri possit divortium?* ℞. 1. Hæresis est causa sufficiens divertendi *c.* 6. 7. *h. t. & Can.* 5. *cum seq.* 28. *q.* 1. nam si periculum est perversionis, jus naturale dictat, & præcipit separationem: si vero non est periculum, jus permittit in odium hæresis recedere ab hæretico 2. Hæresis nec cum hæresi, nec cum adulterio compensatur: nam per hæresim non infertur injuria mutua conjugibus, sed Deo: per adulterium vero fit injuria conjugibus; ergo licet adulteria mutuo compensari possint, non tamen hæreses. 3. Si ob hæresim alter conjux propria auctoritate divertit, altero resipiscente, tenetur ad eum redire: quia hæresis per se non est causa perpetui divortii, sed temporalis, quo cessante causa, hæresis cessare debet. At si hæreticus per sententiam condemnatus est, divortium est perpetuum; quia sententia ista privat omnibus juribus; ergo & jure conjugali, *c.* 6. *h. t. c. fin. de hæret. in* 6. quo casu si catholicus transeat ad religionem, ab altero resipiscente revocari non poterit, *c. fin. de convers. conjug.* at si maneat in sæculo, licet forsan de rigore juris non teneretur resipiscentem recipere, tamen de æquitate videtur matrimonium redintegrandum, ut colligitur ex *c.* 7. *h. t.* nam causa divortii perpetui non est, nisi sola fornicatio a Christo assignata, utpote contraria fidei conjugali; hæresis vero non videtur esse causa divortii perpetui, nisi interim catholicus statum religiosum assumat: quo sensu explicatur *c.* 6. *h. t.* conformiter *c. fin. de convers. conjug. & c. fin. de hæret. in* 6.

18. Q. VI. *Quæ sint aliæ causæ, ex quibus fieri possit divortium?* ℞. Seqq. 1. *Periculum animæ*, dum alter conjugem inducit grave peccatum, v. g. in sodomiam, veneficia, latrocinia &c. *arg. c.* 5. *idololatria* 28. *q.* 1. nam jus naturale jubet vitare periculum animæ. Sublato tali periculo, cessat divortium, cum sit temporale. At si alter conjugum peccet, non tamen alium inducat in peccata, non est causa divertendi, *c.* 2. *h. t.*

19. II. *Periculum corporis*, dum ex cohabitatione alteri imminet grave damnum corporale, ut infectio ex lepra, & simili morbo; vel si maritus exerceat latrocinia, & uxor timeat, ne cum illo participet in delicto, & supplicio.

20. II. *Sævitia, aut furor mariti*, si maritus uxorem suam capitali odio persequatur, mortem, aut mutilationem serio attentet, vel minetur, vel veneno insidietur &c. Modica tamen verberatio, cum permissa sit marito correctionis causa, non dat causam divertendi. Gravis verberatio censetur, si sanguinolenta sit, non tamen ex naribus si vulnera relinquat, abortum causet &c. idque mensurandum est respective; quia minor verberatio sufficit ad probandam sævitiam mariti, si uxor nobilis, honesta, & publica sit, quam si plebeja, rixosa, turpis &c. Hæc pariter procedunt, si uxor sæva sit in maritum; quia & contra hanc maritus de jure naturali se tueri potest: præsertim si insidiæ vitæ struantur, licet sac. Canones loquantur tantum de sævitia mariti, quia hæc frequentior est; ergo ex hac causa maritus divertere potest. 2. Divortium ex causa sævitiæ faciendum est auctoritate judicis ecclesiastici *arg. c.* 1. 8. 13. *de restit. spoliat.* nisi sævitia sit notoria, vel periculum sit in mora, ut plerumque esse solet. Cessante sævitia, & data cautione per fidejussores, aut pignora; vel his deficientibus, per juramentum, uxor marito restituenda est; nisi ob capitale odium periculum pendeat in futurum, & tunc uxor petere potest sententiam divortii perpetui: quo casu pars innocens mutare statum potest, assumendo religionem: quæ tamen mutatio in divortio temporali nec nocenti, nec innocenti sine consensu alterius conceditur, cum præjudicet juri conjugali, quod per tale divortium non tollitur: 3. Furor superveniens, si nullum nocumentum alteri parti afferat, non est causa divortii, sed compassionis, licet cohabitatio sit molesta, *Can.* 18. *si uxorem* 32. *q.* 5. At si furor, vel amentia periculosa sit alteri, interim fiet separatio, donec furor curetur. Si vero ex medicorum confessione curatio desperetur, pars altera statum mutare potest, quia adest causa divortii perpetui, non absolute, sed conditionate: nam si præter opinionem conjux furiosus ad sanam mentem rediret, revocare posset conjugem ex religione; quia sententia lata est ex errore, & falsa furoris perpetui existimatione: talis autem sententia substat revocationi. Secus accidit in divortio ex causa perpetuæ sævitiæ: quia tunc conjux sævus in pœnam delicti privatur jure conjugali; & cons. revocare non potest conjugem ex religione, etsi totaliter sævitia cesset.

21. Q. VII. *Apud quem, facto divortio, proles educari debeat?* ℞. Apud innocentem: & quidem apud matrem expensis patris, & apud patrem expensis matris locupletis: nisi pater minus idoneus esset ad proles nutriendas, *Auth. si pater C. de divortio facto*, *Nov.* 117. *c.* 7. Hodie servanda est consuetudo locorum: id vero maximopere curandum, ne proles educetur apud conjugem hæreticum, vel apostatam, sed apud catholicum, ut educatio illius sit in gloriam Dei, & animæ salutem.

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum, & Uxorem, & de dote post divortium restituenda.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 23. *tit.* 3. *& seq. l.* 24. *tit.* 1. 3. In Codice *l.* 5. *tit.* 11. *usque ad* 23. *Nov.* 22. *c.* 26. *cum seqq.*

1. *Nota* 1. Inter conjuges donationem triplicem distingui: 1. *Donationem ob causam*, quæ non fit mere liberaliter, sed ex causa extrinseca, v. g. propter matrimonium, uti dos, & donatio propter nuptias. 2. Donationem *remuneratoriam*, seu *antidotalem*, quæ fit ex gratitudine ob aliquod beneficium, aut servitium præstitum. 3. Donationem mere *liberalem*, *& gratuitam*, quæ fit ex solo motivo liberalitatis, & ob nullam aliam causam extrinsecam: & hæc proprie, & stricte est donatio, vel inter vivos, vel mortis causa.

2. *Nota* 2. Dotem a donando dici, eamque tripliciter accipi: 1. *Formaliter* pro pacto, quo bona dotalia determinantur. 2. *Objective*, seu materialiter pro ipsa re, seu bonis in dotem datis. 3. *Effective* pro jure, quod marito, vel uxori in bona dotalia competit. Dotis correlativum est *donatio propter nuptias*, seu *contrados*, quæ iisdem tribus modis accipitur. Hic duo ista potissimum accipimus objective: quo sensu *dos* est certa res in specie, vel quantitate, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine datur marito ad sustinenda onera matrimonii, puta ad alendam uxorem, liberos, & familiam. *Donatio propter nuptias* est certa res in specie, vel quantitate a marito, vel alio ejus nomine destinata in securitatem dotis: unde sequitur conditiones dotis, eique adæquari debet. Olim dicebatur *donatio ante nuptias*, quia ante has fieri debuit, ita ut, constante matrimonio, nec fieri nec augeri potuerit, *l.* 1. *& seqq. ff. h. t.* sed ex Constitutione Justiniani Imp. dicta est *donatio propter nuptias*, & constante matrimonio, non solum augeri, sed & initialiter constitui potest exemplo dotium *l.* 19. *& fin. C. de donat. ante nupt.* §. 3. *In. de donationib.*

3. *Nota* 3. Dotem dividi: 1. In *promissam*, quæ pacto promittitur absque traditione: quod pactum ex assistentia legis vim habet stipulationis *l.* 6. *C. de dotis promiss. & constitutam*, quæ vel actu inter vivos est tradita, vel per ultimam voluntatem relicta. Neque extirpanda est ex jure *dos promissa*, ut vult Lauterbach, cum *cit. rubrica codicis* de illa habeatur, & frequenter ejus mentio fiat in jure, ut *l.* 57. 59. &c. *ff. de jure dot.* 2. In *profectitiam*, quæ datur a patre, vel alio ascendente, vel ab extraneo contemplatione patris *l.* 5. *pr. &* §. 2. *ff. eod. & adventitiam*, quæ extrinsecus advenit, non a patre, vel ascendente alio, sed vel a matre, avo materno, fratre, vel alio extraneo, *lib.* 33. *& seqq. ff. eod.* Si ipsa uxor sibi dotem constituat, non habet proprium nomen, licet dicatur profectitia *l.* 5. §. 11. *ff. eod.* Præter dotem, seu bona dotalia habet uxor bona *paraphernalia*, *& receptiva*. *Parapherna* stricte accepta sunt illa bona, quæ uxor absque dotis titulo tradidit marito administranda *l. fin. C. de pact. convent.* Late autem accipiuntur pro *receptitiis*, quæ uxor sibi reservavit, neque voluit esse in potestate mariti.

4. *Nota* 4. Ad donationes conjugum referri etiam morganaticam, munera nuptialia, & dotalitium: quæ pro usu regionum varie a variis explicantur. *Morganatica*, seu *morgengaba*, latine donum matutinale, est donatio, quam maritus facit uxori altero nuptiarum die in remunerationem delibatæ virginitatis. *Munera nuptialia* sunt illæ donationes, quæ fiunt a parentibus, & amicis in gratiam novorum conjugum, ut æqualiter inter eos dividantur. *Dotalitium*, seu *usufructus* est id, quod a marito constituitur uxori in compensationem dotis. Unde uxor, si velit dotalitio frui, doti ab hæredibus mariti repetendæ renuntiare debet, Schmier &c. Jam in hac materia ampla, ad jus civ. pertinente, stricte agam, primum de donante, deinde de donationibus inter virum, & uxorem: tandem de restitutione dotis, soluto matrimonio.

5. Q. I. *Quis, qua forma, & in qua re possit dotem promittere, aut constituere?* ℞. 1. Non tantum mulier pro se ipsa, sed quiscumque alius liberam rerum suarum administrationem habens, potest pro muliere dotem constituere, vel promittere, *l.* 41. *ff. de jure dot. l. fin. C. ad SC. Vellej.* nam beneficium alteri præstare nemo prohibetur. 2. Ipsa mulier non tenetur se ipsam dotare, cum matrimonium absolute sine dote consistere possit, *l. fin. V. sicut autem C. de donat. ante nupt.* & ideo si mulier permittat maritum rebus suis uti absque ulla mentione dotis, non præsumitur eas in dotem dedisse; sed ut paraphernalia tradidisse. 3. Inter eos vero, qui obligantur mulierem dotare, est primo *pater*; quia *paterni officii est dotem*, *vel donationem propter nuptias pro sua dare progenie l. fin. C. de dotis promiss. l.* 19. *ff. de ritu nuptiar.* etsi filia sit dives, vel nupserit absque mentione dotis; quia jura indistincte loquuntur. In defectum patris obligatur avus paternus *l.* 6. *ff. de collat.* tum mater *l.* 14. *de jure dot.* & probabiliter frater pro sorore germana, aut consanguinea, saltem de honestate dotem dare debet *arg. l.* 12. §. 3. *ff. de admin. tut.* De jure Can. deflorator tenetur defloratam ducere, vel eam dotare, *c.* 1. *&* 2. *de adult.*

6. ℞. 2. Promissio, vel constitutio dotis fit per *pacta dotalia*: quæ sunt conventio super dote danda, conservanda, vel retinenda, vel super bonis ceteris. *Simplicia*, quæ fiunt actu inter vivos, seu mero contractu, de jure com. valent, nec testes requiruntur, nisi duo ad probationem, suntque per se irrevocabilia *l.* 2. 14. *ff. de pact. dotal. Mixta*, quæ transeunt in ultimam voluntatem, & futuram conjugum successionem continent, reprobantur a jure com. *l.* 5. *C. de pact. convent.* sed ex consuetudine sustinentur; dummodo solemnitates ultimæ voluntatis habeant.

7. ℞. 3. In dotem dari potest res quæcumque mobilis, vel immobilis, corporalis, vel incorporalis, usus-fructus, vel proprietas, *l.* 4. *& seqq. C. & l.* 7. *&c. ff. de jure dot.* imo & feudum; attamen absque æstimatione permodum venditionis *l.* 2. *F. tit.* 13. 17. *&* 55. *pr.* Si omnia mulieris bona in dotem data, ei læsæ succurritur *l.* 4. *C. de jur. dot.* Si vero res aliena bona fide data est, transfertur in maritum conditio usucapiendi ex *tit. ff. pro dote.* Si tandem proprium debitum mariti in dotem datum est, is liberatur a solvendis usuris; alioquin nullum fructum ex dote haberet, *l.* 76. *ff. de jure dot.*

8. ℞. 4. Effectus *dotis promissæ* ex parte promittentis est obligatio eam constituendi, seu tradendi, & ex parte promissarii est jus, & actio ex *stipulato* ad illam, secutis nuptiis, exigendam, *l. un.* §. 1. *C. de rei uxor. act.* 2. Effectus *dotis constitutæ*, seu *traditæ* est in marito dominium civile bonorum dotalium, ita ut fructus percipere, & constante matrimonio, suo nomine pro bonis istis agere possit; & econtra obligetur ad onera matrimonii sustinenda. *l.* 7. *ff. de jur. dot.* Et quidem si in dotem datæ sunt res mobiles, vel quantitates immobiles *æstimatæ permodum venditionis*, maritus fit absolutus illarum dominus, & ad eum pertinent commoda, & incommoda, seu pericula; ita ut soluto matrimonio, teneatur æstimationem præstare, vel ipsas res, etsi deterioratæ sint sine culpa illius restituere, *c.* 10. 42. *ff. de jure dot.* At si res immobiles non æstimatæ permodum venditionis, licet taxatæ sint ad explorandum pretium, in dotem datæ sint, maritus non fit illarum absolutus dominus, sed tantum fictus, seu civilis, dominio vero, & naturali remanente penes uxorem: & ideo si res istæ casu pereant, pereunt uxori tanquam dominæ. Neque maritus tales fundos dotales etiam cum consensu uxoris, alienare potest, nisi mulier biennio exacto, de novo in talem alienationem consentiat, cum elidatur præsumptio de muliere seducta, *Nov.* 61. *cap.* 1. §. 1. vel nisi alienationi accedat juramentum mulieris, *cap.* 28. *de jurejur.* At respectu paraphernorum maritus nullo modo fit dominus, sed merus administrator, seu procurator, attamen sine mandato; & licet fructus ex iis collectos possit expendere in usus communes, sibi & uxori *cap. fin. C. de pact. convent.* non tamen eos lucratur, sed soluto matrimonio, tenetur extantes, vel male consumptos cum paraphernis restituere, Menoch. Engl, & alii. Hæc proportionaliter applicanda sunt donationi propter nuptias, quæ imitatur dotes, & soluto matrimonio, redit ad maritum, vel patrem, aut alium extraneum donantem, sicut dos ad uxorem, §. 3. *In. de donat. Nov.* 97. *cap.* 1. *&* 2. Jam occasione bonorum extradotalium (dotalia enim alienari prohibentur) quæ-

quæstio oritur, an uxor, & maritus ex illis aliquas sibi donationes facere possint? pro quo sit.

9. Q. II. *An valeant donationes inter virum, & uxorem*? ℞. 1. Donationes mere liberales, quibus donans efficitur pauperior, inter conjuges factæ, sunt invalidæ de utroque jure, *l. 1. ff. & c. fin. h. t.* ne conjuges mutuo amore spolientur, ne conjugalis concordia sit venalitia, & ne ipsa matrimonia discutiantur, & dissolvantur, si non donet is, qui posset, ut ait Paulus *lib. 2. eod.* consuetudo tamen moderatas donationes permittit. Porro donatio ista ex parte donantis, utpote invalida, nullam obligationem inducit: ac proinde donatum repeti potest, ita exigente bono publico *l. 3. §. 10. eod.* At ex parte donatarii, rem ex voluntate domini retinentis, nulla est iniquitas, donec res per donantem revocetur, & tunc obligatio est restituendi. Exempla talium donationum vide in *ff. h. t.* At ceteri contractus ad æqualitatem inter conjuges celebrati, sunt validi, cum alter non fiat pauperior, nec alter ex bonis alterius locupletetur *l. 5. §. 5. ff. h. t.*

10. ℞. 2. Donationes ob causam extrinsecam factæ, v. gr. ob causam necessitatis, commiserationis, pietatis, vel commodi in donantem resultantis, sustinetur; ut si uxor aliquid marito donet pro refectione ædium, pro gradu doctoratus &c. vide *l. 5. 14. 15. 40. 43. ff. h. t.* Donationes modicæ, v. g. in die natali, aut onomastico *l. 3. §. 8. l. 42. eod.* 3. Donationes inter Augustum, & Augustam *l. 26. C. h. t.* uxor tamen, vivente patre suo, non potest omnia sua pretiosa Augusto donare Konig 4. Donationes remuneratoriæ, modo non sint excessivæ; cum non sint propriæ donationes ex mera liberalitate, *l. 1. 17. ff. de donat.* 5. Repudiatio hæreditatis, vel legati facta in gratiam uxoris substitutæ, quia repudians non perdit de suo, sed tantum non acquirit, *l. 7. §. 13. 14. ff. h. t.* 6. Cessio lucrorum ante nuptias facta ex pacto; quia vim habet contractus onerosi; at post nuptias, ubi jus quæsitum est ad lucra communia, non potest fieri talis cessio; quia per illam patrimonium cedentis diminuitur: dos tamen non tradita, uxori remitti potest *l. 54. ff. h. t. l. 19. v. sed etsi C. de donat. ante nupt.*

11. ℞. 3. Donatio invalida, si non revocetur, morte donantis conjugis convalescit *c. fin. h. t. l. 23. §. 1. ff. & l. 25. C. eod.* nam tunc cessat motivum prohibitionis, scilicet ne amor conjugum sit venalitius; dummodo donatio 500. solidos excedens facta fuerit cum insinuatione apud judicem, & res donata sit saltem ficte tradita donatario, *l. 23. ff. h. t.* quo casu etiam fructus rei donatæ fiunt donatarii; quia confirmatio per mortem retrotrahitur ad tempus, quo donatum fuit, *c. 25. C. h. t.* 2. Morte civili donantis, licet donatio confirmetur respectu fisci, ut is eam revocare non possit: non tamen confirmatur respectu donantis; quia is hodie non fit servus pœnæ: si vero factus est servus hominis, vel religiosus, donatio auctoritate domini, vel prælati revocari potest; nisi religio incapax esset successionis: ita hæc statuuntur *l. 24. cum seq. auth. & l. 25. C. h. t.*

12. Q. III. *Quando dos repeti possit? & quæ veniant in dotis restitutionem*? ℞. 1. Dos regulariter repetitur, soluto matrimonio *c. fin. h. t.* quia cessat causa sustinendi onera matrimonii; nisi conventum sit de dote lucranda *l. 10. C. de pact. convent.* Constante autem matrimonio, dos in tribus casibus repeti potest: si maritus sua culpa ad inopiam vergat: si pœnam confiscationis patiatur, si uxor non habeat, unde alat liberos prioris matrimonii, parentes, fratres, & sorores, *l. 24. ff. solut. matr. l. 31. eod.* nisi maritus ad inopiam vergens, velit dare fidejussores: quo casu judex arbitrabitur, an dos remanere debeat apud maritum, vel deponi apud sequestrem, ut is marito fructus det pro sustinendis oneribus matrimonii: ita Can. *ex c. 7. h. t.* licet Legistæ velint, in casu inopiæ dotem non esse relinquendam marito. 2. In restitutionem dotis venit, quidquid maritus dolo, vel culpa lata, aut levi in re dotali fecit, *l. 17. ff. de jure dot.* Si quantitates, vel corpora permodum venditionis æstimata, perierunt fortuito, periculum est mariti tanquam domini; adeoque æstimationem restituere debet. Si autem res immobilis, vel mobilis non fungibilis, non æstimata per modum venditionis, casu periit, damnum est uxoris, tanquam dominæ, & conf. non venit in restitutionem dotis. Privilegia dotis vide *lib. 3. tit. de pignor.* 3. In restituenda dote marito competit beneficium, seu *exceptio competentiæ*, ne cogi possit in solidum, sed in quantum potest, salva sua honesta, & competenti sustentatione, *lib. 13. 15. ff. solut. matrim.* quia inhumanum est, ut uxor maritum in paupertatem redigat. Quia vero exceptio ista est personalis, non competit hæredibus mariti, nec directe fidejussoribus. De quo vide in meis disput. civil. *Disput. 19. Controv. 2.* Ceterum præter dotem alia bona, & lucra, quæ quilibet conjugum ex sua pecunia sibi comparavit, non sunt restituenda *l. 6. C. si quis alteri. l. 12. C. de jure dot.* nisi communiter utrique obvenissent, v. g. ex legato, donatione &c. quo sensu procedit *cap. 2. h. t.*

13. Q. IV. *Cui dos restituenda sit*? ℞. 1. Si ipsa uxor dotem dedit, dos ei, vel ejus hæredibus restitui debet *lib. unic. princ. Cod. de rei uxor. act. 2.* Si dos fuit profectitia a patre, vel alio paterno ascendente, & durante patria potestate, matrimonium solvatur, dos redit ad dotantem, non vero ad hæredes dotatæ, nisi aliter conventum sit *lib. 4. Cod. solut. matrim. libr. 10. ff. eod.* nam liberi, licet matri succedant, exclusis ascendentibus, ista tamen successio non est in bonis profectitiis, Reiff. ex *Nov. 118. cap. 1.* At si dotata fuit emancipata, sicut ex consuetudine Germaniæ communiter per nuptias emancipatur, dos redit ad uxorem, vel ejus hæredes, *cit. lib. unic. Cod. de rei uxor.* quia per emancipationem dos desinit esse profectitia. 3. Dos adventitia cum pacto restitutionis data, redit ad donantem, secluso tali pacto, remanet uxori, vel ejus hæredibus, quia censetur esse donata, *cit. lib. unic. §. 13.* 4. Si matrimonium bona fide cum impedimento dirimente contractum est, dos uxori, & donatio propter nuptias marito restituitur, excluso beneficio competentiæ *cap. 1. h. t.* nam datum ex causa, causa non secuta, repeti potest in solidum, cum hic cesset reverentia maritalis. At si scienter matrimonium contractum est cum impedimento dirimente, dos, & donatio propter nuptias amittitur, & fisco applicatur, *lib. 4. Cod. de incest. nupt.* quæ lex videtur comprehendere omnia matrimonia de jure Can. reprobata; nisi consuetudo aliter jura ista interpretetur. Et hæc de restitutione dotis procedunt, sive matrimonium solvatur tantum quoad thorum, & cohabitationem, sive quoad vinculum per mortem.

14. Q. V. *Quando amittatur dos, vel donatio propter nuptias*? ℞. 1. Si ex causa adulterii formalis in specie sua completi fiat divortium, uxor innocens donationem suam repetit, & lucratur dotem; ut hoc modo gravissima injuria per adulterium illata, aliquatenus innocenti compensetur: ita de utroque jure *c. 4. plerumque h. t. l. 8. §. 4. 5. C. de repud. Nov. 117. c. 8. §. 2.* Quæ tamen jura pœnalia non extenduntur ad oscula, tactus, & alias causas, ex quibus fit divortium: imo probabilius nec ad casum copulæ sodomiticæ, utpote non expressum. Recte tamen Clar. Far. Reiff. & alii dicunt huic pœnæ esse locum, si in matrimonio putativo committatur adulterium, quia est formaliter tale, licet deinde detegatur impedimentum dirimens. Neque jura ista extenduntur ad bona parapherna uxoris, quia non sunt dos. Nomine *dotalitii* in *cap. 4. h. t.* venit vel donatio propter nuptias, Sanch. & alii, vel ususfructus dotis loco constitutus, vel pretium, & æstimatio dotis datæ in rebus numero, pondere, & mensura constantibus.

15. ℞. 2. Cessat amissio dotis, vel donationis propter nuptias in casib. seqq. 1. Si adulter reconcilietur innocenti, sive ante, sive post sententiam divortii reconciliatio facta sit: siquidem *c. 4. h. t.* casus reconciliationis expresse, & indistincte excipitur. 2. Si uterque sit reus adulterii, quia tunc pœna mutua compensatione tollitur *cap. 5. & fin. de adult. l. 39. & 47. ff. solut. matr.* 3. Si maritus consensit in adulterium uxoris, vel leno fuit *cit. lib. 4.* Si extent liberi ex eodem, vel priori matrimonio; tunc enim proprietas dotis eis cedit, & ususfructus manet penes innocentem, quamdiu vivit, *Nov. 117. cap. 8. vers. Si enim filios.*

TITULUS XXI.

De secundis Nuptiis.

Agitur de hac materia in Decreto 31. *q.* 1. *&* 34. *q.* 1. 2. In Codice *h. t.* & Novellis *eod. tit.* allegatis.

1. Soluto quoad vinculum matrimonio, transiri solet ad secundas nuptias, quarum nomine veniunt etiam tertiæ, & ulteriores; suntque per se non tantum validæ, sed & licitæ omni jure; *naturali*, quia soluto vinculo, & jure conjugali, nullum obstaculum est corpus suum alteri tradendi ad usum conjugalem, *Divino*, quod insinuat Apostolus 1. *Cor.* 7. *v.* 39. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat: Ecclesiastico,* ex *toto h. t.* quæ jura quotidiana praxi firmata sunt. Illustre est exemplum, de quo meminit Menoch. quod quædam fœmina, tempore Damasi Papæ, successive vigesimo viro nupserit, qui antea viginti quinque uxores sepelierat. Erant tamen in Ecclesia Orientali certæ causæ, ob quas tertiæ, & ulteriores nuptiæ non facile admittebantur, prout notat Spondan. & alii ex *Can.* 8. *& seq.* 31. *q.* 1. *&c.*

2. Q. I. *Quid requiratur ad hoc, ut secundæ nuptiæ rite contrahantur*? ℞. 1. Notitia moraliter certa de obitu prioris conjugis *c.* 19. *de sponsal.* ubi requiritur *nuncium certum*, puta in genere neutro, seu relatio certa de morte conjugis prioris, & *c.* 2. *h. t.* Lucius III. rescribit christianis in captivitate positis: *id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus. Constare* autem est *notum certo esse. Ratio est,* quia probabilis notitia non sufficit ad secundas nuptias; tum ne jus certum per incertum tollatur; tum ne irreverentia priori sacramento inferatur, & secundum invalide attentetur; tum quia præsumptio de vita est fortior, donec contrarium certo probetur, *l. fin. C. de SS. Eccl.* Ita explicatur *Can.* 1. *cum seqq.* 34. *q.* 1. Nec obstat *c. fin.* §. *porro, ut lite non cont.* nam ibi *verisimilis notitia* requiritur, ne conjugi alteri absenti defensio exceptionis præcludatur contra judicium, quo matrimonium ob impedimentum dirimens dissolutum fuit.

3. ℞. 2. Notitia certa coram judice Ecclesiastico probanda est per indicia moraliter certa, uti sunt 1. Si parochus testetur, quod mortuum conjugem sepelierit. 2. Si id testetur magistratus politicus, militaris, vel notarius publicus. 3. Si duo testes de visu deponant de obitu illius, quod interfuerint ejus morti, sepulturæ, aut viderint ejus sepulchrum. Ipsa tamen pars matrimonium petens, non admittitur pro hoc testimonio, cum generaliter in propria causa nemo sit testis idoneus, *l.* 10. *ff. & l.* 10. *C. de testib.* 4. Si præter unum testem de visu adsint alia indicia verisimilia mortis, v. g. quia maritus fuit senex, æger, constitutus in periculosa navigatione, vel loco peste infecto, vel in pugna, ubi multi perierunt, vel si testes deponant ex fama, quod hoc audiverint a majori, vel digniori parte civitatis, aut legionis &c. Secus sola fama sine adminiculis non probat; uti nec unus testis, quia vox unius, vel vox nullius *c.* 10. *in fin. l.* 9. *C. de test.* Excipit Sanchez casum, quo conjugis obitus dicitur accidisse in loco valde remoto, unde probatio separari non possit: si enim plena probatio non speratur, sufficit probatio ex conjecturis *l.* 5. §. 6. *ff. de re militar.* Schmalz. & alii.

4. ℞. 3. Habita certitudine morali, parochus, nulla Ordinarii licentia petita, assistere potest matrimonio: nam tali casu habet licentiam copulandi a jure datam, & cum certus sit, certiorari ulterius non debet, per *reg.* 31. *in* 6. In dubio autem recurret ad Ordinarium, cujus judicare est de sufficientia indiciorum. Quod si Ordinarius videat probationem non usquequaque esse plenam, defert juramentum conjugi, quod non sciat, neque credat conjugem amplius vivere, Reiff.

5. ℞. 4. Si post matrimonium bona fide contractum conjux moraliter certo resciat priorem conjugem adhuc vivere, illico abstinere debet ab omni usu matrimonii; quia hoc ob impedimentum ligaminis est invalidum, etsi nullitatem matrimonii statim probare nequeat, *c.* 1. *in fin.* 34. *q.* 1. *c.* 2. *h. t.* Si vero conjux, quo vivente, matrimonium contractum est, jam mortuus fuit, matrimonium novo consensu convalidandum erit, & tunc licebit eo uti. Si dubium oriatur, eadem observanda erunt, quæ dixi *tit.* 1. *n.* 48.

6. Q. II. *An benedicendæ sint secundæ nuptiæ*? *Ante resp. nota* benedictiones nuptiales, aliasque cæremonias, quæ fiunt ad honorem hujus sacramenti, & gratiam conjugali statui necessariam impetrandam, licitas omnino, & honestas esse, ut sub anathemate definit Trid. *sess.* 24. *Can.* 11. Danda autem est benedictio primis nuptiis ex præcepto Ecclesiæ, quod secluso contemptu, non videtur graviter sub mortali obligare, cum Trid. potius hortetur ad illam recipiendam, quam graviter præcipiat, ibid. *c.* 1. *de ref. matr.* & conf. consummatio matrimonii ante benedictionem susceptam non videtur excedere veniale peccatum. Spectat vero benedictio ista ad parochum proprium; secus alius sacerdos, qui sine licentia parochi ausus fuerit benedicere nuptias, ipso jure incurrit suspensionem, donec ab Ordinario illius parochi absolvatur. Vide supra *tit.* 3. *n.* 26.

7. ℞. 1. Cum jus commune non sit certum circa benedictionem secundis nuptiis impertiendam, attendi debent consuetudines, statuta, & Ritualia cujusque diœcesis. Sunt autem hic variæ sententiæ. 1. Docet secundis nuptiis nunquam dari posse benedictionem ob generalem textum *c.* 3. *h. t.* & ideo pœnam suspensionis statutam esse benedicenti, *c.* 1. *eod.* Tabiena &c. 2. Docet semper illam dari posse, quia benedictio ista, cum non sit sacramentum, iterabilis est, non obstante *c.* 3. *h. t.* cui locus est eo casu, quo benedicuntur nuptiæ secundæ, primis constantibus, Lopez. 3. Docet benedictionem non esse dandam, sive vir, sive mulier in primis nuptiis benedictionem accepit, quia pars benedicta trahit ad se non benedictam, Covar, & alii. 4. Docet benedictionem esse dandam, si viduus ducat virginem; non vero si vidua transeat ad secundas nuptias. Hæc sententia videtur frequentior in praxi, & pro ea allegari solet S. D. in suppl. *q.* 63. *a.* 2. *ad* 3. *Ratio* congrua sumitur ex significatione hujus sacramenti, quæ non ita perfecte solvatur, si mulier sit binuba, quia sponsa Christi est unica Ecclesia, in qua tamen Christus habet plures personas desponsatas. Ceterum cum benedictio impendatur personis, non erit repetenda, si revalidetur matrimonium nulliter contractum.

8. ℞. 2. Suspensio lata in *c.* 1. *h. t.* contra benedicentem secundas nuptias in casu non permisso, videtur restringenda ad casum, quo sacerdos benedicit nuptias secundas, primis exstantibus, vel existente dubio de morte prioris conjugis, conformiter Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de refor. matr.* alioquin pœna ista esset nimis gravis, & gravitatem delicti excedens: ita Joan. Andr. Menoch. Sanch. Reiff. & alii: imo Abbas, aliique cum illo dicunt non esse ibi constitutam pœnam ordinariam, sed specialem pro illo duntaxat casu, qui ibi accidit.

9. Q. III. *Quæ sint pœnæ binubentium*? Nota pœnas istas a jure civ. introductas esse triplicis generis: Aliæ sunt pœnæ propriæ dictæ, quæ statutæ sunt in odium, & vindictam præmaturi transitus ad secunda vota. Aliæ sunt pœnæ improprie dictæ, seu subtractiones favoris sub conditione concessi; si conjux ad secunda vota non transiverit, idque in favorem, & utilitatem liberorum ex priori matrimonio existentium; adeoque illis non existentibus cessant, *l.* 3. §. 1. *C. h. t.*

10. ℞. 1. Pœnæ primi generis proprie dictæ, latæ contra viduam intra annum luctus nubentem, sunt quinque: 1. *Infamia*, qua notatur tam mulier quam vir eam ducens, & quidem ipso jure *l.* 1. *C. h. t. l.* 1. §. 11. *ff. de his qui not. infam. l.* 15. *C. ex quib. caus. infam. irrog.* ut evitetur turbatio sanguinis, & incertitudo prolis. Quæ ratio cessat in viduo, ac proinde is citra infamiam quandocumque ad secunda vota convolare potest. 2. Incapacitas disponendi, ne mulier plus tertia parte bonorum titulo dotis, vel per ultimam voluntatem in maritum transferre possit, sed duæ partes maneant prioribus liberis, vel aliis legitimis hæredibus, atque ita mulier partim testata, partim intestata decedat, *lib.* 1. *Cod. h. t.* idem dic de donationibus, cum non convalescant, nisi per mortem. 3. *Incapacitas* obtinendi hæreditatem, legatum, fideicommissum, mortis causa donationem ab alio, quam marito secundo, *ibid.* 4. *Amissio omnium eorum*, quæ prior vir sibi reliquit titulo hæreditatis, legati, aut alio simili, *cit. l.* 1. *&* 2. *eod.* quæ bona cedunt consanguineis

viri

viri primo, vel secundo gradu conjunctis, & his deficientibus fisco 5. *Incapacitas* succedendi ab intestato consanguineis ultra tertium gradum, *ibid.* Unde mulier non succedit filio patrui, quia est in quarto gradu secundum jus civ. quod in successionibus observatur. Pœnæ istæ non extenduntur ad virum binubentem, cum in hoc non currat eadem ratio, *l. 4. C.ad SC. Tertull. Nov. 22. c. 22.*

11. ℞. 2. Pœnæ secundi generis impropriæ dictæ sunt pariter quinque: *Amissio dominii directi* eorum, quæ ex liberalitate, vel ultima voluntate mariti ad eam pervenerunt, ita ut retineat solum usumfructum, & proprietas cedat prioribus liberis *l. 3. & 6. §. 1. C. h. t.* idem dic de viduo *l. 5. pr. & §. 1. eod.* 2. *Incapacitas* plus dandi marito, quam uni ex liberis etiam in minima portione, legitimam tamen adæquante, *l. 6. 10. pr. eod.* ne insano amore novi conjugis capta, plerasque facultates in eum effundat. 3. Amissio tutelæ liberorum, *l. 2. & auth. sacramentum C. quando mulier. tut. offic.* imo si a judice non petierit tutorem liberis dari, incidit in pœnas nubentibus intra annum luctus constitutas, *auth. eisdem C. eod. Nov. 22. c. 40. v. ideoque.* Quæ tamen dispositio non extenditur ad executionem testamenti, quia in odiosis arg. a tutela non valet ad testamentum. 4. Privatio educationis liberorum, qui apud alium educari debent, *l. 1. C. ubi pupill. educ. Nov. 22. c. 38.* 5. *Amissio honoris*, & privilegiorum, quibus gaudet vidua, quatenus fingitur esse sub præcedenti matrimonio, *l. fin. C. de bon mater. l. 13. C. de dignit. Nov. 22. c. 36.* Unde si mulier, quæ vi matrimonii facta est principissa, nubat marito inferioris conditionis, perdit nomen, & prærogativas principissæ.

12. ℞. 3. Non tantum infamia, sed probabilius etiam reliquæ quatuor pœnæ primi generis sublatæ sunt per jus Can. *c. 4. & fin. h. t.* ita comm. contra Cynum, Olivam, Barbos: nam licet in citt. capitulis mentio expressa fiat solius infamiæ, tamen ratio ibi adducta generaliter procedit de ceteris pœnis proprie dictis; quia puniri non debet, qui non delinquit, sed utitur jure suo: sed vidua intra annum luctus nubens, non delinquit, sed utitur jure sibi concesso a natura, Christo, & Ecclesia; ergo. *Nec obstat*, quod leges civiles ex fine suo sint honestæ: nam ex alio capite rejiciendæ veniunt: quia nimis restringunt libertatem, & commoditatem acquirendi matrimonii per se liciti, & a Christo concessi: fovent periculum incontinentiæ, præsertim in viduis junioribus, quas Apostolus vult nubere; ergo merito dicuntur per Ecclesiam sublatæ.

13. ℞. 4. Pœnæ secundi generis manent in suo robore: nam nullibi per jus Can. reperiuntur sublatæ; ergo cur stare prohibeantur? isti enim favores, & lucra ex mariti facultatibus quæsita concedi possunt sub conditione non mutandi statum vidualem. Consuetudo tamen in plerisque regionibus jura ista temperavit; quia sæpius pupillis melius est vivere in domo vitrici, quam egere cum matre vidua.

℞. 5. Vidua intra annum fornicans, incurrit pœnas primi generis; ceteras vero incurrit, quandocumque post annum luctus fornicetur, *Nov. 39. c. 2. §. 1.* ubi ratio additur: *non enim aliquid amplius habebit castitate luxuria.* Neque pœnæ istæ respectu viduæ fornicantis sublatæ sunt per jus Can. cum hoc de solo matrimonio loquatur. Item probabile est, quod etiam viduus fornicans, privetur proprietate bonorum, quæ titulo lucrativo ab uxore accepit; siquidem in hoc puncto, & ratione allata viduus, & vidua æquiparantur. Porro quia respectu fornicationis omnes istæ pœnæ sunt propriæ tales, utpote ob delictum statutæ, non incurruntur ante sententiam, saltem declaratoriam criminis; quæ declaratio non est necessaria respectu secundo nubentis; cum secundo nubere non sit delictum.

TRACTATUS

De Dispensationibus matrimonialibus.

Cum de hac materia, scitu maxime necessaria nullus specialis in jure titulus existat, merito illam ad finem hujus libri rejeci. Et quamvis more meo succincte procedam, nolui tamen aliquid ex necessariis omissum. Fusam, variisque exemplis illustrem tractationem scripsit Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum *lib. 7. & 8. per tot.* ubi de dispensf. matrimonialib. docte secundum stylum Curiæ Rom. agit. Videri etiam possunt moderni, cum sequentes Reiff. hic in appendic. Schmalz *tit. de matrim. contr. §. 4. & seqq.*

§. I.

Quis dispensare possit in Impedimentis matrimonii.

1. Q. I. *An: & in quibus impedimentis Papa dispensare possit?* ℞. 1. Papa dispensare potest in omni impedimento tantum impediente; modo tamen diverso: nam in impedimento juris Ecclesiastici, etiam absque ulla causa, valide dispensat, cum sit conditor juris, *c. 4. de concess. præb.* ibi: *qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.* Ut tamen dispensatio sit licita, plerumque requiritur justa causa. At si impedimentum impediens sit juris naturalis, uti est *votum simplex castitatis, religionis, & sponsalia*, ad valorem dispensationis requiritur justa causa: tum quia Papa est inferior jure naturali: inferior autem sine justa causa non dispensat valide in jure Superioris *Can. 4. inferior. d. 21. c. 16. de M. & O. Clem. 2. de elect. in 6.* tum quia ex voto jus quæsitum est Deo, & ex sponsalibus alteri sponso: Papa autem jus tertio quæsitum tollere nequit sine justa causa; ergo. At si justa, & gravis causa adsit, irritare potest consensum in voto, vel sponsalibus datum; cum consensus nostri fiant dependenter ab ejus voluntate, salvaque ipsius auctoritate: qua irritatione facta, indirecte tollitur obligatio juris naturalis, utpote non habentis materiam, super quam cadat.

2. ℞. 1. Papa dispensare potest in omni impedimento dirimente juris Ecclesiastici: nam hoc jure est Superior, ut dixi. Et quamvis ad valorem hujus dispensationis absolute nulla justa causa requiratur, si Papa ex plenitudine potestatis velit agere; ad licitatem tamen, & honestatem tanto requiritur causa gravior, quanto gravius est impedimentum, ut dicetur. Talia impedimenta sunt ætas infra pubertatem; modo adsit usus rationis, conditio servilis, cultus disparitas, cognatio legalis, spiritualis, carnalis extra gradum primum lineæ rectæ, affinitas, ordo sacer, raptus, clandestinitas crimen ex adulterio, vel conjugicidio &c.

3. ℞. 3. Papa regulariter dispensare nequit in impedimentis de jure naturali dirimentibus matrimonium, ut sunt: ætas usu rationis destituta, impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, error circa individuum personæ, ligamen, seu vinculum matrimonii consummati: nam ad hæc relaxanda non constat Papæ datam esse a Deo potestatem. Dixi: *regulariter*; nam duo impedimenta, scil. ligamen matrimonii rati, & professio religiosa, licet sint juris naturalis, probabilius ab eo relaxari possunt, ut suis locis dixi.

4. Q. II. *An Episcopus dispensare possit in impedimentis matrimonii?* ℞. 1. Episcopus in impedimentis de jure Ecclesiastico impedientibus dispensare potest: ita comm. ex *c. 2. de eo, qui cognov.* cujus dispositionem extendi ad cetera impedimenta impedientia declarat consuetudo fere omnium Ecclesiarum, excepto interdicto, quod Superior Episcopo posuit. At in impedimentis de jure naturali impedientibus Episcopus dispensare non potest, puta in voto perpetuæ castitatis, religionis, & sponsalibus: nam tale votum est Papæ reservatum in *Extrav. 5. de pœnit. int. com.* jus vero quæsitum ex sponsalibus inferior principe Ecclesiastico tollere nequit. Unde stante justa causa, licet Episcopus suadere possit, ut, v. g. sponsa remittat jus suum, tamen ea renuente, illud jus ex sponsalibus quæsitum cassare nequit, sed opus est recursu ad Papam. Votum continentiæ imperfectæ, v. g. continendi ad certum tempus, non nubendi, sacros Ordines suscipiendi: item votum conditionale, & pœnale, relaxari potest ab Episcopo, cum non sit reservatum, ut dixi *lib. 3. tit. de Voto.* Item in casu necessitatis, dum res moram

non

non patitur, poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto continentiæ perfectæ, ut ex dicendis.

5. ℞. 2. Epiſcopus, ſpectato jure communi, non poteſt in foro externo diſpenſare in impedimentis jure Eccleſiaſtico dirimentibus matrimonium: ita com. nam nullo jure conſtat talem poteſtatem Epiſcopis, & aliis prælatis Papa inferioribus datam eſſe. Excipe, niſi adſit ſpeciale privilegium papale ad diſpenſandum in quibuſdam impedimentis dirimentibus; quale obtinere & de quadriennio in quadriennium renovare ſolent Epiſcopi Germaniæ, ut diſpenſare valeant, v. g. in impedimento publicæ honeſtatis, criminis ſine machinatione, compaternitatis ſpiritualis, conſanguinitatis, & affinitatis in tertio, aut quarto gradu cum pauperibus, & miſerabilibus tantum, cum hæreticis converſis ad perſeverandum in matrimonio contracto; dummodo primus gradus nullo modo attingatur &c. Simile privilegium, imo amplius habere ſolent Sed. Apoſt. Legati, vi cujus poteſtatem iſtam, & Epiſcopi, & Legati exercent, ut delegati pontificii. Porro tali caſu, quo Epiſcopi & alii privilegiati diſpenſant in foro externo in impedimentis dirimentibus, eadem, quæ in Curia romana, requiritur, & ſufficit cauſa ad valorem diſpenſationis.

6. ℞. 3. Epiſcopus pro foro interno diſpenſare poteſt in impedimentis dirimentibus, in quibus regulariter diſpenſari ſolet; dummodo præter cauſam ſufficientem occurrat ſimul caſus urgentiſſimæ neceſſitatis, moram non patiens; ita ut facile recurri non poſſit ad Papam: ita com. ſententia contra Sotum & alios paucos: nam pia mater Eccleſia, cujus regimen eſt ſuave, pro tali caſu neceſſitatis, ſaltem tacite talem facultatem concedit Epiſcopis, tanquam paſtoribus ordinariis: tum quia quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum, *Reg.* 2. *in antiq.* tum quia Epiſcopis conceditur facultas diſpenſandi in obſervatione feſtorum, jejuniorum, *cap.* 2. *de obſerv. jejun.* irregularitatibus occultis, Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* ergo ex paritate rationis, & interpretatione conſuetudinis etiam pro caſu neceſſitatis eis conceditur facultas diſpenſandi in foro interno in impedimentis dirimentibus, non tantum ad perſeverandum in matrimonio contracto, v. g. quia urget periculum incontinentiæ, vel alterius gravis mali; ſed etiam ad illud contrahendum, v. g. in articulo mortis propter legitimandam prolem, vel avertendum ſcandalum, quin jam omnia parata ſunt ad ſolemnitatem nuptialem &c.

☞ *Bened. XIV. lib. IX. de ſynod. diæc. c.* 2. *n.* 1. 2. *&* 3. *præter difficultatem recurrendi ad Papam, ex unanimi ſententia DD. ibid. citatorum, refert alias quinque circumſtantias, in quibus* - niſi ſimul concurrant - *una cum difficultate recurrendi ad Sedem Apoſtolicam, Epiſcopus nequit diſpenſare ſuper impedimentis dirimentibus in matrimonio jam contracto. I. Scilicet ut idem matrimonium contractum ſit in faciem Eccleſiæ, omnibuſque adhibitis ſolemnitatibus. II. Ut contractum fuerit bona fide ex juris, aut facti ignorantia. III. Ut ſit conſummatum. IV. Ut impedimentum ſit occultum. V. Ut non poſſit fieri ſeparatio ſine ſcandalo. Addens ſuper, quod* - ſi impedimentum antea occultum, poſtea detegatur, & deducatur ad forum contentioſum, opus ſit nova diſpenſatione a Summo Pontifice impetranda.

Quoad diſpenſationem vero dictorum impedimentorum pro matrimonio contrahendo, cum tales urgent circumſtantiæ, ut nec Papa conſuli, nec matrimonium, ad quod omnia ſunt diſpoſita, differri poſſit ſine ſcandalo, & paratorum ad nuptias infamia, licet hanc facultatem aſſerant Epiſcopo DD. ibidem cumulate relati in impedimentis occultis, illam tamen communi fere calculo eidem denegant in publicis. Imo, ſunt verba Benedicti - Sac. Urbis Congregationes, Concilii videlicet, ac ſupremæ Inquiſitionis, non ſemel proſcripſerunt tanquam falſam, & temerariam propoſitionem aſſerentem Epiſcopo jus diſpenſandi ſuper impedimento dirimente publico, quod obſiſtat matrimonio contrahendo, etiamſi gravis urgeat illud contrahendi neceſſitas; ut videre eſt apud Joann. Baptiſt. Rigantium... tom. 4. commentar. in Regul. Cancel. in notis ad Regul. 49. n. 1. & 2. ubi Sac. Congr. reſponſa ſumma diligentia congeſta... referuntur. ☜

II. Hæc poteſtas, cum ſit juriſdictionis ordinariæ, & neceſſariæ, competit etiam capitulo, ſede vacante, non tamen Vicario generali Epiſcopi, niſi ei ſpecialiter committatur *argum.* Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* quia in generali mandato non veniunt caſus ſpeciales, & extraordinarii per *reg.* 81. *in* 6. III. Hæc poteſtas diſpenſandi in caſu extraordinario, & neceſſitatis poteſt ab Epiſcopo delegari cuicumque idoneo clerico, ut communis cum praxi tenet contra Bald. Felin. & alios: nam talis delegatio nullo jure prohibetur; ſive generaliter committatur pro omnibus ſimilibus caſibus: ſed, ut ante dixi, tantum pro foro conſcientiæ: adeoque ſi poſtea detegatur impedimentum, recurri debebit ad Papam. Doctrina iſta applicatur etiam voto continentiæ perpetuæ occulto, in quo Epiſcopus, vel ejus delegatus pro caſu urgentis neceſſitatis diſpenſare poteſt. IV. In dubio, an opus ſit diſpenſatione? attendi debent motiva, & præſumptiones: & quidem ſi præſumptio ſtet pro libertate, Epiſcopus declarabit non ſubeſſe impedimentum: ſi vero præſumptio ſtet pro impedimento, Epiſcopus declarabit illud ſubeſſe, neque diſpenſabit, niſi caſus ſit occultus, & neceſſitas urgeat. Sic ex coitu præſumitur affinitas, licet alter dicat ſemen fuiſſe effuſum &c.

7. Q. III. *An Regulares diſpenſare poſſint in impedimentis matrimonii?* ℞. 1. Pro foro externo nullo modo poſſunt; imo regulariter nec pro foro interno in caſu urgentis neceſſitatis, in quo Epiſcopus diſpenſare valet: nam talem facultatem Regularibus fuiſſe conceſſam ex nullo conſtat privilegio. An vero in voto continentiæ diſpenſare poſſint, vide dicta *lib.* 3. *de Voto* 2. Privilegium Leonis X. quo Auguſtinianis per totum orbem exiſtentibus conceditur facultas diſpenſandi cum his, qui in primo gradu affinitatis occultæ contraxerunt ſcienter, vel ignoranter, ut perſeverare poſſint in matrimonio, multi dicunt eſſe exiſtentiæ dubiæ, vel non uſu abolitum, vel intelligi de affinitate ſuperveniente. Quidquid ſit de his ſententiis Doctorum, qui ut opinor, privilegii tenorem non inſpexerunt, alii tamen ſe illud vidiſſe, & legiſſe teſtantur, & Pragæ noviſſime defenſum fuit, ad quod impreſſum te remitto. 3. Regulares ad petendum debitum diſpenſare poſſunt in affinitate ſuperveniente ex copula illicita, uti etiam in voto caſtitatis conſequente, vel antecedente, cum quo matrimonium illicite contractum eſt: ita comm. Scriptorum Regg. ex variis privilegiis ſummorum Pontificum, Julii II. Martini V. Pii V. &c. Sayr. in Clav. Reg. *l.* 6. *cap.* 11. Sanch. Salmant. &c. nam non diſpenſatur ſimpliciter in voto caſtitatis, ſed præciſe ad hunc effectum, ut debitum peti poſſit. Si maritus cum conſanguinea uxoris in primo, vel ſecundo gradu inceſtum committat, & ignoret ex tali delicto ſequi privationem juris petendi debitum, in probabili ſententia privationem iſtam non incurrit; quia pœna Canonica ab ignorante non incurritur: privatio autem iſta videtur eſſe pœna: ſi tamen confeſſarius ea poteſtate pollet, tutius faciet diſpenſando cum illo ad petendum debitum: reddere autem debitum tenetur, ne pars innocens delicto alterius prægravetur.

§. II.

De cauſis diſpenſationum matrimonialium.

8. Q. I. *Quæ ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis matrimonialibus?* ℞. Præcipuæ ſeqq. 1. *Bonum pacis:* quo nomine veniunt non tantum fœdera inter regna, & principes, ſed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, & odiorum civilium, ſcandalorum, & aliorum peccatorum: gravitas autem iſta determinanda eſt ex prudenti arbitrio judicis. 2. *Prærogativa dignitatis* Regum, & magnorum Principum, quæ cauſa non pertinet ad acceptionem perſonarum, ſed ad bonum commune regnorum, & principatuum, ad quorum felicitatem diſpenſatio ordinatur. 3. *Conſervatio illuſtris familiæ* in eodem ſanguine. 4. *Conſervatio ſplendoris familiæ*, ne bona diſſipentur, ad extraneos devolvantur, præſertim ſi fœmina ſit hæres, ut conſanguineo potius, quam extraneo nubat. 5. *Excellentia meritorum* Eccleſiæ præſtitorum, v. g. per inſignes labores, pericula, bella contra infideles, & hæreticos; ſive bene meritus pro ſe, ſive pro alio diſpen-

sationem petat, cum Sedes Apostolica bene meritis gratam se exhibere soleat. 6. *Defectus dotis competentis*, quæ causa dici solet: *propter indotatam* 7. *Ætas Virginis*, si hæc 24. annum excessit, & virum paris conditionis reperire nequeat. Hæc causa cessat in vidua. 8. *Angustia loci*, quia in tali loco cognatio fœminæ nimis propagata est, ut alium parem virum habere nequeat, nisi consanguineum, vel affinem, patriam vero deserere, sit ei durum. 9. *Copula cum consanguinea*, vel affine præhabita, & per imprægnationem, vel alio modo propalata, ut consulatur bono prolis, famæ, & honori mulieris, & evitetur pœna forensis tali delicto statuta. Hæc causa est una ex urgentioribus, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio; dummodo copula non sit patrata sub spe facilioris dispensationis: quæ circumstantia exprimenda foret in supplicatione. 10. *Infamia mulieris* ex suspicione orta, quod illa, suo consanguineo nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa. 11. *Ignorantia impedimenti*, cum quo matrimonium bona fide, & publice, servata forma Tridentini, contractum est; quia dissolutio ejus vix fieri potest sine publico scandalo, & gravi damno, præsertim fœminæ, *c.* 7. *de consanguin.* At si mala fide sponsi contraxerunt, gratiam dispensationis non merentur, Trid. *S.* 24. *c.* 5. *de reform. matrim.* 12. Generalis causa quandoque in litteris dispensationis apponi solet, & vocatur: *Ex certis, & rationabilibus causis*: nam licet adsit causa sufficiens, tamen nulla in specie exprimitur. 13. Ad dispensandum in voto simplici castitatis, præter impossibilitatem moralem illud servandi, dantur etiam causæ ex parte voventis; ut quia leviter emissum est in tenera ætate, vel intuitu certæ religionis amplectendæ, ad quam tamen admissio non speratur; vel quia periculum incontinentiæ imminet, vel bonum commune suadet nuptias &c. Morbus continuus, cui ex medicorum consilio aliter subveniri nequit, nisi per actus venereos, intellige matrimoniales, videtur sufficiens ad relaxandum votum simplex, non vero solemne castitatis religiosæ, Sanch. & alii.

9. Q. II. *Ex qua causa dispensetur in gradu secundo consanguinitatis lineæ transversæ, vel in primo mixto cum secundo, aut tertio*? ℞. 1. Ut dispensetur cum Regibus, & Principibus, sufficit sola prærogativa harum personarum, ut habet stylus Curiæ Rom. quia talis prærogativa, ut ante insinuavi, constituit causam publicam, Trident. *S.* 24. *c.* 5. *in fin. de refor. matr.* ubi prohibetur ne in secundo gradu unquam dispensetur, *nisi inter magnos principes, & ob publicam causam.*

10. ℞. 2. Ut dispensetur in secundo gradu cum aliis personis valde illustribus, requiritur una ex sequentibus causis. 1. Conservatio familiæ, vel bonorum. 2. Insignia merita in Ecclesiam. 3. Evitatio gravium scandalorum, aut infamiæ mulieris. 4. Inimicitiæ lethales. 5. Defectus omnis dotis. 6. Matrimonium jam bona fide contractum; vel mala quidem, sed quia ex illo jam proles nata est. 7. Si concurrant plures causæ ex supra relatis: nam quæ non prosunt singula, multa juvant, *arg. l.* 5. *C. de probat.*

11. ℞. 3. Ut dispensetur in secundo gradu cum opulentis, & præcipuis personis alicujus loci, requiritur aliqua ex seqq. causis. 1. Ætas mulieris si ei accedat alia causa. 2. Defectus dotis. 3. Inimicitiæ lethales. 4. Præcedens copula, ut famæ mulieris consulatur. 5. Causa publica, cui applicetur taxa extraordinaria pecuniæ a dispensatis solvendæ.

12. ℞. 4. Ut dispensetur in secundo gradu cum plebeis pauperibus requiritur una ex his causis: 1. Matrimonium bon. fid. contractum, præsertim si proles ex eo suscepta sit. 2. Si ex incestu cum consanguinea proles suscepta sit, vel præcessit diffamatio de copula, & timetur grave scandalum, vel pœna mortis, aut alia gravis tali delicto apposita. Defectus dotis, & carentia perpetua matrimonii adjuvat priores causas.

13. Q. III. *Ex quibus causis dispensetur in gradu secundo mixto cum tertio, aut quarto, vel in tertio simplici, aut mixto cum quarto*? ℞. Sufficit quælibet causa ex iis, quæ sufficiunt ad dispensandum in gradu secundo simplici, vel mixto cum primo. Item ætas mulieris necdum nuptæ, angustia loci, defectus dotis, extinctio litis magni momenti, & aliæ similes. Ut vero dispensetur in gradu tertio, vel quarto, sufficit quæcumque causa ex relatis; quia quo consanguinitas est remotior, eo minor causa requiritur. Ut hi gradus, scil. secundus, & inferiores, regulariter sunt dispensabiles; primus vero inter fratrem, & sororem vix unquam dispensari poterit, uti nec aliquis gradus in linea recta ob defectum causæ sufficientis, quæ talem dispensationem, & matrimonium cohonestare posset.

14. Q. IV. *Ex quibus causis dispensetur in impedimento affinitatis*? ℞. 1. In linea recta inter vitricum, & privignam, novercam, & privignum nunquam dispensatur; quia vix eveniet causa cohonestans istam indecentiam. 2. In primo gradu lineæ transversæ, ut quis ducat sororem uxoris suæ, dispensatur cum principibus, raro cum illustribus, cum aliis rarissime. 3. In gradu secundo dispensatur cum præcipuis personis alicujus loci, vel divitibus ex certis, & rationabilibus causis, aucta tamen taxa pecuniaria causæ publicæ applicanda. Cum taxa vero communi non dispensatur, nisi accedente justa causa, v. g. si puella dote careat, si matrimonium bon. fid. sit contractum, vel proles suscepta &c. Ad dispensationem in tertio, aut quarto gradu minor causa sufficit. 3. Si affinitas orta est ex copula illicita, dispensat Papa pro foro interno in primo gradu, v. g. ut quis ducere possit filiam, cujus matrem antea cognovit; vel e contra; at pro foro externo vix unquam in hoc gradu obtinetur dispensatio, nisi utrique oratori pœna mortis immineat. In secundo gradu, utpote infimo, dispensatur ex quavis rationabili causa.

15. Q. V. *Ex quibus causis dispensetur in ceteris impedimentis juris Ecclesiastici*? ℞. 1. In publica honestate facile dispensatur ex quavis rationabili causa, cum hoc impedimentum sit unum ex minoribus. 2. In crimine orto ex conjugicidio, si publicum est, nunquam dispensatur, si occultum, dispensat Sac. Pœnitentiaria; sed ex causa urgentissima. At si impedimentum criminis oriatur ex adulterio, Papa dispensat pro utroque foro ex causa justa; v. g. si oratrix diffamata, & innupta maneret; si proles suscepta, vel matrimonium contractum est; si gravia scandala timentur &c. 3. In paternitate, & maternitate spirituali, & legali non dispensatur, nisi ex urgentissima causa; qualis esset periculum vitæ oratoribus imminens ob delictum carnale. At in compaternitate, aut commaternitate facilius dispensatur. 4. In impedimento S. Ordinis, professionis religiosæ, matrimonii rati non dispensatur sine gravissima, & publica causa; qualis est conservatio alicujus regni, vel familiæ valde illustris, conversio regni ad fidem, vel in ea conservatio, & propagatio, extinctio gravis belli &c. 5. In impedimento metus non solet dispensari, ne dispensatio tendat ad infelices exitus; bene vero in raptu ex gravi causa, si rapta constituta in potestate raptoris, sponte in illum consentiat. 6. In impedimento disparis cultus ex causa publica dispensatur; modo absit periculum perversionis.

16. Q. VI. *Quando causa: propter indotatam, sufficiat ad dispensationem*? ℞. Sufficere in seqq. casibus: si fœmina vel nullam dotem habeat, vel adeo tenuem, ut innupta remanere, vel inæquali nubere deberet; vel pater legitimam, aut dotem competentem dare non possit salva sua sustentatione; vel si dos, quæ formosæ fœminæ sufficeret, alteri ejusdem conditionis ob deformitatem non sufficit; vel si propter intricatam litem periculum est, ne fœmina bonis suis privetur; vel si dos sufficiat ad nubendum extra patriam, non vero in patria. At contra tenuitas dotis non est causa sufficiens dispensandi, si parentes sint divites, atque ita dotem competentem dare possint, & debeant; nisi pater tenacitatis vitio laborans nimis diu differret dotationem; atque ita obesset filiæ, ut alius, præter consanguineum, nollet eam ducere. Ceterum nihil refert, an vir consanguineus dicat se velle dotare fœminam, an vero alius cum conditione, ut huic consanguineo nubat, quia mendacium circa dotantis personam non mutat causam finalem dispensationis.

17. Q. VII. *An veritas causæ finalis requiratur ad valorem dispensationis*? Hic recole dicta *lib.* 1. *tit. de rescript. a n.* 10. cum hic scitu sint necessaria.

℞. 1. Ut dispensatio sit valida, causa motiva allegata debet esse vera: nam omnis dispensatio pontificia est expresse, vel tacite conditionata: *Si preces veritate*

tate nitantur, *c.* 2. *de rescript.* Si tamen causa impulsiva est falsa, & finalis vera, vel si ex duabus causis finalibus, quarum quælibet per se de stylo curiæ sufficeret ad impetrandam dispensationem, una est vera, & altera falsa, subsistit dispensatio, utpote innixa uni causæ finali.

18. ℞. 2. Valida est dispensatio ex causa, quam orator fideliter exposuit, & dispensator bona fide, & rationabiliter cogitavit esse sufficientem, licet reipsa non esset sufficiens: ita communior sententia contra Poncium: nam tales dispensationes sustineri suadet recta, & suavis gubernatio fidelium, ut tranquillitati conscientiarum consulatur: tum quia in tali casu vel dispensat Papa: & tunc ratio motiva ab eo cognita sufficienter induxit illum ad dispensandum, ut proinde defectum causæ suppleat ejus voluntas: vel ex commissione Papæ dispensat executor; & tunc Papa, & Ecclesia ratum habet, quidquid a delegato bona fide, & rationabiliter gestum, & dispensatum fuerit; ne alioquin actus prælatorum discutiantur, & continuo subsint nullitati: atque ita Ecclesia supplet insufficientiam causæ in hoc negotio arduo, in quo durum est judicare de legitimitate causæ. Hæc doctrina certa mihi videtur in eo casu, quo eadem causa proponitur coram Papa & executore: nam si causa ista movere potuit Papam ad dandum mandatum de dispensando, etiam executorem bona fide, & circumspecte procedentem movere potest ad faciendam dispensationem. *Dices*: Error non debet prodesse actibus; secus validum esset matrimonium, quod bona fide contrahitur cum impedimento dirimente: 2. Qui allegant Superiorem sine legitima causa dispensasse, audiuntur in Curia Romana. ℞. Error in hoc actu circumspecto commissus a prælato suppletur ab Ecclesia ob rationes datas; non vero error privatorum in matrimonio contrahendo intercedens. *Ad* 2. Audiuntur quidem, sed ex alia causa, quia forsan dubium est, an dispensans recte processerit cum prævia, & circumspecta cognitione causæ: imo allegationes istæ plerumque non de necessitate sustinentur, sed ad majorem securitatem hominum scrupulosorum.

19. ℞. 3. Si dispensatio est *gratiæ factæ*, causa tunc debet esse vera, quando Papa Romæ dispensat, uti fiebat de stylo veteri *c.* 20. *de rescr.* nam dispensatio ista innititur conditioni causæ: *dispenso, si causa allegata est vera*, ergo. At de hodierno stylo non solent dispensationes concedi in forma *gratiæ factæ*, sed in forma *gratiæ faciendæ*, hoc est, Papa committit, seu dat mandatum executori, ut is, si causam allegatam cognoverit esse veram, dispensationem nomine Papæ impertiatur.

20. ℞. 4. Ut dispensatio in forma *gratiæ faciendæ* expedita sit valida, requiritur, & sufficit adesse veram causam tunc, quando executor a Papa delegatus actu dispensat: ita hodie comm. nam veritas causæ tunc adesse debet, dum fit actualis dispensatio, seu ablatio impedimenti; sed ista fit eo tempore, quo executor, sive sit ordinarius, sive confessarius, actu exequitur mandatum pontificium, prævia cognitione causæ dispensando; ergo tunc debet esse causa vera, alias dispensatio non erit legitima. Unde 1. non est necesse, ut causa sit vera eo tempore, quo oratores Romam mittunt supplicationem, sed sufficit, si vera sit tempore actualis concessionis *arg. c.* 6. *de consang.* & *c.* 9. *de rescript. in* 6. quia clausula: *si preces veritate nitantur*, refertur ad tempus concessionis, seu actualis dispensationis per executorem factæ. 2. Facta per executorem dispensatione, non est necesse, ut causa perseveret ad tempus, quo oratores gratia dispensationis utuntur, & matrimonium contrahunt: ita Sylv. Reiff. Salm. & alii comm. contra Sanch. Hurtado &c. nam semel sublato impedimento, istud deinde non reviviscit, sed locus est *reg.* 73. *in* 6. *factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari. Confir.* ab instantiis: si irregularis dispensetur ad ordines, & beneficia ex causa paupertatis, vel indigentiæ ministrorum, si obstrictus voto religionis amplectendæ dispensetur ex causa debilitatis virium, si conjugata obstricta voto castitatis dispensetur ad usum matrimonii ex causa periculi incontinentiæ, validæ perseverant dispensationes istæ, etsi postea causæ illarum cessent, ut cum comm. notant Salmantic. & alii; ergo etiam valida est dispensatio matrimonii, etsi postea, dum matrimonium actu contrahitur, causa ista cesset. Unde si executor Calendis Maii dispensat ex causa *indotatæ*, seu propter defectum dotis, & interim post factam dispensationem fœminæ obveniant insperatæ divitiæ ex donatione, legato, vel alio modo, cessante causa dotis, quæ vera fuit tempore concessionis, valide deinde calendis Junii initur matrimonium, cum prius impedimentum non reviviscat. *Dices*: 1. Cessante causa, cessat effectus *c.* 60. *de appellat.* sic enim ex causa debilitatis dispensatus a jejunio quadragesimali, cessante debilitate, tenetur reliquis diebus jejunare. 2. Paria sunt, nullam ab initio causam fuisse, & fuisse aliquam sed desiisse *arg. l.* 1. §. 2. *ff. de condict. fin. caus.* ubi datum ex causa, ea cessante, condici potest. ℞. Ad 1. Regula ista tunc procedit, quando effectus non est uno actu perfectus, & consummatus, sed semper pendet a causa, sicut accidit in dispensationibus tractum successivum habentibus, v. g. in jejunio quadragesimali, ubi virtualiter tot sunt dispensationes, quot dies, ac proinde causa singulis diebus debet existere; secus redit obligatio jejunandi: e contra in nostro casu effectus dispensationis unico actu est perfectus, & consummatus, ac proinde durat, etsi causa cesset, ut patet in exemplis supra relatis. *Ad* 2. In nostro casu non sunt paria ob rationem mox datam: quia dispensatio in *fieri* tantum, non vero in *conservari* pendet a veritate causæ: secus, si constante matrimonio, causa cessaret, dispensatio esset inutilis. Nec est paritas a condictione sine causa: nam dans ex causa, intentionem suam alligat causæ non tantum præsenti, sed etiam perseveranti: e contra dispensans intentionem suam alligat causæ vere de præsenti, non vero de futuro perseveranti.

§. III.

De exprimendis in litteris supplicationum.

21. Sicut allegatio falsi facit dispensationem obreptitiam, ita omissio veri, & necessario exprimendi facit eandem subreptitiam; ac proinde invalidam. Unde oratores curare debent, ut in supplicatione pro dispensatione omnia exprimant de jure, & hodierno stylo Curiæ Romanæ exprimenda.

22. Q. I. *Quæ ex parte impedimentorum exprimenda sint*? ℞. 1. Generaliter exprimi debet impedimentum, desiderium contrahendi matrimonium, vel in contracto perseverandi, & una, vel altera causa movens ad dandam dispensationem.

23. ℞. 2. Exprimi debet genus impedimenti: & si plura impedimenta sunt diversæ, vel etiam ejusdem rationis, omnia exprimenda sunt probabilius, & tutius in eadem supplicatione, non vero unum in una, & alterum in altera: nam concursus plurium impedimentorum reddit dispensationem multo difficiliorem: & aliunde cuique dispensationi tacita inest conditio, *si aliud non obstet*: obstaret autem aliud impedimentum, de quo mentio non est facta: ita Sanchez allegans declarationem S. Congr. & Vinc. de Justis stylum Curiæ Rom. Unde 1. Exprimi debet consanguinitatis, vel affinitatis genus: secus alterum pro altero positum, maxime si affinitas ponatur loco consanguinitatis, invalidam reddit dispensationem. 2. Exprimi debet, si sponsus cognovit duas sorores sponsæ, vel si sponsus ex baptismo suscepit, prolem sponsæ, & hæc prolem sponsi &c. 3. Exprimi debet, si concurrant impedimenta diversæ rationis: ut si oratores sint consanguinei, & affines simul, vel laborent impedimento criminis &c. *Nec obstat*, quod unum impedimentum tolli possit sine altero, sicut una excommunicatio absque altera: nam ita tolli non solet, quia Papa non intendit dispensare, nisi tota gravitas impedimentorum exprimatur. Secus est in excommunicatione, ad quam tollendam sufficit exponere causam, ob quam incursa est.

24. ℞. 3. Si petatur dispensatio super impedimento consanguinitatis, exprimi debet linea recta, vel transversa, gradus æqualis, vel inæqualis, an sit secundus, tertius, vel quartus mixtus cum primo: nam in gradu propinquiori difficilior est dispensatio, uti etiam in gradu secundo, vel tertio mixto cum primo &c. Si tamen poneretur gradus propinquior loco remotioris, v. g.

tertius loco quarti, valeret dispensatio; quia propinquior includit remotiorem. 2. Si gradus quartus concurrat cum primo, exprimendus est ex Const. S. Pii V. incip. *Santissimus* 1566. 20. *August.* quæ tamen non extenditur ad casum, quo gradus quintus concurrit cum primo; quia in tali gradu non est necessaria dispensatio. Si vero gradus tertius concurrat cum secundo, hoc non expresso, valet quidem dispensatio, sed super hoc valore impetrari debent litteræ pontificiæ declaratoriæ hujus valoris, ante quas dispensatio ab executore facta est invalida; ita Corr. cum praxi curiæ. Opposita sententia Sanch. Gobat. Pontii, Tambur. & aliorum servire potest pro illo casu, quo talis declaratio non est necessaria, ut quia nullum timetur scandalum, neque res ista delata est ad forum contentiosum; neque publice constat, quod oratores omiserint exprimere gradum tertium mixtum cum secundo: nam ut ait Engl, litteræ istæ declaratoriæ requiruntur dumtaxat ad scandalum tollendum. Nec obstat *cit.* Const. Piana; nam ibi invalidatur dispensatio, si mentio non fiat gradus primi mixti cum secundo, tertio, aut quarto. 3. Si copula allegatur pro causa, exprimi debet, an habita sit sub spe facilioris impetrationis, & si alia causa allegetur, nihilominus copula publica exprimi debet ex stylo curiæ, non tamen occulta, quia Ecclesia non videtur velle obligare ad gravem sui diffamationem, Sanchez. Licet autem copula regulariter faciliorem faciat impetrationem, tamen major taxa statuitur ad aliorum terrorem.

☞ *Ad majorem claritatem in praxi, notandum, quod dispensatio matrimonialis adhuc valida est, licet aliqui conjuncti sint inæqualiter, & expressus fuerit gradus tantum remotior, omisso proximiori, dummodo hic primum non attingat quocumque modo, ex regula ejusdem Pii V. in cit. Constit. qua declaratoria Constit. Pii IV. in hac parte derogatum est. In dicta tamen Constitutione voluit Pontifex sic dispensatos debere postea obtinere litteras declaratorias super gradu propinquiore reticito, quod scilicet dispensationi non obstat juxta disposita a Greg. XI. & Clem. VI. quamvis his litteris omissis, matrimonium sit validum: conjuges tamen separandi sunt, donec eadem litteræ obtineantur. Ad tramites hujus pianæ regulæ: ita etiam resolvit Cong. Conc. in Lucaorien. nullit. matrim. in Thes. rosolut. ejusdem Cong. 28. Mart. 1722. ubi in calce folii. d. diei annectitur eruditissimum votum pro hac validitate Bened. XIV. tunc præfatæ Congregat. Secret.* ☜

25. ℞. 4. Si petatur dispensatio super affinitate, exprimenda est linea recta, vel transversa, gradus æqualis, vel mixtus cum primo, ex cit. Const. Piana. Cetera servantur sicut in impedimento consanguinitatis. Exprimi etiam debet, an affinitas oriatur ex copula licita, quia simul concurrit impedimentum publicæ honestatis. 2. In publica honestate ex matrimonio rato orta exprimi debet gradus: secus sit orta sit ex sponsalibus, quia aliunde scitur impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus non porrigi ultra primum gradum, Trid. *S.* 24. *c.* 3. *de refor. matrim.* 3. In cognatione spirituali exprimi debet, an orta sit ex baptismo, vel confirmatione, an sit paternitas, vel compaternitas. De ceteris impedimentis, præter alias dicta, nihil speciale occurrit adnotandum.

26. Q. II. *An quod tribunal Papæ dirigenda sit supplicatio?* ℞. 1. Si impedimentum sit publicum, dirigitur ad *Datariam*, servata consueta forma, vi cujus 1 Ponitur salutatio Papæ: *Beatissime pater*. 2. Per integros characteres, sine abbrevationibus, exprimitur nomen, & cognomen oratorum, rejectis diminutivis, v. g. *Joannellus &c.* Si cognomen in urbe ignotum sit per solicitatorem suppleri potest ex arbore consanguinitatis, v. g. *Exponitur pro parte Joannis nati Francisci, & Annæ natæ Antonii*; ubi etiam omitti potest *natus, nata*, scribendo utrumque nomen per majusculam, v. g. *pro parte Joannis Francisci, Annæ Antonii*, quia si nomen sit continuatum, seu compositum, alterum ex stylo curiæ scribi debet per minusculam, v. g. *pro parte Joannis Friderici, Annæmariæ*. Si tamen dispensatio petita sit in forma pauperum, defectus cognominum suppleri nequit. Ceterum licet de jure communi error nominis, si de re constet, non noceat, neque vitiet litteras *l.* 4. *C. de testam.* tamen ex stylo Curiæ Romanæ, ad evitandas multas fraudes, reddit dispensationem obreptitiam, ut notat Corrad. allegato omnium Curialium testimonio, nisi exigua mutatio in nomine esset, v. g. Antoninus pro Antonio, Bernardus pro Bernardino. 3. Exprimi debet nomen diœcesis; & si oratores sunt diversarum diœcesium, utriusque diœcesis nomen exprimendum est, quia executio dispensationis plerumque ex stylo Datariæ committit Ordinario, & quidem oratricis. Quodsi oratores domicilium distinctum habent a loco originis, & in alia diœcesi habitant, exprimere debent, ut litteræ dirigantur ad Ordinarium domicilii. Error in nomine diœcesis, probabilius ex stylo curiæ vitiat rescriptum dispensationis, non tamen error in nomine patriæ, cum hæc necessario non sit exprimenda; nisi dispensatio petatur ob angustiam loci; vel ob locum ad litus maris. 4. Exprimitur desiderium contrahendi matrimonium, vel in contracto perseverandi, genus impedimenti, causa, v. g.

Beatissime Pater.

27. *Exponitur S. V. pro parte NN. diœc. N., & N. N. diœc. N., quod, cum dicta oratrix (hic ponitur causa) dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator, cum dicta dote minus competente oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio gradu æquali a communi stipite provenientes conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt: ideo supplicant, quatenus dignetur cum ipsis, ut impedimento hoc non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma Concil. Trid. contrahere, ac in eo postmodum remanere libere, ac licite valeant, dispensare, & proles legitimas exinde suscipiendas declarare.*

Hac, vel simili formula utitur Romæ is, cui impetranda dispensatio commissa est. Eadem formula servire poterit pro supplicationibus, quibus ab Ordinario habente privilegium dispensandi, talis dispensatio petitur. Advertendum tamen est, ut ex necessariis nihil omittatur, nec aliquid falsi in causa finali asseratur.

28. ℞. 2. Si impedimentum est occultum, supplicatio dirigitur ad Cardinalem majorem pœnitentiarium, & mandatum dispensationis, expeditur in sac. Pœnitentiaria: & committitur executio magistro in theologia, vel sac. canonibus, aut alteri privilegiato. Licet autem dispensatio in sac. Pœnitentiaria expedita in plerisque substantialibus conveniat cum dispensatione Datariæ, in multis tamen differt: nam 1. Dispensatio expedita in Dataria servit pro utroque foro externo, & interno, datur non tantum ad perseverandum in matrimonio contracto, sed etiam ad illud contrahendum, non obstante etiam secundo gradu consanguinitatis, & primo affinitatis; è contra dispensatio sac. Pœnitentiariæ servit tantum pro foro interno, ita, ut detecto postea impedimento, non prosit in foro externo: & si consanguinitas obstet, datur tantum ad perseverandum in matrimonio contracto, & non nisi in gradibus secundo remotioribus. 2. In supplicatione ad sac. Pœnitentiariam nomina oratorum possunt esse ficta: in fine additur, quo responsum, & ad quem dirigendum sit: & si oratores alteri sac. theologiæ, vel sac. canonum doctori, conscientiam suam pandere renuunt, vel talis in loco non reperitur, addi debet petitio, ut confessarius, cum quo oratores suam habent confidentiam, mandatum, seu litteras dispensationis exequi valeat. Debet autem supplicatio concipi idiomate latino, v. g.

Eminentissime Domine

29. *Exponitur humiliter E. V. pro parte N. N. laici diœc. N. quod ipse alias vovit se castitatem perpetuo servaturum: quia vero ob carnis infirmitatem prævidet sibi imminere periculum incontinentiæ, nisi uxorem ducat, supplicat sibi votum hoc commutari ad effectum contrahendi matrimonium. Dignetur E. V. responsum dirigere N. N. ad me infrascriptum (Hic ponitur confessarii, vel Procuratoris nomen)*

Si confessarius non doctor, & orator vult per illum litte-

litteras expediri, addat in supplica: dignetur E. V. providere, ut mandatum dispensationis mihi confessario, cum quo orator habet confidentiam, exequi liceat. Foris super inscriptio fine nomine proprio inscribitur. *Eminent. & Reverendiss. D. Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario—Romam.*

30. Exemplum aliud: *Exponitur* E. V. *quod Titius, qui antea carnaliter cognovit sororem Bertæ, postea hujus impedimenti ignarus (vel conscius, sicut res se habet) publica sponsalia contraxit cum Berta. Quia vero dictum impedimentum est occultum, recessus vero a sponsalibus sine magno scandalo fieri nequit, supplicat, dictus orator ad vitandum scandalum, famæ suæ conservationem, & conscientiæ quietem, de præmissis absolvi, & secum dispensari ad contrahendum cum Berta matrimonium. Dignetur E. V. &c. ut ante.*

31. Aliud: *Titius laicus cognovi Bertam sororem Cajæ, & ignarus impedimenti, bona fide (vel si scivit,* conscius impedimenti*) & servata forma Conc. Trid. matrimonium contraxit cum Caja, prolesque ex ea suscepit. Jam vero cognito impedimento, statim a copula cessavit (vel* copulam in matrimonio putativo scienter continuavit, sicut se res habet*) & quia circa grave scandalum, & prolium incommodum ab ea, separari nequit, supplicat quatenus super hoc impedimento occulto, de quo propalando nullus est timor, clementer dispensare, E. V. prolesque susceptas, & suscipiendas legitimas declarare auctor. apost. dinetur &c.*

32. Q. III. *Quid sit dispensatio in forma pauperum, & quid in ea observandum*? ℞. Est quæ personis vere pauperibus, & miserabilibus gratis datur absque solutione taxæ, seu compositionis pecuniariæ in Dataria dari solitæ. Requiritur autem, ut personæ istæ sint *vere pauperes*, ita ut ultra sustentationem statui suo competentem, non habeant, unde solvere possint taxam pecuniariam. Item, ut sint *vere miserabiles*, hoc est, nulla bona alia habentes, sed præcise *propria labore, & industria* viventes, v. g. ex agricultura, opificio, vel alia arte etiam liberali, ita ut ex hoc suo labore ultra necessariam sustentationem non habeant aliquid superfluum pro taxa solvenda: ita ex decret. Urb. VIII. habet stylus curiæ, & insinuat consueta clausula: *dummodo ipsi sint pauperes, & miserabiles, & ex labore, & industria tantum vivant.* Et quia jus istud concipitur in numero plurali, qui in uno non salvatur *l. 12. ff. de testib.* debent esse ambo pauperes, & miserabiles, ut communior docet contra Gobat. Tales censentur etiam illi, qui fundos ita tenues habent, ut ex iis, locatis neque per sextam anni partem, secluso manuum suarum labore, vivere possent: secus, si saltem per sextam anni partem vivere possint absque suo labore, non possunt sperare dispensationem in *forma pauperum*, quia jam non ex labore, & industria *tantum* vivunt. Spes de bonis acquirendis, v. g. ex hæreditate, non enervat præsentem paupertatem, quia spes incerta est, neque alit, aut vestit hominem.

33. ℞. 2. Causa paupertatis, & miserabilitatis probari debet Curiæ romanæ attestatione proprii parochi oratorum, & depositionibus duorum, vel trium testium fide dignorum coram Vicario generali Episcopi legitime examinatorum, qui dicant, oratores esse pauperes, & miserabiles, ita ut ex labore, & industria sua tantum vivant, *Instructio Cur. rom.* 1658. 1671. ne scil. falso paupertatis prætextu officiales curiæ pensionibus suis defraudentur.

34. ℞. 3. Motivum dispensationis *in forma pauperum*, est fere unicum, scil. copula, vel rationabilis suspicio copulæ incestuosæ, seu infamia mulieris cum secuturis scandalis conjuncta, nisi matrimonium inter oratores sequatur. De stylo Curiæ rom. additur, *periculum mortis*, quia pœna ultimi supplicii adhuc alicubi viget contra incestuosos: & licet in loco oratorum non vigeat, tamen S. Sedes illius mentionem facit, quia ab antiquis formulis suis tam facile non recedit.

35. ℞. 4. Oratores quarto gradu simplici, vel tertio mixto cum quarto conjuncti non tenentur personaliter ad urbem venire: conjuncti vero tertio gradu simplici, vel secundo mixto cum tertio, si ultra 100. miliaria italica (quæ faciunt circiter 20. leucas germanicas) non distent ab urbe, tenentur personaliter ad eam venire; uti & conjuncti primo gradu mixto cum secundo, & tertio, non obstante quacumque distantia, & inopia, etsi mendicando illuc ire, vel redire deberent & veniendo Romam tenentur suæ paupertatis testimonium adferre ab Ordinario? ita ex praxi, & stylo curiæ docet Corrad. qui tamen addit, Papam ex speciali gratia dispensare cum oratoribus ultramontanis, ne personaliter cogantur urbem accedere.

36. ℞. 5. Executor litterum *in forma pauperum* vi clausularum tenetur. 1. Oratores, si cohabitent, a se invicem separare. 2. Imponere eis pœnitentiam publicam, hoc est, talem, quæ facile communitati innotescat ad exemplum, & terrorem aliorum. 3. Imponere oratori operam personalem ad servitium alicujus Ecclesiæ, saltem per tres menses, quibus omnibus peractis, tandem dispensabit cum eis; & quidem gratis, alioquin dispensatio erit nulla.

§ IV.

De commissione, & executione dispensationum matrimonialium.

37. Q. I. *Quomodo fiat commissio, & executio dispensationis matrimonialis pro foro externo*? ℞. 1. Mandatum, seu litteræ dispensationis regulariter diriguntur ad Ordinarium oratorum, seu ad ejus vicarium, aut officialem; ita ut alter loco alterius mandatum illud exequi non possit. Si tamen commissio facta sit sub nomine officii, & dignitatis, v. g. *Vener. fratri nostro Episcopo Olomucensi*, vel *dilecto filio nostro* (si non est Episcopus) *officiali Episcopi Olomucensis committimus &c.* eam exequi poterunt successores in illorum officiis. Si autem est personalis sub nomine proprio, & executor eam exequi non valet, ut quia mortuus est, vel longe abest, successor in officio eam exequi non poterit, sed petenda est nova commissio, quæ de stylo curiæ vocatur *mutatio judicis*. Capitulo, sede vacante, vel ejus vicario, non solet fieri commissio, nec ista, utpote vim delegationis habens, transit ad capitulum, sed vacante sede, viciniori Ordinario, aut ejus officiali committi solet dispensatio.

38. ℞. 2. Initium, & valor executionis, desumitur a tempore *præsentatæ*, seu a tempore, quo litteræ executori præsentatæ sunt, *arc. c. 12. de appell.* nam delegatus non accipit potestatem, nisi ex litteris præsentatis, visis, & recognitis. Unde si Ordinarius dispensaret ante præsentatas, & visas litteras, etsi sciret eas fuisse ab oratoribus obtentas, & expeditas, invalida foret dispensatio: ita ex praxi Curiæ rom. declaravit sac. Congr. 12. *Jan.* 1606. conformiter Trid. *S. 22. c. 5. de refor.* ubi dicit dispensationes etiam in *forma gratiosa* carere effectu, nisi prius ab Ordinario cognoscantur.

39. ℞. 3. Executor ante omnia diligenter considerabit, an litteræ sint conformes stylo Curiæ rom. solitasque clausulas habeant; quia clausulæ insolitæ plerumque pariunt suspicionem fraudis, & doli, *t. 2. de rescript.* Tum inquiret de veritate causæ: & quidem si inserta est clausula: *si preces veritate niti repereris*, cognitio causæ permodum formæ substantialis de necessitate præmittenda est dispensationi: secus ista erit invalida. Si vero est clausula: *si preces veritate nitantur*, valebit dispensatio, si causa subsit, etsi executor cognitionem ejus non præmiserit: ista autem cognitio regulariter est extrajudicialis, utpote relicta conscientiæ, & arbitrio executoris; nisi adesset contradictor, qui utique citari, & acta in scripturam redigi deberent. Porro licet articulus pro capienda informatione necessaria alii subdelegari possit; ipse tamen actus dispensationis non potest subdelegari, sed personaliter ab ipso executore expediendus est: tum quia videtur electa industria personæ: tum maxime, quia dispensatio ista videtur esse nudum ministerium, sicut dispensatio super irregularitate: ac proinde non subdelegabile *c. fin. §. ceterum de off. Deleg.*

40. ℞. 4. Absolutio a censuris oratoribus danda, fit ad effectum obtinendæ dispensationis, estque *ad reincidentiam*, quia oratores, si qua censura innodati sunt, obtenta ab executore dispensatione, reincidunt in eandem. Excipe excommunicationem latam per Const. Greg. XIV. incip. *Sicut antiquitus Cal. Maii* 1590. contra incestuosos, in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis: ab hac enim, aliisque pœnis oratores simpliciter absolvi debent.

41. ℞. 5.

41. ℞. 5. Si preces veritate nituntur, & aliud non obstat, executor sententiam dispensationis in scriptis conceptam suo nomine subscribet, & juxta formam rescripti dispensans, authenticum sententiæ transumptum tradet partibus, ut servata forma Tridentini, matrimonium contrahant. Si tamen justa causa adest, poterit Ordinarius dispensare in denuntiationibus, quia potestas ista ei non tollitur per rescriptum dispensatorium, præcipiens matrimonium contrahi, servata forma Trident. At si executor, causa cognita, repererit oratores laborare alio impedimento non expresso, novæ preces fieri debebunt ad Papam, ut in eo dispenset.

42. ℞. 6. Si qualitas personæ oratorum ponitur in rescripto, non præcise narrative, ut fieri solet in corpore rescripti, v. g. *ut asserunt*, *vel asserentes esse nobiles &c.* qualitas ista probanda est coram executore. Ille autem dicitur *nobilis simpliciter*, qui abstinet ab his, quæ populares tractant. *Natus de nobili genere*, cujus majores, aut saltem parentes nobiles fuerunt. *Principalis populi*, seu *loci*, qui in populo, seu loco, auctoritate, potentia, & opibus excellit. *Honestus*, qui honeste, & decenter vivit, & cujus familia nulla turpitudinis nota laborat.

43. ℞. 7. Legitimitas prolium post dispensationem suscipiendarum per se sequetur, etsi de illa nulla addatur clausula. At si proles antea natæ sunt ex matrimonio mala fide contracto, regulariter non legitimantur per subsequens matrimonium; nisi Papa expresse deroget dispositioni *c. 6. qui filii legit.* volendo, ut spurii per tale matrimonium legitimentur. Secus legitimatio censetur facta in forma rescripti papalis, & non vi matrimonii, proderitque legitimato ad actus spirituales, non vero ad politicos extra territorium temporale Papæ.

44. ℞. 8. Executor intuitu dispensationis nihil potest petere, vel accipere, etiam sponte oblatum, licet essent esculenta, & poculenta paucis diebus consumptibilia, sub nullitate dispensationis, & pœna excommunicationis latæ sententiæ; nam hoc semper in litteris dispensatoriis exprimitur, ne scil. muneribus excæcatus, inique dispenset. Videtur autem pœna ista cessare, si quid, jam expedito actu dispensationis, sponte oblatum accipiatur; quia cessat causa iniquæ dispensationis. Similiter præceptum istud non stringit notarium, cui pro labore in examinandis testibus, & informationibus capiendis licet accipere quartam partem aurei, ut teste Corrado declaravit S. Congr.

Quid præterea executor litterarum *in formam pauperum* facere debeat, dixi supra a *n.* 28.

45. Q. II. *Quomodo fiat commissio, & executio dispensationis matrimonialis pro foro interno?* ℞. 1. Litteræ dispensatoriæ diriguntur a Sac. Pœnitentiaria ad confessarium oratorum cum hac superinscriptione: *Discreto viro confessori, magistro in theologia, vel decretorum doctori, ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo.* Si qualitas ista adsit, valide aget confessarius observando tenorem litterarum, licet ceteroquin rudis sit; invalide vero confessarius doctus his qualitatibus destitutus, nisi adsit privilegium, quod habent plerique Regulares in privilegiis communicantes, ut approbati ab Ordinario exequi possint litteras Apostolicas pro foro interno.

46. ℞. 2. Examen de veritate causæ, & tota ista executio de novo stylo fieri debet intra sacramentum pœnitentiæ; & ideo nulli requiruntur testes, sed creditur oratori confitenti de veritate causæ. Si tamen confessarius aliunde, quam ex confessione sciret, preces in litteris allegatas esse falsas, vel aliquid necessarium fuisse omissum, non dispensabit; quia valor dispensationis pendet ex veritate precum, quæ hic deficeret; etsi orator dicat, vel opinetur veras esse preces.

47. ℞. 3. Si dispensatur ad remanendum in matrimonio contracto, videri debet, an oratores conjuncti sint tantum tertio, aut quarto gradu consanguinitatis: nam in primo, & secundo gradu nunquam dispensat Sac. Pœnitentiaria ad matrimonium revalidandum: imo si consanguinitas sit occulta, in nullo gradu dispensat ad illud contrahendum, ut patet ex stylo Curiæ. Quod si affinitas sit occulta, ante dispensationem removenda est occasio proxima peccandi; v. g. ut dimittatur consanguinea uxoris putatitiæ, quam orator ante nuptias cognovit carnaliter; vel si dimitti nequit, ita extenuetur periculum peccandi, ut amplius non maneat proximum, & formale, neque constituat occasionem proximam peccandi.

48. ℞. 4. Confessarius antequam dispenset, præmittet absolutionem a censuris, & peccatis in forma consueta: *Dominus noster Jesus Christus &c.* tum subdet ipsam actualem dispensationem, quæ quibuscumque verbis fieri potest. Consueta sunt ista; *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento* (hic ponitur genus impedimenti, & finis dispensationis ad matrimonium contrahendum, vel convalidandum, prolesque legitimandas), v. g. *affinitatis ex copula illicita, quam cum sorore tua putatæ conjugis antea habuisti, ut illo non obstante, matrimonium novo consensu contrahere, consummare, & in eo remanere licite possis, ac valeas Insuper eadem auctoritate Apost. prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine Patris &c.*

49. ℞. 5. Circa pœnitentiam injungendam, si orator pro peccato suo antea in priori confessione non satisfecit, confessarius discrete, & prudenter se geret; ita ut considerata qualitate, & frequentia peccati, ac dolore oratoris, eam augere, vel minuere possit: confessionem tamen menstruam, dum venit imponenda, non facile sine gravi causa mutabit in bimestrem, vel trimestrem. Illa autem dicitur pœnitentia *longa, & gravis*, quæ durat uno anno, v. g. singulis saltem septimanis per annum, recitando rosarium, ut vocant, litanias, septies, aut quinquies Pater, & Ave, vel eleemosynam dando, aut se flagellando. *Diuturna*, quæ simili modo durat saltem per triennium. *Gravissima, & perpetua*, quæ per totam vitam paulo durius premit pœnitentem v. g. singulis septimanis semel jejunare, flexis genibus rosarium recitare &c. in quibus omnibus prudentia opus erit, ut conformiter conditioni personæ opera pœnalia injungantur.

50. ℞. 6. Factæ dispensationis nulla oratori danda est attestatio, sed litteræ Sac. Pœnitentiariæ statim lacerandæ sunt propter præceptum clausulæ: *præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis: ita ut nullum earum exemplum exstet.* Notat tamen Reiff. & alii; quod confessarius licite possit copiam istarum litterarum transumere pro sua, & aliorum instructione; quia verba dictæ clausulæ procedunt de exemplo authentico probationi in foro externo deserviente.

§. V.

De Revalidatione Matrimonii.

51. Q. I. *Quomodo, obtenta dispensatione, revalidari possit matrimonium antea invalide contractum?* ℞. 1. Si impedimentum est notorium, vel per testes probabile, revalidatio fieri debet publice in præsentia parochi, & testium secundum formam Trid. *S.* 24. *c.* 1. *de refor.* nam nullitas in foro externo nota tolli non potest, neque scandalum averti, nisi per novum contractum publice initum.

52. ℞. 2. Si impedimentum est occultum, & improbabile, revalidatio fieri potest secreto inter ipsum virum, & mulierem: quia Trident. dispositio ad hunc casum se non extendit, hoc ipso, quod prius matrimonium in facie Ecclesiæ contractum negari non possit, & conf. adæquate in his casibus cesset motivum, & periculum plura matrimonia contrahendi.

53. ℞. 3. Ut revalidatio ista fiat legitime, requiritur. 1. *Consensus verbis, vel signis sensibilibus expressus*, uti fit in aliis contractibus humanis, & in sacramentis novæ legis, quæ sunt signa sensibilia. 2. *Consensus mutuus utriusque partis*, ut comm. docet, quia prior consensus, obstante impedimento, non fuit legitimus, & habilis ad constituendum matrimonium; adeoque perseverare non potest, vel sufficere ad illud de novo contrahendum. 3. Requiritur, ut saltem aliquo modo utrique conjugi innotescat nullitas prioris matrimonii; non tamen causa nullitatis ab altero manifestanda est: ita respondit Clement. VIII. teste Comitol. Ponc. & aliis. Quod necessarius sit utriusque consensus, *admonito prius marito de nullitate matrimonii:*

nii: sic etiam in litteris Sac. Pœnitentiariæ addi solet: *muliere de nullitate prioris consensus certiorata*. Ratio est, quia alter non certioratus de nullitate prioris matrimonii, iterato consentiendo errat, & nihil agit, cum intendat renovare priorem consensum de se invalidum; ergo nisi certioretur aliqualiter de nullitate prioris matrimonii, nunquam valide illud revalidabit. Error autem iste, qui hic intercedit, est error totius substantiæ contractus, & reducitur ad errorem personæ, quatenus ignarus putat se consentire in suam, quæ tamen non est sua ob latens impedimentum. Hæc sententia, ut tutior, tenenda est in praxi ad tollendos omnes scrupulos.

Obj. 1. Matrimonium liberi cum ancilla ratificatur, si ille, cognita conditione servili, renovet consensum, vel eam cognoscat affectu conjugali, *c. 2. & fin. de conjug. serv.* 2. Juxta *l. 27. & 65. de ritu nupt.* ad convalidationem matrimonii sufficit perseverantia in eadem voluntate, ubi impedimentum sublatum est. 3. Prior consensus fuit conjugalis, & sublato impedimento, capax est constituendi matrimonium. 4. Si post sponsalia, remoto impedimento, sequatur copula affectu conjugali, de jure antiquo verum contrahitur matrimonium; ergo etiam, si post matrimonium putativum, remoto obice, sequatur copula affectu conjugali, vere efficietur matrimonium, etsi altera pars non sit certiorata de nullitate prioris matrimonii.

℞. Ad 1. Detecta conditione servili, consensus ab utroque renovandus est verbo, aut facto, in quantum copula petitur, & redditur animo contrahendi verum matrimonium. *Ad* 2. Sublato impedimento, requiritur perseverantia in eadem voluntate denuo expressa ad matrimonium de novo contrahendum. *Ad* 3. Dist. ant. fuit conjugalis vere, neg. ant. putatitie, conc. ant. Nec ergo renovetur consensus putatitius, necesse est, ut pars altera nullitatis conscia fiat, & ponat consensum ad matrimonium de novo ineundum. *Ad* 4. Neg. conf. nam copula post sponsalia supponitur fieri animo contrahendi matrimonium: e contra post matrimonium contractum fieri potest animo illo utendi: & conf. ut fiat animo illud revalidandi, debet pars ignara edoceri de nullitate prioris matrimonii.

54. Q. II. *An si matrimonium sit invalidum ex defectu consensus, ut quia alter ficte consensit, revalidari possit per solum verum consensum illius, qui ficte contraxit?* Affirmat Sylv. Sanch. Laym. & Schmalz *tit. de sponsal. n. 270. & seqq.* licet hujus doctrinæ forsan immemor, vel eandem emendare volens, contrarium teneat *tit. 16. de matrim. contr. n. 268.* Opposita sententia est tutior, & suadenda in praxi, juxta quam ℞. In tali casu requiri novum utriusque consensum conformiter responso Clemen. VIII. Ratio est, quia consensus primo datus fuit sub tacita conditione, si & alter vere consentiat; siquidem consensus matrimonialis claudicare nequit, ut partim valeat, partim non valeat ex altera parte; ergo deficiente hac conditione, deficit etiam consensus, & conf. utpote nullus, non sufficit ad revalidandum matrimonium: tum quia, dato quod consensus vere consentientis moraliter perseveret, si non revocetur, tamen non perseverat ad contrahendum matrimonium, sed ad perseverandum in contracto; sed ad revalidandum matrimonium requiritur consensus perseverans, qui sit ad contrahendum matrimonium, sicut est consensus principalis per procuratorem contrahentis; ergo.

Obj. 1. consensus alterius per se est legitimus, & moraliter perseverat: ergo, si non reperiat matrimonium contractum, perseverat ad illud contrahendum; sicut accidit in revalidatione matrimonii metu initi, ubi per spontaneam cohabitationem, vel copulam voluntariam metus purgatur, & accedente consensu spontaneo metum passi, revalidatur matrimonium, etsi metum incutiens novum consensum non ponat, *c. 21. de sponsalib. c. 4. qui matrim. accusar.* 2. Contractus alii perficiuntur, si deinde alterius consensus superveniat; ergo & matrimonium. 3. Professio religiosa, quæ est matrimonium spirituale, ficte emissa, convalidatur solo consensu vero illius, qui ficte professus est; ergo a pari. 4. Quod matrimonium, stante impedimento, convalidandum sit mutuo utriusque consensu, id oritur ex eo, quia neutrius consensus habilis fuit ad matrimonium; quæ ratio cessat in nostro casu; ergo non requiritur, nisi ut vere consentiat is, qui antea ficte consensit.

℞. *ad* 1. Dist. ant. est legitimus tacite conditionate, si conjungatur alteri vero consensui, C. a. legitimus absolute, neg. ant. Purgato metu, matrimonium est præsumptum; verum autem fit ex renovato utriusque consensu. *Ad* 2. Trans. ant. & neg. conf. nam in aliis contractibus consensus potest suppleri a jure, vel fingi intervenisse, quod in matrimonio non procedit; imo nec in omnibus contractibus *l. 1. §. 1. ff. de V. O.* *Ad* 3. Neg. conf. quia consensus religionis suppletur a jure, seu Papa, seu generali prælato omnium Ordinum, qui consensu legali loco religionis acceptat ejusmodi revalidationem professionis, saltem post quinquennium, Trid. *S. 25. c. 19. de Regular.* *Ad* 4. Similis ratio currit in nostro casu, quia consensus unius conjunctus ficto consensui alterius, non est consensus matrimonialis; adeoque non sufficit ad revalidandum matrimonium. His non obstantibus, fateor, oppositam sententiam esse valde probabilem.

55. Q. III. *Quo modo alter conjux certiorari possit de nullitate matrimonii?* ℞. 1. Si ex revelatione nullitatis nullum timetur periculum scandali, diffamationis, dimissionis alterius partis, & liberorum, eo quod conjuges tenere se ament, tunc nullitas paulo apertius revelari potest; v. g. *puto, quod ex aliqua, causa connubium inter nos non subsistat, ut ergo quieta conscientia vivamus, rursum accipe me in tuum, sicut & ego te accipio in meam.* Si alter causam roget, rogatus dicat in hac re non esse necessariam responsionem. Si vero dicat: *placet, consentio, tu semper meus eris &c.* jam censetur revalidatum matrimonium. 2. Si ex aperta revelatione nullitatis timentur prædicta mala, revalidatio fieri potest modo obscuriore, v. g. *casu, quo tua conjux non essem, modo tecum contraho, & debitum tibi reddo:* tunc enim, si pars altera consentiat, & sub hoc modo debitum accipiat, vere de novo consentit in matrimonium; non vero præcise renovat præcedentem contractum. 3. Si nec iste modus securus sit, eo quod maritus in hoc genere loquendi sit doctus, & alias libenter vellet a conjuge separari, tunc in hac extrema necessitate servire poterit sententia probabilis, docens sufficere, si pars conscia impedimenti, eo sublato, sensibiliter suum consensum renovet absque expressa mentione nullitatis, v. g. *Charissime, ego te accipio in meum*, & si circumstantia patitur, *reddo, vel reddam tibi debitum, ut conjugi meo:* nam necessitas ista cohonestat usum hujus opinionis, Sanch. Palao, Carden. Gobat. Sporer. Innoc. Sot. Henriq. &c.

56. Q. III. *Quid agendum confessario deprehendenti nullitatem matrimonii:* ut si conjugata in generali confessione dicat, se fornicatam fuisse cum fratre sui sponsi ante nuptias. ℞. 1. Confessarius subtiliter indaget, an persona ista habeat ignorantiam invincibilem hujus impedimenti: si ita, relinquere illam potest in ignorantia ista pro casu, quo valde difficilis, & periculosa videtur revalidatio matrimonii.

℞. *Ita etiam disponitur in c.* Quia circa *6. de Bigam. non ord. ubi Innoc. III. consultus super simili facti specie, rescripsit nonis Octob.* 1214. *Absaloni Archiepisc. Lundensi, Apostol. Sed. Legato ibi.* Dissimulare poteris, ut maneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere, *Hæc eadem c. pars repetitur a Compilatore in c. 6. de consang. & affinit.*

Si vero persona ista dubitat de suo matrimonio, vel quandam anxietatem patitur; tunc confessarius tanquam doctor aperte manifestare debet nullitatem matrimonii, & dicere necessariam esse dispensationem, quam pro quiete conscientiæ illius se procuraturum promittet. ℞. 2. Interim conjux jam conscia impedimenti, tempore illo abstinere debebit a petitione, & redditione debiti, inventa aliqua excusationis causa: imo si aliter per subductionem sui fieri non posset, præstaret millies mori, quam Deum peccato fornicationis offendere.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER

LIBER QUINTUS
DECRETALIUM GREGORII IX.

De Causis Criminalibus.

Absolutis in Libro III. & IV. causis civilibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, aggredior causas criminales, seu varia delicta, eorumque pœnas, quæ sunt præcipuum objectum materiale præsentis Libri, ut in Prolegomenis *n.* 40. præmisi.

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

Agitur de hac materia in Sexto *h. tit.* in Decreto 2. *q.* 7. 8. *&* 3. *q.* 4. *& seqq. &* 4. *q.* 1. *cum seqq. &* 15. *q.* 3. In Trid. *S.* 24. *c.* 5. 20. *& S.* 25. *c.* 14. *de refor. & S.* 13. *c.*6. *de refor.* In Pandectis *lib.* 48. *tit.* 2. in Codice *lib.* 9. *tit.* 1. *&* 2.

1. *Nota* 1. Super delicto, v. g. furto, homicidio, dupliciter procedi posse: *civiliter* ad interesse, & commodum proprium actoris, & *criminaliter* ad vindictam publicam, seu ad bonum commune reipublicæ, cujus interest crimina non manere impunita, sive reo infligatur pœna corporalis, sive privativa dignitatis, sive pecuniaria fisco applicanda, *l.* 8. *&* 28. *ff. de pœnis l.* 1. *pr. l.* 17. *ff. de jure Fisci*. Ex his patet potissima differentia inter judicium, seu processum civilem, & criminalem.

2. *Nota* 2. Processum criminalem esse duplicem: *Ordinarium* per viam accusationis, in quo persona legitimi accusatoris, lite contestata, probationes producit: & *Extraordinarium*, seu *Inquisitorium*, in quo ipse judex sine prævia accusatione inquirit in delicta, & delinquentes, sive id faciat ex mero officio suo, sive ad alicujus denuntiationem. Hodiernis moribus, quibus accusatio fere sublata est, processus inquisitorius transivit in ordinarium, vigetque in foro, tam sæculari, quam Ecclesiastico. Instituitur autem, vel *plenarie*, servato ad unguem ordine juris, vel *summarie*, sola rei veritate inspecta absque figura, & strepitu judiciali, *Clem.* 2. *de V. S.* De judicio summario Regularium vide meam *Epitomen. process. crimin.*

3. *Nota* 3. In præsenti rubrica tres proponi modos, quibus crimen in judicium deducitur: *accusationem*, dum accusator crimen defert, & ad illud probandum se obligat: *inquisitionem*, dum crimen ex fama, notorietate facti, vel ex objecta exceptione innotescit, ita ut ad illud, ejusque auctorem inquirendum judex moveatur: *denuntiationem*, dum quis judici crimen alienum denuntiat, ut judex de illo inquirat: & licet denuntiator se non obliget ad crimen, tamen docet, seu informat judicem, unde legitimas illius probationes desumere possit. Ex quo patet, quæ sit inter hos tres modos differentia principalis. Observa tamen duos posteriores modos pertinere ad processum inquisitorium, cum iste fiat non tantum ex mero officio judicis, sed etiam ad denuntiationem sive privati hominis, sive publici officialis, *l.* 7. *C. h. t.*

§. I.

De processu ordinario per viam Accusationis.

4. Q. I. *Quid sit accusatio?* ℞. Est actus solemnis, quo quis criminosum defert in judicium publicæ vindictæ causa. Solemnitas autem ista a jure præscripta potissimum consistit in duobus: 1. Ut offeratur libellus querimonialis, in quo exprimatur nomen accusatoris, & accusati, judicis, species facti, seu delicti cum suis circumstantiis loci, anni, mensis, & dies institutæ accusationis; attamen sine conclusione de pœna, quia hanc lex ipsa dictat; quamvis talis conclusio non vitiaret libellum, v. g. *Quare peto ipsum puniri juxta formam juris, & statutorum*. 2. Ut accusator in eodem libello inscribat, seu subscribat se in crimen, seu in pœnam talionis, si in probatione defecerit: ita hæc omnia statuuntur *l.* 3. *pr. ff. & c.* 16. *h. t.* Hæc tamen *inscriptio* sublata est, ne metu pœnæ talionis deterreantur probi a deferendis criminosis, eique successit satisdatio, seu cautio idonea per fidejussores, vel pignora, quibus querelans caveat de querela usque ad finem judicii persequenda, de solvendis expensis, & reparandis damnis *l.* 3 *C. de his, qui accusat.* Effectus libelli accusatorii, seu querelæ propositæ ex parte *judicis* est, quod accusatum citare possit etiam realiter per capturam: ex parte *accusati*, quod is referatur in numerum reorum: & ex parte *accusantis*, quod is obligetur probare delictum secundum formam juris.

5. Q. II. *Qui accusare possint?* ℞. 1. Omnes, qui specialiter non prohibentur: nam edictum de accusatoribus est prohibitorium in materia generaliter permissa, utpote tendente ad bonum reipublicæ *l.* 8. *ff. h. t.* Prohibentur autem 1. Propter sexum *mulieres* 2. Propter ætatem pupillus, seu impubes. 3. Propter sacramentum milites, & magistratus majores præditi potestate, seu imperio mero, ne a suis muneribus avocentur. 4. *Infames* infamia juris *l.* 4. *ff. h. t.* & de jure Can. etiam infames infamia facti. *Can.* 18. *querend.* 2. *q.* 7. quorum nomine continentur etiam viles personæ. 5. Habentes duo judicia subscripta contra duos reos, subornati, vel pecunia corrupti, servi, & alii enumerati in *l.* 4. 8. *& seqq. ff. h. t.* 6. Propter reverentiam accusare non possunt liberi parentes; liberti patronos: alumni educatorem: discipuli magistrum: fratres fratrem sub pœna exilii, & alii, qui recensentur in *ff. h. t. & tit. C. de his, qui accusar. & Can.* 14. *prohibentur* 2. *q.* 1. Denique qui repelluntur a testimonio, etiam regulariter removentur ab accusatione, de quibus vide *l.* 3. *tit. de testib.* 7. Specialiter a jure Can. prohibentur clerici accusare laicos; & econtra *Can.* 6. *sicut* 2. *q.* 7. tum quia clerici remoti esse debent a negotiis sæcularibus: tum quia periculum est irregularitatis, si accusatum sequeretur pœna mortis, aut mutilationis. *Excipe*, nisi clerici, & religiosi civiliter delictum deferant in judicium, puta ad compensationem sibi faciendam pro damnis causatis ex furto, vel alio delicto: tunc enim facta protestatione, quod non agant criminaliter ad pœnam sanguinis, aut mutilationis, sed præcise ad suum interesse, nullam irregularitatem incurrunt; licet deinde judex a judicio civili transeat ad criminale, & per viam inquisitionis malefactorem convictum condemnet ultimo supplicio: nam si clericis, & religiosis non liceret convenire fures, & alios malefactores, aperiretur lata via deprædandi bona Ecclesiarum, monasteriorum, & clericorum, eosque occidendi, & male tractandi: ita expresse declarat Bonif. VIII. *c.* 2. *de homicid. in* 6. ut proinde sine metu irregularitatis prælatus, præmissa protestatione, deferre possit fures, & alios malefactores ad compensationem damnorum sibi faciendam.

6. ℞. 2. Accusatores de jure inhabiles admittuntur in certis casibus, ut si suam, suorumque injuriam persequantur, *l.* 12. *C. de his, qui accus.* in gravissimis, & exceptis criminibus, in quibus etiam testes alias minus idonei recipiuntur, ut in crimine læsæ majestatis, hæresi, simonia, sacrilegio, latrocinio, assassinio, falsatione monetæ, fraudatione annonæ, census, & pecuniæ publi-

publicæ *l. 7. 8. ff. ad L. Jul. majest. l. 53. ff. de judic.* in casu, quo agitur de publica utilitate Ecclesiæ, vel monasterii, *arg. cap.* 3. 5. 11. *h. t.* & ideo clericus accusare potest prælatum, dummodo zelo bono ducatur.

7. Q. II. *Qui accusari possint?* ℞. Regulariter omnes delinquentes usu rationis præditi, nisi specialiter excipiantur: nam jus naturale exigit quemcumque malefactorem puniri. Excipiuntur. 1. Mortui *l. 20. ff. h. t.* nisi delicto annexa sit pœna confiscationis bonorum, ut in crimine perduellionis, hæresis, repetundarum. 2. Supremi principes, legati eorum, & magistratus populi, durante eorum officio; nisi contra illud delinquant, *l. 12. ff. h. t.* ratione tamen peccati principes laici ad tribunal Papæ deferri possunt, *c. 13. de judic.* 3. Pubertati proximi, & puberes minores accusari quidem possunt, sed pro defensione dandus est eis curator; secus judicium erit irritum; *l. 4. C. de auctorit. præstand.* 4. Absens in causa capitali, vel cui infligenda est pœna major relegatione, accusari quidem potest, non tamen regulariter condemnari, sed annotanda sunt ejus bona *l. 1. ff. de requirend. vel absent. damn.* at pœna pecuniaria infligi potest, si legitime citatus non compareat. 5. Idem reus a pluribus ejusdem delicti accusari in effectu nequit, sed gravior ex accusatoribus præferendus est *l. 16. ff. h. t.* secus si diversa sint delicta, *l. 2. ff. de privat. delict.* 6. Si crimen sit extinctum via præscriptionis; transactionis, aut morte accusatoris: quod tamen non obstat inquisitioni, præsertim de hodierna consuetudine, quin judex ad vindictam publicam procedere possit. 7. Reus semel absolutus, non potest iterum de eodem crimine accusari, etiam ab alio accusatore, *c. 6. h. t. l. 7. 14. ff. & l. 9. C. eod.* nam reus per sententiam absolutus, restituitur suæ innocentiæ; & sententia lata contra unum accusatorem parit exceptionem rei judicatæ contra omnes de populo; cum enim quilibet accusare potuerit, uno, qui prævenit, victo, censentur omnes victi; sicut victo uno procuratore, censentur victi omnes comprocuratores ejusdem litis *l. 31. ff. de procurat.* Excipe, nisi accusatio non fuisset legitime proposita, vel per collusionem partium elusa, vel nisi in eodem facto plura intervenerint delicta, vel reus absolutus sit tantum ab observatione judicii, non vero a delicto: vel nisi post judicium Ecclesiasticum, in quo pœna sanguinis infligi nequit, causa devolvatur ad judicem laicum: ex quibus explicatur *l. 3. C. quibus res jud. l. 3. §. 1. ff. de prævaricat. l. 2. ff. de privat. delict. l. 3. §. si mater ff. ad SC. Turpill.* 3. 30. §. *in popularibus, ff. de jurejur. c. 5. §. per hoc de pœnis in 6.* ibi: *per hoc quoque secularibus potestatibus &c.*

8. Q. III. *Quod sit officium judicis in casu accusationis?* ℞. 1. Si accusatio est legitima, tenetur eam judex admittere, etsi accusatus infamia delicti non laboret; ita com. cum S. D. 2. 2. q. 68. *a.* 1. *ad* 3. nam judex ex officio suo tenetur studere bono reipubl. sed accusatio legitima ordinatur ad bonum reipubl. ne crimina maneant impunita; neque ullo jure constat infamiam prærequiri ad accusationem criminosi; ergo. Interim si nullum timetur damnum reipublicæ, vel tertii, lex charitatis dictat, ut quis, antequam deveniat ad accusationem, secreto fratrem moneat de emendatione. Accusare vero regulariter nemo obligatur, nisi delictum certum plene probari possit, & simul aliter consuli nequeat bono communi, nisi per accusationem, S. D. *loc. cit.*

9. ℞. 2. Si accusator est illegitimus, & inhabilis, tenetur eum judex ex officio suo repellere ab accusando, nec tali casu reus citatus tenetur comparere in judicio: ita c. 1. *h. t. si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus;* idem statuitur *c.* 13. 19. 20. *h. t. l. 8. ff. eod. l. 9. 13. 19. C. de his, qui accus.* nam sicut reipubl. interest crimina non manere impunita, ita ejusdem interest, ne per illegitimas accusationes subditi, sæpe innocentes, fatigentur ex odio, vel alia prava passione accusantis, atque ita quodammodo infamentur; ergo. Excipe, nisi judici publice non constaret de illegitimitate accusatoris; tunc enim reus citatus tenetur comparere, & opponere exceptionem illegitimitatis: quo sensu explicantur *c. 4. 10. ad fin. & 15. h. t. l. 32. ff. si quis in jus voc. l. 5. ff. de public. jud. l. 33. ff. ad L. Jul. de adult. Dices:* Potest quis in judicium vocari, & condemnari sine accusatore, l. 3. §. *præterea ff. de suspect. tutor. l. 1. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult.* ergo multo magis cum accusatore illegitimo. ℞. Dist. ant. sine accusatore vero, conc. ant. ficto neg. ant. In his, & similibus casibus lex ipsa, & officium judicis supplet, & sustinet vices legitimi accusatoris.

§. II.

De processu inquisitorio ex officio judicis.

10. Q. I. *Quid, & quotuplex sit Inquisitio?* ℞. 1. Est legitima indagatio criminis, & criminosi per judicem competentem facta vindictæ publicæ causa: ita in re com. Crimen autem istud debet esse magnum, & reipubl. noxium *c. 21. h. t. l. 6. ff. eod.* leviora vero delicta, quæ modica pœna pecuniaria, vel carceris coercentur, regulariter non tenetur judex inquirere; imo sæpius præstat ea dissimulare.

11. ℞. 2. Inquisitio est duplex; *Generalis, & specialis*, quam utramque aliqui sine necessitate subdividunt in *generalem simpliciter, specialem simpliciter, & mixtam:* sed his ambagibus omissis: *inquisitio generalis* est illa, qua indeterminate quæritur in delicta: vel si delictum certum sit, in personam delicti auctorem. *Specialis* est, qua determinate in hanc personam inquiritur, an patrati delicti sit auctor. Prior tendit ad reum investigandum; atque ita est præparatoria ad inquisitionem specialem: ista posterior tendit ad examinandum, & condemnandum reum, si constiterit eum crimen patratum commisisse. Exquiritur autem a reo veritas primum per interrogatoria: seu simplex præceptum judicis: & si hoc non proficit, devenitur ad quæstionem severam, seu torturam, ut per tormenta veritas eliciatur.

12. Q. II. *An processus inquisitorius sit licitus?* ℞. 1. Inquisitio generalis, quæ plerumque fit in visitationibus canonicis a prælatis ecclesiasticis, & regularibus haberi solitis, est omnino licita; imo per se præcepta a Trid. *S. 7. c. 8. S. 21. c. 8. de refor. S. 25. c. 20. de Regular.* conformiter *can. 28. & seqq. 18. q. 2. c. 7. de statu monach. c. 1. de censib. in 6.* nam prælatis incumbit indagare, quomodo subditi vivant, an delicta aliqua perpetrentur? an disciplina ecclesiastica, & regularis observetur? & aliunde de nullo in particulari quæritur, ut conf. nulli injuria fiat per inquisitionem generalem, ergo. Porro dum visitator proponit edictum, vel viva voce præcipit, ut subditi manifestent sibi delicta in tali loco commissa, præceptum hoc non extenditur, nisi ad delicta notoria, vel diffamata, vel occulta quidem, sed noxia communitati; ita ut per privatam admonitionem corrigi non possint: alia vero delicta occulta mere personalia, quæ soli delinquenti nocent, non tenentur subditi; imo regulariter nec possunt licite ea manifestare prælato visitanti, nisi, servato ordine correctionis fraternæ: ita com. & tuta sententia com. S. D. 2. 2. *q. 33. a. 7. ad* 5. Hinc etiam Innoc. IV. *c. 1. §. sane de censib. in 6.* super delictis occultis non diffamatis nullam in specie fieri præcipit inquisitionem.

☞ *Si agatur de hæresi, vel ejus suspicione, denuntiatio facienda est Inquisitoribus S. Officii, etiam nulla præmissa correctione fraterna, licet firma sit spes de emendatione ex Decreto Alexandr. VII.* 8. *Jul.* 1660. ☜

13. ℞. 2. Inquisitio specialis, suis instructa requisitis, est licita: ita communis omnium existimatio jure utroque subnixa: nam jure civili approbatur *l. 13. ff. de off. præsid. l. 1. C. de custod. reor. l. 7. C. h. t. Nov.* 128. *c. 21. Jubemus omnes judices tam militares quam civiles per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut fœminarum, aut alia qualibet in provinciis illicita committunt, & supplicia eis legitima inferre* &c. jure autem can. expresse traditur *c. 21.* &c. *h. t.* nam ex una parte reipublicæ interest delicta patrata non relinquere impunita: ex altera vero parte rari sunt accusatores in hoc genere odioso; ergo necesse est, ut judex potestatem habeat inquirendi eos, quos delictum perpetrasse publica fama clamat. *Dices:* jus naturale dictat, quod nullo urgen-

re accusatore, nullus trahendus sit in judicium, ibi diffamandus, & puniendus *c.* 1. *h. t. l. Can.* 4. *nihil* 2. *q.* 1. *& c.* 4. *de cohabit. Cler. l.* 6. §. *si quis ff. de muneribus. l.* 19. *C. ad Inst. Jul. de adult. l. fin. ff. de privat. delict.* 2. Actiones interrogatoriæ generaliter sunt sublatæ *l.* 1. §. 1. *ff. de interrog. in jure fac.* inquisitio autem est actio interrogatoria. 3. Ante litem contestatam, seu judicium constitutum, nemo cogitur de jure, aut facto proprio respondere, *l.* 11. *C. de petit. hæred. c.* 1. *de prob.* sed inquisitio non habet litis contestationem, cum nullus sit adversarius, cum quo fiat litis contestatio. ℞. *ad* 1. In inquisitione est accusator fictus, ut supra dixi, qui sufficit ad judicium criminale, ut constat ex pluribus Canonibus *cit. causa* 2. *q.* 1. & hoc sensu jura in contrarium allegata explicantur. *Ad* 2. In causis civilibus sublatæ sunt actiones interrogatoriæ, non vero in inquisitione criminali recte instituta. *Ad* 3. Ipsum officium judicis est adversarius, cum quo lis ficte censetur contestata: neque reus per hoc diffamatur, sed potius diffamatio prævia est causa, cur ad inquisitionem trahatur.

14. ℞. 2. Ad legitimam inquisitionem specialem contra hanc personam requiruntur seqq. 1. Ut certo constet de corpore delicti, vel per ocularem inspectionem, si delictum in effectu permanet, sicut homicidium, incendium &c. vel per præsumptiones, si delictum est transiens, sicut magia, blasphemia &c. 2. Ut præcesserit infamia, seu publica diffamatio rei, quod hujus delicti sit auctor; ut conf. contra reum non diffamatum judex specialiter procedere non possit, illum citando, capiendo, incarcerando: ita com. ex *c.* 19. 21. 24. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. & alibi passim: nam judex criminaliter nequit procedere contra reum, nisi ex scientia publica; sed talem non habet, nisi reus legitime deferatur judici, vel per famam publicam, seu clamorosam insinuationem, sæpius aures judicis vellicantem, vel per aliam judicialem intimationem, uti est accusatio, aut denunciatio judicialis; ergo talis infamatio prævia, seu indicia ei æquivalentia, vim querelæ habentia, prærequiruntur regulariter ad inquisitionem specialem: secus judex procedendo, peccat, & injuste reum diffamat: quod intellige de inquisitione, quam facit judex ex mero officio suo nobili; secus si inquirat ad instantiam denuntiatoris, infamia necessario non prærequiritur. *Excipe* 1. Crimina gravissima læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, latrocinii, falsatæ monetæ &c. in quibus sola confessio socii criminis sufficit ad inquisitionem specialem, *l.* 5. *C. ad L. Jul. majest. l.* 6. *ff. de custod. reor.* 2. Si judex ex mandato principis, vel præsente reo, & non contradicente, procedat ad inquisitionem specialem, *c.* 1. 2. *h. t. in* 6. 3. Si crimen cum altero crimine est connexum; & ita adulter convictus de adultero inquiri potest de cæde mariti in camera adulteræ reperti. Extra hos, & similes casus processus inquisitorius sine prævia infamia factus, est ipso jure nullus, sive sit plenarius, sive summarius, cum jura non distinguant, *c.* 21. §. 3. *h. t.* Illa autem censetur esse infamatio sufficiens, quæ a personis honestis, & fide dignis orta in majori parte communitatis propagatur, *cit. c.* 21. *&* 24. *h. t.* His non obstat *l.* 7. *C. h. t.* nam officialis publicus denuntians reum, vicem famæ supplet, modo non sit inimicus. Cetera in processu inquisitionis circa probationes, exceptiones, torturam, publicationem attestationum, sententiam, & executionem ejus servantur fere eodem modo, ac in processu ordinario: nisi quod in certis casibus nomina testium, præsertim apud Regulares, non soleant publicari.

15. Q. III. ***Qui sint effectus inquisitionis specialis?*** ℞. 1. Inquisitio ut suscepta, si præter infamiam adsit probatio semiplena per unum testem integrum, vel indicia semiplenæ probationi æquivalentia, parit in judice jus, & potestatem legitime interrogandi; in reo autem obligationem fatendi veritatem circa delictum infamatum: adeo ut etiam servatis servandis procedi possit ad quæstionem severam, seu torturam pro elicienda veritate. 2. Inquisitio absoluta trahit post se sententiam, vel condemnatoriam, si reus convictus, aut crimen confessus fuit; vel absolutoriam, si reus indicia contra se prolata plene diluit: plerumque tamen in subsidium innocentiæ indicitur ei juramentum purgationis, quo infamia aboleatur, *l.* 2. §. 6. 7. *C. de jurej. propt. calum. cap.* 1. *& seq. de purgat. Can.* 3.

Stante inquisitione, hodie non admittitur rei inquisiti accusatio, præsertim apud diversum judicem; quia hodiernis moribus inquisitio est judicium ordinarium, licet antiquis temporibus accusatio, tanquam remedium ordinarium prævaluerit inquisitioni, tanquam remedio extraordinario.

16. 4. Inquisitus, probato crimine, regulariter pœna ordinaria puniendus est: ita Abb. Gonz. Schmier, & alii, quorum sententia praxi tribunalium firmatur. Prob. ex jure civ. *l.* 8. *ff. de publ. judic.* ubi Paulus docet durare pœnam legum, cum extra ordinem crimina probantur, & *l.* 2. *C. de abolition.* ibi: *adversus nocentem reum, inquisitione facta, pœna competens ingeratur*, qualis est jure ordinario statuta. Prob. ex jure Can. *c. fin. de celebr. missar.* ubi pœna ordinaria privationis officii, & beneficii infligitur sacerdoti inquisito, qui in pane fermentato, & scypho ligneo sine lumine, & aqua celebravit: & *c.* 2. *de confess.* ubi Canonico ob simoniacam alterius electionem inquisito imponitur pœna ordinaria privationis officii, & beneficii. Neque simonia in hoc casu est crimen exceptum; bene vero si committatur in ordinis, & proprii beneficii assecutione; quia inquisitio hodie est judicium ordinarium; ergo reus inquisitus, probato crimine, ordinaria pœna est puniendus: licet olim, dum inquisitio fuit judicium extraordinarium, permissum fuerit judici arbitrari circa majorem, vel minorem pœnam *l.* 12. §. 7. *ff. de his, qui not. infam.* In foro tamen Ecclesiastico, ex benignitate, & indulgentia, quandoque pro personis alias honestis temperatur pœna, maxime si delictum non sit diffamatum, sed detectum solummodo per inquisitionem generalem: quo sensu explicatur *c.* 21. *h. t. c.* 30. *de simon.* In crimine tamen simoniæ, & homicidii ordinaria pœna infligenda est, *cit. c.* 21. *h. t.*

17. Q. IV. ***An, si crimen incidenter deducatur in judicium, super eo inquiri, & pœna ferri possit?*** ℞. 1. Si reus adversario, vel testi via exceptionis crimen objiciat *civiliter*, ut eum repellat ab agendo, vel testificando, criminosus ita detectus non subsit condemnationi, & pœnæ ordinariæ, sed præcise juxta intentionem excipientis removetur a judicio, ut communiter accidit, *c.* 1. *de exceptionib.* 2 Si objecto crimine, excipiatur *criminaliter*, ut criminosus, non tantum repellatur a judicio, sed etiam pœna delicto commensa puniatur, exceptio ista vim habet accusationis; & conf. ita excipiens reus fit actor, seu accusator, & probare tenetur delictum, uti fit in judicio criminali. Si tamen in probatione defecerit, non punitur pœna calumniatoris, quia parcitur accusato se defendenti, cum provocatus sit, *arg. l.* 38. §. 8. *ff. ad. L. Jul. de adult.* Huc referuntur etiam illa crimina, quæ opponuntur electo, aut promoto ad prælaturam, ne possit confirmari, vel ordinari, consecrari, aut mitti in possessionem; quia talia delicta probanda sunt ab excipiente, tanquam accusatore. 3. Si crimina incidenter per exceptionem, vel propriam confessionem rei detecto, judex rationabiliter motus super illo crimine instituat inquisitionem specialem, delictum legitime probatum subsitat condemnationi, & pœnæ ordinariæ; nam licet tale delictum primitus incidenter venerit in judicium, tamen deinde instituto novo processu, est causa principalis criminalis: ergo si legitime probetur, principaliter ad pœnam ordinariam deduci debet.

18. Q. V. ***Quomodo judex procedat in notorio, vel flagranti crimine?*** ℞. 1. In crimine notorio procedit absque ordine judiciario, dummodo notorietas delicti probetur per testes, quod scil. perpetratum sit in loco publico, præsente, & inspectante populo, comm. ex *Can.* 14. *& seqq.* 2. *q.* 1. *c.* 21. *de jurej. c.* 3. *de testibus* ibi: *si factum est notorium, non eget testium depositionibus, cum talia probationem, & ordinem judiciarium non requirant*: unde talis sine ullis ambagibus condemnari potest, sicut ab Apostolo condemnatus est Corinthius incestuosus, qui novercam suam in uxorem duxit, 1. *Cor.* 5. Si tamen reo competit aliqua defensio, vel dubium est de illa, citari debet ad se defendendum, ne inauditus condemnetur, uti & ad sententiam audiendam; nisi periculum in mora, scandalum in Republ. & evidens notitia, quod reo nulla competat defensio, suaderet omissionem talis citationis.

19. ℞. 2. Si crimen flagrans commissum est coram judice pro tribunali sedente, vel alias jurisdictionem

exercente, proceditur in eo fine ordine judiciario: nam aspectus judicis, cum suo consilio facit evidentiam facti *l. 2. ff. de feriis*. Securius tamen erit, si judex statim interroget reum, an crimen coram se factum fateatur? si neget, illud per testes probatum reducat in acta; si fateatur, plerumque non est opus sententia, saltem solemni, sed sufficiet decretum de poenæ executione, Clar. 2. Si reus a ministris, vel aliis deprehensus est in flagranti crimine, & ad judicem deductus, tota relatio ab adducentibus facta, per notarium refertur in acta; tum reus examinatur, & si quidem crimen fateatur, decernitur ei competens poena; si defendat se excipiendo, v. g. quod occiderit justæ defensionis causa, datur ei terminus ad exceptionem probandam; si neget crimen, repetuntur testes super crimine, & deprehensione in flagranti, seu actuali perpetratione, quibus convictus condemnatur ad poenam; plene vero non convictus, trahitur ad torturam; quia deprehensio in flagranti, sine aliis adminiculis, est sufficiens ad torturam, Farin. Reiff. &c.

§. III.

De processu inquisitorio per viam denunciationis.

20. Q. I. *Quid, & quotuplex sit denunciatio?* R. 1. Denunciatio est legitima delatio criminis, & criminosi apud Superiorem ut patrem, vel judicem: *legitima* erit, si fiat secundum jura naturalia, divina, & humana. R. 2. Denunciatio immediata divisione dividitur in *Evangelicam*, & *judicialem*. Evangelica a Christo Domino tradita *Matth.* 18. *v.* 15. *Si peccaverit in te frater tuus* &c. est illa, per quam frater delinquens denunciatur Superiori ut patri, servato correctionis ordine, non ad vindictam publicam, sed ad propriam emendationem, & correctionem. Hæc ad præsens institutum, ubi de judicio criminali agitur, non pertinet, vide S. D. 2. 2. q. 33. *per* 8. *articulos*, ubi materiam correctionis fraternæ fuse persequitur. Vide etiam meam Epitom. judicii crim. ubi §. *III. a num.* 13. plures difficiliores circa hanc materiam resolvi quæstiones, a quarum tractatione hic abstineo. *Judicialis* est delatio criminis apud Superiorem ut judicem. Hæc subdividitur in *civilem*, & *Canonicam*: *civilis*, seu *judicialis specifice*, est delatio criminosi apud Superiorem ut judicem, vel ad vindictam publicam, vel ad privatum proprium interesse, & damni reparationem. Dicitur *civilis*, non quod coram judice Ecclesiastico proponi nequeat, cum frequentissime apud eum proponatur, sed quod originem suam ducat a jure civili: *Canonica* a Sac. Canonibus introducta, est delatio criminis apud Superiorem Ecclesiasticum, ut per eum crimen istud impediatur. Et hæc vel est *generalis* omnibus permissa, sicut a quocumque denunciari possunt impedimenta matrimoniorum, electionum, ordinationum &c. vel *specialis* certis personis, quarum interest, permissa, ut malus, qui præest, corrigatur, vel non resipiscens, a regimine amoveatur, *Can.* 40. *& seqq.* 2. q. 7.

21. Q. II. *Quæ delicta subsint denunciationi judiciali?* R. 1. Delicta notoria: nam juxta *Can.* 19. *si peccaverit* 2. q. 1. *corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus;* ne scandalum in communitate oriatur. 2. Delicta occulta adversantia bono communi, vel tertii S. D. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. quia bonum commune, & tertii innocentis præponderat bono privato famæ delinquentis, maxime si delicta sint atrocia, & in futurum pendeant; ut conjuratio, seditio, proditio patriæ, machinatio contra prælatos, susurratio, turbatio pacis communis &c. *nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala avertere*, S. D. *ibid.* E contra sub denunciationem judicialem non cadunt delicta mere personalia, quæ nulli nocent, nisi delinquenti; ut ebrietas, omissio horarum Canonicarum, fractio jejunii &c. hæc enim prius corrigenda sunt per secretam admonitionem, tum per adhibitionem duorum, vel trium testium; & tandem denuncianda Ecclesiæ, seu Prælato ut judici, ut præscripsit Christus *loc. cit.* Similiter delicta occulta plene emendata non sunt denuncianda. Ceterum ex communi doctrina, arbitrio prudentis Superioris relinquitur, ut denunciationem judicialem flectere possit in charitativam, si prævidet delictum paterna secreta correctione sufficienter emendari posse: & econtra subditum paterne denunciantem cogere, ut transeat ad denunciationem judicialem, si delictum efficaciter corrigi nequeat, nisi per inquisitionem criminalem.

22. Q. III. *Qua forma fieri debeat inquisitio per viam denunciationis?* R. 1. Si denunciatio tendit ad vindictam publicam, fere eadem forma observatur, quæ in accusatione, cum denunciatio successerit in locum accusationis: unde fieri debet in scriptis, expresso denunciantis & denunciati nomine, & delicto cum suis circumstantiis: & quamvis denunciator per se non teneatur probare, more accusatoris, tenetur tamen judici nominare testes, suggerere probationes, & alia indicia criminis. Ipse vero denunciator, licet in causis levioribus testificari posset, non tamen in causis gravioribus, præsertim capitalibus, cum testimonium ejus suspectum videatur, & minus idoneum.

23. R. 2. Denunciatione legitime facta, judex tenetur instituere inquisitionem specialem contra denunciatum. Et quidem primo, si denunciatio fundatur super infamia delicti, & delinquentis, judex ante omnia recipit probationes super infamia, contra quas admittitur reo probatio bonæ famæ, ne ita malevolis detur occasio calumniandi innocentes, Gloss. in *c.* 24. *h. t.* *Nec obstat*, quod fama non probetur, dum judex ex mero officio inquirit: nam tunc fama supponitur esse nota, & probata judici: secus vero, quando inquirit ad denunciationem, & instantiam petentis inquisitionem: tum probata fama delicti, processus inquisitorius instituitur more solito; & si reus convictus est, condemnatur plerumque ad poenam ordinariam: si vero plene non est convictus, non statim absolvitur, sed regulariter tenetur præstare juramentum purgationis, ut supra dictum. Ceterum judex tenetur procedere ad inquisitionem specialem, sive denunciatio facta sit ab officialibus publicis ad hoc constitutis, sive ab aliquo privato: secus litem facit suam, & tenetur de syndicatu, seu de officio male administrato, Gaill. Et hæc servantur in denunciatione publica, seu instituta ad vindictam publicam, quæ necessario non debet esse conjuncta cum infamia delicti, vel monitione prævia delinquentis. At si denunciatio privata ad privatum interesse facienda sit, ei præmitti debet admonitio prævia ex lege charitatis, si damnum citra inquisitionem facile inter privatos reparari possit.

24. Q. IV. *Quomodo instituenda sit denunciatio Canonica?* R. 1. Generalis institui potest sine monitione prævia, & a quocumque, ex fine, ut prælatus impediat peccatum, vel aliud incommodum, v. g. ne cum impedimento nuptiæ celebrentur, ne indignus eligatur, incapax ordinetur, ne lædens infra dimidium injustum lucrum detineat, ne clericus certum locum accedat, in quo scandalose vivit &c. Effectus ergo hujus denunciationis est, ut peccata, & alia incommoda secutura præpediantur.

25. R. 2. Specialis denunciatio Canonica, præmissa secreta admonitione, instituenda est ab illis tantum, quorum interest habere bonum prælatum, administratorem, vel subditum, ut is in officio suo delinquens corrigatur; vel si bis, aut ter monitus non resipuerit, tanquam incorrigibilis a regimine, & officio suo amoveatur *Can.* 47. *quapropter* 2. *q.* 7. Est tamen notabile discrimen in amotione prælati secularis, & regularis, nam, ut amoveatur prælatus secularis, requiritur ad inquisitionem specialem non tantum infamia clamorosa, sed tanta, quæ sine scandalo, & periculo tolerari non possit, utque delicta plene, servato juris ordine, probentur. E contra, ut amoveatur prælatus regularis, præsertim temporalis, sufficit ad inquisitionem sola clamorosa infamia, neque apices juris attenduntur, sed summarie; plene tamen probatis delictis, amotio illius fieri potest, *c.* 24. *hujus tituli*.

TI-

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

Agitur de hac materia in Decreto 2. *q.* 8. *&* 5. *q.* 5. in Pandectis *lib.* 47. *tit.* 15. *lib.* 48. *tit.* 16. in Codice *lib.* 9. *tit.* 42. *usque ad* 46.

1. Q. I. *Quis dicatur calumniator, & quæ pœna illius?* R. 1. Calumniator in criminalibus dicitur, qui falsum crimen in judicio scienter, & dolo malo alteri impingit. Quod si accusator in probatione deficiat, præsumitur esse calumniator; nisi præsumptio ista elidatur per contrarias probationes *c. fin. h. t.* ut si accusator justa causa inductus est ad accusandum, si semiplene probavit, si testes ante depositionem mortui sunt, si ex ore lethaliter vulnerati auctorem sceleris percepit, vel si minister publicus reum denunciavit, modo non sit suspectus, inimicus &c.

2. R. 2. Pœna calumniatoris olim fuit inustio litteræ *K.* in fronte ex lege Remnia, quam sustulit Constantinus *l.* 17. *C. de pœn.* item pœna *talionis*, seu ejusdem supplicii, quod reus, si convictus fuisset, sustinuisset: sed & hæc pœna abrogata est, & hodie calumniator non solet puniri ultimo supplicio, nisi reus ex calumniosa ejus accusatione morte punitus fuisset: ubi tamen recepta est Const. S. Pii *Cum primum 6. Kal. April.* 1566. verus calumniator puniendus est pœna talionis, uti etiam in illis locis, & Ordinibus religiosis, in quibus pœna talionis renovata est.

3. R. 3. Pœna infamiæ juris hodie perseverat, dummodo accusator per sententiam condemnatus sit de calumnia *l.* 4. §. 4. *ff. de his, qui not. infam. l.* 1. §. 4. *ff. ad SC. Turpill. Can.* 1 *siquis.* 2. *q.* 3. & consf. calumniator, tanquam infamis, fit inhabilis ad dignitates, & officia Ecclesiastica, aliosque actus, a quibus infames arcentur. Insuper clericus calumniator privatur beneficio, & officio Ecclesiastico, & verberibus castigatus deportatur *c.* 1. *h. t.* sed verberatio ista hodie non est in usu. 2. Calumniator condemnandus est ad expensas; quod & accidit fisco, vel judici, si iste per inquisitionem illegitimam, & ille per procuratores temere vexet reum.

☞ *Ex constit. Bened. XIV.* Sacramentum Pœnitentiæ 1. *Jun.* 1741. §. 3. *calumniose denunciantes vel per se, vel per alios innocentes confessarios de solicitatione ad turpia, privantur spe absolutionis sacramentalis, quam Pontifex, excepto mortis articulo, reservat Sedi Apostolicæ, licet huic flagitio nulla sit annexa censura.* ☜

4. Q. II. *Quis dicatur prævaricator, & quæ pœna illius?* R. 1. Prævaricator est ille, qui reo colludit, veras probationes dissimulando, & falsas exceptiones admittendo, ut reus absolvatur, *l.* 212. *ff. de V. S.*

R. 2. Judicium prævaricationis est duplex: *publicum*, dum accusator colludit reo criminis publici accusato, & tunc ponitur infamia juris, *l.* 4. §. *fin. ff. de his, qui not. inf. l.* 4. *ff. de prævaricatione*, eademque pœna tenetur, acsi ipse in legem commisisset, *l. pen. eod. privatum*, seu moribus introductum contra advocatum, qui accusatori assistens, causam illius prodit, & reo colludit. Pœna illius est extraordinaria *l.* 1. *in fin. d. t.* Porro *in omnibus causis præterquam in sanguine, qui delatorem corrupit, ex SC.* puta Turpilliano, *pro victo habetur, l. fin. ff. de prævaricat.*

5. Q. III. *Quis dicatur tergiversator, & quæ pœna illius?* R. 1. Tergiversator, quasi tergum vertens, est ille, qui ab accusatione publici criminis semel cœpta citra abolitionem desistit, *l.* 1. §. 7. *ff. ad SC. Turpillian.* Si autem negotium accusationis differat, non statim est desertor, seu tergiversator, nisi elapsus sit accusationis terminus *l.* 6. §. 2. *eod. destitisse videtur, qui intra præfinitum accusationis a præside tempus reum suum non peregit*, hoc est, reum suis probationibus non condemnavit. Pœna tergiversatoris in hoc privato judicio est multa 5. librarum auri *l.* 3. §. *fin. de prævaricat.* & jure Codicis quarta pars bonorum cum infamia *l.* 1. 2. *C. ut intra cert. temp.* Hodie pœnæ istæ videntur sublatæ, cum desistente accusatore, judex ex officio procedat, Clar. Pass. & alii. Cessat autem SCtum Turpillianum in muliere, & minori, *l.* 1. §. 10. *ff. ad SCt. Turpill.* & in eo, qui statim a principio accusationis, præscriptione temporis exclusus est *l.* 11. *eod.* nisi omissa fuisset exceptio præscriptionis, *cit. l.* 1. §. 10. *eod.* denique in eo, qui impetravit abolitionem, hoc est absolutionem ab accusando, seu veniam omittendæ accusationis, *l.* 13. *in fin. eod.*

6. R. 2. Abolitio est triplex: *Generalis*, seu *publica*: *specialis*, seu *privata*: *& legitima*, *l.* 8. 9. 10. *eod. Publica* est, quæ competit ratione feriarum ordinariarum: sed hæc non tam tollit, quam suspendit accusationem, cum finitis feriis, accusator repetere possit reum, *l.* 2. *C. de general. abolit.* Hodie vix est in usu, saltem quoad reum dimittendum e carcere. *Privata* est, quam petit accusator a judice ex justa causa, ut quia errore, juvenili calore, inconsulta facilitate ad accusandum provocavit, *l.* 2. *C. de obolit. Legitima* est, quam concedit ipsa lex sine decreto judicis; ut si accusator, vel reus moriatur, *l.* 10. & *l.* 15. §. 3. *ff. ad SC. Turpill.* nam accusationes non transeunt regulariter in, & ad hæredes, nisi crimen sit transitorium, ut læsæ majestatis, repetundarum, hæresis, *cit. l.* 15. §. 3. 4.

7. Q. IV. *Qui dicti fuerint nuntiatores, quorum meminit l.* 6. §. *pen. ff. ad SC. Turpill.?* R. Erant illi, qui in brevi scriptura faciebant indicia, & relationes criminum; & his pariter non licebat desistere a suis *notoriis*, seu annotationibus, secus incidebant in pœnam SCti. His nuntiatoribus similes sunt procuratores generales in Curiis secularibus, & promotores in Ecclesiasticis, & alii officiales, quibus incumbit sincere adnotare defectus, & crimina aliorum.

Connexio præcedentium, & consequentium.

Posita sunt in prioribus duobus titulis præliminaria judicii criminalis: in seqq. vero titulis affertur materia, seu varia delicta in specie, in judicium criminale deducibilia, quorum tractationem priusquam aggrediar, operæ pretium duxi generalem notitiam, & seriem delictorum hic præmittere. Unde.

8. I. *Delictum* pro præsenti est factum exterius contra legem dolo, vel culpa admissum. Dicitur 1. *Factum*, sub quo etiam venit omissio peccaminosa: *exterius*, quia judex homo de internis non judicat, *c.* 34. *de Simon. & cogitationis pœnam nemo patitur Can.* 14. *de pœnit. d.* 1. *Dicitur* 2. *dolo*; vel *culpa*, puta juridica, quia alterutrum sufficit, ut judex delinquentem condemnare possit. *Delictum*, & *crimen* promiscue in usu, & jure usurpantur, cum delictum non tantum *privatum*, sed & *publicum* dicatur.

9. II. Delictum varie dividitur. 1. In *verum*, quod ex vero dolo, aut vera culpa fit: & *quasi delictum*, quod ex præsumpta culpa fieri dicitur; ut male judicare per imprudentiam, delictum effusi, dejecti, suspensi: item exercitor navis, cauponæ, stabuli ex quasi delicto tenetur, si ipsius ministri furtum, vel aliud damnum aliis faciant, cum uti debeat opera hominum fidelium, & proborum, *titul. Institution. de obligat. ex quasi delict.* 2. In *publicum*, quod ex aliqua lege publicorum judiciorum descendit, & punitur ad vindictam publicam; ut crimen læsæ majestatis ex Julia majest. & alia enumerata libr. 48. *ff. tit.* 4. *& seqq. Privatum*, quod lædit privatam personam; cui proinde conceditur agere ad interesse, & pœnam sibi applicandam, ut furtum, rapina &c. *cit. Inst. de oblig. ex delicto & l.* 47. *ff. fere per tot.* Hæc divisio jure Rom. introducta non attenditur in foro Can. imo hodie nec in foro seculari, cum teste Claro, & aliis, de generali consuetudine omnia fere delicta facta sint publica, cum judex in omnibus procedere possit ad vindictam publicam. 3. In *Ordinarium*, quod certum nomen, & pœnam a jure taxatam habet: & *extraordinarium*, quod nec certum nomen, nec certam pœnam in jure habet, sed punitur arbitrio judicis; & ideo vocatur *Innominatum*, seu *stellionatus l.* 3. §. 1. 2. *ff. stellionat.* ibi; *ubicumque titulus criminis deficit, illis stellionatus obiiciatur;* ut si quis vendat aquam coloratam pro vino, vitrum pro gemma. Nomen hoc tractum est ab animalculo *Stellione* versutissimo, pellem variis maculis, quasi stellulis refertam habente, hominique maxime insidiante. Omnis ergo fraus, & impostura, quæ proprium nomen in jure non habet, venit nomine generali *Stellionatus*, cujus exempla complura referuntur *cit. tit.*

Scellion. 4. In *exceptum*, *& non exceptum*. *Exceptum*, seu *irregulare* est, quod communem judiciorum regulam non sequitur, sed admittit accusatores, & testes alias de jure inhabiles; & contra illud judex speciali inquisitione procedere potest, licet infamia personæ non præcesserit. Talia delicta sunt: crimen læsæ majestatis, præsertim, perduellionis, proditionis patriæ, seditionis: item hæresis, simonia, blasphemia, grave sacrilegium, dilapidatio bonorum Ecclesiæ, aut monasterii, crimen fraudatæ annonæ, latrocinium, assassinium, crimen falsæ monetæ, privatorum carcerum; & hodie etiam furtum, adulterium, stuprum, sodomia, & alia gravissima delicta. *Non exceptum*, seu *regulare* est, in quo proceditur regulariter secundum jus ordinarium, servata forma accusationis, denunciationis, & inquisitionis. 5. In *notorium*, *manifestum*, seu *diffamatum*, *& occultum*. *Notorium* est, quod ita patet, ut nulla tergiversatione celari possit: & quidem si pateat in jure, quia reus de illo convictus, vel confessus est, dicitur *notorium de jure*, seu *notorietate juris*: si vero patratum sit in loco publico in præsentia multorum, dicitur *notorium de facto*, seu *notorietate facti*. Quot autem homines adesse debeant, ad hoc, ut delictum dicatur notorium notorietate facti, jure definitum non est; adeoque id relinquitur arbitrio judicis. Ex communi sententia sufficiunt decem personæ in magna communitate, ut civitate, in minori vero sex, aut quinque, coram quibus præsentibus delictum sit patratum. *Manifestum*, quod sæpe confunditur cum notorio, proprie est illud, quod per famam manifestatur, seu divulgatur inter plures, seu potiorem partem communitatis; & ideo vocatur *diffamatum*. *Occultum* est, quod committitur clam, ut publice non innotescat. Et hoc, vel est *occultum absolute*, seu *improbabile*, quod vel a nullo scitur, vel tantum ab uno præter delinquentem, ita ut in foro externo plene probari nequeat, vel est *occultum* hic, & nunc, attamen *de se probabile*, quod scitur saltem a duobus, ita ut in foro externo probari possit. 6. Delictum aliud est *noxium communitati*, quod vocari solet *publicum*, aliud *noxium tertio*, aliud *noxium soli delinquenti*, seu *mere personale*, quod directe nulli alteri nocet, nisi personæ delinquentis. 7. Aliud est *reale*, quod transit ad hæredes delinquentis; non quidem quoad pœnam corporalem, sed quoad compensationem damnorum a defuncto causatorum v. g. per furtum, homicidium &c. aliud *personale*: cujus pœna non transit ad hæredes, ut fornicatio, blasphemia, adulterium &c. Ceteræ divisiones facile ex vocibus innotescunt.

10. III. De jure Civ. Romano inter delicta privata computantur: 1. Furtum. 2. Junctio tigni alieni, seu ædificatio ex materia aliena. 3. Surreptio, vel corruptio alicujus rei hæreditariæ ante aditam hæreditatem facta ab eo, qui testamento manumissus est. 4. Furtum a nautis, cauponibus, & stabulariis commissum. 5. Furtum a familia, seu servis commissum. 6. Cæsio furtiva arborum. 7. Rapina, & damnum dolo malo in turba datum. 8. Rapina, vel aliud damnum in rebus tempore incendii, ruinæ, naufragii, vel navis expugnatæ factum 9. Injuria, & famosus libellus. 10. Extraordinaria crimina, quorum plura enumerantur *tit. ff. de extraordinar. criminib.* ut solicitatio alienarum nuptiarum, matrimoniorum interpellatio &c. 11. Crimen sepulchri violati, concussionis, abigeatus, prævaricationis, receptationis latronum, furtum balnearium, crimen effractionis, & expilationis, expilatæ hæreditatis, stellionatus, termini moti, collegii, seu corporis illiciti: ita hæc delicta enumerantur *libr.* 47. *ff. a tit.* 2. *usque ad fin.* Inter delicta publica numerantur: 1. Crimen læsæ majestatis ex L. Julia Maj. 2. Adulterium ex *L. Jul. de adulteriis coercendis*. 3. Vis publica ex *L. Jul. de vi publ.* 4. Vis privata ex *L. Jul. de vi privata*. 5. Homicidium, & veneficium ex *L. Cornelia de Sicariis*. 6. Parricidium ex *L. Pompeja de parricidiis*. 7. Crimen falsi ex *L. Cornelia de falsis*. 8. Crimen repetundarum ex *L. Julia repetundar.* 9. Crimen fraudatæ annonæ publicæ ex *L. Julia de annona*. 10. Crimen peculatus, sacrilegii, & de residuis ex *L. Jul. peculatus*. 11. Crimen ambitus ex *L. Julia ambitus*. 12. Plagium ex *L. Fabia de plagiariis*. Habentur hæc omnia *lib.* 48. *ff. tit.* 4. *& sequ.* eademque delicta privata, & publica enumerantur mixtim *lib.* 9. *C. per tot.* Ego suis locis in hoc libro ea inferere non omittam.

11. IV. De jur. Can. alia est partitio delictorum: nam 1. Agitur de delictis adversantibus religionis, & fidei catholicæ, ut est simonia, hæresis, &c. 2. De delictis adversantibus justitiæ, & proximo, uti est homicidium, adulterium &c. 3. De delictis propriis clericorum, uti sunt venatio, ministratio clerici excommunicati &c. 4. De pœnis delictorum &c. Vide Synopsim in Proleg. n. 40. His de generalitate delictorum præmissis, transeamus ad delicta in specie.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

Agitur de hac materia in Extrav. com. *h. t.* in Decreto *causa prima* per tot. *& Can.* 33. *sancitum* 7. *q.* 1. *& Can. pen.* 15. *q.* 3. in Trid. *sess.* 21. *c.* 1. 9. *de ref. sess.* 22. *in decr. de observ. & edit. circa miss. S.* 24. *c.* 14. 18. *de ref.*

1. *Nota* 1. Simoniam nomen traxisse a celebri Mago Simone, qui pecunia emere voluit Spiritum Sanctum *Can.* 8. *Salvator.* 1. *q.* 3. ipsum vero delictum emendi spiritualia pro temporalibus, etiam anterioribus temporibus commissum fuisse, constat ex *Gen.* 25. *v.* 33. ubi legitur Esau primogenita, quibus annexum fuit sacerdotium, vendidisse Fratri Jacobo, & *Num.* 22. ubi legitur Balaam prophetiam vendidisse, & 4. *Reg.* 5. ubi Giezi pretium accepit pro sanitate restituta Naaman Syro, &c. Quamvis autem simonia ex objecto suo non sit omnium delictorum gravissimum, tamen Compilator a simonia seriem delictorum inchoare voluit: quia ista est crimen maxime perniciosum, & a Sac. Canonibus vocatur: turpissimum lucrum, vulnus cancrosum, flagitium horribile nimis, comparandum blasphemiæ judæorum, & peccato Judæ proditoris, labes, & pestis tanta, ut sui gravitate, & magnitudine alios morbos, ipsamque hæresim vincat *Can.* 14. *cum ordinaretur* 1. *q.* 1. *Can. fin.* 1. *q.* 7. *&c.*

2. *Nota* 2. Simoniam quoad rem definiri, quod sit *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum*: ita Com. cum S. D. 2. 2. *q.* 100. *ar.* 1. *dicitur* 1. *Studiosa voluntas*, hoc est, actus deliberatus voluntatis, seu pactum. Dicitur 2. *Emendi, aut vendendi*, quæ verba late intelligenda sunt pro quovis contractu oneroso, quo res spiritualis datur pro temporali, ut emptio, venditio, locatio, permutatio, contractus innominatus, do, ut des &c. Et in tali pacto oneroso consistit forma simoniæ: materia vero illius est res spiritualis, seu spirituali annexa, tanquam merx, & res temporalis tanquam pretium. Nec refert, quod in data definitione non exprimatur *temporale*: nam satis clare intelligitur in verbo *emendi*, aut *vendendi*. Et quamvis simonia completa afficiat duos contrahentes, committi tamen potest inchoative ab uno, sicut accidit in simonia mentali: sic solus Simon Magus simoniam commisit volendo emere Spiritum Sanctum ab Apostolis.

3. *Nota* 3. Simoniam non adversari fidei, aut justitiæ, quia non continet errorem speculativum contra revelationem divinam, nec per se lædit jus alterius; licet quandoque per accidens, hæresis, vel injustitia misceatur simonia: ut si quis pertinaciter judicet licere spirituale vendere pro temporali: vel vendat spirituale, ex quo nullum temporale commodum emptor habeat: quo sensu simonia dici solet hæresis, hæretica pravitas, sacrilegium Judæ, *Can.* 3. *& seqq.* 1. *q.* 1. & alibi passim: unde in veriori sententia dicendum, simoniam per se adversari Religioni, & esse peccatum ex genere suo gravissimum, contentum tanquam speciem sub genere sacrilegii: nam sacrilegium est violatio rei sacræ; sed formalis malitia simoniæ consistit in violatione rei sacræ: tum quia res spiritualis, excedens omne pretium temporale, indigne tractatur, dum deprimitur, & adæquatur temporali; tum quia Deo, & rebus divinis gravis irreverentia infertur, dum res istæ, quas Deus voluit gratis dispensari, pretio & pecunia dispensantur, & ad commercia humana, longe inferiora trahuntur; ergo. Quæ hic opponi possent, abunde solvuntur a S. D. *loc. cit.*

4. No-

4. *Nota* 4. Simoniam dividi: 1. In *internam*, quæ in solo animo consummatur: & *externam*, quæ prorumpit in actum exteriorem: & hæc subdividitur in *mentalem*, *conventionalem*, *& realem*. *Mentalis*, seu *inchoata* est, in qua datur temporale pro spirituali; attamen sine pacto expresso, vel tacito; licet dans mente, & animo suo intendat alterum obligare: ob quod simonia ista *mentalis* dicitur, non quasi mente retineatur, sed quod temporale ea mente detur, ut alter obligetur dare spirituale, vel e contra. Hæc simonia *mentalis*, licet plerumque ab uno committatur, tamen inter duos fieri potest ex utraque parte, dum nullo pacto interveniente, unus dat rem spiritualem, & alter temporalem quasi ex justitia, v. g. Titius servit Episcopo ea intentione, ut pro mercede ab eo obtineat beneficium: vel Titius, vacante beneficio, offert patrono, aut electoribus pretiosa munera, volens hoc modo ex justitia obligare illum, vel istos ad faciendam sibi præsentationem, vel electionem, &c. *Conventionalis* est, in qua intervenit pactum, seu conventio expressa, aut tacita de dando spirituali pro temporali. Et quidem si conventio ex neutra parte completa sit per traditionem, est simonia *pure conventionalis*, v. g. da mihi 100. aureos, & dabo tibi beneficium: si vero ex una parte completa sit per traditionem, est *mixta conventionalis*; quia aliquid ei admiscetur ex reali, v. g. do tibi beneficium, ut suo tempore mihi des centum aureos, vel certam pensionem &c. *Realis* est, in qua pactum completur mutua traditione rei spiritualis, & temporalis, sive totum pretium semel tradatur, sive pars illius; ut si unus det beneficium, & alter centum aureos, vel interim quinquaginta. 2. Dividitur simonia in *eam*, *quæ est juris naturalis*, seu proprie dicta, dum temporale datur pro spirituali: & *eam*, *quæ est juris Ecclesiastici*, seu improprie talis, dum contra prohibitionem Ecclesiæ datur spirituale pro spirituali; ut in permutatione beneficii pro beneficio, vel quandoque temporale pro temporali; ut si quis emat officium thesaurarii, vel oeconomi &c. Hæc divisio, quidquid aliqui dicant, sustinenda est in jure: nam simonia juris naturalis indicatur toto *h. t. & causa* 1. *per tot.* simoniæ vero juris Ecclesiastici fit mentio *c.* 5. 7. *de rer. permutat.* & generaliter *c. fin. de pact.* ubi prohibetur omnis pactio super spiritualibus. De simonia confidentali dicam infra §. 4. His prænotatis, agendum hic erit: 1. De pacto simoniaco, ut forma. 2. De re temporali, ut pretio. 3. De re spirituali, ut merce: quæ duo sunt materia simoniæ; licet quandoque spirituale detur ut pretium pro temporali, ut merce. 4. De pœnis simoniacorum.

§. I.

De Pacto Simoniaco.

5. Q. I. *An pactum fictum sine intentione dandi temporale pro spirituali, constituat actum simoniacum?* ℞. Negative: nam simonia, ut pactum est, requirit consensum internum per *l.* 1. §. 3. *de pactis*: ut vero est pactum simoniacum, requirit studiosam voluntatem emendi, & vendendi spirituale, quorum neutrum est in ficte paciscente; ergo nec est simonia tali casu, bene vero sacrilegum, & scandalosum mendacium, quo alter inducitur ad peccatum simoniæ, vel ficte paciscens eidem cooperatur. Hæc de foro interno: at in foro externo præsumitur simoniacus qui opus externum simoniacum posuit; quia hoc præsumitur, concordare cum actu interno, sicut accidit in aliis contractibus ficte initis. *Dices*: Facta promissio pecuniæ, v. g. pro beneficio, operatur tantum, quantum vera promissio; imo res ficte promissa, est verum pretium, licet actu non numeretur: ergo. ℞. Dist. ant. operatur modo, & vitio simoniaco, neg. ant. modo, & vitio mendacii sacrilegi, conc. ant. res, seu pecunia promissa non est pretium, nisi ut determinatur a studiosa voluntate emendi, & vendendi spirituale; quæ tamen voluntas non est in ficte paciscente.

6. Q. II. *Quæ pacta habeantur pro simoniacis?* ℞. 1. Pacta expressa, quibus datur, vel promittitur temporale pro spirituali, sunt manifeste simoniaca: ut si detur pecunia pro donis Spiritus Sancti, pro collatione Ordinum, pro electione, nominatione, & præsentatione ad beneficium, pro ipso ingressu ad novitiatum, vel religionem, pro ipsis sacris Reliquiis &c. ita passim docent SS. Patres, & Sac. Canones toto *h. t.* & tota *causa* 1. *per* 7. *qq.* Quia vero docta iniquitas, & cupiditas execrabilis habendi, vim effugere non potuit Sac. Canonum, varios modos excogitavit, quibus turpitudo simoniæ tegeretur: sed palliola ista facile removentur.

7. ℞. 2. Dare temporale pro spirituali, non ut pretium, sed ut motivum, conferendi spirituale, vel ut spirituale conferatur ex compensatione gratuita, est simoniacum: ita hodie certa sententia, cujus contrariam damnavit Innoc. XI. propos 45. his verbis: *Dare temporale pro spirituali non est simoniacum, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* *Prob.* 1. *pars ex c.* 34. *h. t.* ubi receptio clerici in Canonicum, dicitur esse simoniaca, si ille bona sua obtulit pro præbenda sua cum conditione, si illum reciperent in Canonicum: quæ datio bonorum expresse non habet rationem pretii, sed motivi. Ratio est, quia in tali actu est palliatum pactum simoniacum: nam qui, v. g. vacante beneficio, dat pecuniam, ut collatorem moveat ad conferendum sibi beneficium, non alia intentione dat, quam ut efficaciter moveat, seu ex justitia obliget ad conferendum beneficium: quod reipsa nihil est aliud, quam emere collationem beneficii; ergo. Jam si alter cognoscit intentionem dantis, eique consentit, est simonia ex utraque parte; si vero non cognoscit, neque consentit, est simonia tantum ex parte dantis. *Prob.* 2. *pars*. Compensatio gratuita, seu obligatio antidoralis, qua cliens obligatur benefactori suo, si deducatur in obligationem determinatam, v. g. ut detur spirituale pro temporali, vel e contra, non manet intra genus gratitudinis, sed alteratur, & transit ad genus justitiæ: quia alter, qui ex gratitudine non tenebatur conferre spirituale, sed alio modo per preces, vel obsequia indeterminate gratus esse potuit suo benefactori, jam determinate obligatur ad conferendum spirituale; ergo obligatio ista, & compensatio est vere simoniaca, licet nomine, & pallio gratitudinis veletur: tum quia hæc duo: *do tibi centum, ut mihi des beneficium: & do tibi centum, ut mihi gratus sis per collationem beneficii*, reipsa eundem contractum efficiunt, solo nomine, & lusione in vocibus excepta; ergo sicut prior actus est simoniacus, ita, & posterior. *Confir.* ab absurdo, quia ex opposita sententia sequitur facile eludi posse omnia jura simoniam prohibentia: nam quisque dicere posset, quod temporale non det, ut pretium, sed ut efficax motivum, neque velit alterum obligare ex justitia, sive tantum ex gratitudine determinare, quod est ludere in re tam gravi; ergo. *Dices*: Quod jure naturali inest actui, deduci potest in pactum; sed obligatio antidoralis, seu compensatio gratuita jure naturali inest actui liberalitatis, & beneficentiæ; ergo. ℞. Dist. m. si tali pacto non alteretur natura obligationis conc. m. si alteretur, sicut in nostro casu, neg. maj. nam obligatio antidoralis est indeterminata, & arbitraria, ut hoc, vel illo modo gratitudo exhibeatur; ergo si obligatio ista determinetur ad unum, contra naturam suam alteratur, & transit in obligationem necessariam justitiæ, & conf. est simoniaca. Ceteræ rationes ex his, & ex dicendis solvuntur.

8. ℞. 3. Dare, vel facere spirituale ex principali motivo, seu fine acquirendi temporale, est simoniacum: ita certa sent. & oppositam damnavit Inn. XI. *prop.* 46. *Et id quoque locum habet*, puta quod non sit simoniacum, *etiamsi temporale sit motivum principale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis*, quia dans, vel faciens spirituale principaliter propter temporale, censetur dare, vel vendere spirituale pro temporali, tanquam pretio, quod est omnino simoniacum; cum res spiritualis vilipendatur, & minus æstimetur, quam temporalis. Exempla habes: in Canonico, qui vadit ad Ecclesiam, & psallit propter distributiones, ut finem principaliter intentum, S. D. *quodl.* 8. *ar.* 11. in Clerico, qui suscipit beneficium primario propter fructus temporales, in dicente missam primario propter stipendium &c. hi enim, & similes ex hac inordinata intentione simoniam com-

committunt. At contra, si actus isti spirituales exerceantur principaliter propter finem suum intrinsecum, scil. honorem Dei, & salutem animarum, nulla simonia erit secundario intendere commodum temporale annexum talibus functionibus; qualiter operari, quilibet in dubio præsumendus est.

9. ℞. 4. Emere preces, commendationes, vel operam a tertio, ut is apud patronum, vel collatorem persuadeat collationem beneficii, est simoniacum: ita com. ex *Can.* 207. *statuimus* 1. *q.* 1. ubi Nicolaus II. tres ponit species simoniæ: dum *simoniaci a simoniacis, & simoniaci a non simoniacis, & non simoniaci a simoniacis* ordinantur. Sed secunda species hujus simoniæ non potest intelligi melius, nisi in casu, quo pecunia, seu aliud quid temporale datur, non ipsi Episcopo, sed alicui tertio, ut is per suas preces, vel operam impetret ab Episcopo collationem ordinis, aut beneficii; ergo. Idem habetur *Can. fin.* 1. *q.* 5. ubi Urbanus II. dispensat cum eo, pro cujus ordinatione pecunia data fuit, non Episcopo, sed alicui ex suis familiaribus. *Ratio* est, quia emens causam, virtualiter emit effectum; sed preces, & commendationes sunt causa obtenti beneficii; ergo qui illas emit, ipsum beneficium emere censetur. Et hoc vitium est valde subtile, quia fœminæ, familiares, ministri, & officiales patronorum, & collatorum facile pecunia corrumpuntur, seque ad beneficia per interponendas commendationes impetranda simoniace obligant. *Dices* 1. Preces istæ sunt quid temporale pretio æstimabile; imo sæpius est labor in adeundo patrono; ergo emi possunt licite. 2. Ministris patroni dari aliquid solet pro impetranda audientia, vel pro informatione de qualitatibus, & meritis personæ. 3. Cajus potest aliquid accipere a Titio rogante, ut ille det mutuum Sticho, dummodo ab hoc nihil petatur supra sortem; ergo a pari. ℞. *Ad* 1. Dist. ant. preces secundum se, conc. ant. secundum connexionem, & influxum moralem respectu effectus spiritualis, neg. ant. Pro labore, qui subitur in aditu patroni, vel reditu, si notabilis est, potest aliquid accipi, cum labor iste sit extrinsecus precibus, neque per se influat in collationem beneficii; licet consultius sit jam beneficio obtento, aliquid ex gratitudine offerre intercessori, Reiff. &c. *Ad* 2. Impetratio audientiæ non influit in collationem beneficii, uti nec simplex relatio meritorum, quæ pure applicat merita, quibus patronus movetur ad dandam præsentationem. In praxi tamen relatio ista meritorum pecuniis empta, vix fieri potest sine labe simoniæ. *Ad* 3. Neg. ant. quia modus, quo reipsa aliquid ultra sortem accipitur a tertio, omnem usuram excusare posset, si semel esset licitus, quod tamen est contra *reg.* 84. *in* 6.

10. ℞. 5. Conventio, qua duo beneficiati sine consensu Superioris permutant inter se beneficia, est simonia simplex juris communis Ecclesiastici: nam hoc jure prohibetur *c.* 5. *& 7. de rer. permutat.* quasi continens labem simoniæ, puta improprie talis: at non est simonia juris naturalis, quia non datur temporale, sed spirituale pro spirituali, nisi permutationi pecunia intermisceretur.

11. ℞. 6. Conventio, qua quis alteri procurat beneficium cum pacto expresso, vel tacito, ut beneficium istud ad se, vel ad tertium revertatur, est *simonia qualificata juris Ecclesiastici*, seu *confidentialis:* ita dicta quod unus, seu dans; constituat fiduciam in altero, in quem beneficium transfert, quod idem beneficium ad se, vel ad tertium revertetur. Damnatur hæc simonia a Pio IV. Const. *Romanum* 7. *Kal. Nov.* 1564. a S. Pio V. Const. *Intolerabilis Kal. Jun.* 1569. Species, seu modi, quibus committitur, præcipui sunt tres: collatio, seu resignatio beneficii *cum reservatione accessus*, ut beneficium restituatur alteri, qui nunc ob defectum ætatis non est capax illud obtinendi. *Cum reservatione ingressus*, ut beneficium restituatur illi, qui illud obtentum, & nondum possessum in favorem alterius resignavit. *Cum reservatione regressus*, ut mortuo beneficiario, vel alio modo per renuntiationem, aut professionem religiosam, idem beneficium revertatur ad priorem possessorem, v. g. Titius Canonicus Canonicatum suum resignavit in favorem Caii nepotis; eo tamen pacto, ut si Cajus citius moreretur, vel alio modo dimitteret Canonicatum, Titius ad eundem regredi posset. Vide dicta *lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 2. *&* 7.

☞ *Vide etiam Elencho VI. n. CX. par.* 1. *p.* 487. ☜

Dicitur autem hæc simonia *juris Ecclesiastici*, & non *naturalis*; quia in illa non datur temporale, sed spirituale pro spirituali; si vero fieret cum datione, seu *reservatione pensionis temporalis*, esset omnino vera simonia juris naturalis, ut de se patet. Dicitur *qualificata*, quia fit cum speciali qualitate, & pacto mox insinuato; & insuper specialem habet qualitatem pœnarum §. 4. referendarum. Porro dum Const. Piana dicit, eam committi *sola intentione* dimittentis beneficium, id non intelligitur de intentione in mente retenta, sed de intentione externa, seu voluntate, & pacto saltem tacito alterum obligandi ad restitutionem ejusdem beneficii.

12. ℞. 7. Conventio pretio facta, ut alter omittat actum spiritualem, est simonia, & omissio talis est simoniaca; ut si quis pecunia corruptus omitteret aliquem absolvere, vel eum ordinare, vel jurisdictionem spiritualem concedere &c. ita *c.* 14. *h. t.* ubi simoniacus dicitur, qui xenium temporale a peccatore accipit, *ut Episcopo, vel ministris ejus peccatum illius celet*: nam juxta *l.* 121. *ff. de R. J. Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, qua non facit*, & conf. non faciendo, facit simoniam. Ad hæc reduci possunt cetera omnia pacta simoniaca.

13. Q. III. *Quæ pacta sint libera a labe simoniæ? & qui actus non reputentur simoniaci?* ℞. 1. Pactum, quod facit Clericus ante susceptionem sacri ministerii super congrua substentatione, aut stipendio, non est simoniacum: ita com. nam pactum super eo, quod ex justitia debetur, est licitum, ut scilicet quantitas, si non est lege, aut consuetudine determinata, pacto determinetur; sed congrua sustentatio, aut stipendium jure naturali debetur Clerico ministranti spiritualia: quia dignus est operarius mercede sua *Matt.* 10. *v.* 10. ergo. Illa autem determinatio mercedis non est commensuranda operi spirituali, sed conditioni personæ congruenter sustentandæ. Ab his tamen pactis abesse debet turpitudo, & avaritia: secus non carebunt affectu simoniaco: quo sensu intelliguntur *Can.* 2. *& seqq.* 1. *q.* 2. *& c.* 36. 41. *h. t.*

14. ℞. 2. Pactum, quod prælatus facit cum professuro, vel parentibus ejus, ut aliquid detur titulo donationis propter nuptias, vel titulo dotis, item titulo legitimæ, & si monasterium sit inops, titulo sustentationis, non est per se simoniacum: ita com. ex ratione generali; quia, stantibus his titulis, temporale datur pro temporali, non pro spirituali, seu pro ipso ingressu religionis. Prob. specialiter 2. *pars* ex speciali indulto Innoc. VIII. a Tamburino *de jur. Abbatiss. d.* 5. *q.* 2. *&* 3. relato, quo Pontifex iste concedit Monialibus, ut ab ingressuris dotem congruam petere possint: nam in matrimonio carnali licite petitur dos, & donatio propter nuptias, sive sponsi sint divites sive pauperes *l.* 19. *ff. de rit. nupt. l.* 7. *C. de dotis promiss.* &c. ergo etiam in matrimonio spirituali, quod anima per professionum religiosam init cum Christo, licite petitur dos, vel donatio propter nuptias, cum a matrimonio carnali bene ducatur argumentum ad spirituale *c.* 2. *& fin. de translat.*

Prob. 2. *pars* Dum aliquid petitur titulo legitimæ, seu juris ad legitimam, petitur temporale pro temporali; ergo nulla est simonia. *Nec obstat l.* 5. *ff. de acq. hæred.* nam licet liberis non debeatur legitima ante mortem parentum, tamen jus radicale ad eam debetur, & hoc jus devolvitur ad religionem; ergo, cum religio non teneatur hoc jus gratis remittere, poterit super eo pacisci, & transigere, ita ut deinde nullum jus habeat ad portionem hæreditariam.

Prob. 3. *pars arg. Trid. S.* 25. *c.* 16. *de Regul.* ubi permittitur religioni aliquid petere, & accipere pro victu, & vestitu novitii; ergo etiam si monasterium sit inops, aliquid exigi potest pro victu, & vestitu professi, cum ita temporale detur pro sustentatione temporali: ita docet S. D. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. At si monasterium sit dives, ab ingressuro nihil peti potest titulo sustentationis; quia tunc non est necessaria sustentatio, sed fingitur prætextus paupertatis, & sustentationis: quo sensu procedit *cap.* 40. *hoc tit.* Imo in tali casu committi simoniam juris naturalis, fuse probat Reiff. verius tamen videtur oppositum, quod solum sit simonia juris Ecclesiastici; quia re vera in tali

casu

casu adhuc temporale datur pro temporali, scil. pro sustentatione, ita ut redditus monasterii in alium usum bonum applicari possint. Sic etiam parochus dives exigere potest redditus stolæ, licet sine his congruam habeat sustentationem.

15. Obj. 1. Jus commune prohibendo aliquid exigi, vel accipi pro ingressu Religionis, prohibet omnem titulum accipiendi, & oppositum damnat simoniacæ pravitatis, ut patet *ex Can. 2. & seq. 1. q. 2. & cap. 8. 19. 25. 30. 40. hoc tit.* ubi generaliter prohibetur aliquid ex pacto accipi a professuro, etiam pro pastu, seu victu, sub titulo, aut prætextu paupertatis. Idem repetitur *Extrav. 1. h. t. int. com. 2.* Hodie titulus *sustentationis* allegari non potest; quia, ut inquit Van-Espen, tot solum suscipi possunt, quot commode ali ex proventibus monasterii juxta Decret. Clem. VIII. incip. *Nullus omnino*, conformiter Trident. *Sess. 25. cap. 3. de Regul.* ℞. *Ad* 1. Jure communi prohiberi, ne quid ex pacto in monasteriis opulentis accipiatur pro pastu, & sustentatione, & jure naturali prohiberi, ne quid ex pacto pro ipso ingressu recipiatur: priori modo fit simonia saltem juris Ecclesiastici; posteriori modo juris naturalis: nulla autem simonia erit, si quid monasterium pauper exigat ad sustentandum religiosum: ita communis horum jurium interpretatio circumfertur, & fundatur in S. Th. *loc. cit.* Licet autem doctrina S. Th. vera sit, non tamen puto illam debite applicari ad citata jura interpretanda, quæ generaliter excludunt omne pactum circa temporalia, & solam gratuitam oblationem permittunt *cap. 30. hoc tit.* ubi in fin. subditur: *illud tamen grataner recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum*. Existimo igitur jure antiquo ob justas causas statutum fuisse, ut absolute nihil ex pacto, quocumque titulo quæsito, exigi, vel recipi posset ab ingressuris religionem; sicut clerici nihil recipere poterant ratione baptismi, sepulturæ, & aliarum functionum spiritualium *cap. 9. h. t.* quia temporibus illis expediebat, imo necessarium erat clericos, & religiosos ab omni temporalium cupiditate alienos esse. Sed mutatis temporibus, jura ista, partim constitutionibus, & declarationibus pontificiis, partim generali consuetudine, & opinione fidelium relaxata sunt, ut hodie liceat & clericis redditus stolæ, & religiosis temporalia exigere; dummodo pro ipsis functionibus spiritualibus, vel pro ipso ingressu monasterii, quod jus naturale vetat, nihil ex pacto exigatur. *Ad* 2. Pecunia titulo dotis, vel legitimæ, vel sustentationis data, habet rationem vel eleemosynæ, vel obventionis in commune conferendæ; adeoque non excluditur, sed comprehenditur in *cit. decreto*. Hic tamen attendendum est, ne dos, vel sustentatio indiscriminatim petatur; secus multis pauperibus magis idoneis præcluderetur via ad statum religiosum; item ne inhabilis suscipiatur propter pecuniam, quia tunc pecunia esset finis principalis, & susceptio simoniaca.

16. ℞. 3. Pensiones, quas clerici divites a fidelibus exigunt ratione ministeriorum spiritualium, ut funerum, copulationum, baptismatum &c. non sunt simoniacæ: nam *cap. 42. hoc tit.* & Trident. *Sess. 24. c. 14. de reform.* approbantur, & servari præcipiuntur consuetudines piæ, & laudabiles in receptione sacramentorum, aliorumque spiritualium administratione fieri solitæ; sed solvere funeralia, baptismalia, & alia hujusmodi pertinet ad pias, & laudabiles consuetudines; ergo. Ratio est, quia pensiones istæ non exiguntur, ut pretium pro ipso sacro ministerio, sed alio titulo per consuetudinem approbato. Et quidem clerici pauperes exigunt pensiones istas titulo sustentationis, & stipendii: clerici vero divites titulo oblationum ex consuetudine debitarum, & titulo decimarum personalium; in quarum locum videntur successisse illæ pensiones, quæ etiam, si clerico diviti dentur, habent rationem justi stipendii, ut ille ex temporalibus eorum vivat, quibus ministrat spiritualia. Favet huic sententiæ S. D. *quodlib. 6. a. 10. & 2. 2. q. 100. art. 2. ad 4. Excipe* 1. Si clericus ex justitia tenetur certum ministerium præstare, pro eo non potest pecuniam accipere: sicut parochus, quia saltem dominicis, & festivis diebus tenetur pro ovibus suis missam offerre, non potest aliud stipendium pro eadem missa accipere citra injustitiam, & simoniam. *Excipe* 2. Si exactio sit violenta, immoderata, excedens summam lege, aut consuetudine taxatam; vel si fiat cum protestatione non faciendi spirituale, nisi numeretur pecunia, vel pignora, aut fidejussores dentur: tunc enim exactio non careret vitio simoniæ; quia tunc ministerium spirituale præstaretur propter pecuniam, ut finem principalem, S. D. *loc. cit. a. 3. in corp.* Ex his explicantur *Can. 1. & seqq. 1. q. 2. Can. 8. d. 18. & Can. 100. nullus 1. q. 1. & c. 8. 9. h. t. Dices:* pensiones istæ exigi non possunt pro ministerio, ut spirituale est, neque pro ministerio, ut quidam labor corporeus est, v. g. concionando, baptizando, funus comitando &c. nam labor iste est intrinsecus, & inseparabilis a sacro ministerio; ergo si quid exigatur, est simonia juris naturalis. ℞. Conc. ant. & neg. cons. nam adsunt tituli alii, ut labor extrinsecus, & obligatio adeundi certum locum, expectandi horam, & nutum alterius, neglectio proprii negotii, aliique tituli ante relati.

17. ℞. 4. Conventio conditionalis, qua aliquid datur, vel legatur sub conditione, aut modo, ut quid ponatur spirituale, non est simoniaca: ita com. praxis a sac. Canonibus approbata *c. fin. de testam. cap. 12. de restit. spoliat. Clem. 2. de sepultur. &c.* nam id quod datur, vel promittitur sub conditione, non est absolute obligatorium, sed præcise incitat, & invitat ad faciendum spirituale, quo posito, temporale datur ex mera liberalitate, aut gratitudine; ergo nihil simoniæ continet: unde citra simoniam potest. 1. Testator relinquere certam summam, ut pro se anniversarium celebretur, vel altare, aut Ecclesia ædificetur. 2. Princeps, vel alius promittere officium, vel relaxationem pœnæ infideli, si ad fidem conversus fuerit. 3. Parentes promittere liberis munuscula, si missam audierint, vel communionem perceperint. 4. Benefactor offerre pauperibus pecuniam, si litanias, vel alias preces recitaverint &c. hoc enim modo non emuntur spiritualia, sed tantum incitantur, & provocantur animi per gratuitam beneficentiam, ut gratis spiritualia præstentur, S. D. *l. c. a. 3. ad 2. Dices:* Illicitum est statutum in aliqua Ecclesia, ut non fiat alicui processio funebris, nisi solvat certam pecuniam; ergo conventiones istæ conditionales sunt simoniacæ. 2. Bonifac. Papa *Can. 2. quam pio 1. q. 2.* ait: *nunquam legimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse*. ℞. *Ad* 1. Conc. ant. & neg. cons. nam per simile statutum principaliter intenditur pecunia, & præcluditur via gratis exhibendi alicui officium pietatis, quod illicitum est; econtra in conventione conditionali incitativa ad opus spirituale, non præcluditur via gratis faciendi spiritualia, sed solum ad ea facienda animi per munificentiam provocantur. Unde licitum esset statutum: *quicumque certam summam deposuerit? ei fiat processio funebris*, quia per hoc statutum non prohibetur gratis fieri opus pietatis, sed pecunia permodum invitationis prærequiritur. *Ad* 2. Apostolis conveniebat, non per munera, sed per prædicationem, & miracula invitare ad fidem; ex quo tamen non sequitur, quod provocatio per gratuita munera sit illicita. Secus esset, si per munera imponeretur absoluta obligatio faciendi spiritualia; ut si quis per pecuniam absolute obligaretur ad ingressum monasterii; tunc enim ingressus iste pecunia emeretur.

18. ℞. 5. Donatio gratuita absque voluntate alterum obligandi ex justitia ad dandum spirituale, per se non est simoniaca, licet fiat sub spe, & cum intentione conciliandi animum, v. g. patroni ad dandam præsentationem: nam *grataner recipi poterit, quod fuerit sine taxatione*, seu pacto *gratias oblatum, c. 30. hoc tit.* cum hoc modo non ematur spirituale, sed provocetur animus, v. g. patroni, ut gratis det spirituale, sicut *num. præced.* dictum. Sed licet doctrina ista speculative sit vera, in praxi tamen est valde periculosa, præsertim si munera donentur in notabili quantitate ante collationem beneficii: siquidem talia munera potenter inclinant, & excæcant animos, & vix unquam dantur sine simonia, saltem mentali: imo in foro externo præsumitur simonia ex pacto, ut notat Fagnan. *in cap. 1. hoc tit. num. 27.* Reiff. & alii. Similiter ista promissio gratitudinis: *procura mihi Canonicatum, & ero tibi gratus*, licet de se, & theorice non sit simoniaca, tamen si ex circumstantiis colligatur obligatio justitiæ, & non pure antidoralis, & gratitudi-

nis

nis indeterminate, est omnino simoniaca; quia promittens, re ipsa obligat se ad aliquod temporale præstandum. *Excipe* a data responsione illa dona, quæ etiam gratis oblata jus prohibet accipere; ut in ordinationibus, examinibus, in concursu pro parochia, expeditionibus litterarum Indulgentiarum &c.

19. ℟. 6. Conferre spirituale ex obligatione pure antidorali, seu gratitudinis, non est simonia; ut si prælatus suscipiat ad religionem filium, quia hoc modo vult exhibere gratitudinem pro beneficiis a patre illius acceptis: vel si Episcopus conferat alicui beneficium, quia vult ei esse gratus pro obsequiis, vel gratiis temporalibus ab eo acceptis: ita com. nam gratitudo, cum non habeat debitum, & opus determinatum, exhiberi potest per quodcumque opus, etiam nobilius re ipsa accepta: siquidem gratitudo non respicit æqualitatem cum re accepta, sed effectum gratificantis, qui superare potest gratias, & obsequia ab altero præstita, secluso omni pacto, & pretio, S. D. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 3. *& q.* 106. *a.* 1. *ad* 1. ergo etiam gratitudo exhiberi potest per exhibitionem rei spiritualis; ut si prælatus pro benefactore monasterii jubeat a religiosis preces fundi, missas celebrari &c. & similiter si Episcopus, ut se gratum exhibeat, seclusa obligatione justitiæ, conferat alicui beneficium, nullam simoniam committit. *Dices:* 1. Gratiæ, vel obsequia præstita Episcopo sunt *munus a manu*, *& obsequio*, quod constituit pretium simoniacum. 2. Compensatio gratuita inducit simoniam, ut dictum *num.* 7. alioquin facile simonia excusari posset, dicendo, quod, v. g. Episcopus det beneficium, ut offerenti pecuniam se gratum exhibeat. ℟. *Ad* 1. Dist. ant. si obsequia ista præstentur ex pacto expresso, aut tacito, seu titulo justitiæ, ut pro eis detur spirituale, v. g. beneficium, conc. ant. si præstentur gratis, vel pro alia mercede conventa, ita ut nulla sit obligatio justitiæ pro eis dandi beneficium, neg. ant. hic autem supponitur, quod nulla sit obligatio justitiæ ad compensanda hæc obsequia. *Ad* 2. Compensatio gratuita deducta in pactum, ut spirituale detur pro temporali, omnino inducit simoniam, ut ibi dictum; quia tali casu non est actus gratitudinis, nisi nominetenus; re ipsa autem est actus justitiæ; at in nostro casu nullum supponitur adesse pactum, nullaque obligatio justitiæ; ergo sicut Episcopus pro arbitrio suo posset fidelia obsequia remunerari per officium temporale, ita etiam potest per beneficium ecclesiasticum, vel alterius rei spiritualis exhibitionem. Ex datis resolutionibus innumeri solvuntur casus particulares, in quibus facile deprehendes simoniam, si modo attendas, tunc eam committi, dum temporale datur pro spirituali ex pacto, seu contractu oneroso, ita ut dans velit ex justitia alterum obligare ad dandum spirituale pro temporali, vel econtra; secluso autem tali pacto, & obligatione, dare spirituale pro temporali non est simonia.

§. II.

De merce simoniæ.

20. *Nota* 1. Materiam adæquatam simoniæ esse *rem spiritualem*, permodum *mercis* venalis, & *rem temporalem* permodum *pretii* late sumpti pro omni eo, quod est pecunia æstimabile, licet quandoque res spiritualis habeat rationem pretii, & res temporalis rationem mercis, prout subjecta materia patitur; ut si per collationem beneficii emas ab altero preces, vel operas temporales.

21. *Nota* 2. Nomine *rei spiritualis* hic non intelligi creaturas naturales entitative spirituales, ut sunt Angeli, animæ rationales, actus naturales intellectus, & voluntatis, sed res aliquo modo supernaturales, a Deo, vel Ecclesia ordinatas ad cultum divinum, & salutem animarum. Res spirituales hoc secundo sensu acceptæ sunt in quadruplici genere: nam 1. Aliquæ sunt *spirituales formaliter*, ut habitus supernaturales gratiæ, fidei, spei &c. 2. Aliquæ sunt *spirituales causaliter*, ut sacramenta, sacramentalia, officia ecclesiastica ad animarum salutem ordinata. 3. Aliquæ sunt *spirituales effective* permodum operationis, ut baptizare, absolvere a censuris, & peccatis, judicare in causis spiritualibus &c. 4. Aliquæ sunt *spirituales connexive*, quæ licet in se sint temporales, tamen propter connexionem cum spirituali evadunt spirituales, & ad finem supernaturalem ordinantur. Triplici autem modo conjungi possunt spiritualibus; *antecedenter*, quia ordinem dicunt ad spirituale, sicut calices, vestes sacræ, missalia, juspatronatus &c. *concomitanter*, uti labor corporeus in concionando, sacrificando, sepeliendo &c. *consequenter*, quatenus ad jus spirituale sequitur aliquid temporale, tanquam accessorium; quo modo jus præbendæ, & decimarum annectitur officio spirituali. Jam certum est, quod omnes res istæ suo modo possint esse materia simoniæ, si dentur pro aliquo temporali. Sed pro claritate specialiter de singulis hic aliquid dicendum erit.

22. Q. I. *An res formaliter, vel causaliter spirituales sint materia simoniæ?* ℟. 1. Res formaliter spirituales sunt materia simoniæ, sive emantur in abstracto, sicut Simon magus voluit emere Spiritum Sanctum: seu gratias gratis datas, sive in concreto; ut si servus carius venderetur, quia christianus, sacerdos, vel thaumaturgus est: nam gravis irreverentia infertur, dum res istæ tam sanctæ & excelsæ pretio temporali æstimantur. ℟. 2. Res causaliter spirituales, ut sacramenta, sacramentalia, sive transeuntia, ut variæ benedictiones, & exorcismi Ecclesiæ, sive permanentia, ut res consecratæ, & benedictæ: item officia ecclesiastica, ut officium Episcopi, parochi, abbatis &c. sunt materia simoniæ, saltem prout accipiuntur cum suo spirituali: ita constat fere ex tota *causa* 1. *q.* 1. *c.* 9. *h. t.* & alibi passim; nam hæc gratis dari Christus voluit *Matth.* 10. *v.* 8. *gratis*, inquiens, *accepistis*, *gratis date*. Excipe materias remotas sacramentorum, & sacramentalium, quæ prævie emi possunt, ut panis, & vinum pro Eucharistia, oleum, balsamum, calices, vestes, & alia utensilia cultui divino applicanda. Ac vero, dum connexive sunt spiritualia, vendi possint, infra dicetur, nunc.

23. Q. II. *An res spirituales effective per modum actionis sint materia simoniæ?* ℟. 1. Affirmative: nam actiones istæ ordinantur ad salutem animarum, adeoque excedunt omne pretium temporale. Hujusmodi sunt: 1. Actus a gratiis gratis datis proficiscentes, ut prophetia, patratio miraculorum &c. 2. Actus ordinum clericalium, ut consecrare, ordinare, sacrificare, baptizare &c. *cap.* 1. 8. 9. *&c. hoc tit.* 3. Actus officii, seu jurisdictionis spiritualis, ut conferre beneficia ecclesiastica, approbare ad curam animarum, concedere jurisdictionem pro foro interno, absolvere a censuris, dispensare in sac. Canonibus, votis, juramentis, impedimentis matrimoniorum, & ordinum, admittere ad novitiatum, & professionem religiosam, ceterique actus jurisdictionis ecclesiasticæ sive voluntariæ, sive contentiosæ in judiciis ecclesiasticis, sive fiant super causis pure spiritualibus, sive profanis, seu civilibus clericorum *Can.* 10. *vendentes* 1. *q.* 3. Si vero prælatus habeat in suo territorio jurisdictionem temporalem, pro actu illius accipiens pecuniam, illicite, quidem, sordide, & plerumque injuste agit, non tamen simoniam committit, cum actu iste non procedat ex potestate spirituali.

24. ℟. 2. Actus ordinum minorum etiam ut a laicis exerceantur, sunt materia simoniæ: ita Laym. Scamb. & alii: nam actus isti licet in laicis non procedant ex potestate spirituali, tamen ex fine suo sunt spirituales; ergo gratis exerceri debent: pretium vero petendum est ex alio titulo, ut sustentationis, laboris extrinseci, & obligationis ad nutum alterius.

25. ℟. 3. Pro collatione quorumcumque ordinum, etiam primæ tonsuræ: item pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, Episcopi, & eorum ministri: præcedente pacto, aut exactione, nihil recipere possunt, citra vitium simoniæ, *cap.* 1. *hoc tit.* imo nec sponte oblatum: ita jure novo Trident. *sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* & Bened. XIII. Constit. incip. *Commissi* 1725. *pridie non. Maj.* ubi severe prohibet, ne illi, qui abbates benedicunt, ante, vel post benedictionem munera etiam modica recipiant. Hoc jure Trid. correctum est jus antiquum *Can.* 4. *sicut.* 1. *q.* 2. *& cap.* 18. *h. t.* ubi post ordinationem, vel confirmationem Episcoporum permittitur aliquid modicum, sponte oblatum accipi: item in *Trid. cit.* excipiuntur notarii in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, ut decimam aurei partem accipere

pere possint pro dimissoriis, aut testimonialibus; dummodo nullum salarium sit eis constitutum, nec Episcopus inde aliquid accipiat directe, vel indirecte.

26. ℞. 4. Pro dispensationibus in legibus, & impedimentis Canonicis nihil accipi potest: ita Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* & *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* nam dispensationes istæ ordinantur ad bonum spirituale fidelium, & procedunt a potestate spirituali; ergo pretio non sunt solubiles.

27. *Obj. contra istas respon.* 2. In curia apostolica statutæ sunt certæ taxæ pro confirmatione Episcoporum, pro dispensationibus, & aliis expeditionibus spiritualibus. 2. In curiis episcopalibus, non tantum sponte oblata recipiuntur, sed etiam taxæ præscriptæ sunt, & novæ inducuntur pro investituris, dispensationibus, & judiciis, aliisque negotiis spiritualibus; & tamen taxas istas quis simoniæ condemnet? Videntur ergo jura Can. non esse ubique recepta, sicut Lessius ait Const. *cit. Trid. sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.* non ubique praxi receptam esse. 3. Cancellariæ sæcularium patronorum taxas determinatas habent; & vix expediunt litteras præsentationis, nisi prius taxa solvatur, vel præsentatus ad eam solvendam se obliget; & tamen patronos istos, eorumque officiales nemo condemnat simoniæ.

℞. *Ad* 1. In Curia apostolica actus spirituales gratis expediuntur: taxæ vero cohonestantur ex pluribus titulis; ut *ex titulo commutationis*, dum votum commutatur in opus pium, & eleemosynam: *ex titulo coercitionis* per modum pœnitentiæ, dum ob præcedens delictum petitur dispensatio: *ex titulo cohibitionis* a petitione dispensationum, ut dispensationes sint onerosæ: *ex titulo sustentationis* pro officialibus Papæ, qui plurimi sunt, & pro tota Ecclesia laborant &c. *Ad* 2. Trident. *loc. cit. ejusmodi taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ, simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassat, & interdicit*. Et juxta hoc Decretum judicat fac. Congr. ut fusius ostendit Fagn. *cap.* 1. *in ordinando hoc tit.* Quod vero Decretum Triden. dicatur a Lessio, & aliis non esse ubique usu receptum, id quidem experientia probat: an vero adsit titulus, & causa sufficiens cohonestans ejusmodi taxas, præsertim excessivas, juri scripto tam antiquo, quam novo adversantes, est quæstio facti, utique pro foro conscientiæ decidenda ab his, quorum interest. Hæc consuetudo taxas exigendi solet justificari ex præsumptione: quia præsumitur incepisse ex legitima causa, & titulo, v. g. sustentationis ministrorum Curiæ, vel ex privilegio apostolico: quia vero præsumptio ista est facti, quo deficiente, sicut lex, ita & consuetudo deficit; ne alioquin ad illicitum obliget, ideo durum videtur ex præsumptione ista conscientiam justificare. Hinc, ut ait P. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ult.* §. 4. *num.* 40. *consultum valde esset tales consuetudines, speciem mali præseferentes, tollere, siquidem Episcopi, qui sufficientes redditus habent, (secus in pauperibus) ex lege justitiæ obligati sunt ad stipendia justa officialibus suis solvenda, ne pro spiritualibus functionibus aliquid loco stipendii exigere cogantur ab his, quibus administrant*: qui sensus est etiam ceteris Doctoribus, qui hanc materiam periculosam mente pacata considerant. Hoc certum est ex supra dictis, quod si Ordinarius, vel ejus officiales nolint ordinationes celebrare, stante justa causa, dispensare, litteras testimoniales dare, in beneficiis instituere, nisi pecunia numeretur, omnino committi simoniam; quia actus isti spirituales principaliter exercentur propter pecuniam, S. D. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *in corpor. & ad* 3. Item certum est plerumque injustitiam committi, si taxæ indiscriminatim, & æqualiter petantur a divitibus, & pauperibus clericis, religiosis, aliisque fidelibus: cum enim taxæ istæ non dentur pro actu spiritualis jurisdictionis, sed *titulo sustentationis*, ratio habenda est facultatum, ut proportione servata, concurratur ad hanc sustentationem. *Ad* 3. Cancellariæ sæculares a simonia excusari solent *titulo privilegii apostolici*, quo Papa principibus, aliisque patronis indulgere solet, ut certos redditus, vel pensiones in mutatione Episcoporum, & aliorum prælatorum percipere possint: *titulo reservationis*, dum patronus transferens bona sua in Ecclesiam, reservavit sibi certam pensionem a quolibet novo beneficiato præstandam; vel si bona data sint Ecclesiæ in feudum cum conditione, ut novus beneficiatus in recognitionem dominii directi præstet certam pensionem per modum *relevii*. Ceteri tituli plerumque non excusant ab injustitia, & simonia: non *titulus sustentationis* officialium, qui a domino suo competens salarium non habent, sed hoc resarciri debet ex consuetis taxis pro litteris præsentationum ad beneficia datis: nam beneficiati non tenentur concurrere ad sustentandos officiales patroni: imo aperta est simonia; dum præsentatio datur, ut clericus præsentatus aliquid contribuat pro sustentandis officialibus cancellariæ patroni: non *titulus gratitudinis*, quia hæc alio modo exerceri potest: si vero sit determinata ad certam taxam, & pecuniam, non liberat a simonia, ut supra dictum *num.* 7. non *titulus stipendii, & mercedis*, quia ex hoc titulo, licet aliquid moderatum, & labori scriptionis adæquatum accipi posset, tamen excessiva taxa peti non potest: imo patronus vi juris patronatus, sicut obligatur gratis præsentare, ita quoque obligatur gratis dare litteras præsentationis. Alium titulum non reperio, nisi *gratiæ*, ut, quod sponte sine taxatione offertur post expeditam præsentationem, gratanter a patrono, vel ejus cancellaria recipiatur, conformiter *c.* 30. *in fin. h. t.* Quo titulo parochi recipiant redditus stolæ, dixi supra.

28. Q. III. *An res spirituales connexive sint materia simoniæ*? ℞. 1. Calices consecrati, paramenta sacra, loca auctoritate ecclesiastica deputata ad cultum divinum, ut Ecclesiæ, cœmeteria, & alia hujusmodi, ut accipiuntur adæquate cum sua benedictione, & ordine ad finem supernaturalem, sunt materia simoniæ: ita com. nam res istæ hoc modo acceptæ sunt omnino sacræ, & nullo temporali pretio adæquabiles.

29. ℞. 2. Calices, & aliæ res sacræ habentes materiam pretio æstimabilem, secundum illam vendi possunt absque ulla simonia: ita com. cum S. D. 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. 2. & 3. contra Abbatem, & quosdam veteres negantes vasa sacra vendi posse, nisi prius per confractionem execrentur. *Prob.* ex *Can.* 2. *ea.* 10. *q.* 3. ibi: *vel distrahantur integra, vel aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel conflata cuilibet alii vendantur, & Can.* 70. *aurum* 12. *q.* 2. ubi pro necessitatibus pauperum permittitur vasa sacra divendi. *Ratio est*, quia res sacræ per consecrationem, & ordinationem ad cultum divinum, non amiserunt suum valorem naturalem; ergo secundum materiam vendi possunt: integræ quidem pro alia Ecclesia; confractæ vero, si ad usum profanum adhiberi debeant, ut insinuant *citt.* jura, & *l.* 21. cum *auth. præterea C. de sacr. Eccl.* Ab hac resolutione excipiunt quidam Ecclesiam, & cœmeterium; quia hæc duo non solent esse in commercio humano: nihilominus probabile est, quod proprietas materialis Ecclesiæ, & sepulchri propriis, vel majorum sumptibus ædificati per venditionem transferri possit in alium, cum consecratio, vel deputatio ad finem spiritualem non tollat materialem valorem loci, ædificii, & sumptuum in eo impensorum: quamvis sine necessitate, & debitis solemnitatibus venditiones tales non sint faciendæ.

30. Obj. 1. Ecclesiam non posse vendi probat *Can.* 7. *si quis* 1. *q.* 3. *& cap.* 15. *hoc tit.* 2. Sepulchrum vendi prohibetur *Can.* 12. *cum seqq.* 13. *q.* 2. *cap.* 9. 41. *hoc tit. & cap.* 13. *de sepultur.* 3. Venditio olei benedicti, & Chrismatis dicitur simoniaca *Can.* 105. *dictum* 1. *q.* 2. *& cap.* 8. *hoc tit.* 4. Sacra vasa posse vendi, sed non nisi execrata, docet S. D. *loc. cit. ad* 2. 5. Licet præbenda, ut est jus exigendi fructus temporales, sit pretio æstimabilis, tamen, quamdiu est annexa juri, & officio spirituali, citra simoniam vendi non potest, *cit. Can.* 7. *si quis* 1. *quæst.* 3. ergo a pari.

℞. *Ad* 1. *in cit. Can.* 7. sermo est de Ecclesia, non materiali, sed obtenta in titulum, seu de beneficio, ut patet ex verbis: *Nullus igitur emat Ecclesiam, aut præbendam* &c. In. *cap.* 15. *hoc tit.* agitur de Ecclesia non locanda, & non vendenda sine consensu capituli. *Ad* 2. Citata jura procedunt de cœmeterio communi, in quo fideles gratis sepeliri debent, licet ex aliis titulis aliquid accipi possit, v. g. pro conservatione illius, pro loco digniori, pro sustentatione ministrorum, &c. At si est sepulchrum proprium secundum materiam

teriam suam vendi potest: quo casu jus sepulturæ accessorie transferetur in emptorem. Sic etiam servatis servandis, Ecclesia fundum cœmeterii cedere potest, v. g. Regularibus pro alio fundo commodiori ad sepeliendos fideles. *Ad* 3. Oleum, & Chrisma prohibentur vendi, quia, cum materia sit exigui pretii, benedictio potius, quam materia censeretur vendi. *Ad* 4. S. D. loquitur pro casu, quo vasa sacra vendenda sunt ad usum profanum *pro necessitate Ecclesiæ*, *& pauperum;* & tunc omnino confringenda sunt. *Ad* 5. Neg. conf. nam præbenda, ut quid accessorium, auctoritate papali annectitur officio spirituali, ut principali, ejusque conditionem sequitur, ut nisi per Papam separetur ab officio spirituali, citra simoniam vendi non possit; econtra materia calicis, & similium rerum, est quid principale, cui consecratio, vel benedictio accessorie supervenit; & conf. materia vendi potest, quam accessorie sequetur benedictio, sicut venditionem castri accessorie sequitur jus patronatus ei annexum.

31. ℞. 3. Jus patronatus seorsim, & per se vendi non potest citra simoniam juris naturalis: ita com. contra Sot. Sylv. Navar. docentes esse simoniam juris ecclesiastici; nam jus patronatus, vel est spirituale formaliter, vel saltem connexive antecedenter, quatenus ordinatur ad collationem officii spiritualis, neque per se aliquam materiam habet pretio æstimabilem; ergo si vendatur, venditur quid spirituale, & hoc irreverenter tractatur, seu violatur, in quo consistit simonia juris naturalis. *Dices*: 1. Jus patronatus est inventum Ecclesiæ, & sequitur naturam patrimonii profani, transeundo ad hæredes, & emptores. 2. Ex jure patr. non fluit actio spiritualis, neque præsentato tribuit aliquod jus spirituale. ℞. *Ad* 1. Dist. ant. est inventum sacrum, sicut novitiatus, prima tonsura &c. conc. ant. profanum, neg. ant. Quod jus patronatus transmittatur ad hæredes, & emptores loci, cui simile jus est annexum, id oritur ex generali privilegio juris habilitantis laicos ad possidendum hoc jus spirituale. *Ad* 2. Præsentatio est actio spiritualis connexive, & tribuit jus saltem remotum, ut præsentatus, si idoneus est, necessario institui debeat.

32. ℞. 4. Præbenda, seu beneficium, ut est jus percipiendi fructus temporales, non potest vendi citra simoniam juris naturalis: ita Abb. Covar. Gonz. Schmier. Schmalz. contra Gloss. *cap.* 12. *de off. Deleg. v. dimittere*, Nav. Clar. Zoes, & alios, volentes esse simoniam tantum juris ecclesiastici. Prob. ex Canonibus *causa* 1. *q.* 3. ubi clare colligitur simoniam istam esse juris naturalis: nam *Can.* 8. *ibid* Urbanus II. eam damnat his verbis: *pecunia tua tecum sit in preditionem*, *ex Actor.* 8. *v.* 19. item *seq. Can.* 9. venditores præbendarum tanquam nummularii comparantur venditoribus columbarum, *qui sacram manus impositionem vendere conantur*; & infra dicuntur esse *divinorum præceptorum immemores*, & *Can.* 14. *ibid.* Paschalis II. ait: *Altare*, *& decimas per pecuniam dare*, *& Spiritum Sanctum vendere*, *simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat*, ubi nomine *altaris* venit præbenda ex doctrina *Can.* 4. *ibid.* imo, si decimas vendere est simoniaca hæresis, multo magis vendere præbendam erit hæresis simoniaca. Huc faciunt plurimi textus, *cap.* 6. & *fin. de pact. cap.* 4. 7. *de transact. cap.* 15. 34. *hoc tit.* ex quibus sane plus colligitur, quam simonia juris ecclesiastici. *Ratio est*, quia simonia juris naturalis; est violatio rei sacræ per venditionem, sed præbenda, quatenus auctoritate papali annexa juri, seu officio spirituali, est res sacra, saltem connexive, & tanquam accessorium sequitur naturam officii spiritualis; ergo si vendatur, violatur res sacra, & conf. fit simonia juris naturalis: unde *Can.* 7. *si quis* 1. *q.* 3. de tali venditione dicitur: *quisquis horum alterum vendit*, *sine quo nec alterum provenit*, *neutrum invenditum derelinquit*. Idem dic de capellaniis, commendis, pensionibus auctoritate Episcopi constitutis, & officio spirituali annexis. Si tamen a principali Rectore pensiones annuatim sint solvendæ pensionario, ad munus spirituale obligato, probabile est, eas redimi posse per anticipatam solutionem; cum hic detur temporale pro temporali, seu pro immunitate a solvendis annuis pensionibus: licet tutius sit, ut redemptio ista fiat cum licentia Papæ.

☞ *Vide addit. hac part. II. pag.* 65. *post n.* 3. ☜

Dices: Papa vendere potest præbendam sine simonia; ergo hæc non est juris naturalis. 2. Creatio, & annexio præbendarum facta est jure Can. ergo venditio illarum est tantum contra jus Can. 3. Sic se habet præbenda ad officium spirituale, sicut villa, vel castrum ad jus patronatus: nam utrobique unum est annexum alteri; sed vendi potest villa sine simonia juris naturalis, ergo & præbenda. ℞. *Ad* 1. Si Papa jus præbendæ separet ab officio spirituali, jus istud, utpote mere temporale, vendi potest absque ulla simonia: nullus autem Papa inferior hæc dat jura separare potest. *Ad* 2. Conc. ant. saltem quoad formam, & determinationem, & neg. conf. nam supposita institutione, & annexione præbendæ, venditio illius contrariatur juri naturali, sicut supposita institutione novitiatus, vel primæ tonsuræ, jam venditio similium juri naturali est adversa. *Ad* 3. Est disparitas: nam villa est quid principale, cui accessorie unitur jus patr. & conf. manet venalis: econtra præbenda est quid accessorium officii, ejusque naturam sequitur; ergo sicut officium vendi nequit, ita nec præbenda, ut dixi *n.* 29.

Ex his facile resolves particulares quæstiones de aliis rebus, & actionibus spiritualibus, de quibus consule Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c. fin.* §. 4. *&* 5. & præ ceteris S. D. 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. 3. 4.

§. III.

De Pretio simoniaco.

33. *Nota munus* hic non accipi pro dono liberali, sed pro aliquo ex justitia commutativa debito; qualiter etiam onera ex justitia debita dicuntur *munera tit. ff. de munerib.* Hoc sensu *munus* est triplex: 1. *Munus a manu*, per quod intelligitur pecunia late sumpta pro omni re mobili, vel immobili in alterum transferibili. 2. *Munus ab obsequio*, quod est servitium temporale ex justitia præstandum, ut famulari, negotia gerere, scribere &c. 3. *Munus a lingua*, quod est omne genus precum temporalium, laudum, commendationum, quatenus hæc ex obligatione fiunt ad obtinendum spirituale, vel ad compensandum pro illo obtento. Insinuatur hæc divisio *Can.* 113. *ordinationes.* 1. *q.* 1. *& Can.* 8. *Salvator.* 1. *q.* 3. ibi: *ideo* &c. & traditur a S. D. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *in corp.*

34. Q. I. *An munus ab obsequio*, *& lingua constituat materiam*, *seu pretium simoniæ?* ℞. 1. Affirmative; dummodo munus istud præstetur ex debito, seu ex obligatione justitiæ, ut intuitu illius detur spirituale, vel quia datum est spirituale pro tali munere præstito vi pacti expressi, aut taciti: nam sicut munus a manu, ita quoque munus ab obsequio, & lingua est temporale, & pretio æstimabile; ergo si fiat ex pacto, & obligatione justitiæ pro aliquo spirituali, vim habet pretii simoniaci, quo spirituale emitur. Unde 1. Simonia est servire Episcopo sine salario, vel cum modico salario, cum expresso, vel tacito pacto, ut loco salarii beneficium servienti conferatur. At, si serviat gratis, vel sub spe obtinendi beneficium, nolendo tamen ex justitia Episcopum, vel patronum obligare, per se loquendo non est simonia, cum non præstetur munus ab obsequio, ut intuitu illius ex justitia detur beneficium: est tamen hoc periculosum, præsertim ante collationem beneficii: tum quia in foro externo speciem simoniæ præsefert, & scandalum generat; tum quia inducit in peccatum acceptionis personarum; tum quia servitia gratuita, sicut munera, plerumque excœcant, & degenerando in obligationem justitiæ, simoniam secum trahunt. 2. Simonia est offerre preces, vel commendationes, v. g. laudabo, vel commendabo te apud principem, si mihi, vel huic meo clienti beneficium, vel in electione suffragium dederis: vel contra, do tibi beneficium, & suffragium, ut me apud principem commendes, vel pro me preces interponas: & sic de aliis in particulari.

35. ℞. 2. Dare spirituale propter causam temporalem, nulla intercedente obligatione justitiæ, non est simonia: ita com. cum S. D. 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 2. nam simonia fundatur in contractu emptionis, & venditionis, seu ut spirituale pro temporali, vel econtra, detur per modum commutativæ compensationis ex justitia; ergo. Unde 1. non est simonia, si quis alicui confe-

conferat beneficium intuitu consanguinitatis, amicitiæ, familiaritatis; quia confert gratis, nec aliquam compensationem petit ex parte collatarii. Ex alio tamen capite, si consanguineus sit indignus, reprobatur talis collatio, *cap. unic. ut Eccl. benefic.* At *si aliquis dat beneficium ecclesiasticum alicui hoc pacto, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia*, S. D. *loc. cit.* nam sic dando, imponit collatario obligationem justitiæ compensativam collationis. 2. Qui pro se interponit preces, commendationes, adulationes, ut obtineat beneficium, & collator, vel patronus ad has preces confert illud, neuter simoniam committit: ita com. nam collatio est gratuita, non vero ex justitia compensativa precum, vel adulationum. Nec obstat *Can.* 113. *ordinationes* 1. *quæst.* 1. siquidem collatio ad preces facta tunc est simoniaca, quando preces per illam emuntur, modo ante dicto; secus si preces sint tantum causa impulsiva ad collationem *c.* 34. *h. t. Can.* 121. *& seqq.* 1. *q.* 1. At si collator daret beneficium, ut collatarius obligaretur ei facere jocos, vel comparere ad colludendum, aperta foret simonia. 3. Qui propter preces armatas, seu metum injuste incussum, dat beneficium, non est simoniacus: nam beneficium gratis datur, tanquam medium ad tollendam vexationem. At si collator metum incutienti imponeret novam obligationem justitiæ, v. g. ut in posterum semper cesset ab injusta vexatione, collatio foret simoniaca. 4. Qui dat beneficium debitori, metu amittendi debitum, non est simoniacus, quia illud gratis dat: at si apponat pactum securitatis, seu conditionem, ut beneficiatus debitum solvat, simoniaca est collatio, propter novam obligationem. 5. Qui dat temporale gratis, attamen sub conditione contractum reciprocum non inferente, non est simoniacus; ut si puellæ promittat dotem sub conditione, si religionem professa fuerit, vel si legentur centum, ut anniversarium celebretur &c.

36. Q. II. *An, & quando spirituale datum pro spirituali habeat rationem pretii simoniaci?* ℞. 1. Regulariter loquendo, non habet, nisi beneficium commutetur pro beneficio absque consensu legitimi superioris: quo casu est simonia juris ecclesiastici, *cap.* 5. 7. *de rer. permut.* 2. Si imponatur onus, quod de jure inest, non est simonia, v. g. confero tibi beneficium, ut alterum incompatibile resignes, vel ut solvas debita ratione prælaturæ, seu Ecclesiæ contracta: at si imponatur onus, quod de jure non inest, est simonia, propter novam obligationem pretio æstimabilem, v. g. confero tibi beneficium, ut alterum resignes compatibile, ut solvas expensas, quas ratione personæ suæ, vel litis, fecit prior beneficiatus. At si collato beneficio, Papa gravet beneficiatum ad solvenda debita priora, non est simonia; quia gravamen istud non descendit ex contractu, sed ex voluntate, & jurisdictione Papæ.

37. Q. III. *An redemptio injustæ vexæ per dationem temporalis sit simoniaca?* ℞. 1. Si vexatio superveniat juri jam plene quæsito in prælatura, aut beneficio, non est simonia vexationem istam pecunia redimere, *Can.* 4. *quæsitum* 1. *q.* 3. *& cap.* 28. *hoc tit.* nam tali casu non datur temporale pro spirituali, sed pro temporali; cum cessatio, seu omissio injustæ vexationis sit mere quid temporale; ut si quis Episcopum confirmatum injuste vellet vexare, poterit ei dari pecunia, ut removeatur impedimentum injustæ vexationis. Quod procedit etiam in casu, quo Episcopus confirmatus necdum adeptus est possessionem; quia possessio ista est tantum facti; adeoque si quis ab ea impediatur injuste, poterit impedimentum pecunia removere. At si vexatio est justa, v. g. propter dubium legitimæ electionis, vel si jus in prælatura necdum sit plene quæsitum, non licet eam pecunia redimere; quia hoc modo per pecuniam deveniretur ad prælaturam: imo si fieri potest, vexationes injustæ semper officio judicis elidendæ sunt.

38. ℞. 2. Si vexatio antecedat electionem, seu acquisitionem prælaturæ, aut beneficii, regulariter non licet eam pecunia redimere, S. D. 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 5. ubi rationem reddit: quia talem vexationem removens, *per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam:* sic enim dans pecuniam Canonico electori, ne eum vexet, virtualiter, & primario intendit electionem sui, *cap.* 23. *hoc tit.* 2. Si vexatio immineat ab extraneo, ut quia is vult tibi nocere per sinistras relationes, discommendationes, & persuasiones malignas, redimendo talem vexam pecunia, non committis simoniam; etsi vexator esset capitularis, volens te apud alios coelectores denigrare, & discommendare: nam quisque jus quæsitum habet, ne sinistre apud alios discommendetur: quo casu redimendo vexam, non facit sibi viam expeditiorem ad electionem, sed præcise impedit viam duriorem injuste causandam. 3. Si detur pecunia electoribus, ne eligant indignum, determinando personam dignioris eligendi, committitur simonia, quia obligatio hujus pecuniæ re ipsa influit in electionem dignioris. At si persona dignior nulla determinetur, speculative loquendo, nulla est simonia, quia pecunia datur pro temporali, seu pro remotione indigni. Sed quia modus iste periculosus est, & plerumque palliatam habet simoniam, ideo ab illo abstinendum, & electio indigni alio modo impedienda est; puta per recursum ad superiorem.

39. Q. IV. *An sub materia simoniæ contineantur annatæ? Nota annatas* esse certas pensiones, quæ ex episcopatuum, aliorumque beneficiorum fructibus primi anni solvuntur Cameræ apostolicæ. Harum 4. sunt species: 1. *Annatæ* specifice, quæ sunt dimidia pars fructuum primi anni, obveniens soli Papæ ex beneficiis inferioribus, & regularibus, non consistorialibus, hoc est, quæ in Consistorio Papæ non conferuntur; dummodo redditus anni excedant 24. aureos. In Germania, Gallia, & Hispania ex Canonicatibus, & beneficiis aliis nullæ annatæ solvuntur; quia ex moderamine Sedis apostolicæ taxantur ad 24. aureos, licet re ipsa mille, vel plura millia aureorum inferant. 2. *Communia servitia*, quæ communiter obveniunt Papæ, & Cardinalibus, his dimidium, & illi dimidium, & dantur ex prælaturis consistorialibus, seu collatis in Consistorio Papæ, rogatis Cardinalium suffragiis. Tales in Germania sunt Archiepiscopatus, Episcopatus, prælaturæ tam sæculares, quam regulares immediate Sedi apostolicæ subjectæ. Et quamvis integri fructus primi anni solvi deberent, fit tamen moderamen, ut vix quinta pars solvatur, dato termino duorum annorum: & si prælatura bis, vel pluries eodem anno vacet, non solvitur, nisi una annata ex concord. Germ. §. *placet similiter*. 3. *Servitia minuta*, quæ sunt minutæ partes annatæ, seu certæ portiones dividendæ inter ministros minores Papæ, secundum proportionem taxæ. 4. *Quindennia*, quæ sunt dimidia pars fructuum unius anni singulis quindecim annis Cameræ apostolicæ solvenda ex beneficiis quibusdam unitis, vel specialiter exemptis a communi reservatione beneficiorum: sicut est præpositura Augustana, ex privilegio Alexandri VI. facta electiva. Vide de his Fagn. *c.* 1. *præterea. Ne prælati vic. suas.*

40. ℞. Exactio, & solutio annatarum non est simoniaca, sed licita, justa, & necessaria: ita Cathol. contra Hæret. quamvis in Concil. Basileens. etiam nonnulli Catholici de honestate harum annatarum disputaverint: nam beneficia conferuntur a Papa gratis; pensiones vero istæ ex multis causis justificantur; & quidem 1. Annatæ exiguntur in signum subjectionis erga romanam Ecclesiam, a qua omnes Ecclesiæ, & institutæ sunt, & dependent, *Can.* 1. *d.* 22. 2. Exiguntur in subsidium Sedis apostolicæ, ut hæc pro toto orbe laborans, facilius sustentare possit Cardinales, & plurimos alios officiales, quibus indiget ad regimen totius Ecclesiæ; atque ut bene meritos præmiare, & pauperes clericos ad se confluentes sublevare valeat. 3. Exiguntur ad publicas Ecclesiæ necessitates, ut ad bellum contra infideles &c. Vide *cit. Fagn.*

§. IV.

De pœnis, restitutione, & judice simoniacorum.

De pœna æterna, quam meretur gravissimum delictum simoniæ, etiam internæ, hic non agimus: neque de pœna arbitraria, quam judex imponere potest, ubi jure non est expressa; sed de pœnis a jure latis contra simoniam commissam in *ingressu religionis, in collatione Ordinum, & provisione beneficiorum.*

41. Q. I. *Quæ simonia habeat pœnas a jure statutas?* ℞. 1. Sola simonia realis, & confidentialis: ita com. Prima pars prob. ex canonibus *causa* 1. *quæst.* 3.

cap. 8.

cap. 8. 34. 40. *&c. hoc tit. Extrav.* 1. *&* 2. *eod. int. com.* ubi pœnæ istæ statuuntur contra simoniam datione spiritualis pro temporali completam; ergo cum pœnæ sint odiosæ, extendi non debent ad aliam simoniam: *mentalem cap. fin. hoc tit.* pro qua sufficit suo satisfacere Creatori: mere *conventionalem;* quia non est perfecta in qualitate traditionis ad pœnas requisitæ; nec ad *conventionalem mixtam* traditione solius pretii temporalis perfectam; quia in ea res spiritualis necdum reipsa irreverenter profanatur: & probabilius neque ad conventionalem mixtam traditione solius rei spiritualis completam; quia nisi simonia completa sit traditionis utriusque rei temporalis, & spiritualis, non reperitur habere pœnam a jure dictatam. 2. *Pars* patebit ex Const. Piana alleganda *num.* 45. Hic excipe simoniam conventionalem in electione Papæ commissam ex *Const.* 3. *Julii II.* ubi etiam promissiones pœnis simoniæ subjiciuntur.

42. ℟. 2. Pœnæ simoniacorum in ingressu religionis sunt: 1. Dantes, & recipientes, si personæ sunt singulares, excommunicantur; si capitulum, suspenditur ab officio; non tamen ab Ordine: & utraque hæc pœna reservata est Papæ, *cit. Extrav.* 1. *hoc tit.* 2. Incurrunt infamiam juris, saltem in crimine notorio notorietate juris, aut facti, *ibid.* §. *ceterum*, & consf. fiunt irregulares. 3. Simoniace professus detrudendus est in arctius monasterium, nisi cum illo Episcopus dispenset, *ibid.* & *cap.* 25. 40. *hoc tit.* Hæ pœnæ raro locum habent, quia pro ipso ingressu non solet aliquid peti.

43. ℟. 3. Pœnæ in collatione Ordinum sunt. 1. Ordinans, vel ad Ordines præsentans, excommunicatur ipso facto, *cap.* 2. *hoc tit. & cit. Extrav.* licet delictum sit occultum ex Const. Sixti V. incipit. *Sanctum*, quæ quoad pœnas confirmata est per Constitut. Clem. VIII. *Romanum prid. Cal. Martii* 1595. 2. Suspenditur a collatione Ordinum, & exercitio pontificalium *ibid. & c.* 45. *hoc tit.* 3. Interdicitur ab ingressu Ecclesiæ; quod interdictum violando, fit irregularis; & a regimine suæ Ecclesiæ, & fructuum perceptione suspenditur, cit. Constit. Sixti V. Easdem proportionaliter pœnas incurrit simoniace ordinatus, scil. excommunicationem, suspensionem ab executione Ordinum, saltem simoniace susceptorum: & si sæcularis est, privatur officiis, & beneficiis; regularis vero voce activa, & passiva; cum inhabilitate ad illam, *cit. Constit.* Excusantur a pœnis, qui ignari per simoniam ordinati sunt *cap.* 22. *hoc tit. Can.* 3. *præsentium* 1. *q.* 5. Neque pœnæ istæ extendendæ sunt ad notarios. Excusatur etiam Episcopus ab excommunicatione, si quid sponte oblatum suscepit, quia hanc pœnam non exprimit Trid. *sess.* 21. *c.* 1. *de refor.*

44. ℟. 4. Pœnæ simoniacorum in provisione beneficiorum sunt: 1. Obtinentes, dantes, & cooperantes ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, *Extrav.* 2. *hoc tit. int. com.* S. Pius Constitut. *Quam primum*, 2. Provisio, electio, confirmatio, institutio ipso jure est nulla, ita ut nullum jus, neque titulus coloratus proviso acquiratur, *ibid.* 3. Ita provisus tenetur omnes fructus ex beneficio perceptos restituere *sub anima sua periculo*, adeoque ante ullam sententiam judicis. *ibid.* 4. Ita provisus fit inhabilis ad idem beneficium pro hac vice, etiamsi, eo ignorante, simonia commissa sit *cap.* 17. *hoc tit. cap.* 59. *de elect.* donec per intermediam personam vitium simoniæ purgetur. Si tamen est beneficium simplex, poterit cum illo Episcopus dispensare, dummodo ipse ignarus fuerit simoniæ, *cit. cap.* 59. *de elect.* prioribus tamen beneficiis non privatur ipso jure, quamvis per sententiam privari possit *cap.* 21. *de accus.* 5. In virtute S. Obedientiæ præcipitur omnibus, quibus constat, simoniam commissam fuisse in provisionibus, ut eam revelent Papæ, vel ab eo deputato; qui si complices fuerint, veniam criminis, & gratiam obtinebunt; secus nolentes revelare, non sunt absolvendi, *cit. Extrav.* 2. Hic tamen observa, quod simonia, ignorante proviso commissa in fraudem ejus, ut scil. provisio ejus cassetur, ei non obsit: imo si bona fide obtinuit beneficium fructus facit suos, sicut alius bonæ fidei possessor, donec bona fides resolvatur per notitiam simoniæ: tunc enim fructus saltem extantes restituere tenetur, nisi per triennalem possessionem beneficium præscripsisset ex regula 36. Cancellariæ de trienn. poss. Reiff. *hoc tit.* §. 11. *num.* 278.

45. ℟. 5. Pœnæ simoniæ confidentialis sunt: 1. Excommunicatio latæ sententiæ reservata Papæ. 2. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quo tantum prælati stringuntur. 3. Nullitas resignationis, & collationis per eam factæ. 4. Privatio omnium beneficiorum prius obtentorum. 5. Inhabilitas ad idem, & alia beneficia. 6. Beneficium ita simoniace resignatum reservatur Sedi apostolicæ, & fructus male percepti applicantur ejus Cameræ: quæ pœnæ incurruntur ipso facto, Pius IV. Constit. *Romanum* 17. *Cal. Novemb.* 1564. & S. Pius V. Const. *Intolerabilis Cal. Jun.* 1569. Privatio tamen aliorum beneficiorum, cum sit proprie pœna vindicativa, requirit sententiam declaratoriam criminis. Ceterum mediatores, seu procuratores simoniæ confidentialis, cum non exprimantur, non incurrunt excommunicationem reservatam, nisi simul concurrat simonia realis dato, & accepto completa per *cit. Extrav.* 2. *h. t.*

46. ℟. 6. Pœnas simoniæ in provisione beneficii commissæ probabilius incurrunt etiam illi, qui in permutatione beneficii committunt simoniam juris ecclesiastici: nam jura non distinguunt, nec excipiunt, sed volunt pœnis ligari omnes, qui *quomodolibet dando, vel recipiendo, simoniam commiserint*, *c.* 11. *h. t. & cit. Extrav. eod.*

47. Q. II. *Quomodo per simoniam accepta restituenda sint*? ℟. 1. In materia beneficiali datum, & acceptum restitui debet ante omnem sententiam, cum jus impediat translationem juris *cap.* 11. *hoc tit.* In materia extrabeneficiali spirituali non est restituendum per se, quia licet peccetur contra Religionem, non tamen contra justitiam commutativam. Pretium temporale de jure naturali restitui debet, quia id exigit justitia commutativa; ut si accepisti pecuniam pro re mere spirituali, nullum temporale commodum habente; vel si Episcopus, aut parochus aliquid accepit pro iis, quæ aliunde ex justitia facere debuit. At si res spiritualis habeat commodum temporale adæquans datum pretium, hoc non est restituendum de jure naturali; ut si vendidisti calicem, vel jus patronatus suis commodis instructum, dummodo ratione spiritualitatis non sit plus acceptum: nam hoc casu non læditur justitia commutativa: vel si pro ingressu religionis aliquid accipiatur dummodo acceptum convertatur in bonum communitatis, *Extrav.* 1. *h. t. int. com.*

48. ℟. 2. Attento jure naturali, acceptum simoniace restitui debet parti læsæ, cum hæc damnificetur, nisi per sententiam judicis adjudicetur Ecclesiæ, *c.* 11. *hoc tit.* siquidem emptor rei spiritualis ob tam grave scelus meretur privari pretio dato; ergo judex potest illud adjudicare Ecclesiæ per hoc delictum læsæ, vel etiam pauperibus, ut docet S. D. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. Et hæc procedunt etiam in simonia mentali, si quid injuste acceptum sit: secus, si nulla injustitia commissa sit in facto simoniaco, nihil erit restituendum: quo sensu procedit *c. fin. h. t.*

49. Q. III. *Quis sit judex in crimine simoniæ*? ℟. 1. Solus ecclesiasticus privative, etsi simonia commissa sit a laico: nam simoniaca hæresis, sicut vera hæresis, est crimen mere ecclesiasticum: non ex jure civili, sed ex jure div. & Can. judicandum, etiam in quæstione facti, quæ vix unquam separatur a quæstione juris: executio tamen punitiva fieri potest a judice laico. 2. Quilibet accusare, & testem agere in hoc delicto potest, etsi alias sit inhabilis *cap.* 3. *&* 7. *hoc tit.* nisi capitalis esset inimicus *cap.* 31. *hoc tit.* vel paganus, aut hæreticus. Et quia crimen hoc plerumque fit occulte, estque difficilis probationis, sufficiunt probationes per signa, conjecturas, & alia indicia, præsumptionem vehementem facientia; dummodo indicia ista plene probentur. Porro hujus criminis postulari potest dans, & recipiens, & is, pro quo sciente, & non contradicente, alius dedit, *c.* 8. 23. *h. t.* &c. non vero is, pro quo ignorante datum est, *c.* 27. *eod.*

50. Q. IV. *An fieri possit dispensatio in simonia*? ℟. 1. In simonia juris naturalis quoad peccatum nulla valet dispensatio; & ideo etiam Papa, licet pœnas non incurrat, tamen peccatum simoniæ committere potest: nam simonia est intrinsece mala, stans sub præcepto negativo, cujus materia in nullis circumstantiis cohonestari potest.

51. ℞. 2. Si Papa dispenset, separando jus temporale, v. g. præbendæ, aut decimarum, a jure spirituali, dispensatio excusat a peccato; quia tali separatione facta, remanet purum temporale pretio æstimabile: secus ante separationem res annexæ spirituali sunt de jure naturali invendibiles. 2. Dispensatio, & consuetudo in his solum, quæ jus ecclesiasticum prohibet dare vel accipere, v. g. gratis oblatum post ordinationem, redditus stolæ &c. excusat a pœnis, & a peccato: cum dispensatio, & legitima consuetudo relaxare possit jus humanum.

52. ℞. 3. In pœnis simoniæ non dispensat Papa, nisi ex causis gravissimis, quia Ecclesia semper detestata est hoc crimen, utpote maxime noxium reipubl. christianæ, ejusque spirituali regimini. Causa dispensandi esse potest gravissimum scandalum, perturbatio reipubl. & paupertas supplicantis, ut is non tantum absolvatur a censuris, sed etiam dispensetur in inhabilitate ad idem, vel alia beneficia. 2. Si simonia est publica, recurritur ad Datariam cum expressione fructuum perceptorum, pro quibus hodie plerumque fit transactio, ut tertia, vel major pars supplicanti remittatur. Si vero est simonia occulta, recurritur ad sac. Pœnitentiariam, quæ ex Const. S. Pii V. *In sublimi*, dispensat etiam cum scienter simoniacis; dummodo prius beneficium dimittant, & fructus inde perceptos Ecclesiæ sui beneficii restituant, aut cum Datario componant. Si autem neutrum se facere posse allegent, dispensat cum eis, addita clausula, ut fructus restituant Ecclesiæ, cum primum poterunt.

☞ *Hodie attendenda est Const. Ben. XIV.* Pastor bonus *Idib. April.* 1744.

3. In executione litterarum observandus est earum tenor: & quidem si dentur pro foro interno, audita prius sacramentali confessione, absolutio dabitur a censuris, peccatis, & pœnis ecclesiasticis, injuncta pœnitentia salutari, additoque præcepto, ut pœnitens moneat correos, ut ipsi consulant saluti animarum suarum, petendo dispensationem apostolicam. Vide Corrad. in Prax. Dispens. *lib.* 5. *cap.* 9. *& seqq.* Reiff. & alios.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

Agitur de hac materia in Decreto *dist.* 89. *&* 1. *q.* 3. *& Can. fin.* 21. *q.* 2. in Trid. *sess.* 25. *cap.* 11. *v. non liceat de reform.* & continuatur hic, & in *seq. tit.* materia simoniæ committi solitæ in concessione jurisdict. & licentiæ docendi.

1. Q. I. *An simonia sit sub annuo censu, seu pretio concedere jurisdictionem spiritualem, dignitatibus, officiis, & beneficiis annexam?* ℞. Affirmative ex præsenti *Rubr. & cap.* 1. 2. 3. *hoc tit.* Trid. *loc. cit.* nam tali casu venditur spirituale pro pretio temporali locationis. Porro pœna hujus delicti est, quod concedens jurisdictionem, pro qualitate delicti, vel suspendatur ab officio, vel deponatur; dans vero pecuniam pro jurisdictione, amittat illam, & a Clero amoveatur, *cap.* 1. 2. *hoc tit.* & uterque excludatur ab Ecclesia, *in cujus contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, cap.* 38. *de simon. Dices*: 1. Concessio, & remissio jurisdictionis sub annuo censu approbatur, *cap.* 30. §. *qui vero, de Præb. & cap.* 6. *de Religios. domib. & cap. fin. hoc tit. & cap.* 21. *de Censib.* 2. Clerici Cameræ Apostolicæ, & Auditores Rotæ solent vendere suum officium. ℞. *Ad* 1. Neg. antec. nam *cit. cap.* 30. agitur de justo stipendio Vicariis debito: *cit. cap.* 6. Monachi solvunt annuum censum in recognitionem prioris subjectionis, & in signum gratiosæ exemptionis: *cap. fin.* agitur de locatione ipsorum fructuum materialium: *cap.* 21. *cit.* cereus trium librarum petitur loco aliorum servitiorum temporalium. Ad 2. Dum Papa separat jus ad emolumenta temporalia, hoc licite venditur, non vero ipsum jus spirituale.

2. Q. II. *An jurisdictio temporalis ab Episcopis, & aliis Prælatis locari possit?* ℞. Si jurisdictio ista ab Ecclesia habetur, tanquam jus annexum officio spirituali, licite non locatur; quia per connexionem evadit spiritualis; si vero aliunde habetur, locari potest citra simoniam, cum temporale non detur pro spirituali, sed temporali. Verum locatio ista plerumque est turpis, & illicita, Ecclesiæque noxia, cum conductor lucris inhians, minus recte in judiciis, & aliis actibus jurisdictionem administret. Ceterum fructus prælaturæ, vel parochiæ ex causa licite locantur, servatis servandis, ut alias dictum *tit. de reb. eccl. & tit. de locat.* & decisum est *c. fin. h. t.*

3. Q. III. *An rector principalis Ecclesiæ possit Vicario omnes fructus cedere, & nomine eorum, seu ut vocant, titulo absentiæ, annuam pensionem petere?* ℞. Affirmative: nam pensio ista non datur pro ipso officio vicariatus, sed pro fructibus Vicario cessis, qui temporali pretio sunt æstimabiles, & locabiles.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Agitur de hac materia in Clem. *hoc tit.* in Decreto *dist.* 37. *& Can.* 8. *d.* 61. *& dist.* 86. *fere per tot. & Can.* 12. *oportet* 8. *q.* 1. De Magistris constituendis, qui Clericos, & rudes infideles instruant agit Trid. *sess.* 5. *cap.* 1. *sess.* 24. *cap.* 4. 5. *sess.* 25. *c.* 6. *&* 9. *& sess.* 7. *c.* 13. *sess.* 23. *c.* 18. *de refor. &c.* In Codice *lib.* 10. *tit.* 52.

1. Q. I. *Quis possit creare magistros, & doctores?* ℞. 1. Summus princeps: & quidem Papa ex theologia: principes vero politici ex scientiis naturalibus, ut jure civili, philosophia, medicina, doctores creare possunt. 2. Universitates studiorum generalium, quæ auctoritate principum, & plerumque privilegiis Pontificum jus istud exercent. Actus vero promotionis annexus est certo officio: sic enim Bononiæ Archidiaconus, Parisiis cancellarius, Salmanticæ scholasticus, alibi decanus doctores creat. Neque requiritur, ut promotor eodem gradu polleat, quia doctores in theologia quoscumque gradus conferre possunt, nisi aliud habeat consuetudo. 3. Ex privilegio speciali Comites Palatini, Rectores certorum Collegiorum, Generalis Ordinis Prædicatorum magistros, seu doctores creare possunt &c.

☞ *Quod privilegium ex Constit. Clement. XII.* Verbo Dei *ne dum est pro creandis in magistros, & doctores in sac. theologia regularibus, sed etiam pro secularibus adolescentibus theologiæ facultati in ejusdem Ordinis studiis, ac scholis ubique locorum existentibus triennalem operam dantibus.*

Forma promotionis servatur secundum consuetudinem locorum, ut, præmisso rigoroso examine, & professione fidei, insignia doctoralia promovendo tradantur: expensæ vero non excedant summam trium millium turonensium argenteorum, seu 250. aureorum, *Clem.* 2. *hoc tit.* ne doctores promoti suis vacui facultatibus remaneant. Hæc tamen *Clementina* non est ubique usu recepta.

2. Q. II. *Qui doctores creari possint?* ℞. Omnes, qui specialiter non prohibentur. Prohibentur autem fæminæ ex *reg.* 1. *ff. Can.* 17. *mulierem* 33. *q.* 5. Judæi, & alii infideles, criminosi, & infames, quibus portæ dignitatum patere non debent; scientia sufficienti destituti, & illegitimi; nisi cum illis dispensetur.

3. Q. III. *Quot sint ordines graduatorum?* ℞. 1. Tres: in infimo sunt *baccalaurei*, dicti a bacca lauri, ob spem fructuum in scientiis afferendorum. Ab aliis dicuntur *baculari*, ob licitum usum baculi; baccalarii, seu milites tirones: *battalarii*, seu præliantes. Gradus iste confertur ex philosophia, & theologia: in ceteris facultatibus non usurpatur. Medio ordine sunt *licentiati*, quia licet eis, quandocumque voluerint, in doctores promoveri. In supremo ordine sunt *magistri*, seu *doctores*, qui ab universitate publicum scientiæ testimonium habent, quod apti sint ad docendum; uti sunt doctores sac. theologiæ, juris utriusque, medicinæ, & philosophiæ. Quis autem ordo inter doctores diversarum facultatum observandus sit, locorum consuetudo docebit. Plerumque primus locus debetur theologo, secundus Canonistæ, tertius Civilistæ, quartus medico, quintus philosopho, sumpta præcedentia ex objecto, & fine scientiarum.

4. Q. IV. *Quæ sint privilegia doctorum?* ℞. 1. Dignitas

gnitas late sumpta *c.* 3. *h. t.* & nobilitas *l.* 2. §. *fin. l.* 4. §. 1. *ff. de excus. tutor.* ubi Ulpianus dicitur nobilissimus; & ideo deferunt insignia nobilium. 2. Prælatio ad officia, & dignitates; & ideo graduati in pari *data* præferuntur non graduatis per *reg.* 17. *Cancell.* 3. Stat pro illis præsumptio virtutis, eisque honor, & reverentia debetur *argum. lib.* 2. 3. *C. de offic. diverf. judic.* & ideo non mittuntur in carcerem propter æs alienum, mitiori pœna in delictis puniuntur, a tortura, pœna triennium, fustigationis, laquei, & aliis ignominiosis eximuntur, licet in his omnibus consuetudo, & placitum principis observanda sint. Hæc privilegia non competunt doctoribus, qui per Bullas solum creantur, ex Constit. S. Pii V. *Quamvis* 568. conformiter Trident. *Sess.* 22. *c.* 2. *de reform.* nisi prævio examine Academiarum approbati sint.

5. ℞. 2. Privilegia, & prærogativæ Professorum sunt: 1. Præsumptio singularis peritiæ. 2. Exemptio a muneribus realibus, quam personalibus *lib.* 6. *& fin. C. de medic. & profess.* 3. jus civitatis in loco, in quo profitentur. 4. Præcedentia, vi cujus doctores professores præferuntur aliis doctoribus, etiam pro senioribus non professoribus *argum. lib.* 1. *C. de consulib.* 5. Jus solidi salarii, si professor intra annum moriatur. Sed circa hæc consuetudo locorum observanda est. 6. Lectores sac. theologiæ, quamdiu docent, integros fructus suæ præbendæ percipiunt; imo, & distributiones quotidianas pro illis diebus, quibus legunt, sicubi viget privilegium Gregorii XIII. a P. VViestner allegatum. Porro nomine doctorum saltem in favorabilibus veniunt etiam licentiati, non tamen in odiosis, Alciat. & alii.

6. Q. V. *An religiosi, qui a religione sua doctrinæ theologicæ, & Canonicæ testimonium habent, æquiparentur doctoribus graduatis?* ℞. Æquiparati in ordine ad dignitates ecclesiasticas, ut episcopatum, & alia officia qualitatem doctoratus in subjecto requirentia: ita Trid. *Sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.* ibi: *quodsi regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat*, puta de doctrina sacræ theologiæ, vel juris Canonici: nam ad dignitates ecclesiasticas non gradus, sed doctrina est necessaria, qualem utique religiosi extra publicas academias plene haurire possunt; ergo sicut universitas studiorum per collationem gradus dare potest testimonium doctrinæ, ita quoque prælati regulares de doctrina sui religiosi plenam fidem dare possunt. Unde etiam confessarii regg. in privilegiis communicantes, ceteroqui idonei, æquiparantur doctoribus in sac. theologia, & jure Can. in ordine ad exequendum litteras sac. Pœnitentiariæ, prout etiam Gregorii XIII. Constit. 74. *Exponi* 3. *April.* 1582. concessit Societati Jesu, quia ejus religiosi *ad hujusmodi gradus, nisi pro necessitate scholarum suarum promoveri non solent.*

7. Q. VI. *An pro gradu litterario, vel licentia docendi licite aliquod pretium exigi possit?* ℞. Negative ex *cap.* 1. *hoc tit.* non obstante contraria consuetudine, quæ reprobatur *cap.* 3. *hoc tit.* nam turpe est, ut a viris doctis aliquod pretium exigatur, sive pro publico scientiæ testimonio, quod datur per graduationem, sive pro facultate docendi scientias, & artes reipubl. christianæ necessarias, cum potius viri docti premiis allici deberent ad docendum: unde ex hoc titulo acceptum restituendum est, & accipiens privandus dignitatibus, & beneficiis ecclesiasticis, *cap.* 1. 2. *h. t.* notat tamen Gonzal. Zoes, & alii cum praxi, quod pro labore, qui subitur in candidatis examinandis, approbandis, & inaugurandis in doctores, aliquid per modum stipendii peti possit.

8. ℞. 2. In accipiendo pecuniam pro licentia data ad docendum, regulariter non committitur simonia: nam licentia ista, sicut & gradus litterarii, sunt mere quid temporale. Excipe, nisi licentia ista descendat ex jurisdictione spirituali: tunc enim pretio illam vendere est simoniacum, ut si prælatus ex officio suo teneatur conferre cathedram, seu professuram cum beneficio ecclesiastico. *Dices*: 1. In *cap.* 1. *hoc tit.* pœna accipientis pecuniam pro licentia docendi est privatio beneficii quæ est propria simoniæ. 2. In *cap.* 2. *hoc tit.* proponitur ratio generalis remotiva simoniæ: *gratis accepistis, gratis date.* ℞. *Ad* 1. Pœna ista, licet simoniæ infligatur, tamen etiam infligi potest alteri delicto, puta injustitiæ, dum pecunia pro licentia docendi accipitur. *Ad* 2. Ratio ista a contrario non infert simoniam, cum ad hanc requiratur, ut temporale detur pro spirituali.

9. Q. VII. *An pro actu docendi pecunia dari, & recipi possit citra simoniam?* ℞. 1. Pro doctura scientiarum naturalium, ut philosophiæ, juris civ. &c. dare, & accipere pecuniam non est simonia: nam datur temporale pro temporali, cum actus talium scientiarum, licet spirituales sint naturaliter, non tamen supernaturaliter cum ordine ad cultum divinum, & salutem animarum.

10. ℞. 2. Pro doctura theologiæ, sive *per se infusæ*, quæ dicitur *Interpretatio sermonum*, sive ordinariæ acquisitæ, dum ordinatur ad finem supernaturalem; v. g. ad infideles, & hæreticos convertendos, ad fideles excitandos ad amorem Dei, virtutum exercitium, & vitiorum extirpationem, nihil temporale citra simoniam accipi potest: nam tali casu venderetur actus ex fine suo supernaturalis, S. D. 2. 2. *quæst.* 10. *a.* 3. *in corp.* Cum ergo talem theologiam potissimum tradant catechistæ, concionatores, & confessarii, nihil pro illa accipere possunt, nisi titulo sustentationis, & stipendii; quia dignus est operarius mercede sua. Item concionator gratis aliquod munusculum oblatum gratanter accipere potest, uti & titulo laboris extrinseci, & obligationis ad nutum alterius.

11. ℞. Si professio theologiæ, responsum theologicum, aut Canonicum ordinetur præcise ad illustrandum intellectum audientium, sicut communiter fit in scholis, pecuniam pro illis accipere non est simonia, S. D. *loc. cit. ad* 3. nam, cum traditio ista doctrinæ theologicæ non ordinetur per se ad salutem animarum, est quidem labor naturalis, seu opera locata pretio æstimabilis: imo si clericus acciperet præbendam, cui annexum est onus cathedræ, seu obligatio docendi, accipiendo pecuniam a discipulis, non esset simoniacus, sed tantum injuste ageret: nam obligatio docendi, licet præbendæ sit annexa, manet semper temporalis; ergo. Quia vero talis clericus ex præbenda stipendium habet, aliud a discipulis accipiendo, illicite, & injuste agit, quasi vendendo ipsam veritatem, & scientiam, *c.* 4. *h. t.* S. D. *loc. c. ad* 3. *Dices*: 1. Discursus theologici in probabili sententia sunt entitative supernaturales; ergo pretio communicari non possunt. 2. Casus conscientiæ ex natura sua ordinantur ad dirigendam conscientiam; ergo simoniace traduntur pro pecunia. ℞. *Ad* 1. Transf. ant. & neg. conf. nam modo supernaturali, & ad finem supernaturalem non traduntur in scholis, sed modo naturali ad illustrandum intellectum; qualiter etiam hæreticus, & apostata a fide theologiam tradere potest. Sic licet sac. Scriptura sit supernaturalis, potest tamen quis eam describere, vel imprimere pro pretio temporali; ergo & docere, seu explicare præcise ad illuminandos auditores. *Ad* 2. Si confessarius resolvat casus ad dirigendam conscientiam pœnitentium, omnino simoniace pro hac resolutione pecuniam acciperet, cum doctrina ista respiciat finem supernaturalem: secus est in scholis, ubi doctrina ordinatur pure ad illustrandum intellectum, licet per accidens aliquis ea utatur ad dirigendam conscientiam; alioquin simoniacus etiam foret professor juris civilis, explicans, an contractus aliquis sit licitus, vel illicitus.

12. Q. VIII. *An in Ecclesiis constituendi sint magistri pro clericis, & aliis juvenibus instruendis?* ℞. 1. In Ecclesia metropolitana præter grammaticum, constitui etiam debet theologus ad clericos in sacra pagina docendos: in Ecclesiis vero collegiatis, & cathedralibus inferioribus, si propter tenues redditus sustentari nequeat theologus, saltem magister grammaticæ alendus est, *c.* 1. 4. *h. t.* Trid. *sess.* 5. *c.* 1. *de refor.* Hodie huic obligationi satisfit per academias, & gymnasia in multis locis erecta.

☞ *Inter hæc enumerantur illa Scholarum Piarum Ordinis, cujus magistri ad juventutem pietate, & litteris erudiendam quarto solemni voto, & quid speciali præ ceteris regularibus Ordinibus, obstricti sunt. Quas autem facultates, cujusque conditionis pueros in suis Scholis edocere possint, constat ex Constit. Clem. XII. relata lib.* 3. *pag.* 241. *n.* 11.

13. ℞. 2. Jure antiquo, *c.* 4. *v. assignetur hoc tit.* magi-

magistro assignandi erant redditus unius præbendæ, jure novo Trid. *sess.* 5. *c.* 1. *de refor.* grammatico assignandi sunt fructus simplicis beneficii, vel alia congrua merces: theologo vero præbenda, alio onere incompatibili non gravata, qui propterea evadit verus Canonicus, dici solitus *scholasticus*, seu *magister scholæ*. Porro præbenda theologis etiam conferri potest magistro sac. Canonum, ut sæpius declaravit sac. Congr. teste Pignatell. nam jus Canonicum est portio theologiæ moralis, & magister explanans sac. Canones instinctu divino conditos, censetur sac. Scripturam explanare.

TITULUS VI.

De Judæis, Sarracenis, eorumque Servis.

Agitur de hac materia in Clem. Extrav. Joann. XXII. & Extrav. com. *h.t.* in Decreto 28. *q.* 1. *&* 2. in Codice *lib.* 1. *tit.* 7. 9. 10. 11. 12.

1. *Nota* Infidelitatem, de qua hic agitur, magis contrariari religioni veræ, quam simoniam, cum illa tollat fidem, quæ est radix veræ religionis; licet simonia veneno suo plures fideles inficiat, quam infidelitas. Dividitur autem infidelitas ex modo, quo adversatur fidei, trifariam: 1. in *Paganismum*, qui utrumque testamentum negat: *judaismum*, qui vetus testamentum admittit, & novum negat: & *hæresim*, quæ utrumque testamentum admittit, sed quibusdam articulis contradicit, S. D. 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. Si quis inculpabiliter ignorat fidem nostram, dicitur *infidelis negative*, quia fides ei nunquam annunciata fuit. Si vero culpabiliter ignorat, vel malitiose, & pertinaciter contradicit fidei, est *infidelis privative*, aut *contrarie*, & hoc modo infidelitas imputatur ei in peccatum, ut fusius docent TT.

2. Q. I. *An judæi licite tolerentur inter christianos*? ℞. Affirmative ex *c.* 9. §. *nullum h.t. l.* 14. *C. eod.* conformiter Apostolo *ad Rom.* 11. *v.* 25. ubi docet judæos ante finem mundi ad Christum convertendos: nam judæorum toleratio, eorumque ritus perpetuum dant fidei christianæ testimonium, ut ex figura videamus figuratum. Econtra, quia pagani, & hæretici nullam specialem utilitatem afferunt Ecclesiæ Christi, sed potius perniciem, & periculum perversionis; ideo minime tolerandi sunt, nisi dira necessitas aliud exposcat. Porro circa judæos aliqua observanda sunt: 1. Ut non facile recipiantur ad loca, ubi antea non erant: & ideo jus recipiendi judæos Imperatori reservatum est in Imperio, deinde porrectum ad Electores Principes, & Status, *Ord. Polit. tit.* 27. *an.* 1530. 2. Ut novæ synagogæ non erigantur, neque antiquæ, jam collapsæ, & funditus eversæ excitentur, vel ruinosæ in nobiliorem formam restaurentur, *c.* 3. 7. *h.t.* & *l. fin.* §. 1. *C. eod.* 3. Ne fabri christiani ædificent, vel restaurent judæis synagogas; nam istæ per se ordinantur ad ritus illicitos; ergo sicut citra peccatum non possunt fabricari idola, ita neque synagogæ, S. D. 2. 2. *q.* 169. *art. ad* 4.

3. Q. II. *An, & quæ communicatio prohibeatur fidelibus cum judæis, & paganis*? ℞. 1. Prohibetur communicatio religiosa, v. g. in Sacramentis, Sacrificio Missæ, in ritibus orationum &c. unde Christiani non possunt vesci azymis judæorum, etiam separatim ab iis *Can.* 13. *nullus* 28. *q.* 1. nec judæorum, aut paganorum templa ingredi eo tempore, quo suos superstitiosos ritus exercent; idque ob causam scandali, & perversionis, qua causa cessante, talis ingressus ex vana curiositate factus, non videtur excedere veniale.

4. ℞. 2. Prohibetur cum judæis communicatio politica in seqq. casibus: 1. Non debent Christiani cohabitare judæis, nec eodem balneo, vel convivio cum eis uti; atque ita familiaritatem cum eis contrahere *Can.* 13. *nullus* 28. *q.* 1. *c.* 5. *h.t.* 2. Non debent uti medico judæo, vel medicinis a judæo confectis, nisi necessitas aliud suadeat, *ibid.* & Const. Greg. XIII. incip. *Alias piæ*. 1581. 3. Non debent eis famulari, maxime intra domos eorum, vel in synagoga *c.* 5. 8. *h. t.* eis tamen possunt locare operas, v. g. ad colendos agros, domum [illegible]endam &c. *c.* 2. *h. t.* 4. Christiani non debent habere judæum famulum, qui sit domesticus familiaris *Can.* 12. *& seqq.* 28. *q.* 1. Secus si non fiat domesticus *c.* 13. *h.t.* quia judæi dolosi sunt, & periculum perversionis afferunt: quæ ratio cum non procedat in sarracenis, potest christianus habere servum sarracenum.

5. Mulieres christianæ non debent nutrire, & lactare liberos judæorum, nisi in gravi casu necessitatis; ut si infans parentibus destitutus vitæ periculum subiret; secus mulieres excommunicandæ sunt, *c.* 5. 8. *h.t.* Const. Pauli IV. incip. *Cum enim*.

5. ℞. 3. Christiani non possunt paganis cohabitare, & conviviis cum eis uti *c.* 5. *h.t.* ubi hi duo casus exprimuntur: ac proinde alia communicatio politica non videtur cum eis prohibita, nisi subsit periculum perversionis. 2. Non debent eis arma, & alia instrumenta bellica subministrare sub pœna excommunicationis latæ in *casu* 7. *Bullæ Cœnæ*, *& c.* 6. 11. 17. *h.t. Extrav. un. Joan. XXII. eod.* & de jure civ. sub pœna capitis, & confiscationis bonorum *l. fin. C. quæ res export.* Eandem excommunicationem incurrunt, qui secreta christianorum infidelibus revelant, etiam effectu non secuto, vel qui tempore belli alias merces ad eos deferunt *c.* 12. *h. t.* quia periculum est proditionis de arcanis christianorum. 3. Princeps christianus regulariter illicite agit, ineundo fœdus cum infidelibus auxilii causa contra fideles: nam talia fœdera, de se impia, christianis exitiosa, & periculosa severe prohibentur *Exod.* 23. *in fin. &* 34. *v.* 12. *Deut.* 7. *v.* 2. *&* 2. *Cor.* 6. *v.* 14. Si tamen fideles non possent haberi in bello justo defensivo, licebit opera auxiliari infidelium uti, ex *reg.* 4. *in antiq. quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*. Hoc, & non plus probant exempla Abrahami cum Aner, David, & Salomon cum Hiram, Machabæorum cum Romanis.

6. Q. III. *Quæ judæis inter Christianos sint concessa, & prohibita*? ℞. 1. Concessa sunt seqq. 1. Jus civitatis quoad dominia rerum, ultimas voluntates, & contractus. 2. Publica protectio, ne turbentur in suis festivitatibus, & ritibus, ne cœmeteria eorum violentur sub pœna excommunicationis; ne eis noceatur in vita, membris, & fortunis. *c.* 9. *h. t.* Si vero delinquant, regulariter, puniendi sunt a magistratu politico, nisi delicta redundarent in contemptum religionis christianæ: tunc enim ab Inquisitoribus, & Episcopis contra eos procedi potest usque ad eorum extirpationem, ex Const. Greg. XIII. incip. *Antiqua*. 3. Judæi, vel sarraceni conversi ad fidem, rebus suis non sunt spoliandi *c.* 5. *h. t.* si tamen revertantur ad vomitum, vel si christiani apostatent a fide, substant inquisitioni: nisi forsan baptismus fuisset invalide eis collatus.

☞ *Vide notata post c. 5. hoc tit. in summariis p. I. pag.* 349. ☜

7. ℞. 2. Prohibita sunt seqq. 1. Ne judæi fungantur aliquo officio publico *c.* 16. *h.t. l. fin. pr. C. eod.* & ideo christianus non sequitur forum judæi rei, sed eum convenit coram magistratu christiano, ut lis decidatur secundum jura civilia *l.* 8. *C. h. t.* 2. Ne a clericis, vel laicis instituantur hæredes *Can.* 6. *sane* 24. *q.* 2. idque generalis consuetudo observat. 3. Ne hebdomade majori in publicum prodeant, & in die Parasceves ostia, vel fenestras apertas habeant, *c.* 4. *h. t.* quod decretum strictius in Italia, quam Germania observatur. 4. Ne habeant nutrices, obstetrices, & famulos christianos, ut ante dictum. 5. Ne habeant servos, seu mancipia christiana; alioquin teneantur ea justo pretio distrahere, scil. 12. solidis, *c.* 1. *h.t.* Si tamen glebam, seu fundos comparaverint, quibus annexi sunt servi adscriptitii, vel originarii, eos habere judæi non prohibentur, *c.* 2. *h.t.*

8. Q. IV. *An judæi, & pagani directe cogi possint ad suscipiendum baptismum, & fidem christianam*? ℞. Negative ex *Can.* 3. *&* 5. *d.* 45. *& c.* 9. *h. t. & c.* 3. §. *item de baptism.* continua praxi, & usu Ecclesiæ, nobis declarantibus, voluntatem Christi esse, ut cuique libera sit conversio ad fidem, juxta illud, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit Marc. ult. v.* 16. Ratio ex parte *fidei* est: quia credere est liberæ voluntatis S. D. 2. 2. *q.* 10. *a.* 8. ad actum vero liberum voluntas cogi non potest. Ratio ex parte *jurisdictionis* est, quia princeps vi jurisdictionis temporalis non potest cogere ad spiritualia, quæ non cadunt sub potestatem temporalem; Papæ vero jurisdictio spiritualis non se extendit extra Ecclesiam ad eos, qui non sunt baptizati, ut indicat Apostolus 1. *Cor.* 5. *v.* 12. *quid mihi de his, qui foris sunt, judicare*? ergo. Unde infideles subditi ex hoc solo, quod ad fidem non convertantur, non possunt puni-

puniri, vel libello imperi, nisi lædant jus Ecclesiæ, v. g. prohibendo liberam prædicationem fidei christianæ, non permittendo ejus professionem, torquendo ad fidem conversos. At indirecte invitari possunt ad fidem, propositis præmiis temporalibus, honoribus, relaxatione tributorum, & pœnarum juste eis pro criminibus debitarum, prohibitione cultus superstitiosi, compulsione ad audiendas conciones de rebus fidei, sicut in *Const.* 92. Greg. XIII. statuitur, ut certo die concio ad judæos pro eorum conversione habeatur, cui saltem tertia pars judæorum interesse debeat.

Dices: 1. Infideles cogi possunt ad servandum jus naturale, & divinum, quale etiam est de suscipiendo baptismo: & ideo Christus jussit compelli intrare ex vicis, & plateis. 2. In Conc. Tolet. IV. laudatur Sisebutus Rex Gothorum, quod judæos baptizari renuentes, turpiter decalvatos exulare jusserit, quod & fecit Ferdinandus, & Isabella Reges Hispaniæ 4000. judæorum proscribentes. 3. Ad fidem cogi posse insinuant jura *Can.* 4. *jam vero, & v. his ita* 23. *q.* 6. *l.* 12. *C. h. t. l. fin. C. de paganis.* R. *ad* 1. Cum Christus Dominus liberam esse fidem voluerit, nec alicui in terris potestatem cogendi dederit, ad illam nemo cogi potest defectu potestatis; licet infideles cogi possint ad observantiam juris naturalis, uti & coerceri, si contrarientur Prædicatoribus Evangelii; Textus; *compelle intrare* intelligitur secundum S. Chrys. de compulsione in fine mundi, non violenta, nisi indirecte, ratione pœnarum, & malorum, quæ extremum diem judicii præcedent. *Ad* 2. laudatur zelus Regis, non factum *Can.* 56. *d.* 45. nisi exilium istud judæi fuissent promeriti ob sua delicta, & conversationem Christianis perniciosam, atque hostilem, sicut tempore Ferdinandi, & Isabellæ. *Ad* 3. Ex his, & similibus juribus plus non colligitur, nisi compulsio indirecta quatenus infideles, propositis bonis conferendis, & malis promeritis relaxandis invitantur ad fidem *Can.* 3. *&* 5. *dist.* 45.

☞ *Hic referre juvat, quæ notatu digna leguntur in epistola Benedicti XIV. ad Archiepiscopum Tarsensem, Vicesgerentem urbis*, Postremo mense 28. *Febr.* 1747. *in ejus Bullar. tom.* 2. *circa Judæorum, & Infidelium Baptismum.*

Licite baptizari possunt filii infantes, & impuberes Judæorum, & Infidelium, invitis parentibus, in sequentibus casibus.

1. *Si sint in extremo mortis discrimine ex Decretis S. Cong. Inquisit.* 2. *Novemb.* 1678. *&* 18. *Febr.* 1706. *ibid. relatis* §. 8.

2. *Si sint a parentibus projecti, atque derelicti; cum tunc statim subducti dicuntur a patria potestate, c.* 1. *de Infant. & Languid. expositis. Tales autem intelliguntur, non qui sine patre, sine matre, vel nullo comite, aut per urbem, aut extra Hebræorum vicum temere vagantur, sed qui in loco publico soli, abjecti, atque omni cura, & spe destituti inveniuntur, ibidem* §. 9. *&* 10. *Item baptizari posse censet Reiff. l. V. Decret. tit.* 6. *de Judæis n.* 52. *si ita sint a parentibus jam separati, ut iis amplius non debeant, aut nequeant restitui, v. g. si parentes essent mortui. Crederem tamen hanc sententiam corrigendam esse, quoad secundam partem, si adessent vel avus, vel tutores, utpote succedentes in jura patris; tunc enim his restitui deberent. Item baptizari posse credunt Auctores relati a Lucio Ferraris Prompta Bibliotheca, verbo* Baptismus *art.* 5. *n.* 22. *amentes, quando nulla est, spes ad rationis usum eos pervenire posse.*

3. *Si offerantur ad baptismum a patre converso, etiam invita matre, c.* Ex litteris *de convers. Infid. vel a matre, invito patre, ob favorem fidei, qui juxta magis receptam opinionem locum habet, etiam in casu matris conversæ, ibidem* §. 15. *&* 16.

4. *Si offerantur ab avo paterno, pariter converso, etiam utroque genitore invito, ex Decret. Greg. XIII. aliisque juribus ibidem allatis* §. 17.

5. *Si offerantur ab avia paterna conversa nepotes ex filio defuncto, etiam contradicente matre, ut decrevit in hac eadem facti specie, quod Romæ accidit anno* 1751. *idem Bened. XIV. ut in altera ejusdem epistola ad Petrum Hieronymum Guglielmi sac. Inquisitionis Assessorem*, Probe te 15. *Decemb.* 1751. *impressa in cit. Bullar. tom.* 3.

Hic quæri posset, an & id aviæ maternæ liceret; & quamvis ex paritate rationis; in favorem nempe religionis, primo intuitu videatur licere, non tamen crederem, hoc tuto asserendum; nedum, quia hic casus nullibi reperitur decisus, & in jure positivo de casu ad casum non valet illatio, sed maxime in avia materna non ea potest considerari qualitas, quæ in paterna: pro hac enim præter favorem religionis, militat enim legis dispositio, cum & ipse veniat sub appellatione parentum L. appellatione ff. de verb. signific. *& quod pertinet ad curam nepotum, pari jure censeri debet avus, & avia paterna ex benigna concessione* auth. matri, & aviæ eod. tit. *ex quo fit, quod non sit persona pœnitus extranea, sed a familia sua per matrimonium in filii familiam translata, naturali quadam connexione primas in hac eadem familia partes una cum ipso obtineat: quod dici nequit de avia materna: & ceteroquin solus religiosus favor non satis sit, ut reluctantibus parentibus, eorum filii licite offerri possint; alias unicuique personæ, quamvis extraneæ, id liceret, ut doctissime in cit. epist. ratiocinatur idem Pontifex.*

6. *Si parentibus orbi, offerantur a tutoribus juxta receptam sententiam ibidem relatam* §. 13. *& in cit. epist. ad Archiepiscopum Tarsensem* §. 14.

7. *Si filii servorum pœnalium offerantur ab eorum dominis, filii scilicet Turcarum bello capti, sicuti, & nati ab ipsis in captivitate, non autem filii christianorum capti in bello inter eosdem christianos gesto; cum hi sint servi servitute tantum civili, ut ex rationibus allegatis in cit. epist. ad Petrum Guglielmi* §. 15. *&* 26.

8. *Si offerantur Infantes Hebræorum a parentibus, qui semel dixerunt se catholicam fidem amplecti velle, licet postea a proposito recedant ex Decr. sac. Inquisitionis sub die* 24. *Septemb.* 1699. *relat.* §. 18. *cit. epist. ad Archiep. Tarsen.*

9. *Si offerantur nedum a parentibus neophitis, sed etiam ab Ethnicis, & Judæis in infidelitate, & judaismo remanentibus; dummodo fide bona ab eis id fiat, & infantes baptizati apud christianos remaneant, ut* §. 10. *epist. ad Petrum Guglielmi: & in eo etiam casu, quo unus consentiret, & alter non, ut sentit cum Bartholomæo ab Angelo Passarin. Reiff. Lucius Ferraris loc. cit. n.* 20.

10. *Si ipsimet Judæorum, & Infidelium filii statim ac ad usum rationis pervenerint, baptismum ultro postulaverint* §. 36. *& seqq. epist. ad Archiep. Tarsen.*

Notandum etiam est ex hac eadem epistola.

1. *Rationis usum regulariter ab anno septimo completo inchoari, ex Decreto Cong. Conc.* 16. *Julii* 1639. *ibidem relato* §. 32.

2. *In dubio de perfecto rationis usu baptismum esse protrahendum, & interim puerum illum petentem non remittendum, ad parentes, sed ab eis procul retinendum, donec constet de ejusdem perfecto rationis usu, ibidem* §. 33. *& seqq.*

3. *Si post adhibitam diligentiam reperiatur vere rationis usu carere, restituendum esse parentibus, ibidem* §. 4.

4. *Illicite baptizatos, idest neque a parentibus, neque ab aliis jus in eos habentibus ad baptismum oblatos, non esse restituendos parentibus, etiamsi hi cautione, aut fidejussione data, ingenue spondeant, eos, vix dum ad convenientem ætatem pervenerint, Christifidelibus restituendos, nec quidquam contra fidem catholicam edocendos, ibidem* §. 28. *& seqq. Contra autem sic baptizatos, si postquam adoleverint, parentum ritibus adhæserint, & fuerint de hoc confessi, aut convicti, procedendum esse tamquam contra hæreticos.* ☜

TITULUS VII.

De Hæreticis.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementinis, & Extrav. com. *h. t.* In Decreto 1, *q.* 7. *&* 23. *q.* 7. *&* 24. *q.* 1. In Trident. fere per omnes Sess. quoad materias particulares. In Codice *lib.* 1. *tit.* 5. *Nov.* 132.

1. Hic recolenda est doctrina theologica, quæ de hæresi traditur ad 2. 2. *q.* 1. Et quidem 1. *Hæresis* quoad nomen est *electio*, & ex usu Ecclesiæ accipitur pro electione mala sententiæ erroneæ in rebus fidei: quoad rem

ad rem *Hæresis* est voluntarius & pertinax error contra aliquem articulum fidei elicitus ab eo, qui fidem Christi suscepit. 2. Ignorans mysteria fidei, vel ignoranter aliquid contrarium fidei docens, si ignorantia est crassa, & vincibilis, peccat quidem contra præceptum diligentiæ necessariæ in rebus fidei: proprie tamen Hæreticus non est; quia in illo deficit pertinacia, nisi diversam profiteretur fidem ab ea, quam tenet catholica romana Ecclesia; ut si teneret fidem lutheranam, calvinianam &c. tunc enim ignorantia crassa non excusaret illum ab hæresi formali, & pœnis Hæreticorum. 3. Dubitans de aliquo articulo fidei ab Ecclesia definito, videtur esse hæreticus, & infidelis *c.* 1. *h.t.* cum certissimam veritatem non amplectatur; quamvis aliis non videatur hæreticus, cum non eligat sententiam fidei contrariam, sed dubitando, suspendat suum assensum. Quidquid sit de nomine, sic dubitando, graviter peccat contra fidem, & in foro externo præsumitur esse hæreticus, ut contra illum inquiri possit. 4. Error pertinax in fide a catechumeno elicitus, licet theologice, & quo ad substantiam sit hæresis; tamen in foro externo, & quoad pœnas non habetur pro hæresi, cum soli baptizati in fide dissentientes proprie, & in rigore dicantur hæretici, pœnis obnoxii. Jam in ordine ad nostrum institutum Canonicum.

2. *Nota* 1. Hæresim dividi 1. in *internam*, quæ in sola mente consummatur, & solius Dei judicio subest; ac proinde pœna, & absolutio ei datur in foro sacramentali pœnitentiæ: & *externam*, quæ prorumpit in actum exteriorem, sive verbo, sive facto, indicante internam hæresim; & hæc judicio, & pœnis Ecclesiæ subest, sive sit *publica*, sive *occulta* 2. In *formalem*, dum quis scienter, & pertinaciter aliquid contrarium tenet articulis fidei: & *materialem*, dum quis ex simplicitate vel mala instructione errat in aliquo articulo fidei: cujusmodi materiales hæretici dantur non tantum inter aliquos rudes, & simplices catholicos, sed etiam inter Lutheranos, Calvinianos, & alios Sectarios, si eis nullus omnino scrupulus occurrat, quod errent in rebus fidei, aut falsam sectam sectentur.

3. *Nota* 2. Ad Hæreticum in foro externo requiri: 1. Ut ponat actum externum de se mortaliter peccaminosum. 2. Ut actus ille, consideratis circumstantiis, procedat ex intentione profitendi hæresim, & determinate significet latentem in animo hæresim. Unde non statim judicandus est hæreticus, qui die veneris carnes comedit, vel præcise narrat, vel instruendo, manifestat suum errorem, nisi etiam constet, illum carnes comedere ex intentione profitendi hæresim, vel tali errori adhærere.

4. *Nota* 3. cum hæresis sit crimen non tantum gravissimum, sed etiam Ecclesiæ, & saluti animarum perniciosissimum, varia contra illud inventa esse remedia; uti est professio fidei de qua *lib.* 1. *tit.* 1. dixi: vigilantia Episcoporum, ut hi per se, vel suos Vicarios, non obiter, sed serio, & cum zelo visitent singulis annis suas diœceses, & suspectos de fide perquirant, *c.* 13. §. *adjicimus h.t.* Item prohibitio conventiculorum, promiscuæ prædicationis, & disputationis, lectionis librorum hæreticorum, communicationis cum hæreticis, & pœnæ in eos statutæ.

5. Q. I. *An Hæretici tolerandi sint in terris Catholicorum*? ℞. Regulariter negative: ita *c.* 9. *v. statuimus insuper h.t. & c.* 11. §. *fin. v. statuimus eod. in* 6. & fere toto *h.t. & l.* 2. *& seqq. C.h.t.* nam jus naturale dictat, ut noxii Reipublicæ, & civitati removeantur ab ea; sed hæretici maxime sunt noxii Reipublicæ christianæ, cum manifestum perverfionis, & æternæ damnationis periculum fidelibus afferant; ergo removendi, & non tolerandi sunt in terris Catholicorum. *Excipe*, nisi justa causa majoris mali vitandi, aut boni promovendi, vel pacta, publica subsint ratione quorum tolerandi sint Hæretici. In imperio tolerantur Lutherani ex pacificatione Passaviensi, seu pace religiosa inita *an.* 1552. & confirmata *an.* 1553. item Calvinistæ per pacificationem Osnabrugensem *an.* 1648. alii vero non tolerantur, ut Zvvingliani, VVicleffistæ, Anabaptistæ, Hussitæ &c. In Italia, Hispania, & pluribus aliis regionibus nullis Hæreticis liberum suæ sectæ exercitium permittitur.

6. Q. II. *An Hæretici vitandi sint Catholici*? ℞. Affirmative de jure antiquo ex communi præcepto Ecclesiæ, quo fidelibus prohibetur communicatio cum excommunicatis. At de jure recentiori Const. Martini V. incip. *Ad evitanda* in Conc. Constantiens. edita favor fidelibus concessus est, ut non teneantur vitare Hæreticos, & excommunicatos, etiam notorios: nisi sint expresse, & specialiter denuntiati, vel notorii clericorum percussores. Unde in Germania licet commercia civilia cum Hæreticis iniri, eis conversari, eos, etiam adultos, & erroribus imbutos ad scholas Catholicorum recipere &c. Quia vero communicatio in divinis vix fieri potest sine scandalo, & periculo perversionis, contemptuque catholicæ religionis; ideo regulariter non licet catholicis communicare in divinis cum Hæreticis, v. g. Sacramenta ab eis recipere, templa eorum frequentare, conciones audire, vel lectiones in scholis, præsertim theologicas &c. Cessante causa scandali, & perversionis, præsertim si adsit justa causa, licet ex baptismo filios Hæreticorum levare, in eorum templis more catholico orare, conciones audire: & si urgeat gravis necessitas, baptismum ab eis recipere, vel Sacramentum pœnitentiæ, dummodo Presbyter hæreticus sit rite ordinatus.

☞ *Advertendum tamen est cum Bened. XIV. lib. VI. de synod. diœc. c.* 5. *n.* 2. *quod* vix umquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia Catholicorum cum Hæreticis communicatio in divinis. ☜

7. Q. III. *An catholico liceat cum Hæreticis disputare de fide*? ℞. 1. Publicæ disputationes regulariter sunt prohibitæ, ne pax, & tranquillitas publica turbetur. 2. Clericis regulariter non licet de fide disputare cum Hæreticis *Can.* 36. *cum quibus* 24. *q.* 3. nam clerici, si indocti sint, exponunt se periculo errandi, & alios scandalizandi: si vero docti sint, parum disputando proficiunt, cum Hæretici plerumque sint pertinaces, obstinati, & in sensu suo nulli legi adstricto abundantes. 3. Laicis ejusmodi disputatio prohibetur sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, *c.* 1. §. 2. *h. t. in* 6. ubi jus non distinguit inter laicos doctos, & indoctos. Neque tamen pœna ista excommunicationis extendenda est ad clericos, cum versemur in materia pœnali. Similiter prohibetur laicis, ne verbum divinum prædicent *Can.* 29. *d.* 23. imo nec clerici sine auctoritate Episcopi prædicare audent verbum divinum, *c.* 13. §. 6. *h. t.* nam Christus prædicationis officium non quibusvis, sed Apostolis, & Discipulis suis, ad hoc specialiter missis, commisit: tum quia perturbatio, scandala, & varii errores ex promiscua prædicatione sequerentur. In Germania laicis doctis videtur permissum cum hæreticis privatim disputare, quia ibi constitutio *c.* 2. *h. t. in* 6. non est in usu: imo si hæreticus vellet simplicem catholicum pervertere, debet ei præsens clericus, vel laicus doctus contradicendo resistere.

8. Q. IV. *An liceat catholico legere libros Hæreticorum*? *Ante resp. nota* Indicem librorum prohibitorum, qui habetur ad calcem Trid. editum fuisse a Pio IV. deinde a Sixto V. aliisque Pontificibus auctum, uti est novus index jussu Alexandri VII. editus. In hoc Indice duæ ponuntur classes librorum: in 1. *classe* ponuntur hæresiarchæ in quacumque materia etiam profana scribentes, ut Lutherus, Calvinus, Zvvinglius &c. quia damnato auctore, damnantur omnia ejus scripta, *cap.* 4. *hoc tit.* Item libri auctorum hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, etsi hæresim non contineant. In 2. *classe* ponuntur libri, non propter auctorem, sed propter malam doctrinam prohibiti; uti sunt illi, qui artem magicam, astrologiam judiciariam, res obscœnas, & lascivas, vel doctrinam suspectam, & rectæ theologiæ dissonantem continent. Libri 3. *classis* non habent certos auctores: si tamen de religione, vel hæresim contineant, sitque suspicio, quod ab hæretico sint compositi, reducuntur ad classem primam; secus ad secundam. In Indice Alexandrino omnes libri, quibus nota primæ classis non apponitur, referendi sunt ad classem secundam.

9. ℞. 1. Libri Hæreticorum primæ classis prohibentur sub excommunicatione latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservata: ita ex perpetuo usu Ecclesiæ statutum est in Conc. Constantiensi *Sess.* 8. Lateran. sub Leone X. *Sess.* 10. in Trid. *Sess.* 4. & præsertim in *casu* 1. *Bullæ Cœnæ*. Hujusmodi sunt: 1. Hæresiarchæ in quacumque materia scribentes. 2. Libri Hæreticorum profani, ut medici, historici, Juridici, & alii hære-

sim continentes: & quamvis aliqui velint id intelligi de libris, qui incidenter continent hæresim studiose, & plene probatam, atque defensam; tamen attento rigore Bullæ Cœnæ, videntur comprehendi etiam illi libri, qui hæresim continent obiter relatam, & perfunctorie tantum assertam, atque probatam; quia jam verum est, quod hæresim contineant. 3. Libri Hæreticorum de Religione tractantes, etsi nullam hæresim contineant; quia in detestationem auctoris tales libri damnantur. Parum autem refert, an libri isti sint impressi, an scripti: cum etiam scripta nomine librorum veniant sicut olim, antequam typographia inventa fuisset. 4. Probabilior, & tutior est sententia, quam tenet Suarius, Farinac. Reiff. contra Sanch. Laym. Schm. & alios, sub nomine *libri* venire scripta breviora, quæ decem minora folia non attingunt; uti est epistola, concio, disputatio hæreticorum, in quibus hæresis continetur; ideoque secum trahere excommunicationem Bullæ Cœnæ: nam etiam in paucis foliis concionem, vel disputationem hæreticam continentibus, multiplex virus latere potest, & nocere fidelibus: ob quod etiam ex magno libro non licet legere epistolam dedicatoriam, vel summaria capitum. Pro hac sententia dicitur stare declaratio sac. Congr.

10. ℞. 2. Dicta excommunicatione ligantur: 1. Qui legunt præfatos auctores sive per se, sive per alios, per quos jubent sibi illos prælegi; quia moraliter, & in effectu ipsi legere censentur; nisi per accidens, & sine suo jussu audirent alium legentem. Requiritur autem, ut quis legat hæreticum *scienter*; quia ignorans excusatur a censura: *formaliter*, seu ut intelligat; & in *notabili quantitate*: quæ cum jure determinata non sit, prudentis arbitrio determinanda erit: Toletus dicit unam, vel alteram lineam sufficere, Sanchez vero docet unum folium ex magno volumine non sufficere ad excommunicationem. Prior opinio nimis rigorosa est, posterior nimis laxa, media prævalebit, docens aliquid minus folio sufficere ad incurrendam censuram. 2. Eadem excommunicatione tenentur imprimentes, vel imprimi facientes, retinentes domi suæ, vel alibi, vel scripto, aut verbo defendentes libros hæreticos, uti & occultantes illos, ne deveniant in notitiam Inquisitorum.

11. ℞. 3. Libri secundæ classis ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnati, prohibentur legi, aut retineri sub pœna excommunicationis non reservatæ: ceteri vero ex alia causa damnati, sub peccato mortali, & pœna arbitraria ex *reg.* 10. *Indic.* §. *Quodsi quis* (qui in casu 1. Bullæ Cœnæ prohibentur sub excommunicatione reservata) *vel cujusvis Auctoris scripta ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.* Eadem verba reperiuntur in Bulla Pii IV. *Dominici gregis* præfixa Indic. Ex his textibus limitanda est doctrina auctorum, qui indistincte asserunt libros secundæ classis prohiberi sub excommunicatione non reservata: nam illi solum sub hac pœna prohibentur, qui ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnati sunt: ceteri vero v. g. libri magici, res obscænas, & moribus fidelium adversas continentes, vel habentes doctrinam non satis consonam Constitutionibus Apostolicis, prohibentur legi sub peccato mortali, & pœna arbitraria pro qualitate delicti. Regul. Indicis habentur ad calcem Trident.

12. ℞. 4. Libri Hæreticorum sub pœna excommunicationis, aliisque pœnis contra hæreticos latis extradi debent Inquisitoribus, vel, ubi hi non sunt, Episcopis; neque sufficit privata auctoritate eos comburere, nisi actor jam aliunde notus esset Inquisitoribus ex Constit. Julii III. *Cum meditatio*. Excipe ab his resolutionibus libros Origenis, & Tertulliani, quorum lectio ob utilitatem permittitur, cum errores illorum jam extincti sint, nullumque perversionis periculum afferant.

13. ℞. 5. In bibliothecis monasteriorum, loco separato, & clauso, licite asservantur libri prohibiti, Reiff. a *n.* 129. nam prohibitio Bullæ Cœnæ non extenditur ad hunc casum retentionis; tum quia Papa solet Regularibus concedere licentiam legendi libros hæreticos; quæ licentia fere inutilis esset, si retentio talium librorum eis non esset licita: tum quia expedit tales libros præ manibus haberi, ut obtenta legendi licentia, facilius hæretici possint confutari: tum denique quia consuetudo ita interpretatur Bullam Cœnæ.

14. Q. V. *An Bulla Cœnæ quoad prohibitionem librorum, & Index librorum prohibitorum recepta sint in Germania?* Negant nonnulli, qui facile legis jugum excutere solent; sed contra sentiunt viri alii docti, & timorati, cum quibus: ℞. Affirmative, licet rigor Bullæ, & Indicis in quibusdam temperatus sit: nam non satis ostenditur, Bullam Cœnæ singulis annis renovari solitam, ad Germaniam non extendi. Quare, quæ veriora, & tutiora in Doctoribus Germanis reperi, ea sequentibus punctis comprehendo: 1. Germanis non licet legere hæresiarchas, nec hæreticos ex professo hæresim tractantes, vel de religione scribentes, ut disponitur in *casu* 1. *Bullæ Cœnæ*: nam talis lectio est valde periculosa, & fidei cristianæ noxia, præsertim in libris vernacula conscriptis, Reiff. & alii. An vero catholici permisti hæreticis, qui sine scrupulo passim legunt libellos controversisticos ab hæreticis editos, peccent, & excommunicationem incurrant, durum est definire. Affirmantium sententia est juri omnino consona: pro negativa stat vigens consuetudo, tacita permissio Papæ scientis, & contradicentis, neque executionem pœnarum urgentis, præsertim cum observantia legis ecclesiasticæ in his circumstantiis non speretur: ita Pichl. hic *n.* 8. *in respons. ad* 5. cujus doctrina pro illis locis est favorabilis pro confessariis, & pœnitentibus. Hoc tamen addo, quod consuetudo ista legendi opuscula controversistica pro possibili extirpanda sit ab Episcopis, & nullo modo ad alia loca extendenda. Germani licite legere possunt libros profanos hæreticorum, qui incidenter, & obiter aliqua hæresi inspersi sunt; uti multa lexica, libri juridici, medici, historici &c. nam consuetudo Germaniæ interpretatur nobis Bullam Cœnæ non extendi ad hos libros: & ideo viri docti, & timorati absque ullo scrupulo tales libros legunt. *Excipe* libros profanos talium hæreticorum, qui quasi ex instituto scribunt multa in contemptum religionis catholicæ, & Ecclesiæ romanæ, contra statum monachorum, & clericorum: uti sunt historiæ Joan. Sleidan, Munsteri, Aventini &c. hos enim legere non licet sub pœna excommunicationis. 3. Libri in secunda classe prohibiti, plerique licite leguntur a Germanis: nam, ut inquit Laym. Index romanus quoad prohibitionem librorum secundæ classis apud nos in Germania receptus non est: quia nemo est, qui prohibitionem istam auctoritative in observationem deducat. Tales sunt libri damnati catholicorum, qui unam, vel plures doctrinas, cum theologia, & apostolicis Constitutionibus minus consonas habent; uti manuale Francisci Pellizarii, Collectanea Barbosæ in Tridentinum, Privilegia Regul. Brunonis Chassacini &c. *Excipe* libros prohibitos in *reg.* 7. *&* 8. *Indicis* scil. *libros obscœnos*, qui sine peccato raro leguntur, præsertim a proclivibus ad peccandum; *magicos*, qui de magia, & astrologia judiciaria tractant. Limitatio tamen additur in *cit. reg.* 6. his verbis: *antiqui vero ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam, & proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.* Ceterum quod in *reg.* 8. statuitur, ut libri, quorum principale argumentum bonum est, ab erroribus expurgentur, & non nisi emendati excudantur, in executionem, & observantiam deduci deberet: sed emendatio ista segnius in Germania exercetur. 4. Biblia sacra in linguam vernaculam versa, licite absque speciali licentia Episcopi leguntur a Germanis, modo versio sit ab auctore catholico probe facta, & ab Episcopo probata: nam ut experientia probat, *reg.* 5. *Indicis* non est usu recepta in Germania, Id tamen summopere curabunt Episcopi, & parochi, ne versiones ab hæreticis factæ in manus fidelium perveniant, ut versio germanica Lutheri, Munsteri, Tremelli &c. quorum Biblia, sive vernacula, sive latina prorsus interdicta sunt. 5. Si alicui ex lectione libror. ab hæreticis compositorum, qui alioquin secundum mox dicta tolerantur legi in Germania, imminet periculum perversionis, & depravationis morum, de jure naturali tenetur ab eorum lectione abstinere; nam jus naturale dictat periculum peccandi vitandum esse. Utinam jus hoc attenderent hodie multi juvenes, viri, & fœminæ, præsertim nobiles, sane

cum

cum tanto animarum suarum periculo tam avide non legerent libros hæreticorum; cum plerumque ex illis condiscant Vicarium Christi, patrem omnium fidelium contemnere; Concilia rejicere, auctoritatem ecclesiasticam diminuere, liberius secundum sæculum vivere, ipsam religionem catholicam, ejusque sacra instituta vilipendere, ut eis ferre non sit aliud, quam inane nomen catholici, Pichl. a *n.* 7. *usque ad* 11.

15. Q. VI. ***Quæ sint pœnæ spirituales latæ in hæreticos, & eorum credentes, receptores, fautores, & defensores?*** ***Ante resp. nota, credentes*** dici illos, qui licet actu nihil credant contra fidem, tamen in verbis, & factis exterioribus profitentur sectam hæreticorum, v. g. communiter frequentando eorum templa, conciones audiendo, eisque volendo adhærere, saltem si motiva sufficientia proposita fuerint. ***Receptores***, seu ***receptatores***, qui hæreticis hospitium præbent, ne veniant in manus judicum. ***Defensores***, qui tuentur, vel personas hæreticorum: vel errores eorum ***fautores***, qui hæreticis qua talibus favorem præstant, vel positive, eos laudando, vel negative, ut ommittendo denunciationem, capturam, custodiam.

16. ℞. Seqq. 1. ***Excommunicatio*** latæ sententiæ Papæ reservata, in 1. ***Casu Bullæ Cœnæ***. 2. ***Privatio sacræ sepulturæ***, ut dixi *lib.* 3. *tit. de sepult.* 3. ***Privatio jurisdictionis*** ecclesiasticæ, dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitas ad illa obtinenda; licet talis privatio in effectu non sequatur, nisi post sententiam declaratoriam criminis. 4. Irregularitas ratione infamiæ orta probabilius etiam ex hæresi occulta, cum jura non distinguant: ita hæc omnia statuuntur *c.* 7. 8. 9. 13. 15. *h. t.* & expressius *c.* 2. *eod. in* 6. *& in casu* 1. *Bull. Cœnæ*. Ista irregularitas ligat etiam filios usque ad secundam generationem, *c.* 2. §. *Hæretici h. t. in* 6. Si tamen occulta est, dispensari potest ab Episcopo ex Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de refor.* Porro pœnæ istæ Canonicæ afficiunt etiam hæreticos Germaniæ, cum hi nullibi excipiantur, neque eis prosint pacta politica Osnabrugensia, utpote irritata ab Innoc. X. Constit. ***Zelo Domus Dei***. Quia vero Hæretici tolerati in Germania non sunt infames, sequitur quod nec fiant irregulares, cum irregularitas ista oriatur ex infamia. Unde absoluti ab hæresi, si alias digni sunt, promoveri possunt ad Ordines absque ulla dispensatione, Navarr. Laym. Pirh. & alii.

17. Q. VII. ***Quæ sint pœnæ temporales hæreticorum?*** ℞. 1. ***Infamia*** non tantum ***facti***, sed etiam ***juris***, ipso jure incurrenda, licet effectum non pareat, nisi post sententiam declaratoriam criminis, *Can.* 17. *infames* 6. *q.* 1. *& c.* 13. §. 5. *h. t.* Infamia ista non transfunditur in filios, & nepotes, ne hi sine claro textu alieno delicto prægraventur. Neque extensio est facienda ab infamia, quam contrahunt filii ob paternum crimen læsæ majestatis, quia in hac materia pœnali extensio pœnarum non est facienda. Neque paritas est ab irregularitate: hanc enim contrahere possunt filii ob delictum paternum, quin sint infames. 2. Amissio patriæ potestatis in liberos, uti & aliorum privilegiorum a jure concessorum, *c.* 2. §. *fin. h. t. in* 6. Hæc pœna extendi non debet ad receptores, fautores, & defensores hæreticorum. 3. Privatio dignitatum, & honorum, actuumque legitimorum, & inhabilitas ad officia publica: & ideo hæretici non possunt esse judices, advocati, testes &c. *c.* 13. §. *credentes h. t.* nam infamibus talia officia denegantur. 4. Liberatio subditorum, vasallorum, & servorum a fidelitate, & obsequiis domino præstandis; modo secuta sit sententia criminis declaratoria, *c. fin. h. t.* quo casu servi catholici liberi fiunt, neque rediguntur in servitutem, etsi postea domino resipiscenti cetera bona ex beneficio principis restituantur *l.* 4. §. *fin. C. h. t.* quia libertas semel acquisita non est adimenda, *l.* 1. 2. *C. si advers. libert.* Si vero servi pariter erant hæretici, confiscantur cum aliis rebus domini, cum sint pars bonorum, *l.* 52. *ff. de A. R. D.* Pœnam istam potiores DD. comprehensive extendunt ad alia jura, & obligationes, quibus quis hæretico obligatus fuit; quia nomina, & jura confiscantur, & aliæ obligationes evanescunt. At si quis deinde cum hæretico pacta, & contractus licitos ineat, fidem etiam infideli servare debet ex jure naturali *c.* 3. *de pact.* 5. Intestabilitas tam activa, quam passiva; ita ut hæreticus nec de bonis suis testari, nec in alienis bonis allodialibus, aut fideicommissariis succedere possit *c.* 13. §. *credentes, h. t. l.* 4. §. 2. *l.* 5. *v. cunctis, & l. ult. C. h. t.* quibus textibus hæretici incapaces redduntur ad successiones hæreditarias, & conf. locus est hæredibus venientibus ab intestato: non vero hæreditas applicatur Fisco, cum non auferatur hæretico ut indigno, sed ut incapaci hæreditariæ successionis. Ad hanc pœnam necessaria est sententia judicis criminis declaratoria; & de bonis ante illam quæsitis, vel ipso Jure non valet testamentum, vel saltem rescindi potest: de illis vero bonis, quæ post sententiam acquisivit, potest hæreticus testari, cum talia bona non cadant sub confiscationem, ratione cujus testamentum prohibetur. 6. Confiscatio omnium bonorum, ita ut nec filiis catholicis aliquid de bonis patris hæretici relinquendum sit, nisi causa commiserationis suaderet benignitatem rigori juris præferri, *c.* 20. *& c.* 13. §. 1. *h. t. l.* 4. *C. eod.* dummodo proferatur sententia criminis declaratoria *c.* 19. *v. confiscationis h. t. in* 6. etiam post mortem hæretici, antequam præscribatur spatio 40. annorum: & tunc sententia post mortem lata retrotrahitur ad tempus delicti, & ab eo tempore res omnes cum fructibus restituendæ erunt, *c.* 8. §. 7. *h. t. in* 6. Bona confiscata laicorum in terris Ecclesiæ applicantur fisco Ecclesiæ, & in terris Imperii fisco sæculari *c.* 10. *h. t.* At bona clericorum, si acquisita sunt intuitu Ecclesiæ, ei applicantur *c.* 13. §. 1. *h. t.* bona vero patrimonialia, tanquam accessoria, applicantur fisco ecclesiastico, nisi de consuetudine transire debeant ad fiscum sæcularem. Cetera observantur, sicut in confiscatione ob crimen læsæ majestatis. Unde in confiscationem bonorum non veniunt bona post sententiam quæsita, nec majoratus, aut fideicommissum ante delictum institutum, nisi quoad commoda, & usumfructum pro eo tempore, quo hæreticus vivit: nec bona castrensia, vel quasi, vel adventitia filiorum, nisi isti hæretici fierent: nec dos uxoris, nisi hæc scienter contraxisset cum hæretico *c.* 14. *h. t. in* 6. Tandem ***septima pœna*** contra hæreticos pertinaces est ultimum supplicium: ita de jure Can. in Conc. Chalced. ***Action.*** 1. ibi: ***si Eutyches præter dogmata Ecclesiæ sapiat, non solum pœna dignus est, sed & igni, & c.*** 9. 15. ***h. t. c.*** 1. ***eod. in*** 6. *&c.* de jure civ. *l.* 4. §. 4. *l.* 5. 8. *C. h. t.* nam gravitas tanti sceleris, fidei, & publicæ tranquillitati summe adversi meretur ultimum capitale supplicium. De hodierna consuetudine hæretici impœnitentes, præsertim hæresi archæ, vivi comburuntur: pœnitentes vero exilio, & pœna triremium per tres annos puniuntur, nisi relapsi fuissent; tunc enim sacramenta pœnitentibus ministrantur, sed pœna strangulationis, & ignis raro remittitur.

18. Pœnæ istæ temporales in Imperio non habent locum quoad hæreticos toleratos secundum pacta Osnabrugensia, licet his non teneatur stare judex ecclesiasticus, nisi ob diram necessitatem, ut majora mala præcaveantur, Clericis vero, & religiosis pacta ista non suffragantur, cum principes laici nihil statuere potuerint circa personas ecclesiasticas; adeoque si illi in hæresim labantur, in Germania substant pœnis spiritualibus, & corporalibus.

19. Q. VIII. ***Quis sit judex in crimine hæresis?*** ℞. 1. Ecclesiasticus privative, sive hæresis principaliter, sive incidenter, sive in quæstione juris, aut facti deducatur in judicium: ita *c.* 18. *v. prohibemus h. t.* quæ constitutio confirmata est a pluribus Pontificibus: nam hæresis est crimen mere ecclesiasticum ex sac. litteris, & Ecclesiis Canonibus judicandum, etiam in quæstione facti, quæ vix separatur a quæstione juris: & ita correctæ sunt leges civiles, *l.* 1. §. *fin. ff. de sum. Trin. l.* 8. §. *fin. C. h. t.* Unde judex laicus licet hæreticum capere possit tradendum curiæ ecclesiasticæ, non tamen cum examinare potest, nec sententiam judicis ecclesiastici discutere, sed eam absque dilatione exequi tenetur; nisi notorie esset injusta propter falsa testimonia &c. quo casu tenetur judicem ecclesiasticum informare.

20. ℞. 2. Judices ordinarii in causa hæresis sunt. 1. *Papa.* 2. Legatus a latere *c.* 12. *h. t.* licet hodie absque speciali mandato Papæ Legati apostolicæ Sedis se non intromittant causis hæreticalibus, Far. Passer. 3. Episcopus, vel sede vacante, capitulum, & prælatus in suo territorio jurisdictionem episcopalem exercens. 4. Inquisitores S. Officii antea erant judices delegati, nunc fere ordinariam potestatem habent. Cum vero in

nostris partibus non vigeat officium S. Inquisitionis, de eo tractare hic supersedeo.

21. Q. IX. *Quis absolvere possit a crimine hæresis?* ℞. 1. Si crimen diffamatum est, vel deductum ad forum contentiosum per viam accusationis, denunciationis, aut inquisitionis, nullus præter Papam ab illo absolvere potest; nam crimen hæresis, & excommunicatio ei annexa reservata est Sedi apostolicæ, Bulla Cœnæ §. *Ceterum*, nisi potestas ista specialiter sit alicui delegata.

22. ℞. 2. Si crimen hæresis occultum est, hodie post Bullam Cœnæ non possunt ab illo pro foro interno absolvere Episcopi, ita Garcias, Barbos. Schmalz. Reiff. cum citt. & Fagn. *c. dilectus de tempp. ordin. n.* 30. dicit frustra articulum istum deduci in controversiam, cum habeamus claram declarationem S. Cong. Conc. quod per Bullam Cœnæ derogatum sit potestati Episcoporum concessæ a Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de ref.* Prob. ex *cit. Bulla* §. *Ceterum*: ibi: *etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis per nos, & dictam Sedem, aut cujusvis Concilii decreta, concessorum* &c. ex quibus verbis ita arguo: per Bullam Cœnæ generaliter tollitur Episcopis potestas absolvendi ab hæresi, quocumque privilegio, vel decreto Concilii concessa; sed nullum aliud Concilium, nisi Trid. *l. c.* concessit Episcopis facultatem absolvendi ab hæresi occulta; ergo facultas ista revocata est per clausulam Bullæ Cœnæ: & ita declaratum fuisse non tantum a sac. Congr. sed etiam a Gregor. XIII. & Clem. VIII. testantur Genuens. *Nec obstat*, quod in clausula Bullæ Cœnæ non fiat specifica mentio Tridentini: nam cum hoc sit pars juris communis, non præsumitur ignoraria Papa condente Bullam Cœnæ *c.* 1. *de constit. in* 6. Nec obstat etiam, quod Bulla Cœnæ generaliter loquatur de hæresi, & Trid. specialiter de occulta: nam clausulam Bullæ procedere de hæresi in omni sua specie sive publica, sive privata, sæpius declaravit sac. Cong. Quo facit *prop.* 3. ab Alex. VII. damnata his verbis: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est*, *an.* 1629. *die* 8. *Julii in Consistorio sac. Cong. Emin. Cardd. visa, & tolerata est*. Opposita sententia, quam etiam tenet Pichler, & Barbosa plures DD. pro ea allegat, licet speculative videatur probabilis, in praxi tamen minus secura est.

23. ℞. 3. Episcopi Germaniæ probabilius absolvere possunt ab hæresi occulta, licet pro majori securitate facultatem absolvendi Roma petere soleant: ita plerique DD. Germani: nam 1. Bulla Cœnæ quoad omnem rigorem non est usu recepta in Germania, maxime quoad censuras, & reservationem; cum reservatio ista non videatur esse expediens in his circumstantiis. 2. In Germania ex una parte hæresis est frequens, & obscura, ut non facile discernas hæreticum formalem a materiali; & ex altera parte difficilis, imo moraliter impossibilis est recursus ad Papam: quibus concurrentibus plerumque cessant reservationes, ne vergant in dispendium salutis animarum, & commoditas Hæreticos convertendi præpediatur: tum denique, quia in Germania videtur generaliter sublata esse excommunicatio pro foro externo; cum vix aliquis hæreticorum mittatur pro absolutione ad judicem ecclesiasticum, sed recte instructus statim admittatur ad professionem fidei catholicæ, & usum sacramentorum, teste P. Pichler, & aliis. Sublata autem excommunicatione, cessat reservatio, cum ex com. DD. Papa nullum crimen reservet, nisi ratione censuræ reservatæ, exceptis duobus, vel tribus. Hic tamen te admonitum volo, quod cum apostatis, qui ex catholicis fiunt hæretici, ob gravissimum apostasiæ crimen, durius agendum sit, ne impunitas occasionem det apostatandi.

24. ℞. 4. In casu impedimenti prolixioris, aut perpetui, possunt Episcopi absolvere ab hæresi occulta; dummodo pœnitens sub juramento promittat, quod sublato impedimento, præsentare se velit conspectui apostolico: ita com. nam casus papalis, dum ob impedimentum Papa pro absolutione adiri non potest, fit episcopalis ex recepta consuetudine, & tacito consensu Papæ. Imo Episcopi ab Urbe remotiores, præsertim in Germania, via præscriptionis videntur acquisivisse jurisdictionem absolvendi impeditos sine onere, seu obligatione sistendi se conspectui Papæ. Neque tali casu impeditus tenetur per procuratorem, vel litteras Roma absolutionem a censuris petere, quia id non exigitur a jure, sed solum, ut reus personaliter accendat Papam, Reiff. & alii. Praxis hodierna, qua Episcopi, præsertim Germaniæ, a Papa facultatem petunt absolvendi ab hæresi, est omnino securissima; uti etiam recursus ad sac. Pœnitentiariam, quia hoc modo sacramentum Pœnitentiæ sine ulla anxietate, alias ex contrariis sententiis oriri solita, administratur.

25. ℞. 5. Episcopi post Bullam Cœnæ, ubi officium S. Inquisitionis non est introductum, possunt absolvere ab hæresi pro foro externo; exceptis hæresiarchis, & relapsis: ita com. ex *c.* 11. *pr. h. t. in* 6. nam Episcopi tenent locum Inquisitorum, ubi isti non reperiuntur. Porro hæc absolutio in foro externo data, prodest absolutis, ut deinde in foro interno a quocumque simplici confessario absolvi valeant. At contra absolutio hæretici pro foro interno non prodest ei in foro externo, sed in hoc convictus condemnatur ad pœnam, & vindictam publicam, Sanch. Reiff. & alii.

26. ℞. 6. Regulares de jure ordinario non possunt absolvere ab hæresi occulta hæreticos seculares: nam nullo Jure ordinario id reperitur concessum: unde Alex. VII. damnavit hanc propositionem *n.* 4. *Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa*. Similiter de jure ordinario prælati suos religiosos nequeunt absolvere ab hæresi occulta; quia talis potestas eis tollitur per Bullam Cœnæ *cit.* §. *ceterum*, imo in Italia, & Hispania, ubi officium S. Inquisitionis viget, casus hæresis, etiam occultæ, pertinet ad Inquisitores privative, ita ut Prælati Regg. ab illo absolvere nequeant suos religiosos, ut fertur declarasse Clem. VIII. *die* 16. *Nov.* 1592.

27. ℞. 7. Regulares de jure speciali extra Italiam, & Hispaniam possunt absolvere ab hæresi occulta, & excommunicatione incursa ob lectionem librorum hæreticorum: ita probabiliter tenent graves DD. præsertim Germani, & plerique Scriptores regg. nam Regularibus data sunt privilegia specifice exprimentia casum hæresis: Sic Julius III. Const. *Sacræ religionis die* 22. *Oct.* 1552. dat Societati Jesu facultatem *quoscumque a casibus hæresis, & aliis contra fidem, & consequentibus censuris quibuscumque absolvendi*. Eandem facultatem dedit Greg. XIII. 28. *Mart.* 1584. absolvendi ab hæresi, & relapsu in hæresim. Quod privilegium, ut ait Suar. absolutum est, & sine ulla limitatione: item Clem. VIII. teste Gobat in Th. Exper. *tr.* 7. *n.* 638. amplissimam potestatem absolvendi ab hæresi dedit Carmelitis discalceatis pro Gallia, Flandria, Germania, Polonia: Greg. XIII. teste Urbano Carmel. concessit Servis B. V. privilegium, ut possint suos etiam a relapsu in hæresim absolvere. Ratio pro his regionibus septentrionalibus specialis est, quod hic ob difficilem recursum ad Papam casus papales, sicut fiunt episcopales, ita & fiant regulares. Præterea ex usu, & consuetudine Germaniæ Prælati regulares suos religiosos, non secus ac Episcopi suos diœcesanos, judicant in causa hæresis, & reis convictis condignas pœnas infligunt; ut si regularis in apostasia hæreticam sectam amplectatur: tunc enim reversus, vel captus, non ab Episcopo, sed a prælato regulari judicatur, ac punitur. Et hæc consuetudo videtur nobis optime interpretari Bullam Cœnæ, quomodo hæc pro regionibus nostris sit intelligenda. Ceterum quamvis sententia ista sit omnino probabilis; quia tamen versamur in materia obscura, cui utinam lucem afferret decisio pontificia, ideo consultum fore judicio, ut prælati regg. ad majorem securitatem, & cautelam pro suis religionis confessariis facultatem absolvendi ab hæresi petant ab Ordinariis, qui eam specialiter habent a Papa cum potestate delegandi. Quo in genere laudanda est ordinatissima Archidiœcesis Pragensis, in qua ob spiritualem pœnitentium utilitatem plerisque confessariis regularibus conceditur facultas absolvendi ab hæresi: atque ita cessant scrupuli, & jurgia de valore horum privilegiorum. *Dices* cum P. La Croix: 1. Privilegia ista singulis annis revocantur per promulgationem Bull. Cœn. ℞. Neg, assertum: nam in his privilegiis a Sixto V. & Clem. V. expres-

expresse ponitur illa clausula: *nisi in privilegiis casus, in Bulla* contenti expresse concederentur, & ubi clausula ista non ponitur, tacite intelligitur, ut ait Alterinus apud Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. Imo assertum multum probat, quod scil. facultas specialis absolvendi ab hæresi concessa Episcopis Germaniæ singulis annis revocetur per promulgationem Bullæ Cœnæ. Sicut ergo Episcopis, Nuntiis apostolicis, ita quoque Regularibus concessa sunt privilegia cum intentione præveniendi revocationem Bullæ Cœnæ; & conf. non censentur revocari, nisi intentio ista, seu voluntas Papæ per speciales terminos revocetur.

28. ℞. 8. In articulo mortis quilibet sacerdos absolvere potest ab hæresi: ita casus iste excipitur in clausula Bullæ Cœnæ, *nisi in articulo mortis*, seu in probabili periculo mortis, v. g. in conflictu bellico, periculosa navigatione &c. tum quia in articulo mortis cessat omnis reservatio, & quilibet verus sacerdos, etiam hæreticus, accipit jurisdictionem absolvendi in tali casu Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de ref.* Impedimentum perpetuum, quo nec Papa, nec Episcopus adiri potest, æquiparatur articulo mortis; non vero aliud: quia si Papa adiri nequit, adiri potest Episcopus, vel alius privilegiatus.

29. ℞. 9. In generali potestate absolvendi a casibus Papæ reservatis, vel a casibus Bullæ Cœnæ, non venit potestas absolvendi ab hæresi, v. g. tempore Jubilæi, nisi specialiter exprimatur: ita fertur declarasse Alex. VII. *die* 23. *Martii* 1656. idemque probat usus, & stylus curiæ rom. qui hoc in puncto vim legis habet: nam ex *reg.* 81. *in* 6. in generali concessione non videtur venire hæc specialissima potestas absolvendi ab hæresi; neque Papa præsumitur per terminos generales derogare tot juribus in favorem fidei latis, Opposita sententia P. Gobat, & aliorum docentium in potestate absolvendis a casibus Bullæ Cœnæ venire potestatem absolvendi ab hæresi, theorice videtur probabilis, sed minus tuta in praxi, nisi forsan pro Germania.

Quomodo Principes catholici inire possunt fœdera cum Hæreticis, consule Reiff. a *n.* 157. ubi de hac materia docte scribit.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

Agitur de hac materia in Sexto, & Extrav. com. *h. t.* in Decreto 23. *q.* 3. & sparsim in 24. *q.* 1.

1. *Nota* 1. *Schisma*, latine scissionem, esse crimen, quo quis separat se ab Ecclesia, ut corpore, & Romano Pontifice, ut capite, seu Vicario Christi, atque ita scindit unitatem Ecclesiæ, S. D. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. Differt a *seditione*, quia ista est divisio a corpore, & capite politico; schisma vero a corpore, & capite spirituali Ecclesiæ. Unde illi dicuntur Schismatici, *qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant*, S. D. *ibib.* licet alioquin recognoscant Rom. Pontificem, esse caput Ecclesiæ. Actus schismatis sunt: 1. *Nolite obedire Papæ*, vel directe, seu expresse recusando ejus mandata; vel indirecte, seu ipso facto, ita se gerendo, ac si non esset christianus subditus Papæ. 2. *Recedere* a ceteris Ecclesiæ membris; ut seorsim conventicula celebrando, orationes, jejunia, & alia spiritualia exercitia peragendo, quasi divisores hujusmodi essent corpus a reliqua Ecclesia distinctum.

2. *Nota* 2. Schisma ex specie sua opponi charitati Ecclesiæ; & tunc dari *purum*, dum quis credit omnes articulos fidei, etiam illum, quo summam Papæ in terris potestatem profitemur; attamen ex perversa voluntate non vult ei se subjicere, & ceteris membris Ecclesiæ communicare; ut si provincia constituat sibi Patriarcham, cui in spiritualibus obediat, sicut fecerunt Græci, & hodie faciunt Anglicani catholici, qui obediunt Regi, ut Vicario Christi in spiritualibus &c. In hoc sensu schisma differt ab hæresi; quæ fidei opponitur, & negat aliquem articulum fidei; atque ita hæresis aliquid addit supra schisma, scil. dissensum in aliquo articulo fidei. Ceterum in praxi raro invenitur schisma *purum*, sed plerumque admixtam habet, aut secum trahit hæresim, *Can.* 26. *inter* 23. *q.* 3. ubi S. Hier. ait: *nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Exempla obvia sunt in schismate Græcorum, Anglorum, & aliorum Septentrionalium.

3. *Nota* 3. Inter Schismaticos proprie dictos non numerari: 1. Subditos recedentes ab obedientia Episcopi, vel prælati regularis; dummodo perseverent in obedientia Papæ; licet in lata significatione dicantur Schismatici *Can.* 7. *scire* 7. *q.* 1. & *Can.* 18. *loquitur* 24. *q.* 1. 2. *Excommunicatos*, quia hi non a se ipsis, sed a superiore dividuntur a corpore Ecclesiæ. 3. Recusantes obedire Papæ, quia nimis dura imperat, vel quia electio illius est dubia, vel quia non videtur esse dominus temporalis alicujus provinciæ. 4. Provocantes a sententia Papæ ad Concilium Generale, ut Papa ei præsideat: secus si nolent Papam ei præsidere: quia tunc faterentur Concilium esse supra Papam. Interim appellationes istæ sunt illicitæ, & prohibentur sub excommunicatione lata in *casu* 2. *Bullæ Cœnæ*.

4. Q. I. *Quæ sint pœnæ Schismaticorum*? ℞. seqq. 1. Excommunicatio reservata Papæ, *Can.* 5. *d.* 19. *Can.* 43. *de Liguribus* 23. *q.* 5. & in *casu* 2. *Bull. Cœn.* quæ tamen non extenditur ad receptores, fautores, & defensores Schismaticorum, licet hi incurrant excommunicationem non reservatam *c. un. h. t. in* 6. Confiscatio bonorum *cit. c. un.* reliquæ vero pœnæ, ut privatio dignitatum, & beneficiorum, & aliæ ibi expressæ, restrictæ sunt per *Extrav. un. h. t. inter com.* licet per sententiam infligi possint. Vide utramque istam constitutionem in causa Columniorum datam. 3. Inhabilitas ad beneficia, & dignitates, saltem si schismaticus est notorius, *c.* 5. *de elect.* 4. Privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, & suspensio ab usu, & exercitio ordinum; & ideo invalidæ sunt collationes beneficiorum, & alii actus jurisdictionales: collationes vero ordinum sunt illicitæ, & scienter ordinati a schismaticis, nominatim denunciatis suspenduntur ab exercitio ordinum *cap.* 1. & *fin. hoc tit. Can.* 6. *Novatianus v. qui ergo* 7. *q.* 1. Has pœnas meretur perniciosum crimen schismatis, in quo parvitas materiæ non admittitur. Si vero hæresis misceatur schismati, locus est pœnis contra hæreticos statutis.

5. Q. II. *Quæ sit pœna eorum, qui occulta conventicula celebrant*? ℞. Conventicula ista, tanquam schismati, seditioni, & hæresi faventia prohibentur graviter, *c.* 12. *de Hæret.* sub pœna ultimi supplicii; de Jure civ. *l.* 5. *C. de his, qui ad Eccl. conf.* & domus illius, quo consentiente celebrata sunt, publicari, & fisco addici debet, *l.* 15. *C. de Episc. & Cler.*

TITULUS IX.

De Apostatis, & reiterantibus baptisma.

Agitur de hac materia in Decreto 6. *q.* 1. & 11. *q.* 3. in Trid. *sess.* 7. *Can.* 11. *de bapt.* & *sess.* 14. *c.* 11. *de reform. sess.* 25. *c.* 4. *de Regg.* in Codice *lib.* 1. *tit.* 6. 7.

1. Apostasiæ sunt quatuor genera; quia recedi potest *a fide, obedientia, ordine, & religione*: quibus additur reiteratio *baptismi*, quasi quidam recessus a priori baptismate. *Apostasia a fide* est totalis desertio fidei christianæ; ut si quis ex christiano fiat judæus, vel turca. *Apostasia ab obedientia* est, dum quis Deo, vel legitimo superiori contumaciter renuit obedire; atque ita cum contemptu præcepta eorum transgreditur. Si vero inobedientia oriatur ex ignorantia, fragilitate, vel quadam aversione a prælato, secluso contemptu formali, minus est peccatum, & conf. mitiori pœnæ subftat. *Apostasia ab ordine* est temerarius transitus a statu clericali fac. Ordinum ad laicalem conversationem. *Apostasia a statu religioso* est totalis desertio status religiosi sine animo ad eum redeundi. De hac egi *lib.* 3. *tit. de Regul.*

2. Q. I. *Quæ sint pœnæ Apostatarum a fide, eorumque receptorum, fautorum, & defensorum*? ℞. Seqq. 1. *Excommunicatio*, & aliæ pœnæ contra hæreticos statutæ, *c.* 13. *de Hæret. in* 6. imo ob gravitatem majorem criminis, gravius puniendi sunt, etiam ultimo supplicio *l.* 2. 4. 5. *C. h. t.* 2. Pax Religiosa, & pacta Osnabrugensia non prosunt hæreticis, v. g. ad Judaismum transeuntibus, sed puniuntur pœna infamiæ, confiscationis bonorum, capitis, aliisque de utroque jure statutis, Reiff. &c.

☞ *Est hic notandum ex sequenti decreto universalis*

Inquisitionis 18. *Jul.* 1630. *approbato ab Urbano VIII. prout genuine relatum est a Bened. XIV. lib. XIII. de Syn. diœc. cap.* 20. *n.* 18. *& non ut refertur a Card. Albitio de Inconstantia in fide c.* 8. *n.* 29. Apostatas a fide, redeuntes ad pœnitentiam, non teneri ad abjurandam apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere, ut eam abjurent in balneo coram fidelibus (*puta si sint inter Turcas*) abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis: si vero sit æquivocus, posse illum deferre. Quod si ex illa delatione, ratione personæ aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere, cum primum poterint. *In decreto autem ab Albitio allato ulterius leguntur sequentia verba, quæ fuerunt theologorum, qui tunc rogati, suum sensum aperuerunt, non decreti.* Et curent, ut successu temporis cognoscant etiam infideles, vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem, licet id etiam cum periculo vitæ.

3. Q. II. *Quæ sint pœnæ apostatantium ab obedientia*? R. seqq. 1. Si inobedientia oriatur ex infidelitate, locus est pœnis hæreticorum, *Can.* 5. *d.* 19. si vero oriatur ex superbia, & formali contemptu Canonum, & prælatorum, est infamia facti: deinde si contumax subditus perstiterit, gradatim proceditur per pœnas mitiores: & tandem excommunicatur, & degradatus clericus curiæ sæculari traditur, *Can.* 3. *si quis* 3. *q.* 3. *& c.* 10. *de judic.* 2. Si inobedientia oriatur ex fragilitate, mitioribus pœnis locus erit. In Religionibus servantur propria Statuta contra inobedientes lata.

4. Q. III. *Quæ sint pœnæ apostatantium a SS. Ordinibus*? R. seqq. 1. *Excommunicatio* ferendæ sententiæ, *c.* 2. *h. t.* 2. *Infamia facti*, & inde orta irregularitas, quæ tamen per pœnitentiam tollitur. 3. Amissio privilegii Canonis post trinam monitionem Episcopi, *c.* 1. *h. t. c.* 25. *de sent. excom.* 4. Pœna carceris, si clericus apostata habitum reassumere renuat, *c.* 5. *h. t.* Diffamatus, vel suspectus de apostasia ab ordine, tenetur ad purgationem Canonicam, *c.* 3. *h. t.* qua non præstita, habetur pro convicto.

5. Q. IV. *Quæ sint pœnæ scienter rebaptizantium, & rebaptizatorum*? R. seqq. 1. De jure Can. uterque fit irregularis *Can.* 65. *d.* 450. *& c.* 2. *h. t.* & si clericus sit, deponitur, *Can.* 118. *de consecr. d.* 4. si laicus, excommunicari debet, Abb. Eandem irregularitatem contrahunt acolytus, subdiaconus, & diaconus rebaptizanti ministrantes, si crimen sit publicum *c.* 2. *h. t.* in occulta vero irregularitate dispensat Episcopus vi Trid. *Sess* 24. *c.* 6. *de ref.* De jure civ. rebaptizans, & rebaptizatus ultimo supplicio afficiuntur, *l.* 2. *C. ne sect. bapt. iter.* Ceterum licet confirmatio, & baptizatio iterari eodem modo prohibeantur *Can.* 8. *de consecr. d.* 5. non tamen sub iisdem pœnis; adeoque pœnæ rebaptizantium, & rebaptizatorum non sunt extendendæ ad reconfirmantes, & reconfirmatos; cum irregularitas non sit asserenda, nisi in jure expresse reperiatur, *cap.* 18. *de sent. excom.*

Actum est de criminibus, quæ Deo, ejusque sancto cultui, fidei, & religioni christianæ opponuntur: nunc agetur de variis delictis, quæ charitati, & justitiæ erga proximum adversantur, quatenus lædunt ejus vitam, famam, fortunas, & alia jura; uti sunt parricidium, homicidium, adulterium, & stuprum, rapina, furtum, crimen falsi, sortilegium, collusio: finitur materia ista in delictis puerorum *tit.* 23. Quia vero in jure Can. nullus est specialis titulus de crimine læsæ majestatis, ideo hic aliqua de illo dicam ex §. 3. *Inst. de publ. jud. ex. tit. ff. & C. ad L. Juliæ majestatis.*

De crimine læsæ Majestatis.

6. I. Crimen læsæ majestatis est delictum publicum, quo majestas humana, seu suprema potestas læditur a subdito. Requiritur ad hoc crimen 1. Ut lædatur is, qui pollet majestate, seu qui in suo territorio superiorem non recognoscit, ut Papa, Imperator, Reges, Electores ex Bulla Aur. *c.* 24. quod privilegium ex usu, & consuetudine communicatur etiam Regi Romanorum, & Imperatrici: item si lædantur Consiliarii principis, seu pars corporis principalis *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* In ceteros vero principes, & comites non dicitur committi crimen læsæ majestatis; cum in illis non sit majestas. 2. Ut læsio ista fiat a subdito, *Clem.* 2. *v. rursus de sent. & re jud.* ubi Papa declarat a Roberto Siciliæ Rege non fuisse commissum crimen læsæ majestatis contra Henricum Imperat. quia non erat ei subditus. Hinc licet externi, & clerici lædentes Imperatorem pro condigno puniendi sint, tamen puniri nequeunt, ut rei læsæ majestatis.

7. II. Hoc crimen duas habet species: *Perduellionem*, *& crimen majestatis in specie*. *Perduellio* est crimen, quo princeps, seu respubl. hostiliter læditur a subdito, cujus actus recensentur *l.* 1. *ff. ad L. Jul. Maj.* ut conspirare in necem principis, seditionem excitare, secreta principis hosti pandere, arma ad eum deferre, castra, vel urbes ei tradere &c. *cit. l.* 1. 2. 3. 4. *Crimen majestatis in specie* est delictum, quo princeps citra hostilitatem læditur a subdito; ut si quis principem percutiat, statuas ejus destruat, vel cædat, monetam adulteret, privatos carceres habeat, confugientes ad Ecclesiam inde abstrahat &c.

8. III. Crimen perduellionis, utpote gravissimum, & exceptum, multa habet specialia: 1. Sufficit ad illud sola voluntas, seu conatus actu exteriori manifestatus, *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* 2. Ad illud accusandum admittuntur accusatores, & testes alioquin inhabiles, ut infames, mulieres, milites, impuberes, *l.* 7. §. 1. *l.* 8. *ff. ad L. J. Maj.* 3. In hoc crimine nulla dignitas a tortura excusat *l.* 3. 4. *C. eod.* 4. Intercedentes pro reo perpetua infamia notantur *l.* 5. §. 2. *C. eod.* 5. Pater deferre tenetur filium, & filius patrem, si privata monitione a tam pernicioso crimine eum avertere non potest *l.* 35. *ff. de Relig.* 6. Conscii hujus criminis tenentur illud revelare; alias eidem substant judicio *l.* 5. §. *pen. C. ad L. J. Majest.* quod tamen limitat Baldus in eo, qui scit, sed probare non potest, quamvis teneatur admonere illum, cui periculum imminet. 7. Crimen hoc morte non extinguitur, sed perduellis etiam post mortem damnatur, infamis pronunciatur, ejusque statuæ, & insignia delentur, *l.* 6. 7. 8. *C. eod.*

9. IV. Pœnæ perduellis sunt: 1. Infamia juris, confiscatio omnium bonorum, & ultimum supplicium exasperatum, v. g. cum sectione membrorum in 4. partes, *l.* 5. 6. *C. eod.* 2. Liberi perduellis fiunt perpetuo infames, omnibus honoribus privantur, repelluntur a matris, & propinquorum, aliorumque successione, tamque miseri efficiuntur, ut vita sit eis supplicium, & mors solatium, *cit. l.* 5. *C. eod.* ubi sola vita eis indulgetur, & conf. etiam alimenta ex bonis paternis. Quæ pœnæ locum habent in filiis, non tantum post, sed etiam ante perduellionem natis, ne paterni delicti sint imitatores. Filiæ tamen, in quibus ob fragilitatem sexus vindicta non præsumitur, ad maternam hæreditatem admittuntur, *cit. l.* 5.

10. V. Pœna committentis crimen majestatis in specie, est mitior secundum qualitatem delicti, v. g. deportatio, relegatio, gladius *l.* 24. *&* 40. *ff. de pœn.* ceteræ pœnæ non solent infligi, ut damnatio memoriæ, confiscatio &c.

TITULUS X.

De his, qui Filios occiderunt.

Agitur de hac materia in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 9. in Codice *lib.* 9. *tit.* 15. *&* 17.

1. *Nota* in *h. t.* agi de parricidio, quod in genere homicidii est crimen gravissimum: & definitur specifice, quod sit homicidium in personam conjunctam dolo, seu scienter commissum. Et quidem, si liberi parentes, vel econtra occidant, est proprie, & rigorose *parricidium*: si vero cognati collaterales, aut affines aliquem ex cognatione, aut affinitate occidant, est parricidium late, & improprie tale. Porro nomine parricidarum veniunt, & legi Pompejæ de parricidiis substant, liberi, & privigni (non tamen adoptivi, cum non exprimantur) parentes, vitricus, nouerca, nepotes, & neptes respectu avi, & aviæ, socer, socrus, gener, nurus, fratres & consanguinei usque ad 4. gradum, maritus & uxor, libertus occidens patronum, aut patronam: item cooperantes ad crimen parricidii, ut mandantes, consulentes, auxilium dantes, exequentes, & hujusmodi: ita hæc omnia enumerantur *l.* 1. *& seqq. ff. de leg. Pompei*, *de parricid.* Econtra a parricidio excusantur *ignari*; ut si filius occidat, nesciens esse

pa-

patrem, *furiosi* usu rationis destituti, & qui servato moderamine inculpatæ tutelæ, propter necessariam sui, vel boni publici defensionem occidit patrem vitæ aggressorem, vel perduellem, *l. 9. in fin. eod. l. 3. ff. de Just. & Jur.*

2. Q. I. *Quæ sit pœna parricidarum de Jure Canonico?* ℞. 1. Occisor parentum uno anno prohibetur ab ingressu Ecclesiæ, & tribus annis a sacra communione, & per decem annos jejunare, ceterasque pœnitentias implere tenetur secundum præscriptum *Can. 15. latorem* 33. *q.* 2. sed hodie pœna est arbitraria. 2. Mater vidua filium occidens detrudenda est ad monasterium, & a secundis nuptiis arcenda; si vero conjugata est, a viro quidem separari non debet, sed aliis condignis pœnis puniri, *c. 1. 2. h. t.* 3. Parentes, qui tenellos adhuc infantes in suo lecto collocatos culpabiliter opprimunt, tres annos pœnitentiam agere debent, & unum horum in pane, & aqua *c. fin. h. t.* nisi culpa abfuisset; ut quia infans aliter a frigore defendi non potuit, vel placari, nisi in lectum receptus. Hodie in foro externo pœnæ istæ non attenduntur, cum talia delicta a judicibus laicis puniantur: pro foro autem interno secundum qualitatem delicti confessarius salutarem pœnitentiam injunget.

3. Q. II. *Quæ sint pœnæ parricidarum de jure civili?* ℞. 1. Parentum occisor ex L. Pompeja virgis sanguineis verberatus, cum cane, simia, gallo gallinaceo, & vipera includendus est in culeum, seu saccum coriaceum, & in mare, seu flumen proximum demergendus, aut bestiis objiciendus §. *6. Inst. de Jud. publ. l. 9. ff. de L. Pomp. de parric. l. un. C. de his, qui parent. occid.* 2. Parens occisor liberorum prius puniebatur pœna ordinaria homicidii, deinde eadem pœna, qua filius interfector parentis, *cit.* §. *6. & l. un. cit.* Mater vivum infantem a se editum occidens, viva in terram defodi deberet, vel in aquis submergi, ex Const. Car. V. *art.* 131. Hodie pœnam culei adhuc decerni posse contendit Carpzov. alii communiter docent eam sublatam esse, quia nimis crudelis est; & propter periculum desperationis inimica saluti æternæ: unde loco culei decerni solet gladius, sectio in quatuor partes, strangulatio, & dilaceratio per canes, prout delicti qualitas postulat. 3. Parricidæ late tales, qui consanguineum collateralem, vel affinem, vel maritus uxorem occiderunt, puniuntur pœna ordinaria homicidii ex L. Cornelia de Sicariis, *l. 9. §. 1. ff. de L. Pomp. de parricid.* §. *6. Inst. de jud. publ.* licet pro qualitate delicti pœna ista exasperari soleat, v. g. per forcipes candentes, raptationem &c.

De pœna procurantium abortum dicam infra *tit.* 12.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expositis.

Agitur de hac materia in Decreto *Can. fin. d.* 87. in Codice *lib.* 8. *tit.* 52. *& Nov.* 153.

1. *Nota* exponere infantes septennio minores, & languidos cujuscumque ætatis, qui propter infirmitatem laborare nequeunt, esse crimen gravissimum contra officium pietatis, propinquum parricidio, & a sensu humano alienum *Nov.* 153. imo si infans, vel languidus exponatur cum periculo vitæ, ut pereat, est formale homicidium. In foro saltem interno a peccato excusantur parentes, qui ob causam egestatis, absque ullo periculo vitæ exponunt infantes in loco pio, præsertim pro talibus expositis destinato. Quod multi extendunt ad illos, qui hoc modo exponunt infantes ex causa infamiæ declinandæ, Gonz. Reiff.

2. Q. I. *Qui educare debeat expositos?* ℞. 1. Si nullus privatus reperiatur, qui expositos educare, & sustentare velit, tenetur ad id locus pius pro expositis destinatus; deinde Ecclesia, & communitas, *Can.* 70. *aurum* 12. *q.* 2. tandem seculares, & Ecclesiastici divites ad hoc pium opus cogi possunt; cum in extrema necessitate expositi jus habeant ad alimenta. 2. Proles alibi exposita remittenda est ad locum originis, & domicilii, in quo parentes stabilem locum, & sedem habent, & ibi alenda *l. 1. 36. ff. ad municipal. l. 7. C. de incol.* nam locus originis, & nativitatis civem facit, licet baptismus alibi collatus fuerit: quamvis Judæi, Turcæ, & alii pagani si extra patriam suam baptizentur, plerumque a loco baptismi civitatem capiant, ut statuitur in Conc. Basileen. *sess.* 19. At si infans natus sit ex matre vagabunda, ibi ali debet, ubi expositus est: quo sensu explicatur *c. un. h. t. l. 3. C. eod.* nam vagabundi ubi sunt, ibi forum, & civitatem sortiuntur. 3. Domini tenentur famulis ægrotis succurrere, & eos curare, saltem tenuibus expensis: secus, si nequeunt, charitas dictat, ut divites succurrant ægroto in hac gravi necessitate.

3. Q. II. *Quid juris acquiratur in expositum?* ℞. 1. Alens expositum, nil juris acquirit in ejus personam; puta nec patriam, nec dominicam potestatem, *c. un. h. t. & l. 3. C. eod.* nam sustentatio non facit adoptivum, nec servum, cum hoc utrumque sit exposito præjudiciosum. 2. Sustentans, si ex misericordia hoc non facit, repetere potest expensas ab illis, qui expositum sustentare tenebantur, & exposito, si intestatus absque liberis moriatur, succedit, excluso fisco, parentibus, & consanguineis, utpote indignis hæreditate, *arg. Nov.* 115. *c.* 3. Barbos. Reiff.

4. Q. III. *Quæ sit pœna exponentium, & favor expositorum?* ℞. 1. Pater privatur patria, & dominus dominica potestate ipso jure, & facto; ita ut filius, & servus expositi fiant sui juris quoad onerosa: favorabilia vero omnia ex patria potestate descendentia integra maneant filio: ita *c. un. l. 3. & fin. C. h. t. & Nov.* 153. *l. fin. ff. pro derelicto*: nam ob hoc grave crimen recte aufertur potestas patria, & dominica, & injuriam passis jus suum, & libertas conceditur. 2. Si infans expositus est in loco periculoso, v. g. in sylva, vel alio loco solitario, & periit, exponens tenetur pœna capitis, *l. 4. ff. de agnoscend. & alen. lib. & Const. crim. Caroli V. ar.* 133. *in fin.* Si vero infans expositus sit in loco publico, & frequenti, & casu periit, exponens fustigandus est: si tandem vivus repertus est, exponens relegatur, *ibid.* 3. Expositi præsumuntur potius esse legitimi, quam illegitimi: ita Menoch. Gonz. & alii contra Covar. Suar. Garg. & alios: nam in casu dubio capienda est præsumptio, & conditio proli favorabilior; sed casus legitimitatis est dubius: cum etiam legitimi ob egestatem, vel aliam causam frequenter exponantur, ut patet in Moyse, Cyro, Paride &c. ergo. Neque stylus Datariæ est in contrarium: nam legitimatio ista vel fit ad cautelam tantum, vel in casu certo illegitimitatis.

☞ *Cardinalis tamen Petra comment. ad Constitut. XXII. Sixti IV. n. II. sentit tenendam esse tutiorem opinionem; ideoque quoad ordines saltem suscipiendos, hos indigere dispensatione, cum requiratur probatio legitimitatis, pro qua non sufficit præsumptio.* ☜

Nobilitas vero in expositis non præsumitur, quia non est qualitas necessaria, naturalis, seu communiter inhærens, sed probari debet.

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario, & casuali.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. *h. t.* in Decreto *Can.* 11. *& seqq.* 15. *q.* 1. *&* 23. *qu.* 5. *&* 32. *q.* 2. *& Can.* 23. *& seqq. de Pœnitent. d.* 1. in Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *& sess.* 24. *c.* 6. *de refor.* in Institut. §. 5. *de publ. jud.* in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 8. in Codice *lib.* 9. *tit.* 16.

1. *Nota* 1. Homicidium definiri, quod sit violenta exanimatio hominis dolo malo ab homine facta. *Dicitur* 1. *dolo malo*, quia ad homicidium, ut est delictum, semper requiritur malitiosa voluntas; alioquin homicidium ab ignorante factum non est crimen homicidii, sed simplex ablatio vitæ; licet & hoc consueverit dici homicidium. *Dicitur* 2. *ab homine*: nam si homo occidatur a bruto, non est homicidium, sed pauperies *tit. Inst. & ff. si quadrupex paup. fec.* & multo minus homicidium est, si homo occidatur, v. g. a fulmine, a tegula casu ex tecto cadente &c. Sub genere homicidii continentur variæ illius species, seu modi, ut parricidium, expositio infantum, duella, torneamenta, sagittarum projectio &c. item assassinium, latrocinium, veneni propinatio, abortus.

2. *Nota* 2. Homicidium ex præsenti Rubrica dividi in *voluntarium*, *& casuale*. *Voluntarium* est, quod fit cum intentione occidendi, vel *directe*, *& in se*,

ut si gladio Bertam ferias animo occidendi illam; vel ***indirecte***, & ***in causa***, ut si Bertam prægnantem graviter percutias, & inde sequatur mors fœtus animati. ***Casuale***, seu ***involuntarium*** est, quod fit sine ulla intentione directe, vel indirecte occidendi, ut si projecta in lusu pila aliquem fortuito occidas. 2. ***Voluntarium*** homicidium subdividitur in ***justum***, quod fit auctoritate publica ad vindictam sceleris, vel auctoritate privata ad necessariam sui defensionem: & ***injustum***, quod fit dolose contra prohibitionem legis. ***Casuale*** subdividitur in ***mere casuale***, quod fit absque ulla culpa occidentis: & ***culposum***, quod fit ex culpa saltem juridica, quatenus circa aliquid non est debita diligentia adhibita. Legistæ, & alii communiter mediate dividunt homicidium in ***necessarium***, quod fit ob necessariam sui tutelam: ***dolosum***, quod fit cum prava voluntate occidendi: ***culposum***, quod fit ex aliqua culpa ob non adhibitam cautelam, attamen sine animo occidendi: & ***casuale***, quod fit ex casu omnino fortuito. 3. Homicidium quo ad modum vel est ***simplex***, quod fit sine prævia deliberatione; ut si ex subita ira alterum in rixa occidas: vel est ***præmeditatum***, seu ***deliberatum***, quod fit ex intervallo, seu cum prævia intentione occidendi: & quidem si nullam specialem qualitatem habet, vocatur ***simplex præmeditatum***: si vero qualitatem adjectam habet, vocatur ***qualificatum***; uti est homicidium ex insidiis proditorium sub specie amicitiæ, veneficium, assassinium.

3. ***Nota*** 3. Homicidio affinem esse mutilationem, seu amputationem alicujus membri proprie talis, quod peculiarem functionem a ceteris distinctam in corpore humano habet; uti est oculus, auris, manus, pes, lingua, maxilla, mamilla fæminæ &c. An digitus, cartilago auriculæ, vel nasi sit membrum proprie dictum, an vero tantum pars membri? dubium est inter DD. ob quod petendam esse dispensationem ad cautelam in irregularitate respondit Sac. Congr. 1687. ***die*** 13. ***Julii***.

§. I.

De homicidio voluntario, doloso, & necessario.

4. Q. I. ***An homicidium ex genere suo sit illicitum***? ℞. Affirmative: nam omni jure prohibetur: ***naturali***, quia natura dictat homini non esse eripiendum maximum vitæ bonum: ***divino*** per præceptum ***non occides***: ***humano***, ut patet ex legibus omnium nationum. Est autem homicidium crimen atrox, horribile, ac detestabile, quod Deus in primo homicida Caino severe punivit, & in aliis, ut passim Scriptura testatur. Porro licet homicidium sit ab intrinseco malum, tamen materia illius non est ita mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari possit, sicut materia mendacii, hæresis &c. sed materia illius subduci potest a præcepto naturali, tunc scil. dum Deus expresse, vel generaliter ex certis causis dat jus, & potestatem in vitam hominis: quo casu, cum occisio fiat jure, nullum est peccatum hominem occidere, uti docet S. D. 2. 2. ***q***. 64. ***a***. 2. & communis opinio populorum contra hæresim waldensium negantium homicidium esse posse licitum. Unde potissimus labor est Doctoribus inquirendi in causas, ex quibus homicidium possit esse licitum.

5. Q. II. ***An, & ex quibus causis potestas publica occidere possit hominem***? ℞. 1. In republ. datur potestas ex justa causa occidendi hominem: ita com. ex ***jure naturali***, dictante resecanda esse membra noxia, ne totum corpus inficiatur; ***Divino***, ***Exod***. 22. ***v***. 18. ***maleficos non patieris vivere***, ***&*** ***Rom***. 13. ***v***. 4. ubi Apostolus de Magistratu dicit: ***non sine causa gladium portat***, ***Dei enim minister est***, ***vindex in iram ei***, ***qui malum agit***: ***humano***, ut patet ex integris ordinationibus criminalibus, ergo. Nec obstant textus sac. Scripturæ, quibus soli Deo attribuitur dominium vitæ, & necis; nam intelliguntur de occisione injusta, & sine causa sufficienti: occisio autem quæ fit auctoritate publica, & cum justa causa, censetur fieri auctoritate Dei.

6. ℞. 2. Gravia delicta reipubl. noxia, sunt justa causa occidendi malefactores auctoritate publica; ita com. ex juribus mox allegatis; nam privatum bonum vitæ postponendum est publico bono reipubl. cui aliter melius provideri non potest, nisi ut malefactores puniantur amissione vitæ.

7. ℞. 3. Bellum justum, sive defensivum, sive offensivum, est causa sufficiens, cur milites exponantur periculo mortis, & hostes, injuste nocentes, occidantur: ita com. praxis in sac. Litteris fundata: nam omnia jura permittunt vim vi repellere, & injustos aggressores, ac perturbatores reipubl. supprimere. At innocentes in bello non sunt occidendi, ut infantes, pueri, fæminæ, peregrini, clerici, religiosi, rustici, nisi & isti militarent, vel per accidens, & indirecte occiderentur. Hoste devicto, & armis positis, per se, & regulariter nullus est occidendus, nisi aliquis ex hostibus atrox crimen morte dignum commisisset; vel aliter pax, & securitas reipubl. obtineri non posset, Reiff. & alii.

8. ℞. 4. Respublica non potest per se occidere innocentem, v. g. ex causa liberandæ patriæ, quia tyrannus certum exitium ei minatur, nisi innocens occidatur: ita com. cum S. D. 2. 2. ***q***. 64. ***a***. 6. conformiter ***Exod***. ***c***. 23. ***insontem***, ***&*** ***justum non occides***. Ratio est, quia respubl. in tantum habet jus occidendi civem, in quantum iste per se, & ratione sui nocivus est bono communi; sed innocens non est ita nocivus: nam vita justorum est conservativa, & promotiva boni communis, ut ait S. D. ***l***. ***cit***. nocumentum vero patriæ imminens totum oritur ex malitia tyranni ergo. ***Dices***: Josue ***c***. 6. interfecit filios Israel omnes infantes, & lactentes, qui utique erant innocentes, & Samaritæ occiderunt 70. filios Achab timore belli, quod eis Jehu minabatur, 4. ***Reg***. 10. ℞. Occisiones istæ factæ sunt auctoritate Dei, qui est dominus vitæ, & necis: nam Josue id fuit imperatum: Samaritis vero Jehu revelavit voluntatem Dei volentis deleri omnem progeniem Achabi 2. ***Paralipom***. 22.

9. ℞. 5. Respublica in casu superiori probabilius non potest innocentem extradere tyranno poscenti illum ad certam mortem: ita Joan. a S. Thom. Sot. Arrag. Salmant. quibus subscribit Marianus Herman, olim in Archiep. Prag. Coll. SS. Th. & SS. Cann. Prof. nunc Abbas Sionæus dignissimus, contra Less. Bannez, Lug. Dian. Wigers &c. ***Prob***. 1: Respublica non potest occidere innocentem pro liberatione patriæ, ut ante dictum; sed, extradendo illum tyranno ad certam mortem, moraliter occidit illum, sicut privatus illum tradens, cum directe, & per se cooperetur peccato tyranni occidentis, ergo. 2. Ideo maxime respubl. posset innocentem tradere tyranno, quia civis jure naturali, & ex justitia legali tenetur ad conservationem patriæ, ut omnino in dato casu teneatur se offerre tyranno, & si recuset, tanquam jam nocens, & contumax cogi possit, & morte puniri a republica; sed causa ista non est vera: nam licet bona civis subsunt dominio alto reipublicæ, ut illo etiam invito, auferri possint pro salute patriæ, attamen vita civis non subsunt dominio alto principis, seu reipubl. alias pro conservatione patriæ ipsa respubl. posset vitam tollere civi innocenti, quod omnino falsum est, ergo. Instantiam habes in obviis exemplis: sic enim pro conservatione patriæ non licet tyranno tradere fæminam ad ea abutendum, sacros libros, vel sacramenta ad eorum profanationem, Crucem, vel Imaginem B. V. ad illam inhonorandam, sacerdotem ad sacrificandum more gentili &c. ergo etiam nec licet innocentem tradere ad occidendum. Ex his solutum manet principale argumentum contrariæ sententiæ, quod civis obligetur, & a republ. cogi possit ad se præsentandum tyranno, quia Adversarii necdum obligationem istam, & potestatem sufficienter probaverunt. Paritates hic afferri solitæ nihil evincunt, quia in his non relucet directa cooperatio ad necem tyranni, v. g. quod respubl. milites exponere possit cum periculo vitæ, talem civem non tolerare, sed expellere, & ipse civis se offerre tyranno &c. ***Dices***: Judex Ecclesiasticus tradendo reum curiæ seculari, non cooperatur condemnationi ejus ad mortem, modo præmittat protestationem solitam; ergo neque respubl. cooperatur peccato tyranni; quia non tradit innocentem hac intentione, quia illum tyrannus petit, sed intentione longe alia, scilicet conservandæ patriæ. ℞. Dist. ant. non cooperatur re ipsa, neg. ant. non cooperatur fictione juris, conc. ant. Cooperatio

ista

ista est licita, & si præmittatur protestatio solita, fictione juris non censetur adesse cooperatio ad effectum irregularitatis, cum hæc impediri possit per positionem ejus, quod de jure requiritur.

10. ℞. 6. Respubl. potest cuilibet de populo dare potestatem occidendi bannitum in locis, ubi bannus promulgatus est; dummodo sequentia concurrant: ut crimen sit certum, grave, & adhuc pendens in exitium reipublicæ, & ordinario modo puniri non possit: nam tali casu adest crimen dignum morte, & potestas occidendi: malum vero privatum, quod oritur ex malitia banniti, si is in statu peccati mortalis occidatur, per accidens se habet, & postponi debet bono communi reipublicæ. Quia vero requisita ista raro concurrunt, ideo rarissime licita erit occisio banniti per privatum facta; quia decreta Reipubl. v. g. ad occidendos cingaros, fures, & hujusmodi, plerumque sunt comminatoria, nisi aliud ex subjecta materia colligatur.

11. ℞. 7. Respublica non potest dare potestatem patri, vel marito, ut filiam, vel uxorem in adulterio deprehensam licite occidat cum adultero: ita com. *ex Canon. 6. inter hæc* 33. *q.* 2. ubi prior *Can.* 5. vel corrigitur, vel potius explicatur contra mundanas leges. Ratio est 1. quia talis occisio non est necessaria ad bonum Reipublicæ; siquidem adulteri capi, accusari, & per sententiam condemnari possunt. 2. Nec est conformis æquitati; quia iniquum est aliquem inauditum, & incondemnatum occidi a privato, maxime cum *non sit singulis concedendum, quod per magistratum publice potest expediri l.* 136. *ff. de R. J.* 3. Occisio ista maxime adversa est saluti æternæ, quia adulteri sine pœnitentia, & sacramentis morerentur. Denique hoc modo daretur occasio plura homicidia perpetrandi ex sola suspicione adulterii. His non obstat, *l.* 20. *&* 24. *ff. ad L. Jul. de adult.* nam leges istæ, si positive approbant talem occisionem, iniquæ sunt, & sublatæ per jus Can. si vero sunt permissivæ, seu dissimulativæ pœnarum, quod pater, vel maritus non puniatur pœna L. Corneliæ de Sicariis, forsan permissio ista cohonestari potest ex causa extirpandorum adulteriorum, & justi doloris, quem sentit pater, vel maritus adulteros deprehendendo; sicut ob easdem causas excusatur ab excommunicatione Canonis clericum in adulterio cum filia, vel uxore deprehensum percutiendo *c.* 3. *de sent. excom.*

12. Q. III. *An, & ex quibus causis possit aliquis occidere se ipsum?* ℞. 1. Regulariter loquendo, nemini licet occidere se ipsum: ita comm. ex præcepto: *non occides.* Ratio est, quia occisio sui adversatur *naturali inclinationi*; qua quælibet res appetit sui conservationem; *charitati*, qua quilibet debet se ipsum diligere: *justitiæ*, quia homo quoad vitam, & membra est sub dominio divino, & consequenter occidendo se, lædit jus Dei, qui est dominus vitæ, & necis juxta illud *Deut.* 32. *ego occidam, & ego vivere faciam:* & quatenus homo est pars communitatis, occidendo se, facit injuriam communitati; ergo. Excipe, nisi Deus jubeat occisionem sui ipsius, sicut aliquæ Sanctæ mulieres ex impulsu Spir. Sancti propter fidem, & castitatem se ipsas occiderunt, ut Pelagia, Sophronia, Apollonia, & forte etiam Razias 2. *Machab.* 14. *v.* 37. *& seqq.* licet S. D. 2. 2. *q.* 64. *n.* 5. *ad* 5. dicat, istam non fuisse veram fortitudinem. Interim hoc naturale præceptum se ipsum non occidendi, in circumstantiis gravissimis ignorari potest etiam a prudentibus, sicut Saul petiit se occidi ab Amalecita, Lucretia ob stuprum a Tarquini filio sibi illatum mortem sibi conscivit, & multi belli duces, ne victori subesse cogerentur, se ipsos interfecerunt amore patriæ, quin manifesti condemnentur peccati.

13. ℞. 2. Non licet ponere actionem certo sui ipsius interemptivam, licet actio ista sit hosti nociva: nam hoc esset directe occidere se ipsum: siquidem causa actionis, qua quis certo interimitur, est etiam per se, & directe causa sui interitus. *Excipe*, nisi actio ista eligatur per modum medii ultimi desperati ad evadendam certam mortem aliunde inferendam; quia tunc per actionem istam intenditur, & quæritur generalis spes cum divina ope evadendi certam mortem. Unde 1. non licet navim succendere, ne ista ad hostes perveniat, si ex incendio isto immineat tibi certa mors, nisi certo occidendus sis ab hoste, & per hoc incendium speres mortem effugere. Oppositum docent Salmant, *tr.* 13. *p.* 2. §. 3. *ar.* 4. *n.* 36. 2. Non licet ex alta turri se præcipitare, trahendo, seu præcipitando secum hostem, licet exinde occisio hostis, & certa victoria, vel magnum reipubl. bonum sequeretur; quia & hoc esset directe occidere se ipsum. 3. E contra si ab incendio certo consumendus sis, licite pro ultimo medio evadendi mortem eligis præcipitationem ex alta turri; quia tunc non intendis occidere te ipsum, sed præcise committis te periculo mortis ad certam mortem evadendam: sic de aliis casibus similibus discurrendum. *Dices:* Samson concussis columnis, ut occideret Philistæos, seipsum eadem ruina domus interfecit *Judic.* 16. *v.* 30. & Eleazarus attentavit occidere elephantem, a quo certa mors ei imminebat. 1. *Machab.* 6. *v.* 43. ℞. Samsonis factum a S. Aug. reduci ad instinctum S. Spiritus, qui latenter hoc jusserat, S. D. 2. 2. *q.* 64. *ar.* 5. *ad* 4. Eleazar non prævidit certam mortem, sed magnum periculum, cui ad liberandum populum se exponere licet.

14. ℞. 3. Exponere se periculo mortis ob gravem causam est omnino licitum: maxime si conjunctum sit virtutis exercitium, sive positive aliquid agendo, sive negative aliquid omittendo, ex quo indirecte mors sequitur: nam tali casu non occidit quis se ipsum, sed mortem patitur. Unde licite miles pugnat, & in sua statione permanet, parochus sacramenta pestiferis ministrat, civis pro salute patriæ se ad necem offert, christianus pro palma martyrii non se defendit, naufragans alteri naufraganti, præsertim duci, vel parenti, aut amico tabulam cedit &c. Vide cit. Salm. Less. & alios. An condemnatus ad nihil comedendum, vel ad venenum sumendum, licite possit se conformare sententiæ judicis, dubitant DD. ad utrumque: S. D. respondet negative 2. 2. *q.* 69. *ar.* 4. *ad* 2. quia contra naturam est, ut quis sententiam mortis in se exequatur, cum condemnati sit pati, non vero mortem sibi inferre.

15. Q. IV. *An, & ex quibus causis liceat privato suum proximum occidere?* ℞. 1. Regulariter nemo privatus licite occidere potest suum proximum etiam delinquentem: nam punitio cum sit tantum publicæ potestatis, hinc potestas occidendi proprium servum, vel filium, tanquam barbara, & juri naturali contraria, olim a dominis, & patribusfam. usurpata, merito sublata est §. 2. *In. de his, qui sui, & tit. C. de emendat. propinq. & tit. de emendat. servor.*

16. ℞. 2. Injustum aggressorem vitæ licet occidere, servato moderamine inculpatæ tutelæ, S. D. 2. 2. *qu.* 64. *ar.* 7. nam defensio vitæ cuilibet a natura est permissa *l.* 3. *ff. de J. & J.* ibi: *quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimatur;* sed occisio injusti aggressoris est species defensionis recto ordini charitatis conformata: cum charitas dictet suam potius, quam alienam vitam servari, si utraque servari non possit, ergo: unde talis occisor nulli pœnæ substat *l.* 2. *& seqq. C. ad L. Corn. de Sicar. Clem. un. h. t.* Porro quia occisio hominis est de genere prohibitorum, in foro externo præsumitur male facta, donec probetur qualitas necessariæ defensionis, & moderamen inculpatæ tutelæ, scil. quod occisus fuerit injustus aggressor, quod defensio fuerit proportionata offensioni, & in continenti facta, ita ut invasus leviori modo se defendere non potuerit.

17. ℞. 3. In gratiam proximi innocentis licet ex communi sententia iniquum ejus aggressorem occidere, præsertim si justitia, aut pietas talem defensionem exigat; ut patris, principis, dummodo servetur moderamen inculpatæ tutelæ, *Can.* 5. *& seqq.* 23. *q.* 3. ubi *Can.* 7. dicitur: *qui non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit*, ubi etiam affertur exemplum de Moyse occidente Ægyptium propter defensionem Hebræi. Ratio est, quia recta charitas dictat, ut proximum innocentem liberemus ab injusto aggressore, sicut nosmetipsos.

18. ℞. 4. Licita est occisio furis, si is agressor sit non tantum bonorum, sed & vitæ, cum moderamine semper inculpatæ tutelæ: nam tali casu est defensio mixta pro conservanda vita, & bonis; ergo est licita. Porro si fur nocturnus est, & absque periculo capi, aut expelli nequit, licet eum occidere, quia noctu non facile discernitur, an quis veniat ad furandum, an ad

occi-

occidendum? At furem diurnum non licet occidere, nisi is telo, seu armis se defendat, atque ita fiat aggressor vitæ, *c.* 3. *h. t. l.* 9. *ff. ad L. Cornel. de Sicar. l.* 4. *ff. ad L. Aquil.* conformiter *Exod. c.* 22. *versic.* 2. & 3. ubi sermo est de fure nocturno, & diurno.

19. ℞. 5. Si fur rem parvi momenti auferat, non licet eum occidere pro defensione talis rei: nam res parvi momenti indigna est, ut propter illam vita homini tollatur: unde Inn. XI. merito damnavit hanc proposition. *n.* 31. ***Regulariter occidere possum furem propter conservationem unius aurei.*** Ex qua propositione sequitur materiam, quæ sufficit ad peccatum mortale furti, non sufficere ad licitam occisionem furis, sed requiri multo majorem. Quia vero dicitur *regulariter*, colligunt DD. aliquando etiam minorem quantitatem sufficere ad occisionem furis, ut si res ista est necessaria ad sustentationem vitæ, sicut instrumentum artifici, & alia similis haberi non potest: vel si eripiens rem parvam, arma expediat ad illam extorquendam, quia tunc simul est aggressor vitæ.

20. ℞. 6. Si res magni momenti auferantur, & aliter via juris non sint recuperabiles, pro illis conservandis sentiunt licere furem occidere, v. g. explodendo sclopum contra illum fugientem: ita Caj Laym. Sylv. & alii multi contra Gloss. & Fagn. *c.* 2. *h. t.* Probant autem ex *c.* 2. *h. t.* quo reprobatur occisio furis, *ubi comprehendi poterat absque occisione*; ergo si fur res magni momenti auferens, comprehendi non potest, licite occiditur pro recuperandis rebus istis, etsi fur clericus esset. Id ipsum aperte supponitur, *c.* 6. *de sentent. excom. in* 6. & in jure civ. traditur *l.* 9. *ff. ad L. Corn. de Sicar. l.* 3. §. 9. *ff. de vi armat. l.* 1. *C. unde vi. Const. crim. Car. V. art.* 150. *Ratio est*, quia bona fortunæ sunt necessaria adminicula vitæ, tanquam alter hominis sanguis; ergo sicut ipsam vitam, ita quoque bona fortunæ magni momenti licet defendere occisive, si via juris, & judicii recuperari non possunt; alioquin si recuperari possunt, occisio furis, utpote non necessaria esset illicita. Hoc tamen procederet de bonis actu possessis, non vero de bonis in spe, ut patet ex propos. 32. ab Inn. XI. damnata: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* *Dices*: 1. Inter bona fortunæ, & vitam proximi nulla est æqualitas. 2. Charitas dictat, ut salutem, & vitam proximi rebus nostris præferamus. 3. Jura defensionem occisivam permittunt tantum in casu mixto, dum vita, & bona fortunæ defendenda sunt *c.* 2. *h. t.* ibi: *te, tuaque liberando*, *c.* 10. & 18. *eod. Clem. un. h. t. Can.* 5. & 6. *d.* 50. *Exod.* 22. *v.* 2. & 3. & ideo permittitur occidi fur nocturnus, & non diurnus, ut dictum, *n.* 18. ℞. *Ad* 1. Distinguunt ant. æqualitas ad commutandum conceddunt ant. ad defendendum, si utrumque servari nequeat, negant ant. secus *arg.* nimis probaret, quod neque judex furem occidere possit. *Ad* 2. Respondent, quod eadem charitas dictat, ut prius nos, & nostra defendamus, deinde succurramus proximo in morali necessitate constituto in hoc autem casu fur sibi imputet, quod ex malitia sua se commiserit periculo vitæ, & æternæ damnationis. *Ad* 3. Negant ant. in *cit. c.* 2. sensus est disjunctivus ex *l. sæpe ff. de V. S.* vel ibi concurrit defensio mista: *c.* 10. & 18. non fuit servatum moderamen inculpatæ tutelæ, ut legenti patet; *Clem. cit.* asserendo casum vitæ, non excludit casum nostrum. Sic etiam *Can.* 38. *d.* 50. occidens Sarracenos ob defensionem libertatis, pronunciatur immunis ab irregularitate. Quod dicitur de fure nocturno, & diurno, fundatur in communi præsumptione facti: alioquin inspecta veritate, fur nocturnus occidi nequit, si aliter comprehendi possit; & diurnus occidi potest, si aliter res magni momenti per illum sublatæ recuperari nequeant.

21. ℞. 7. Injustum aggressorem pudicitiæ, si fœmina aliter repellere non potest, neque fugere, licite occidit: nam virginitas est magnum bonum fœminæ, quod semel amissum, non redit, ergo licet illud defendere occisive.

☞ *Hæc quidem est multorum opinio, sed habet suos contrarios.* ☜

22. ℞. 8. Injustum aggressorem famæ, vel honoris non licet occidere, sive sit aggressor verbalis, v. g. minando, aut effutiendo calumnias, sive realis, v. g. viro honorato infligens alapam: ita hodie certa sententia, & oppositam damnavit Inn. XI. *n.* 17. & 18. Ratio est, quia occisio ista non est medium necessarium ad defensionem famæ, cum dentur alia juris remedia; ut actio injuriarum, ad palinodiam, retorsio verbalis; neque est medium utile; siquidem occisio ista calumniam impactam non tollit, sed auget: ob futuram vero calumniam, quæ multis modis impediri potest, nullo modo licet occidere, cum ex sola suspicione, & opinione probabili, præsertim circa futurum eventum, neque judex condemnare possit, ergo.

23. *Sed dices*, quid agendum, si realis aggressor honoris fuste, baculo, vel alio modo proximum suum vult inhonorare? ℞. Si persona invadenda sine dedecore fugere potest, tenetur fugere, neque expectare poterit, & se occisive defendere, uti plebeii, clerici, religiosi, & fœminæ, quibus fuga non est indecora, nisi timeant in fuga periculum vitæ, quatenus aggressor eos insequens, necem, aut mutilationem illis inferre posset. At si persona sine dedecore fugere non potest, uti milites, & viri nobiles laici, non tenetur fugere, sed arma armis, & instrumenta instrumentis opponere potest, non tamen occidere ob solum honorem. Si vero aggressor persistat, & periculum vitæ ab eo immineat, licet vim vi repellere in continenti; & si alius modus levior non suppetat, etiam occisive se defendere: nam in hoc casu defensio occisiva non est præcise propter honorem, sed propter vim in vitam, & membra. *Dices*: 1. Vitam, & bona licet occisive defendere; ergo & solam famam, quæ pari passu ambulat cum vita, *l.* 8. §. 2. *ff. quod met. caus. l.* 9. *ff. de manum. vind. Can.* 38. *d.* 50. & contra naturam est famam suam negligere *Can.* 10. *nolo.* 12. *q.* 1. *Can.* 56. *non sunt.* 11. *q.* 3. 2. Distinctio illa fugiendi cum, vel sine ignominia, est ignota juri: nam qui aggressorem sine periculo declinare potest, fuga est illi honoratior, quam occisio: unde ab irregularitate non excusatur, nisi occidens aggressorem, quem aliter declinare non potuit, *Clem. un. h. t.* ergo. ℞. *Ad* 1. neg. conf. nam licet fama, sicut vita custodienda sit, & non malis moribus maculanda, non tamen eodem modo defendenda: siquidem multa dantur juris remedia famæ recuperandæ, non vero vitæ ablatæ. *Ad* 2. neg. ant. nam personæ valde honoratæ, & generosæ nullo jure obligantur ad fugam; ergo persistendo, jure suo utuntur, *(quamvis in praxi id sit valde periculosum)* neque per hoc occidere intendunt, nisi aggressor vitam, & membra eripere tentet. Qui modus, cum sit licitus, nullam irregularitatem inducit, neque censetur exclusus, sed potius comprehensus in *cit. Clem.*

24. ℞. 9. Non licet occidere falsum accusatorem, falsos testes, & iniquos judices, a quibus certo imminet iniqua sententia, licet damnum alia via non possit evitari. Oppositam propos. *n.* 18. damnavit Alex. VII. nam si sententia primo ferenda est, mera oritur suspicio de ejus iniquitate; quæ suspicio utique non sufficit ad homicidium: si vero jam lata est, adsunt ordinaria juris remedia ad illam corrigendam, ita ut occisio nullo modo sit necessaria. Præterea damnatio oppositæ sententiæ fundatur universali periculo damnorum, injuriarum, & perturbationum reipublicæ: nam homines proprio amore, & nativis passionibus excæcati, facile conciperent suam innocentiam, & aliorum contra se iniquitatem, lites homicidiis dirimerent, & neglecto judiciorum cursu, plurimas cædes perpetrarent cum ingenti Reipubl. detrimento. *Dices* licet occisive defendere bona fortunæ, in sensu citt. DD. ergo a pari. ℞. Neg. conf. nam dum bona defenduntur, damnum est actu certum, & alius modus non superest bona recuperandi, quorum neutrum adest in nostro casu.

25. Q. V. *An liceat procurare abortum*? ℞. 1. Negative, sive sit fœtus animatus, sive inanimatus; etsi puella deprehensa gravida deberet infamari, vel occidi, etsi toti communitati damnum aliquid exinde immineret: ita com. & oppositam propos. *n.* 34. damnavit Innoc. XI. nam procuratio abortus est intrinsece mala, & contra finem generationis, & bonum speciei humanæ; ergo non est licita ob quamcumque causam extrinsecam, sicut nec pollutio. Si fœtus est inanimatus,

tus, non est proprie homicidium, sed crimen homicidio affine: si vero est animatus, est proprie homicidium, cum per abortum homo exanimetur. Ex com. sententia masculus animatur die 40. & fœmella die 80. quia natura prius generat id, quod est perfectius.

26. ℞. 2. Non licet matri ad salvandam vitam suam directe procurare abortum fœtus inanimati, seu sumere pharmacum directe, & per se expulsivum fœtus: ita Salmant. cum citt. contra Sanch. &c. nam directe expellere fœtum est intrinsece malum, & peccatum mortale homicidio comparandum *c.* 5. *h. t.* sed cohonestari non potest propter salvandam vitam matris; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ergo 2. Ideo maxime liceret ista expulsio fœtus, quia in hoc casu fœtus est iniquus aggressor vitæ matris, qualiter ob mala extrinseca, ut infamiam, vel mortem, fœtus non aggreditur matrem; sed in hoc casu fœtus non est iniquus aggressor matris: tum quia per se non petit mortem matris, sed solum petit conservari, & nasci, ad quod jus a natura habet; neque per se dat causam occisivam matris, sed mors ejus per accidens sequitur ex indispositione proprii corporis; tum quia copia seminis humani non est iniquus aggressor hominis; & ideo non licet procurare mollitiem, etsi ex abundantia seminis mors timeatur, ergo. 3. Fœtum animatum non licet directe expellere ob vitam matris, ut adversarii fatentur, ergo neque inanimatum: siquidem animatus æque, imo magis aggredi censetur matrem, quam inanimatus. Hic tamen excipi videtur casus, quo fœtus est corruptus, quia non retinet naturam fœtus, sed transit in materiam putridam. *Dices*: Licet resecare partem propter conservationem totius; sed fœtus est pars ventris *l.* 1. §. 1. *ff. de inspic. ventr.* ergo. ℞. *Arg.* nimis probare etiam de fœtu animato. Fœtus dicitur portio matris, quod juxta SCta ante nativitatem peti non possit a patre: re ipsa vero est homo vialis distinctus a matre, & serviens bono speciei humanæ, non autem bono individui materni, sicut aliæ partes proprie tales. Reliquæ paritates, quæ hic obiici solent, solvuntur ex eo, quia ex eis plus non sequitur, nisi indirecta occisio, aut expulsio.

27. ℞. 3. Mater periculoso morbo laborans, potest licite sumere pharmacum directe, & per se sui sanativum; licet per accidens timeatur secuturus abortus fœtus, sive inanimati, sive animati, Sanch. Salm. cum citt. nam mulier ante conceptionem habet jus sumendi pharmaca sanitati suæ conducentia, quod jus non amittit concepto fœtu, etsi per accidens timeatur abortus. Unde, sicut antea, uti potest balneo, incisione venæ, ventris purgatione &c. Resolutionem istam limitant aliqui DD. in casu, quo fœtus animatus, matre mortua, speratur in lucem proditurus ad baptismum recipiendum: quia tunc vita corporalis videtur postponenda saluti spirituali prolis. Sed quia casus iste valde incertus, & quasi miraculosus est, vix unquam obligabitur mater a medicamentis sanitati suæ necessariis abstinere, ea de causa, ut fœtus animatus, matre mortua, ad baptismum perveniat.

§. II.

De Homicidio casuali, & mutilatione.

28. Q. I. *An homicidium casuale sit peccatum, & pœnis dignum*? ℞. 1. Homicidium mere casuale, seu fortuitum, non est peccatum, nec ulli subsitat pœnæ; nam ullo modo est volitum, nec in se, nec in sua causa. E contra homicidium casuale culposum, quod quidem fit præter intentionem occidendi, non vero sine culpa occidentis, reputatur peccaminosum, vel theologice, si culpa fuit theologica, vel juridice, si culpa fuit mere juridica; nam tale homicidium, licet directe non sit volitum, est tamen volitum indirecte, seu in causa, in qua diligentia non fuit adhibita, ne homicidium sequeretur; ergo, Hæc doctrina generalis particulariter explananda est.

29. ℞. 2. Qui dat operam rei licitæ, ex qua non prævidetur homicidium, vel si prævidetur, omnis diligentia necessaria adhibetur ad illud præcavendum, nullo modo est reus homicidii, & pœnarum, si per accidens homicidium sequatur: ita com. *ex c.* 9. *&* 13. *h. t. & l.* 31. *ff. ad L. Aquil.* nam tali casu abest omnis dolus, & culpa; ergo neque committitur homicidium formale pœnis dignum. Unde reatu homicidii, & irregularitatis pœna non tenetur: 1. Medicus peritus, qui cum diligentia medicinam præscribit, & minister, qui eam præbet ægroto. 2. Pater, vel magister moderate verberans filium, aut discipulum. 3. Qui circumspecte levat, vel invertit infirmum. 4. Qui in loco privato alit canem ferocem bene alligatum, & is vincula disrumpit. 5. Qui ex arbore ramos, vel ex tecto tegulas, facta proclamatione, dejicit &c. etsi per accidens ex actionibus istis mors consequatur: sic explicatur *cap.* 9. 13. 14. 15. 16. 21. 22. 23. *& fin. hoc tit.*

30. ℞. 3. Qui dat operam rei licitæ, & sufficientem diligentiam non adhibet ad præcavendum homicidium, hoc ei imputatur: & quidem in foro interno ob culpam theologicam: in foro autem externo ob culpam juridicam: hoc sensu explicatur *c.* 7. 8. 10. 11. 12. *h. t.* Ratio est, quia omittens diligentiam debitam, indirecte, & in causa concurrit ad consecutum homicidium; ergo. Huc adduci possunt exempla priora, & his similia, si in eis debita diligentia, & cautela sit omissa. De jure civili homicidium culposum non punitur pœna ordinaria legis Corneliæ de Sicariis, quia in delictis culpa etiam lata non æquiparatur dolo *l.* 7. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* De jure Can. ex homicidio culposo oritur irregularitas, saltem si fuit culpa mortalis theologica *c.* 78. *h. t. & c. fin. eod. in* 6.

31. ℞. 4. Dans operam rei illicitæ, si ista est per se periculosa, & inductiva homicidii, aut mutilationis, secuto effectu mortis, aut mutilationis, fit reus homicidii, & pœnarum ei annexarum, *c.* 10. 19. 20. 24. *h. t. & c. fin. eod. in* 6. nam tale homicidium est operans voluntarium, saltem in causa, cum causa ista sit per se inductiva mortis: unde irregulares fiunt: 1. Clericus in bello dimicans, si quem occidat, vel si exerceat artem chirurgiæ, aut medicinæ cum incisione, vel adustione; quia actiones istæ sunt clericis prohibitæ. *Excipe*, nisi mors aliunde sequeretur ex vi morbi, non vero ex tali incisione, vel adustione; vel si clericus peritus in casu necessitatis, quo laicus peritus haberi nequit, omni diligentia adhibita, talem incisionem, vel adustionem exerceret: nam Ecclesia non censetur prohibere hoc opus charitatis, & infirmum privare tali auxilio: & aliunde necessitas facit licitum, quod in lege est illicitum per *reg.* 4. *in antiq.* 2. Qui infirmo contra præscriptum medici dat medicinam, potionem, aut quid simile, ex quo mors acceleratur, vel si imperitus exerceat chirurgicam, medicam, balistariam, digladiatoriam, aut aliam artem periculosam, secuta morte, fit irregularis; quia dedit operam rei illicitæ per se inductivæ mortis.

32. ℞. 5. Dans operam rei illicitæ, quæ per se non est periculosa, nec mortis inductiva, non fit reus homicidii, si hoc per accidens sequatur: ita com. in re: nam sic operando, nec directe, seu in se, nec indirecte, seu in causa, influit in homicidium; dummodo ex defectu diligentiæ nulla subsit culpa. Unde non fit irregularis adulter, si ratione illius occidatur adultera.

☞ *Ita etiam ex Decreto Cong. Concil.* 22. *April.* 1679. *relatum in Thesaur. Resol. ejusd. Cong. in fol.* 2. *Octobr.* 1723. In nullius provinciæ Compostellanæ *in causa Clerici Palentini, ob cujus adulterum commercium, uxor occisa fuit a marito.* ☜

Quod hic dictum est de actione, id proportionaliter sentiendum de omissione culpabili ad homicidium concurrente.

33. Q. II. *An, & quando mutilatio membrorum sit licita, vel illicita*? ℞. 1. Homo membrum sanum non potest sibi licite amputare, vel curare per alium amputari: nam non est dominus, sed custos membrorum suorum. Facta quorumdam Sanctorum reducenda sunt ad instinctum Spiritus Sancti. At contra membrum putridum, & totius corruptivum, licite abscedatur propter conservationem totius, cui deservit. Si autem scissio membri fieri deberet cum magnis doloribus, regulariter nemo obligatur, neque ad eam cogi potest a republica, vel prælato; quia ad extraordinaria, & horrenda vitæ remedia nemo tenetur, nisi forsan personæ vita valde esset necessaria bono communi: quo casu infirmus saltem ex charitate teneretur pati talem scissionem.

34. ℞. 2.

34. ℟. 2. Ex causa vitandi peccati, v. g. incontinentiæ, non licet se castrare: nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona: neque hoc remedium necessarium est ad castitatem, cum dentur alia plurima: imo nec est utile; quia ut testantur Patres, castrati ingentibus concupiscentiæ stimulis agitantur. Multo minus castratio est licita ad conservandam suavitatem vocis; quia hæc nec est tanta, ut ob illam injuria Creatori inferatur; nec per se necessaria ad conservationem totius; ob quam solam causam licere amputari membrum docet S. D. 2. 2. *q.* 65. *ar.* 5.

35. ℟. 3. In casu, quo aliter vitæ totius succurri nequit, probabilius licet amputare membrum sanum, Salm. cum citt. contra Sot. Bannez, Arragon. &c. nam tali casu eligitur minus malum ad vitandum majus, seu interitum totius: & recta ratio dictat, quod pars deserviens toti, abscecari possit, ne totum pereat. Unde alligatus palo, si certo consumendus sit a fera, vel incendio, abscindere potest manum alligatam, ut fugere valeat: & si certa mors intentetur a tyranno, nisi quis sibi manum abscindat, vel linguam amordeat, vel oculum eruat, potest simile membrum truncare, ut totum reliquum corpus conservet. *Nec obstat*, quod civis innocens occidi nequeat ad petitionem tyranni, excidium patriæ minanti: nam respubl. non habet dominium, nisi politicum in civem: & cum innocens ei non noceat, non habet potestatem eum occidendi: e contra homo habet jus naturale circa membra sua, ut de illis disponere possit, prout melius est naturæ totius; ergo si necesse sit abscindi membrum sanum, ut servetur totum, abscindi poterit; cum abscissio ista unice ordinetur ad conservationem totius.

§. III.

De Pœnis homicidii, & mutilationis.

36. Q. I. *Quæ sit pœna homicidii*? ℟. De jure civili 1. Pœna homicidii dolosi, seu scienter facti, est ultimum supplicium, quo tenentur non tantum physice, sed & moraliter occidentes, ut mandando, consulendo, falsum testimonium deponendo &c. §. 5. *Inst. de publ. jud. l.* 3. 15. *ff. ad L. Corn. de Sicar. Const. crim. Car. V. art.* 127. conformiter *c.* 9. *Gen. quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Et quidem 1. Si homicidium sit simplex factum in rixa, vel semiebrietate, pœna illius est gladius. Clar. 2. Si vero homicidium sit qualificatum, pœna illius exasperatur secundum locorum consuetudinem. Sic enim homicidio *præmeditato*, maxime si factum sit *proditorie* sub specie amicitiæ, saltem communis, vel ex *insidiis*, decerni solet rota, forcipes candentes, assassini prævia ustulatio, raptatio ad caudam equi, dissectio corporis exanimi in frusta. De pœna parricidii dixi supra *tit.* 10. 3. Homicidium *culposum* punitur, non pœna ordinaria, sed extraordinaria mitiori juxta facti, & personarum qualitatem, cum ad pœnam ordinariam prærequiratur in delinquente dolus, cui non æquivalet culpa lata *l.* 7. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* 4. Pœna matris procurantis abortum fœtus animati est ordinaria parricidii, aut homicidii respectu alterius abortum causantis *l.* 39. *ff. de pœnis*; quamvis plerumque mitius puniri soleat mater, quæ culpabiliter infantem in utero peremerit, Decianus. Si vero fœtus non fuit animatus, de quo certo constet, tunc infligi potest pœna arbitraria, ut fustigationis, exilii &c.

☞ *Ex Constitut. Sixti V.* Effrænatam *a procurante abortum fœtus tam animati, quam inanimati, effectu sequuto, incurrebatur ipso facto excommunicatio Papæ reservata: sed d. Constit. moderata est, ut infra n.* 46. ☜

37. ℟. 2. De jure Can. Homicida laicus debet excommunicari *Can.* 20. *itaque* 24. *q.* 3. nisi per pœnitentiam satisfaciat. Hodie, cum judex Ecclesiasticus raro procedat contra homicidas, etiam raro est locus huic pœnæ. Clericus vero homicida punitur inhabilitate ad obtinenda beneficia, depositione ab ordine, & officio per sententiam judicis, detrusione in monasterium, hodie in carcerem, vel damnatione ad triremes: & tandem si sit incorrigibilis, degradatione *c.* 6. §. *fin. h. t. c.* 10. *de jud.* Trid. *S.* 14. *c.* 7. *de refor.* 2. Altera pœna, quam jus Can. etiam in foro interno intendit, est pœna civilis, seu compensatio omnium damnorum ex homicidio, vulneratione, aut mutilatione consequentium, cum justitia commutativa exigat hanc reparationem damnorum. Et quidem, si in damnificante fuit culpa theologica, compensatio facienda est ante ullam sententiam judicis: si vero fuit tantum juridica, saltem post sententiam damna compensanda sunt ex L. Aquil. *l.* 7. *ff. ad L. Aquil. c.* 1. *de injur.* licet nobiles, & divites, si malefactor condigne punitus sit, raro petant compensationem pecuniariam. Quid vero, & quantum solvendum sit, dissentiunt DD. nam multi volunt etiam pro vita ablata, membro amputato, dolore causato, solvendum esse per bona inferioris ordinis: sed quia hæc non recipiunt æstimationem pecuniariam in libero homine, ideo alii melius dicunt pro his nihil solvendum esse, sed præcise pro medicis, pro damnis temporalibus, quæ obveniunt viduæ, & liberis occisi, pro lucro cessante, conformiter *Exod. c.* 21. *v.* 19. *l. fin. ff. de his, qui effuder.* non tamen pro funere, nisi quis occisus sit in loco alieno, ubi impensæ longe majores faciendæ sunt, quam in loco proprio. In praxi suadenda est transactio, seu amicabilis compositio, cum difficile sit damnorum quantitatem æstimare. In foro autem interno tantum restitues, quantum, si tu læsus fuisses, sincere velles tibi restitui. De hac materia utiliter consule Salmant. *tr.* 13. *punct.* 6. 7. 8. Laym. &c. 3. Pœna tertia est irregularitas, de qua in *seq. quæst.*

38. Q. II. *An, & quando ex homicidio necessario, seu justo incurratur irregularitas*? ℟. 1. Qui juste alterum occidit, vel in privatam defensionem sui, aut proximi, vel in bello defensivo in publicam defensionem Ecclesiæ, aut patriæ, nullam contrahit irregularitatem: ita com. cum S. D. 2. 2. *q.* 64. *ar.* 7. & deciditur *Clem. un. h. t. c.* 2. *de immun. Eccl.* nam irregularitas contrahitur vel ex *delicto*, vel ex *defectu*; sed dicto modo occidens, non committit *delictum*, cum juste occidat, nec ponit *defectum lenitatis christianæ*, quia jure naturali charitatis, aut justitiæ inductus fuit ad hanc occisionem, atque ita nihil egit contra lenitatem christianam, ergo. Nec est paritas a judice, & ministris justitiæ: nam his voluntarium est homicidium saltem in causa, quatenus officium suum voluntarie susceperunt, & aliunde Ecclesia in actibus capitalibus non agnoscit lenitatem christianam: secus est in nostro casu. Hic excipe casum, quo in occisione excederetur moderamen inculpatæ tutelæ; vel si clericus, dum laici sufficiunt, pugnaret in bello defensivo, & aliquem occideret: quo sensu explicatur *cap.* 24. *h. t. Can.* 5. *&* 6. *d.* 50. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.*

38. ℟. 2. Clericus, vel laicus pugnans in bello injusto offensivo, etsi in periculo vitæ aliquem occidat, contrahit irregularitatem ex defectu christianæ lenitatis *Can.* 1. & 4. *d.* 51. nam tale homicidium est voluntarium in causa, in quantum quis voluntarie nomen dedit militiæ. At siquis propriis manibus nullum occidit, non fit irregularis *c.* 24. *h. t.* ubi exprimitur casus interfectionis a presbytero factæ: licet ex stylo curiæ, & declaratione S. Congr. reputetur irregularis clericus, qui dans nomen militiæ, armatus servit in bello, & stipendia accipit, etiam si sæva non exerceat: quo casu etiam beneficio ipso jure privatur, S. Congr. in Firman. 13. *Jan.* 1618. & indiget dispensatione ab irregularitate. S. Congr. in Iprens. 13. *Jan.* 1703. At in genere exhortantes ad fortiter pugnandum, sive clerici, sive laici, cum ad nullius occisionem per se, & proxime influant, nullam irregularitatem incurrunt. Contra accidit in bello injusto: nam in hoc si vel unicus occidatur, omnes injusti pugnatores, ceu una causa moralis, fiunt irregulares ex delicto, *c.* 6. §. *fin. h. t. Can.* 4. *d.* 51.

40. ℟. 3. Ex homicidio justo ad sententiam judicis re ipsa consecuto, incurritur irregularitas ex *defectu lenitatis christianæ Can.* 1. *d.* 51. *Can.* 29. *& seqq.* 23. *q.* 8. *c.* 5. 9. *ne Clerici c.* 10. *de excessib. Prælat.* &c. nam Ecclesiæ videtur inconveniens, ut ad altare Christi, Agni mansuetissimi, & incruenti admittantur ii, qui judicio, & ministerio sanguinis occupantur. Sic etiam in veteri testamento Deus noluit sibi ædificari templum a Davide, qui multum sanguinis fudit,

fudit, sed a Salomone Rege pacifico, 1. *Par.* 22. *v.* 8. Porro hac irregularitate ligantur judex, sententiam proferens, & assessores ejus, accusator, vel denunciator ad vindictam publicam: secus si tantum interesse suum privatum persequeretur; advocatus accusatoris, testes deponentes contra reum, notarius sententiam capitalem scribens, ministri exequentes sententiam, & omnes alii, qui auctoritate publica concurrunt ad prolationem, vel executionem sententiæ, ita ut nulla protestatio eos liberet: ita com.

41. II. E contra ab hac irregularitate liberi sunt: *Papa*, qui suis legibus quoad pœnas, & inhabilitates non ligatur: *Inquisitores* hæreticæ pravitatis, eorumque officiales ex privilegio Pauli IV. & Pii V. *Prælatus* jurisdictionem politicam imperii meri delegans *c. fin. ne Clerici in* 6. vel clericum degradatum tradens curiæ seculari cum solita protestatione, & intercessione, ne traditus, morte afficiatur. *Advocatus* rei, & testes pro eo deponentes, actor, sive clericus, sive laicus, qui tantum civiliter ad interesse agit contra malefactorem, *c.* 2. *h. t. in* 6. Denunciator, qui injuriam tertio, vel reipubl. a malefactore inferendam denunciat, cum Sac. canones non velint impedire obligationem naturalem ad malum avertendum. Secus esset, si quis denunciaret injuriam jam factam ex fine publicæ vindictæ. Multo minus hac irregularitate tenentur, qui valde remote concurrunt ad condemnationem; ut princeps condens jura criminalia, magister, doctor, aut confessarius de illis respondens, vel nolens absolvere judicem, qui ex malitia renuit condemnare reum &c. Si sententia ex quocumque capite suum non sortiatur effectum, etiam per dispensationem principis, publici ministri justitiæ omnes liberi sunt ab hac irregularitate, *c.* 4. *de raptor.* S. Congr. in *S. Severin.* 2. *Jun.* 1703.

42. Q. III. *An, & qui ex homicidio privato injusto fiant irregulares*? ℟. 1. Irregulares ex delicto homicidii fiunt omnes, qui occiderunt proximum sive physice, ut percutiendo, venenum dando, vulnus lethale infligendo, sive moraliter concurrendo, ut mandantes consentientes, consulentes, non impedientes, qui saltem ex justitia impedire tenebantur, *c.* 8. *d.* 50. *c. fin. h. t. in* 6. non tamen ratum habentes homicidium suo nomine factum, quia hi proprie non influunt in homicidium: neque tali ratihabitioni aliquo jure annexa est irregularitas: extensio vero a paritate *c.* 23. *de sent. excom. in* 6. non est a facienda in his pœnalibus. 2. Mandans aliquem injuste verberari, si mandatarius excedens fines mandati, hominem occidat, vel ab ipso occidatur, fit irregularis, *c. fin. h. t. in* 6. quia mandans culpam, & causam occisionis posuit. At si quis juste, v. g. pater, aut magister, curet aliquem verberari, licet mandatarius excedat fines mandati, cessat ista irregularitas; uti etiam in casu, quo mandans revocavit mandatum, ejusque revocationem intimavit mandatario: nam in priori casu cessat culpa; in posteriori vero mandatum revocatum non influit in occisionem, quam mandatarius ex pertinacia sua ponit. *Dices*: Consiliarius, etsi revocet consilium, tamen secuta morte, fit irregularis; ergo a pari. ℟. Neg. conf. nam recipiens consilium, deinde non agit nomine consulentis, sed nomine suo proprio, neque hoc consilium efficaciter a dante potest revocari, & conf. hoc consilium influit in mortem; e contra mandatarius operatur tantum in virtute mandantis, & conf. si mandatum revocetur, mandatarius nihil habet a mandante, quod influat in homicidium; sed hoc, si sequatur, præcise adscribitur perversæ voluntati mandatarii; ergo. Adverte tamen probabile esse consiliarium non fieri irregularem, si omnem possibilem diligentiam adhibuit, ne ex consilio suo jam revocato mors sequeretur: nam consilium non habet se sicut venenum datum; ergo influxus ejus moralis videtur tolli posse per possibilem diligentiam pro impedienda morte adhibitam.

43. ℟. 2. In rixa, si plures percusserint, & non sciatur, quis occiderit, omnes fiunt irregulares *Can. fin.* 23. *q.* 8. *& c.* 18. *h. t.* quia omnes cooperabantur occisori: in foro autem civili arbitrarie puniuntur. At si, v. g. quatuor sint in domo, & unus, jacto lapide, transeuntem occidat, nullus in particulari censetur deliquisse, nisi de uno certo probetur delictum.

44. ℟. 3. In dubio facti, an clericus ictum lethalem inflixerit, censendus est irregularis quoad unum effectum non celebrandi divina mysteria: ita casus iste specialis deciditur *c.* 11. 12. 18. *h. t.* dummodo eventus homicidii, sed mortis secutæ sit certus. *Ratio* est, quia licet in aliis materiis, stante dubio facti, faveatur libertati contra irregularitatem, *arg. c.* 18. *de sent. excom. in* 6. tamen in materia homicidii pars tutior eligenda est, ne Agnus innocentissimus immoletur ab eo, qui percussit, & forsan homicida fuit. Aliud dic, si vulnus leve fuit, & mors consecuta est ex imperitia chirurgi, vel ex inordinata vita percussi, vel ex alia causa extrinseca.

45. Q. IV. *An ex homicidio culposo contrahatur irregularitas*? ℟. Affirmative: ita *c.* 1. 7. *& c. h. t. c. fin. eod. in* 6. Et quidem in foro externo sufficit culpa juridica non tantum lata, sed etiam levis *c.* 7. 8. 9. *h. t.* in foro autem interno requiritur culpa theologica, mortalis, ob quam secutum est homicidium; quia irregularitas, cum sit pœna gravis, requirit delictum grave. Hac distinctione conciliantur varia jura, ut *c.* 7. 8. 9. 13. 14. 18. 22. *h. t. &c.*

46. Q. V. *An ex procurato abortu mas contrahat irregularitatem*? ℟. Affirmative, si fœtus fuit animatus, cum fit verum homicidium. Vide Const. 87. Sixti V. *Ad effrænatam*, ubi statuuntur diversæ pœnæ contra eos, qui directe, vel indirecte per se, vel per alium, opere, vel consilio procurant abortum: 1. Irregularitas, & inhabilitas ad omnia beneficia, tam simplicia, quam curata. 2. Privatio beneficiorum actu habitorum, & omnium privilegiorum. 4. Excommunicatio ipso facto incurrenda. 5. Clericus hujus delicti reus debet deponi, & degradari, sicque degradatus curiæ seculari tradi. Ex his pœnis irregularitas, excommunicatio, & inhabilitas ad beneficia obtinenda ipso facto ante sententiam; ceteræ vero post sententiam judicis saltem criminis declaratoriam incurruntur. Dictam Constit. Sixtinam moderatus est Greg. XIV. Const. 8. incip. *Sedes Apostolica*. 1. Si fœtus non est animatus, cessat Const. Sixtina, & ad terminos juris communis reducitur. 2. Si fœtus animatus est, Episcopus per se, aut deputatum absolvere potest ab excommunicatione, pro foro interno tantum, non vero dispensare in irregularitate per Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de refor.* ubi casus homicidii, qualis etiam est in abortu fœtus animati, specialiter excipitur.

47. Q. VI. *An ex mutilatione membri contrahatur irregularitas*? ℟. 1. Mutilans membrum, vel ita illud debilitans, ut exarescat, fit irregularis, *Can.* 4. *& fin. d.* 55. *& c. fin. h. t. in* 6. *& c.* 5. *ne Clerici*: secus si membrum tantum debilitavit sine arefactione, vel si membrum antea aridum abscidit: nam membrum debilitatum adhuc manet membrum; aridum vero non est membrum. 2. Vulnerans alterum, & deformans, v. g. in facie, non fit irregularis, quia non mutilat, licet ob injuriam factam puniri possit: at deformatus, si deformitas est notabilis, fit irregularis secundum dicta *tit. de corp. vitiat.* Mutilatus vero per nequitiam alterius, tunc solum efficitur irregularis, quando privatur membro necessario ad exercitium ordinum; ut si manu, vel oculo sinistro mutilaretur, vel si talis mutilatio turpitudinem externam induceret: secus non fit irregularis, ut si violenter castretur, &c. 3. Mutilatio, & homicidium quoad irregularitatem æquiparantur in eo solum, quod in jure dispositum de irregularitate mutilationis, si rigorem contineat, procedat etiam de irregularitate homicidii; non quidem propter paritatem rationis, sed propter argumentum a parte ad totum: e contra dispositum de irregularitate homicidii non extenditur ad irregularitatem mutilationis: unde licet Episcopus vi Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de refor.* non possit dispensare in irregularitate occulta homicidii, potest tamen in ea dispensare, si oriatur ex delicto occulto mutilationis, S. Congr.

48. Q. VII. *Quis dispensare possit in irregularitate homicidii, vel mutilationis*? ℟. 1. Papa, licet ob reverentiam præcepti Apostolici non soleat dispensare in irregularitate homicidii. Ceteri prælati, Papa; inferiores non possunt dispensare in hac irregularitate pro foro externo, quando delictum est notorium notorietate facti, vel juris post condemnationem rei. Quodsi delictum patratum sit coram pluribus, qui illud celare volunt, vel inhabiles sunt ad testimonium, vel si tantum

tum

tum diffamatum sit, vel deductum quidem ad judicium, non tamen probatum, adhuc censetur, esse occultum.

49. ℞. 2. Episcopus nequit dispensare pro foro interno in irregularitate occulta proveniente ex homicidio *voluntario*, præsertim qualificato; ut si fuit præmeditatum, ex insidiis, proditorium &c. ita casus iste excipitur in Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de reform.* nisi eveniret casus urgentis necessitatis, & difficilis esset recursus ad Papam. E contra vi *cit. Trid.* Episcopus dispensare potest in irregularitate occulta proveniente ex mutilatione, vel ex homicidio non voluntario; quale est omne casuale: item necessarium, in quo moderamen inculpatæ tutelæ non est servatum: & probabiliter illud, quod quis per accidens, & indirecte committit, v. g. in rixa occidendo auctorem rixæ, ne ab eo occidatur, Nav. Laiy. Reiff. quia talia homicidia comparantur casu alibus, neque in rigore sunt *voluntaria.*

50. ℞. 3. Prælati regulares ex vi suorum privilegiorum cum suis religiosis dispensare possunt in irregularitate proveniente ex homicidio occulto, etiam voluntario; sive hoc commissum sit ante, sive post ingressum religionis: ita concessisse Martinum V. Paulum III. Sixtum IV. & V. S. Pium V. aliosque Pontifices passim referunt Scriptores Regg. Peyr. Ant. a Spir. S. Salmanticen. & alii, uti & Compend. Privil. Minor. Societ. Jesu &c.

☞ *Quidquid sit de privilegiis directe, & expresse concessis circa hujusmodi dispensationem variis Ordinibus regularibus, quorum tenores semper sunt specialim inspiciendi: respectu Regularium per viam tantum participationis iisdem privilegiis gaudentium etiam cum clausula*- pariformiter, & æque principaliter, perinde ac si in specie eis concessa fuissent - *lectorem remitto ad sequens Cong. Conc. responsum a me recognitum, quod cum integra supplicis libelli serie refero, prout reperitur in Regestis ejusdem S. Cong. lib. Decret.* 35. *pag.* 145. Dubia facultatis absolvendi, & dispensadi 14. Aprilis 1685.

Omnibus, & singulis Cong. S. Mauri Ordinis S. Benedicti personis concessum est a fel. recor. Summis Pontificibus Gregorio Papa XV. Bulla data anno 1621. & Urban. Papa VIII. an. 1628. uti, frui, potiri, & gaudere omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & libertatibus concessis Congreg. Cassinensi, S. Victorii, & omnibus quibuscumque Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, Militarium, & Hospitalarium.

Concessa est eadem PP. Cassinensibus facultas absolvendi in utroque foro, & dispensandi super censuris, irregularitatibus, & inhabilitatibus monacos suos, qui ante religionis ingressum, homicidiis voluntariis, aliisque patratis facinoribus irregularitates, & censuras incurrunt; ut patet ex Brevibus Eugenii Papæ IV. Romæ Kal. Aprilis Pontificatus XI. Innocent. Papæ VIII. Kalen. Novemb. Pontificatus anno III. beatæ mem. Pii Papæ V. idibus Jul. anno 1571. datis.

Concessa est eadem facultas PP. Congreg. Montis Oliveti a Pio Papa IV. Bulla data anno 1560. die 24. Maii Pontificatus anno primo.

Sed & PP. Prædicatoribus Dominicanis Bulla Julii Papæ II. data an. 1510. Pontificatus anno VII.

Nec non & PP. Societatis Jesu Bullis Pauli Papæ III. anno 1549. 15. Kal. Novem. Pontificatus anno XV. & Gregorii Papæ XIV. anno 1591. datis.

Cum itaque PP. Cong. S. Mauri data fuerit facultas ab Urbano Papa VIII. utendi, gaudendi, & fruendi omnibus privilegiis aliis Congreg. & Ordinibus concessis non solum per participationem, & extensionem, sed perinde ac si illa omnia in specie eidem Congreg. concessa essent, Procurator Generalis ejusdem Congreg. humiliter instat declarari.

Primum. An superiores dictæ Cong. licite, valideque possint absolvere in utroque foro, ac dispensare super irregularitatibus, & censuris suorum monachorum per homicidia, vel in bello, vel in jurgiis, aliisque motibus quasi indeliberatis contractis?

Secundum. An eos possint rehabilitare ad susceptionem Ordinum, dignitatum, & prioratuum, seu capellaniarum regularium?

Sac. &c. Ad utrumque respondit - Negative, ☜

51. ℞. 4. Confessarii regulares, sicut Episcopi, dispensare possunt in hac irregularitate occulta cum secularibus pœnitentibus; dummodo non oriatur ex homicidio voluntario: ita concessit Sixtus IV. Ordini Minimorum; idemque privilegium confirmavit Julius II. Constit. incip. *Dum ad sacrum.* Paulus III. Constit. incip. *Cum inter cunctas.* Et quamvis Cassarubius, Suar. & alii dicant non esse satis securum hac facultate uti, Salmaticenses tamen cum multis aliis gravissimis DD. asserunt omnino licitum esse usum hujus facultatis, cum eam revocatam fuisse non constet. Vide Salm. *tr.* 10. *c.* 7. *p.* 4. *n.* 59. *& seqq. & tr.* 18. *c.* 4. *p.* 2. §. 12.

☞ *Hic iterum lectorem remitto ad alterum; & quidem generale ejusdem Conc. responsum, quod a me pariter recognitum transcribo una cum integra supplicis libelli serie, prout reperitur in Regestis dicta Cong. lib.* 24. *Decret. pag.* 26. *a tergo* 9. *Februarii* 1664.

Cadurcen. dispensationis. Supplex narrat D. Episcopus Cadurcensis, in hac diæcesi, nonnullos Regulares facultatem in irregularitatibus occultis ex delicto contractis dispensandis sibi assumere; quæ cum per Concilium Episcopis permissa fuerit, ab iisdem Regularibus non absque disciplinæ ecclesiasticæ relaxatione usurpatur: quare petit, ut ex hac S. Cong. declaretur.

An facultas attributa Episcopis in cap. 6. sess. 24. de refor. intelligatur etiam concessa Regularibus, sive eorum superioribus.

Cong. Conc. censuit, non intelligi concessam.

Idem responsum dedit ad dubium mense Julio an. 1585. *in causa pro Commissario Ordinis Minorum Conventualium in regno Siciliæ, ut lib. IV. Decret. p.* 43. ☜

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

1. In hoc, & seqq. duobus titulis continuatur crimen homicidii, cujus causæ etiam sunt *torneamenta*, seu *hastilundia* solemnia, in quibus milites, nobiles, & alii ejusmodi homines convenire solent ex condicto, & congredi ad ostendendam audaciam, & peritiam bellandi, & virium fortitudinem. Torneamentis similis est agitatio taurorum, seu concertatio cum bestiis.

2. Q. I. *An licita sint torneamenta?* ℞. 1. Si fiant cum moderamine, & per arma hebetata, ut nullum sit vitæ periculum, de se sunt licita laicis, non clericis: nam talia umbratilia exercitia fiunt ob solemnitatem diei, v. g. in principum inaugurationibus, diebus natalibus, triumphi &c. & licet prohibita fuerint a Clem. V. in Conc. Vien. propter sumptus, qui tunc potius applicandi erant bello sacro, tamen prohibitio ista ad instantiam Regis Franciæ, & Navarræ, & principum Germaniæ sublata est a Joan. XXII. *Extrav. un. h. t.* Clericis tamen ob indecentiam sub pœna anathematis prohibentur talia exercitia a Concil. Herbipol. Salisburg. Gonzal.

3. ℞. 2. Torneamenta periculosa cum armis acutis, & cuspiditatis sunt graviter illicita, & utroque jure prohibita: ita *c.* 1. *h. t.* ubi exercitia ista vocantur *detestabiles nundinæ, & feriæ*, in quibus aliud expectari nequit, nisi periculum vitæ corporalis, & salutis æternæ: unde etiam Constantin. *l. un. C. de gladiatorib.* cruenta spectacula, uti sunt torneamenta, penitus sublata voluit. Quibus juribus corriguntur *l.* 7. §. 4. *ff. ad L. Aquil. l.* 2. §. *SCtum ff. de aleator.* & similia jura etiam consuetudinaria, siquid contrarium decernunt, cum jure naturali consuetudo derogare non possit *c. fin. de consuetud.*

4. Q. 2. *Quæ sint pœnæ pugnantium in torneamentis?* ℞. 1. Occidens punitur pœna ordinaria L. Corneliæ de Sicar. laicus vero occisus, etsi ante mortem pœnitens Ecclesiæ Sacramenta perceperit, privatur sacra sepultura, idque ad terrorem aliorum, *c.* 1. *& fin. h. t. can.* 6. *siquis.* 26. *q.* 6. Hæc tamen non extenditur ad eos, qui per accidens propter recipienda sua credita, vel propter curiositatem locum torneamenti accesserunt, & casu occisi sunt. Clericus vero, si pœnitens decessit, non privatur sacra sepultura, sed oblationes, & orationes publicæ pro eo fieri prohibentur, *can.* 4. *quicumque* 23. *q.* 8.

5. ℞. 2. Pugnantes cum tauris, & aliis bestiis pro merce-

mercede, sunt infames de jure civ. *l.* 1. §. 5. *v. qui & operas ff. de postulando*: de jure Can. si ibi decedant, privantur sepultura sacra, tanquam manifesti peccatores: ipsi vero domini agitationem bestiarum permittentes incurrunt excommunicationem ex Const. S. Pii V. quæ tamen ad terminos juris com. reducta est per Greg. XIII. & Clem. VIII. dummodo agitationes istæ fiant, secluso periculo mortis, & extra dies festos, Barb. in *c.* 1. *h. t.* Gonz. & alii.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 22. *Monomachiam* 2. *q.* 5. in Trid. *S.* 25. *c.* 19. *de refor.*

1. Præsens rubrica est strictior nigro; quia in hac non tantum clericis, sed etiam laicis duellum prohibetur. Definitur autem *Duellum*, græce *Monomachia*, quod sit singularis pugna ex condicto a duobus sponte suscepta. Aliud est *solemne*, seu *publicum*, quod fit cum certis solemnitatibus, cujusmodi sunt: determinatio, seu securitas loci pro duello, vulgo *campo franco*, determinatio temporis, litteræ provocatoriæ, seu chartulæ denunciationem continentes, & patrini, seu secundantes. Aliud est *privatum*, quod fit sine dictis solemnitatibus.

2. Q. I. *An duellum ex genere suo sit illicitum*? ℞. Affirmative: nam exponere se periculo mortis temporalis, & æternæ est illicitum; hoc autem fit in duello: unde duellum omni jure prohibetur: *Naturali* quia est contra justitiam, charitatem sui, & proximi: *Divino* per præceptum *non occides*: *civili l. un. C. de gladiatorib. Canonico h. t.* Quia vero materia duelli non est ita intrinsece mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari valeat, ideo quæritur de causis, ex quibus duellum possit, vel non possit cohonestari.

3. ℞. 2. Duellum cohonestatur ex seqq. causis; 1. Si fiat jussu Dei, qui est dominus vitæ, & necis. 2. Si fiat ob defensionem honoris divini, religionis, & boni communis, cui bonum privatum vitæ postponendum est. 3. Si fiat ex causa terminandi bellum; dummodo per hoc victoria, alioquin satis certa, non reddatur dubia: sic David cum Goliath, S. Wenceslaus cum Duce Curimensi, singulare certamen iniverunt. 4. Si fiat ad necessariam defensionem vitæ, & fortunarum, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. 5. Si fiat auctoritate publica a duobus condemnatis ad mortem, quatenus alter in alterum constituitur minister justitiæ. Sed quia res ista crudelitatem sapit, peccat princeps tale duellum offerendo sub conditione, ut is veniam vitæ obtineat, qui alterum occiderit, seu victor extiterit.

4. ℞. 3. Duellum non cohonestatur ex causis vanis, futilibus, & imaginariis, uti sunt: 1. Duellum inire ad ostentationem virium, & artis militaris, ad voluptatem, & recreationem spectatorum. 2. Ad declinandam injustam accusationem, vel detractionem; quia duellum ad eam abolendam nec est necessarium, nec utile, cum alia ordinaria dentur remedia repellendi injustum accusatorem. 3. Ad ostendendam innocentiam, veritatem, & objecti criminis purgationem, quia hoc modo Deus tentatur. 4. Ob punctum honoris, si vir militaris offerat, vel acceptet duellum, ne timiditatis, & ignominiæ notam apud alios incurrat, & propterea ab eis non æstimetur. Oppositam *propos. num.* 2. damnavit Alex. VII. his verbis: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio est, quia duellum non est medium *necessarium* ad defensionem honoris, cum iste pluribus licitis modis defendi possit, v. g. dicendo: ob reverentiam legis divinæ, & humanæ non accepto duellum; si tamen me aggressus fueris, generose resistam tibi; neque est medium *utile*, quia duellans non tantum honorem non conservat, sed potius re ipsa infamiam, & perpetuum dedecus incurrit, Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de reform.* Aliqui tamen DD. & nimis quidem laxe, excipiunt illum casum, quo recusans acceptare duellum, amitteret suum officium bellicum, ex quo præcise sustentatur, ita ut deinde mendicare cogeretur: nam, ajunt, acceptans duellum non movetur ex puncto honoris, sed ex necessitate conservandæ sustentationis, quam recusatio duello, certo amitteret. Principes autem graviter obligantur ad pravas istas consuetudines extirpandas. *Dices*: defensio cuique est licita; ergo potest quis per duellum suum honorem tueri. 2. Statuta ordinis Equestris S. Jacobi non admittunt illum, qui provocatus, duellum recusavit. ℞. Neg. conf. nam hic non præcessit offensio; ergo nec est justa defensio. Nec juvat stulta opinio improborum duella laudantium, quia contra legem Dei prævalere nequit. *Ad* 2. Statuta illa procedunt de timidis, qui fugerunt, non vero de illis, qui duella non acceptant, parati tamen sunt aggressori resistere.

☞ *Vide propositiones proscriptas a Benedict. XIV. circa duellum Elencho VI. numer. CXV. par. I. pag.* 490. ☜

5. Q. II. *Quæ sint pœnæ duellantium*? ℞. 1. De jure civ. si provocans occidit, punitur pœna ordinaria L. Corn. de Sicariis, scil. gladio: provocatus, si occidit, plerumque mitius punitur, *l.* 14. §. 6. *ff. de bonis libert.* quia ignoscendum est provocato.

6. ℞. 2. De jure Can. clericus duellans deponitur, seu perpetuo suspenditur ab officio, & beneficio; & si alterum occidit, fit irregularis, *c.* 1. *h. t. Can.* 8. *d.* 50. Si nec mors, nec mutilatio secuta est, poterit Episcopus suspensionem istam relaxare.

7. ℞. 3. Vi Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de refor.* domini temporales concedentes locum securum pro duellis, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ: & si talem locum obtineant ab Ecclesia, privantur ejus dominio, & jurisdictione: si vero ab alio illum habeant in feudum, hoc revertitur ad dominum directum. 2. Duellantes, & eorum patrini incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, proscriptionem suorum bonorum, & perpetuam infamiam; & qui in duello occiderit, puniendus est ut homicida: qui vero in ipso conflictu decesserit, privatur sepultura Ecclesiastica; etsi decedat cum signis pœnitentiæ, ut habetur in Rituali Pauli V. *tit. de Exequiis*. 3. Consilium dantes in causa duelli, aut illud suadentes, & spectatores, qui scil. ex proposito spectant, approbando, & animando duellantes, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo tenentur. Quod extendi non debet ad eos, qui fortuito veniunt ad locum duelli, & ibi aliquantum ex curiositate morantur; vel qui a longe ex fenestris suis aspiciunt, vel qui vadunt ad locum duelli, ut illud impediat. Et hæ sunt pœnæ a Trid. statutæ pro duellis publicis; quas pœnas Greg. XIII. Constit. incip. *Ad tollendum* 1582. & Clem. VIII. Constit. incip. *Illius vices* 1592. extenderunt ad duella privata ex condicto, seu prævio pacto inita, ubi *nulli patrini, sociive ad illa vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulæ præcesserint.*

8. ℞. 4. Ex his pœnis censuræ, inhabilitates, & privationes juris quærendi, incurruntur ante sententiam; pœnæ vero privantes jure quæsito post sententiam declaratoriam criminis ex com. mun. doctrina de pœnis. Notat tamen P. Laym. pœnas temporales, ut proscriptionis bonorum, privationis jurisdictionis, & infamiæ, non esse usu receptas in Germania. Privatio sepulturæ sacræ, si duellum est notorium, incurritur absque ulla sententia, ut habet usus Ecclesiarum: si vero duellum non sit notorium, opus erit sententia Episcopi.

℞. 5. Si quis in duello lethale vulnus accepit, & deinde extra duelli locum post aliquod tempus decessit, non privatur sepultura sacra: nam non decedit in ipso conflictu, quod requirit Trid. Imo favorabilis est sententia Portelli, de la Croix, Tambur. neque hunc privandum esse sepultura sacra, qui in loco conflictus ante mortem confessus, & sacramentaliter absolutus fuit; nam moraliter censetur extra locum conflictus decedere. Nec contrarium colligitur ex Rituali Pauli V. quia sacramentaliter confiteri, & absolvi plus est, quam edere signa pœnitentiæ.

☞ *Vide alias pœnas, & declarationes circa duellum Elencho VI. n. LXV. par. I. pag.* 489. ☜

TITULUS XV.

De Sagittariis.

1 *Sagittarii* erant, qui olim ex arcubus simul, & semel plures sagittas emittebant. *Ballistarii*, qui ex ballistis, seu catapultis ejaculabantur saxa in hostes. Hodie in usu sunt tormenta, & mortaria bellica, ex quibus glandes, globi plumbei, ferrei, aut lapidei artificiose emittuntur. Hæc ars tormentaria in bello justo, quod Christiani gerunt adversus infideles, vel inter se; licita est; quia nihil refert, quibus armis militetur, *Can. 2. Maximianus* 23. *q.* 2. At docere artem istam infideles, vel loco infidelium eam exercere contra fideles, est illicitum, & prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ *arg. cap. 6. de Judæis*, & Bullæ Cœnæ, quæ prohibentur instrumenta bellica deferri ad infideles. Si illicite christiani hac arte utantur, v. g. cum superstitionibus, & venenatione glandium, excommunicandi sunt, *c. un. h. t.*

TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro.

Agitur de hac materia in Trid. *sess.* 24. *c.* 8. *de refor. matr.* & §. 4. *Inst. de publ. judic.* in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 4. in Codice *lib.* 9. *tit.* 9. 10. 11. 13.

1. A crimine homicidii transiit Compilator ad crimen luxuriæ, cujus species sunt: *Fornicatio simplex*, *concubinatus stuprum*, *adulterium*, *incestus*, *sacrilegium*, *vitium contra naturam*, & *raptus*. Non tamen omnes istæ species manent intra genus luxuriæ, sed alteri generi miscentur: siquidem adulterium, & stuprum justitiæ, incestus pietati, & reverentiæ erga sanguine junctos, sacrilegium religioni opponitur. De his delictis in ordine ad forum conscientiæ plura differunt TT. morales, hic generalia solum explicabo, ut termini intelligantur.

2. I. Actus luxuriæ alii sunt *perfecti*, seu consummati in sua specie; ut fornicatio, & ceteri mox relati: alii *imperfecti*; ut delectatio morosa, oscula, tactus, turpiloquia, & hujusmodi, quibus perveniri solet ad aliquem actum perfectum luxuriæ.

3. II. Fornicatio a fornicibus dicitur; quia scorta sub fornicibus prostare solebant: & quamvis late recipiatur pro quocumque concubitu extra matrimonium, stricte tamen, & proprie fornicatio est concubitus voluntarius soluti cum soluta, inter quos matrimonium consistere posset. Prohibetur non tantum jure positivo, sed & naturali, ut patet ex opposita propositione *num.* 48. ab Innoc. XI. damnata: nam per se adversatur fini matrimonii, scil. rectæ educationi prolis; licet per accidens unus, vel alter recte educaret prolem fornicariam.

4. III. Concubinatus est conjunctio seu consuetudo soluti cum soluta citra affectum maritalem; sive fæmina detineatur in eadem, sive in alia domo. Sicut fornicatio, ita multo magis concubinatus contrariatur juri naturali: & quo diuturnior est, eo gravius facit peccatum *Can. 6. d.* 34. & *Can.* 11. *meretrices* 32. *q.* 4. Nec obstat *Can.* 4. & 5. *d.* 34. ubi permittitur *concubina*: nam hujus nomine sæpe venit vera uxor, quæ ducta est sine pactis dotalibus, & solemnitatibus civilibus: sicut Agar, licet esset vera uxor, tamen dicitur concubina Abrahæ.

5. IV. *Stuprum* proprie est illicita virginis defloratio. Si fiat volente, & consentiente virgine, non differt specie a simplici fornicatione, neque speciem injustitiæ superaddit: nam jus defloratæ, utpote volentis, non læditur, neque jus parentum; quia filia quoad usum sui corporis non subest patriæ potestati. At si concubitus cum virgine, aut cum vidua honeste vivente fiat per vim, aut fraudem, aut metum injuste incussum, tunc stuprum superaddit speciem injustitiæ; cum graviter lædatur jus, quod fæmina habet in suam pudicitiam; & consf. circumstantia ista, cum transeat in aliam speciem, necessario aperienda est in confessione.

6. V. *Adulterium* est alieni thori violatio; adeoque præter peccatum luxuriæ, continet speciem injustitiæ ob violatum jus conjugale: & si duo conjugati adulterium committant, est in eo duplex injustitia; si vero conjugatus cum soluta, vel e contra, adulteret, unam tantum injustitiam committunt: ob quod dici solet adulterium *simplex*, seu *unilaterale*, & illud *duplex*, seu *bilaterale*: ita de jure Can. *Can.* 14. 19. *caus.* 32. *q.* 5. quamvis de jure civili vir fornicans cum soluta non puniatur ut adulter, sed ut stuprator *l.* 34. *ff. ad L. Jul. de adulter.* Porro species injustitiæ non tollitur per hoc, quod maritus consentiat in adulterium uxoris, & e contra; quia jus conjugale, vi cujus licite, & juste copula exercetur, non est in potestate conjugum eo sensu, ut illud in alterum transferre, vel ad usum commodare possit in gravem auctoris naturæ injuriam. Oppositam propositionem *n.* 50. damnavit Inn. XI.

7. VI. *Incestus* est concubitus illicitus inter personas consanguineas, vel affines; estque peccatum gravius adulterio, maxime in linea recta *Can.* 2. *lex* §. *cum ergo* 36. *q.* 1. *Sacrilegium* est concubitus illicitus cum persona voto castitatis, præsertim solemni obstricta. Et quamvis, probabilius sit, votum solemne castitatis religiosæ specie, aut modo intrinseco differre ab alio voto castitatis, tamen ex RR. doctrina probabile est vota ista specie non differre; & consf. nec sacrilegia eis opposita. *Vitium contra naturam* est, quo semen humanum contra finem, & ordinem naturæ effunditur: cujus tres sunt species. *Mollities*, seu simplex pollutio, qua quis se ipsum polluit. *Sodomia*, & quidem perfecta, si coeant duæ personæ ejusdem sexus; imperfecta vero, si coeant duæ personæ etiam diversi sexus, sed non servato vase naturali, v. g. utendo vase præpostero, coxendice &c. *Bestialitas*, quæ est coitus cum bruto quocumque; adeoque non opus est explicare speciem bruti, cum in omnibus eadem turpitudo releceat. De raptu dicetur *tit. seq.* Sic intellectis nominibus, descendamus ad ea, quæ sunt fori juridici.

8. Q. I. *Quæ sint pœnæ delicti fornicationis, & concubinatus*? ℞. 1. De jure civ. rom. fornicariis, & concubinariis nulla pœna statuta est *l.* 13. §. 2. *ff. ad L. Jul. de adult. l.* 1. *ff. de concubin.* quia tunc ad evitanda majora mala tolerabantur concubinatus. In Germania ex specialibus statutis, & consuetudinibus fornicarii puniri solent hodie plerumque pœna pecuniaria arbitraria, vel incarceratione, vel alia simili.

9. ℞. 2. De jure Can. pœna simplicis fornicationis est arbitraria: & cum crimen hoc in nostris regionibus sit mixti fori, locus est præventioni inter judicem Ecclesiasticum, & laicum; nisi de consuetudine pertineat ad solum Ecclesiasticum, vel e contra ad solum laicum; & tunc alter se non intromittet.

10. ℞. 3. Juxta Trid. *S.* 24. *c.* 8. *de refor. matr.* circa concubinatum observari debent seqq. 1. Concubinarii ter monendi sunt ab Ordinario, & non resipiscentes, excommunicari; si vero per annum censuras neglexerint, severo processui Ordinarii subjici debent. 2. Concubinæ ab Ordinariis locorum ex officio graviter puniendæ sunt, & extra oppidum, vel diœcesim relegandæ. Et cum versemur in materia peccati, constitutio ista locum habet etiam in foro seculari, quod sacros Canones non dedignantur imitari. De clericis fornicariis, & concubinariis vide *lib.* 3. *tit.* 2.

11. Q. II. *Quæ sint pœnæ stupri*? ℞. 1. Si agatur criminaliter ex stupro, per vim consummato, est pœna capitis, seu mortis; præsertim si stuprum illatum sit fæminæ valde honestæ, vel puellæ nondum maturæ ante annum duodecim *l.* 1. §. *fin. ff. de extraord. crim.* Const. crim. Carol. V. *art.* 119. Si vero stuprum sit vi attentatum, sed non consummatum, eo quod fæmina se liberaverit e manibus stupratoris, hodie est pœna arbitraria, ex *cit. Const. Carol.* olim fuit deportatio, aut fustigatio. At si virgo sponte consentiens, vel blanditiis, & precibus inducta, deflorata est, hodie plerumque est pœna arbitraria: licet olim stuprator, si honestæ conditionis fuit, punitus fuerit publicatione dimidiæ partis bonorum: si vero vilioris, verberatione, & relegatione §. 4. *Inst. de publ. judic.* A pœna mortis eximi videtur, qui vi meretricem compressit, Konig. & a pænis stupri excusatur, qui virginem veste meretricali indutam defloravit *arg. l.* 15. §. 15. *ff. de injur.* quia justam ignorantiæ causam habet.

12. ℞. 2. De jure Can. clericus stuprator deponitur ab officio *Can.* 44. *lator.* 2. *q.* 7. & dotat puellam dofloratam, *c.* 1. *h. t.* Hodie, præter dationem dotis, pro

pro qualitate arbitrarie punitur per ſuſpenſionem, multam pecuniariam, carcere etiam perpetuo, ſi vim puellæ intulit; quia carcer perpetuus ſuccedit in pœnam mortis contra laicos ſtatutam. 2. Laicus ſtuprator tenetur defloratam ducere, & dotare, *c.* 1. *h. t.* ubi tamen particula conjunctiva ex communi interpretatione intelligitur disjunctive per *l.* 53. *ſæpe ff. de V. S.* & quidem ſi alternatio *ducendi*, vel *dotandi* permittitur, electio eſt ſtupratoris tanquam debitoris: ſi vero puella ei nubere nolit, vel ob impedimentum non poſſit, tenetur eam dotare determinate: & ſi non poteſt dotare, tenetur puellam volentem determinate ducere; ipſa vero nolente nubere, loco ſolutionis dotis ſuccedit pœna fuſtigationis, vel detruſionis in monaſterium. Pœnæ iſtæ, extra Eccleſiæ Rom. territorium non habent locum in foro ſeculari, niſi de conſuetudine in eo receptæ ſint.

☞ *Quamvis prudenter fere ubique locorum prohibeatur, ne ante contractum matrimonium ſponſus in una, eademque domo cum ſponſa habitet, propter periculum evidens copulæ; non tamen prohiberi poteſt ſub pœna ſtupri, ſed dumtaxat ſub pœna arbitrio Ordinarii infligenda ex Decreto Cong. Conc. relato a Benedicto XIV. lib. XII. de ſynod. diœceſana c. VI. n.* 3. ☜

13. ℞. 3. Stuprator in conſcientia ante ſententiam judicis non tenetur ducere, vel dotare defloratam, cui matrimonium non promiſit, in ſeqq. caſibus: 1. Si damnum alio modo reparatum eſt. 2. Si fæmina nullum damnum paſſa eſt; quia acquiſivit virum ejuſdem conditionis, quem virgo accepiſſet. 3. Si fæmina, non fuit ſeducta, ſed ſine ulla fraude ſponte ſciens, volens conſenſit in ſui deflorationem: & probabilius, ſi tantum precibus, & blanditiis inducta eſt; cum has facile, ſi voluiſſet, ſuperare potuerit; niſi preces fuiſſent armatæ a domino, principe, aut ſimili perſona, cui fæmina facile non poteſt reſiſtere: nam in priori caſu volenti, & conſentienti nulla facta eſt injuria; bene vero in hoc poſteriori, ergo hic, & non ibi facienda compenſatio pro hac injuria. 4. Si deflorata obligationem ducendi, & dotandi remiſit, cum juri ſuo renunciare poſſit. 5. Si fæmina antea ab alio fuit corrupta, vel alias inhoneſtæ vitæ; quia hic non eſt proprie ſtuprum; niſi acceſſiſſet ſpeciale pactum de dotando, vel ducendo. At poſt ſententiam judicis, tenetur ſtuprator ſtatim dotem præſtare, non expectato tempore nuptiarum, *l. un.* §. 1. *v. ſive maritum*, *C. de raptu virg.* Tenetur quoque ſtare compoſitione, vel tranſactione inita; ut ſi de certo pretio cum deflorata convenit.

14. ℞. 4. Stuprator ad nihil tenetur patri defloratæ, ſi hæc ſponte conſenſit in ſui deflorationem, vel obligationem ſatisfaciendi ſtupratori remiſit: nam filia ſuæ virginitatis, uſuſque ſui corporis eſt domina, neque in hoc patriæ poteſtati ſubditur; neque propterea pater tenetur majorem dotem dare filiæ defloratæ, ergo. *Dices:* ſtuprum filiæ redundat in patris injuriam; ergo hæc compenſanda eſt per ſatisfactionem. ℞. Injuriam iſtam non eſſe pretio æſtimabilem, ſed ei ſatisfieri vel petitione veniæ, vel pœna a judice taxata.

15. Q. III. *Quæ ſint pœnæ adulterii?* ℞. 1. Pœnæ civiles ſunt: divortium, amiſſio dotis, vel donationis propter nuptias, ut dixi, *lib.* 4. *titul.* 20. Pœnæ vero vindicativæ, ſeu criminales reſpectu laicorum ſunt de jure civili antiquo deportatio, vel exilium *l.* 5. *ff. de qq. l.* 11. *ff. ad L. Jul. de adult.* poſtea a Conſtantino M. inducta eſt pœna gladii, quam Juſtinianus tranſtulit in L. Juliam de adult. *l.* 30. *C. eod.* & §. 4. *Inſt. de publ. judic.* quæ tamen pœna pro fæminis ſolis immutata eſt in detruſionem ad monaſterium, *Auth. Sed hodie C. ad L. J. de adulter.* Hodie pœna gladii alicubi durat, alicubi ſublata eſt; adeoque attendi debent locorum ſtatuta. Alia pœna eſt *infamia l.* 2. §. 3. *ff. de his, qui not. infam.* De jure Can. adulteri laici olim excommunicabantur *c.* 6. *h. t.* & fæminæ in monaſterium detrudebantur *c.* 19. *de converſ. conjug.* quod hodie non eſt in uſu, ſed adulteri, dum agitur criminaliter ex adulterio, ad forum ſeculare trahuntur, ibidem ſolitis pœnis puniendi.

16. ℞. 2. A pœnis adulterii excuſant multæ cauſæ: 1. Si mulier violenter oppreſſa ſit, & non ſolo metu inducta, *l.* 13. §. 7. *ff. ad L. J. de adult.* 2. Si ex ignorantia aliquis cognovit alienam, quam cogitavit eſſe ſuam. 3. Si adulterium fuit tantum attentatum, & non conſummatum; quia conatus proximus regulariter non punitur eadem pœna, qua ipſe actus. 4. Si accuſationi adulterii præſcriptum ſit; niſi judex ex officio procedat, & inquirat. 5. Licet a pœna civili divortii, & amittendæ dotis excuſet per delictum, non tamen a pœna criminali; quia judex utrumque adulterum condigne punire poteſt ad vindictam publicam.

17. ℞. 3. Si reus adulterii eſt clericus, judicari debet a judice Eccleſiaſtico privative: & quidem, ſi convictus eſt, vel confeſſus, deponitur ab officio, & beneficio, & detruditur in monaſterium *Can.* 10. *ſi quiſ. d.* 81. cui detruſioni hodie ſucceſſit pœna carceris, vel alia arbitraria. Si tantum diffamatus, & ſuſpectus ſit de adulterio, indicitur ei purgatio Can., in qua deficiens ab officio ſuſpenditur *c.* 5. *in fin. h. t.* 2. Si reus adulterii eſt laicus, & agitur ad divortium, judicatur ab Eccleſiaſtico judice privative; cum cauſa iſta ſit ſpiritualis: at ſi agatur ad pœnam capitalem, vel per ſe principaliter ad privationem dotis, judicat laicus judex, quia cauſa iſta eſt profana. 3. Qui egit actione criminali ad pœnam legalem, finito hoc judicio, non poteſt de novo agere actione civili ad divortium, nec e contra *l.* 1. *in fin. ff. de injur.* quia utrumque hoc judicium tendit ad punitionem adulterii: & ideo *c.* 5. *de Procur.* actio tendens ad divortium dicitur mixta inter civilem, & criminalem: ſecus ſi actum ſit tantum ad intereſſe, ſeu jacturam rei familiaris: tunc enim actio criminalis non perimitur *l. un. C. quando civil. act.*

18. ℞. 4. Ordo in accuſando matrimonio ſervandus eſt, ut primo admittatur maritus intra 60. dies utiles: deinde pater intra totidem dies, ut ille, jure mariti, iſte jure patris accuſet: ſemper tamen maritus præfertur patri, niſi colluderet uxori, *l.* 2. §. 8. & *l.* 9. *ff. ad L. J. de adulter.* lapſo termino uterque admittitur jure extranei. Deinde admittuntur frater, patruus, & avunculus adulteræ: tandem extranei; ſed hi non facile permittuntur, ne matrimonia calumniis diſcutiantur *l.* 30. *C. eod.* quamvis vero mulier, utpote ſubdita viro ſuo, de jure civ. non admittatur ad accuſandum adulterium mariti ad pœnam legalem *l.* 1. *C. eod.* admittitur tamen de jure Can. *Can. fin.* 32. *q.* 5. quia hoc jure conjuges non judicantur ad imparia quoad debitum reddendum, quoad divortium, & accuſationem, Gloſſ. in *Can.* 4. *v. ad imparia* 32. *q.* 1. Jus Can. ſequitur Carolus V. Conſt. Crim. *ar.* 120. ubi uxori accuſationem mariti adulteri diſerte permittit. Porro accuſantis eſt probare adulterium, plerumque per præſumptiones violentas; uti eſt deprehenſio nudi cum nuda in eodem lecto *c.* 12. *de præſumpt.* contractus matrimonii poſt mortem conjugis, ſi adulteri antea obtenderunt conſanguinitatem ad excuſandum adulterium *l.* 34. *C. ad L. J. de adult.* monitio ſuſpecti ter a marito in ſcriptis, & præſentibus teſtibus facta, ſi ille non ceſſet converſari cum uxore in loco ſecreto, *Auth. ſi quis C. eod.* minores vero præſumptiones ſunt litteræ amatoriæ, xenia, fuga mulieris, & pernoctatio in domo viri ſuſpecti &c. Si Pater, & maritus defecerint in probando, non ſubjacent pœnæ talionis *l.* 37. §. *ſed & ff. de minor.* & ſi deſiſtant ab accuſando ſine venia, ſeu non impetrata abolitione, non incidunt in SCtum Turpillianum, niſi in accuſatione mariti, & patris manifeſta eſſet calumnia, *l.* 14. & 30. *ff.* & *l.* 16. *C. ad L. J. de adult.*

19. Q. IV. *Quæ ſint pœnæ inceſtus, ſacrilegii, & vitii contra naturam?* ℞. 1. Inceſtus inter aſcendentes, & deſcendentes, fratrem, & ſororem punitur pœna mortis: inter collaterales vero commiſſus, ſubjacet pœnæ arbitrariæ. Pœnas inceſtuoſarum nuptiarum exprimit *Auth. inceſtuoſ. C. de inceſt. nupt.* de quibus dixi *lib.* 4. *tit. de conſanguinit.* De jure Can. clericus inceſtuoſus deponitur, & beneficio privatur *arg. Can.* 10. 11. *d.* 81. Laicus in inceſtu perſeverans, excommunicatur *Can.* 9. *de his* 35. *q.* 2. Vir peccans cum conſanguinea ſuæ uxoris, privatur jure petendi debitum *c.* 1. 3. *de eo, qui cognovit.*

20. ℞. 2. Fornicatio clerici in ſacris conſtituti, & religioſi profeſſi, licet ſit verum ſacrilegium, punitur ut ſimplex fornicatio. At ſacrilegium commiſſum cum moniali, gravius punitur: nam jure Can. laicus corruptor monialis excommunicatur; clericus privatur

beneficio, & depoſitus ab ordinē traditur in monaſterium, hodie in carcerem: ipſa vero monialis ſe violari paſſa, vel truditur in arctius monaſterium, vel in carcerem *Can.* 6. 11. 25. 28. *cauſ.* 27. *q.* 1. De jure civ. attentans nuptias cum moniali, pœna mortis plectitur, & ejus bona monaſterio applicantur, *l.* 5. *C. de Epiſc. & Cler. Nov.* 123. *c.* 43. hodie tamen bona delinquentis hæredibus relinqui ſolent, *Auth. bona C. de bonis proſcrip.* Hæc tamen jura civ. non canonizantur per hoc, quod a Gratiano referantur *Can.* 30. *loc. cit.*

21. ℞. 3. Concubitus chriſtiani cum Judæa, vel pagana, licet non differat a ſimplici fornicatione; plerumque tamen gravius punitur ob injuriam chriſtiano nomini illatam: ſi prætextus conjugii accedat, pœna adulterii coercetur; non tamen capitali, *l.* 6. *C. de Jud.* Clar.

22. ℞. 4. Simplex pollutio, ſi ad forum externum deducatur, punitur pœna extraordinaria relegationis, fuſtigationis &c.

23. II. Pœna ſodomiæ perfectæ de jure civ. eſt capitalis, cum confiſcatione bonorum, & infamia *l.* 31. *C. ad L. J. de adult.* §. 4. *Inſt. de publ. Jud. & Nov.* 77. *c.* 1. §. 2. quæ pœna exaſperari ſolet, ut ſodomitæ vivi, vel eorum cadavera concrementur, ſive fuerint agentes, ſive patientes. De jure Can. laicus excommunicatur; clericus vero ab officio, beneficio, & ordine clericali depoſitus, detruditur in monaſterium: imo per Conſt. S. Pii V. incip. *Horrendum* 1568. *die* 3. *Sept.* clerici hoc vitium exercentes, puta non ſemel, ſed pluries, degradari, & curiæ ſeculari tradi debent. Notant tamen DD. hanc Conſtitutionem non habere locum in foro interno ſecundum praxim receptam. Si vero ſodomia ſit imperfecta, videtur ſubſtare pœnæ extraordinariæ *arg. l.* 1. *in fin. ff. de extraord. crim.* cum ſit minus peccatum ſpecie diſtinctum.

24. III. Beſtialitas punitur inſtar ſodomiæ ex Conſt. Car. V. *art.* 116. adeoque hujus criminis rei comburuntur una cum beſtia conformiter *Lev.* 20. *v.* 15. ne tam horrendi flagitii memoria permaneat, aut renovetur.

Ad *hunc tit.* reduci poteſt *lenocinium*, quod eſt delictum publicum, quo pater liberos, maritus uxorem, vel alius quiſcumque fæminas exponit proſtituendas, vel earum proſtitutionem permittit quæſtus cauſa. Punitur hoc delictum in patre, & marito pœna gladii *arg. l.* 2. §. 2. *& l.* 29. §. 3. *ff. ad L. Jul. de adult.* in aliis pœna arbitraria, ut præciſione aurium, fuſtigatione, exilio, prout qualitas delicti poſtulat. Conſt. Car. V. *ar.* 123.

Pœna tutoris pupillæ caſtitatem violantis eſt deportatio, & confiſcatio bonorum *l. un. C. ſi quis eam, cujus tutor.*

Pœna mulieris proprio ſervo ſe proſtituentis eſt capitalis, & mulier iſta fit inteſtabilis active *l. un. C. de mulierib. quæ ſe.*

T I T U L U S XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum.

Agitur de hac materia in Decreto 14. *qu.* 5. 6. *&* 16. *q.* 1. *&* 36. *q.* 1. in Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 11. *de ref. & ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de ref. matr.* in Inſt. *lib.* 4. *tit.* 2. in Pandectis *lib.* 47. *tit.* 8. 9. 12. 18. *& lib.* 48. *tit.* 15. in Codice *lib.* 9. *tit.* 13. 19. 20. *&* 33.

1. In hoc titulo examinantur crimina: raptus perſonarum, rapina rerum, crimen incendii, & violatio, ſeu effractio, & ſpoliatio Eccleſiarum, & locorum religioſorum. De raptu, prout eſt impedimentum dirimens matrimonii, egi *lib.* 4. *tit.* 1. Hic *raptus perſonarum* eſt violenta abductio perſonæ honeſtæ, fæminæ, vel maris, de loco ad alium locum moraliter diverſum, libidinis exercendæ cauſa. Per has ultimas differt raptus iſte a *raptu dirimente matrimonium*, qui fit matrimonii contrahendi cauſa; & a *plagio*, quod fit ex alia cauſa v.g. ut homo liber furto ſublatus redigatur in ſervitutem &c. a *rapina rerum* vulgo *robbaria*, quæ eſt violenta ablatio rei mobilis alienæ, non vero perſonæ.

2. Q. I. *An raptus contineat ſpeciem injuſtitiæ præter ſpeciem luxuriæ, & quibus pœnis puniatur?* ℞. 1. Si fæmina ſui juris non conſentiat in ſui abductionem, ſed invita per vim abducatur libidinis exercendæ cauſa, eſt proprie raptus, continens etiam peccatum injuſtitiæ: nam tali fæminæ graviſſima injuria infertur, juſque ejus læditur, quod habet, ne ab alio per violentiam moleſtetur. Item, ſi fæmina ſit ſub poteſtate patria, vel tutoria; etiamſi conſentiat in ſui adductionem; nihilominus raptus iſte committitur ob injuriam illatam patri, & tutoribus; licet raptor mitiori pœna puniatur arbitrio judicis. At ſi fæmina ſui juris volens, & conſentiens abducatur, non eſt raptus, cum nullius jus violetur; etſi deinde invita carnaliter per vim cognoſcatur: nam in maleficiis voluntas, & initium ſpectatur, non exitus *l.* 14. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* eo tamen in caſu ſtuprum committitur ob violentam copulam. Sic e contra, ſi puella vi abducta, deinde ſponte conſentiat in copulam, raptus eſt, non ſtuprum.

3. ℞. 2. De jure civ. raptor fæminæ, præſertim conjugatæ, punitur pœna mortis remota appellatione, ejus bona applicantur raptæ ingenuæ, non tamen ancillæ, vel libertinæ, *l. un. C. de rapt. Virg.* Conſt. Car. V. *art.* 118. ubi pœna mortis confirmatur. Circa remiſſionem ad locum delicti, variant DD. hodie rarus uſus eſt remiſſionum, & ibi puniuntur criminoſi, ubi in crimine reperiuntur.

4. ℞. 3. De jure Can. raptus contrahendi matrimonii cauſa commiſſus, varias habet pœnas in *cauſ.* 36. *q.* 1. *&* 2. *c.* 6. *& fin. h. t.* hodie vero ſervandæ ſunt pœnæ Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de refor. matr.* de quibus egi *lib.* 4. *tit.* 1. Sed quas pœnas habeat raptus exercendæ libidinis cauſa commiſſus, nihil certi colligo ex canonibus; ac proinde attendenda eſt conſuetudo optima jurium dubiorum interpres. Nec me convincit ſententia Bonaccinæ, Azor. & aliorum dicentium, pœnas a *cit. Trid.* proditas habere locum etiam in raptu libidinis cauſa facto: nam contrarium apparet tum ex tenore Tridentini loquentis de raptu contrahendi matrimonii cauſa facto; tum etiam ex mente ejuſdem Concilii unice volentis conſulere libertati matrimoniorum; tum quia ita declaraſſe fertur S. Congregat. Concilii 1586. 23. *Januar.* quod ſcilicet ſub hoc Decreto non contineatur raptus, niſi ſit ob matrimonium ineundum factus. *Dices:* Trid. *loc. cit.* ſtatuit pœnas in clericos raptores, qui matrimonii cauſa rapere nequeunt. ℞. Sufficere, quod clerici rapiant ob matrimonium de facto ineundum, ſicut, v. g. conſanguinei, vel conjugati, & conſ. in eis locum habent pœnæ Tridentini.

5. Q. II. *Quando cenſeatur rapina rerum committi, & quæ pœna hujus delicti?* ℞. 1. Rapina tunc committitur, dum quis rem alienam mobilem injuſte accipit per vim, ſive actu illatam, ſive inferendam, ſi præſens dominus rei raptori reſiſteret. Si metu res extorqueatur, non eſt raptus, ſed *concuſſionis* ſpecies: ſi immobilia invaduntur, pariter non eſt rapina; quia immobilia rapi non poſſunt, bene vero injuſte invadi: ſi præter vim addatur occiſio, vel aggreſſio ex inſidiis, erit latrocinium, aut deprædatio in viis, & ſtratis publicis. 2. Vis alia eſt *publica*, quæ regulariter fit cum armis, ſeu inſtrumentis, quibus noceri poteſt: alia *privata*, quæ fit ſine armis §. 8. *Inſt. de publ. jud.* Vide *tit. ff. & C. ad L. Juliam de vi publica, & privata*, ubi varia exempla hujus delicti enumerantur: & quidem *de vi publica*; arma domi habere præter uſum venationis, & itineris, conſilia inire ſeditionis cauſa, villas expugnare, cum telis, & armis bona rapere, ex incendio aliquid rapere, fæminam, vel puerum per vim ſtuprare, hominibus armatis poſſeſſorem dejicere e domo, vel agro ſuo &c. Exempla *de vi privata*: convocare homines ad aliquem verberandum, per injuriam alienum auferre, hominibus non armatis poſſeſſorem a ſuo fundo dejicere, res debitoris ſine auctoritate judicis occupare &c.

6. ℞. 2. Pœna civilis rapinæ eſt triplum pœnæ, & ſimplum rei, licet minima res ſit rapta; & hoc intra annum utilem, poſt hunc actio *vi bonorum raptorum* eſt tantum in ſimplum rei, aut æſtimationis *pr. Inſt. de vi bonor. raptor. l.* 2. §. 13. *& l.* 4. *pr. ff. vi bonor. raptor.* ſive raptor ſit manifeſtus, ſeu deprehenſus in rapina, ſive nec manifeſtus. Quare autem in furto manifeſto ſit pœna quadrupli, & in rapina tripli, ratio congrua eſt; quia furta ſunt frequentiora, & ideo ſaltem pro furibus manifeſtis major pœna imponi debuit; & aliunde raptor conveniri etiam poteſt judicio publico ex L. Julia de vi publica, aut privata: fur autem olim conveniebatur judicio tantum privato ad pœnam civilem.

7. ℞. 3.

7. ℞. 3. Pœna criminalis rapinæ, seu robbariæ sine armis patratæ, est amissio tertiæ partis bonorum, privatio dignitatis, & honoris cum infamia, §. 8. *Inst. de publ. jud. l. 1. pr. ff. ad L. Jul. de vi priv. l. 2. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv.* Si rapina armata vi patrata sit, ex L. Julia de vi publica, erat deportatio *l. 10. ff. ad L. Jul. de vi publ.* cui successit bannum imperiale; imo pœna capitis ex Const. Car. *ar.126.* & si cædes conjuncta sit, raptor supplicio rotæ condemnatur. Eamdem pœnam sustinent complices delicti, sicut in furto: imo, ut ait Carpz. qui metu incusso viatori, sua bona eripuit, eadem pœna plectendus est, tanquam perturbator pacis, & securitatis publicæ. In certis tamen casibus mitigatur pœna robbariæ, ut si hæc tantum attentata fuit, vel si a domino ante spoliato prœdo spoliatus est, vel si rapina facta est ex dira necessitate famis &c, vel si servus jussu domini rapinam fecit: quo casu dominus ordinaria, servus extraordinaria pœna plectendus est *l. 8. C. ad L. Jul. de vi publ.*

8. ℞. 4. De jure Can. raptor excommunicari debet *c. 1. h. t.* & si ante mortem noluerit satisfacere, vel si in ipsa rapina occisus sit, privatur sepultura sacra tanquam notorius peccator, *c. 2. h. t. & c. 2. de furt.* ubi etiam clerici interessentes tali sepulturæ jubentur deponi ab officio, & beneficio. 2. Qui ex rebus christianorum naufragantium aliquid surripiunt, incurrunt excommunicationem ipso jure *c. 3. h. t.* reservatam Papæ in *casu* 4. Bullæ Cœnæ: quæ tamen pœna non debet extendi ad causas morales, ut ad consulentes, fautores, receptores &c. cum hi non exprimantur. Ceterum principes, vel domini territoriales, si viator in via regia spoliatus est, non tenentur his pœnis Canonicis, aut civilibus; si tamen alicui salvum conductum dederunt, damna ei illata resarcire debent ex Recess. Imp. in Com. Aug. 1559.

9. Q. III. *Quando committatur crimen incendii, & quæ pœna illius?* ℞. 1. Crimen incendii tunc committitur, dum quis dolo malo, seu malitiose oppida, villas, segetes, acervos fructuum, & similia bona per se, vel per alios apposito igne succendit, sive id faciat ex odio, aut vindicta, sive commodi capiendi causa. Sub hoc crimine non continetur incendium *fortuitum*, seu casu factum; quia culpa, & pœna caret, *l. 11. ff. de incend.* neque incendium *culposum*, etiamsi culpa lata causatum fuerit, quia in criminalibus culpa lata non æquiparatur dolo *arg. l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

10. ℞. 2. De jure civili pœna incendii *dolosi*, pro qualitate delicti, erat exilium, vel deportatio, vel pœna capitis, aut ignis, *l. 9. & l. fin. §. ult. ff. de incend. l. 10. ff. ad L. Cor. de Sicar. l. 28. §. 12. ff. de pœn.* Ex Const. Carol. *art. 125.* incendiarii dolosi jubentur vivi comburi, licet ad evitandam desperationem spiritus eis soleat intercludi. Incendii vero *culposi* pœna est arbitraria, v. g. pecuniaria, incarceratio, relegatio, fustigatio; attamen citra mortem, & mutilationem, Carpz. De jure Can. laici dolose incendentes Ecclesias, & alia loca sacra, & his contigua ad 30. passus, ipso facto excommunicantur *Can. 107. Can. 11. q. 3. & Can. 5. omnes 17. q. 3.* loca vero profana incendentes excommunicari debent, *Can. 31. & seq. 23. q. 8.* neque incendiarii absolvendi, aut sepultura sacra donandi sunt, donec satisfaciant, vel ante mortem cautionem præstent de satisfaciendo, *ibid. & c. 5. h. t.* Contra clericos nulla pœna prodita est; quia non videbatur tantum crimen cadere in clericos: erit proinde pœna arbitraria. Mitigatur pœna, si incendium sit tantum attentatum, vel ex simplicitate potius, quam dolo causatum; modo adsint indicia simplicitatis, & si reus sit minorennis 16. vel 17. annorum, cui communiter pœna gladii decernitur; nisi malitia superaret ætatem. E contra ob repetitum incendium pœna non exasperatur, quia id non exprimitur in jure, sicut exprimitur de repetito veneficio, & latrocinio, Const. Car. *art. 130.* neque repetito delicti in capitalibus majorem arguit pœnam, nisi lex statuat, vel consuetudo, vel admisceatur aliud delictum, ut latrocinium: quo sensu procedit, *l. 3. C. ex quib. caus. infam. irrog.*

11. ℞. 3. Incendiarius culposus, si culpa theologica causam dedit incendio, damna inde secuta tenetur reparare in conscientia ante ullam sententiam; quia voluntarie læsit jus alienum: si vero culpa fuit solum civilis, seu juridica, non obligatur, nisi post sententiam judicis, sicut communior sententia tenet de obligatione ex L. Aquilia. 2. Si culpa fuit patrisf. vel servi, aut famuli in suo officio negligentis, & delinquentis, damnum reparat paterf. cujus est habere famulos peritos, & diligentes in suo officio: secus is damnum reparat, qui culpa sua causam dedit incendio. 3. In dubio incendium præsumitur fortuitum, non vero dolosum, aut culposum *l. 18. pr. ff. commodati, l. 1. §. 4. ff. de O. & A. l. 23. in fin. ff. de R. J.* quia dolus, & culpa, cum sit facti, probari debet ab asserente. Et quamvis incendium dicatur culpa inhabitantium factum, *l. 3. §. 1. ff. de off. præf. vigil.* id tamen non sufficit ad omnes condemnandos, sed culpa unius certæ personæ probari debet: neque sufficit ad patremfam. condemnandum: quia iste sine culpa esse potest in se, & in electione suorum famulorum, si isti in officio suo non deliquerunt: fieri enim potest, ut stabularius aliquid coquat in culina, ad quod conductus non est, & per incuriam suam incendat domum, quæ incuria patrif. non imputatur *l. 11. ff. de peric. & commod.* Vide meas *disp. civ. disp. 13. controv. 13.*

12. Q. IV. *Quomodo contingat violatio Ecclesiarum, & aliorum locorum sacrorum, & quæ pœna hujus delicti?* ℞. 1. Loca sacra violantur effractione, & spoliatione, vel sacrilega ablatione rerum sacrarum. De alio genere violationis hic non agitur.

13. ℞. 2. Violatores Ecclesiarum jure Rom. pro qualitate delicti puniebantur exilio, deportatione, gladio, suspendio, condemnatione ad bestias, *l. 9. 10. ff. ad L. Jul. peculat. l. 10. cum seq. auth. C. de Episc. & cler.* Ex Const. Carol. *art. 172.* hierothecam cum sacra hostia auferens jubetur comburi vivus: calicem, patenam, vel aliud vas sacrum surripiens, præsertim cum effractione, supplicio capitis: alias res sacras, ut candelabra, mappas, aut similia interdiu, & sine fractione tollens, pœna furti profani coercetur, Reiff. De jure Can. incendiarii, & violatores Ecclesiarum ipso facto excommunicantur; dummodo copulative adsit effractio, & spoliatio *Can. 107. Canonica 11. q. 3. & Can. 5. 21. §. siquis 17. q. 3. & c. 19. & 22. de sent. excom.* quæ excommunicatio post denunciationem est reservata Papæ.

☞ *Ex Const. Benedicti XIV.* Ab augustissimo: 5. *Martii* 1744. *Surripientes, asportantes, aut apud se retinentes Hostias, vel Particulas consecratas, seculari Curiæ tradendi sunt, prævia degradatione, si sint Ecclesiastici; etiamsi juxta Constit. Innoc. XI. quarto idus Martii* 1676. *hoc scelus pro prima vice perpatraverint, & minores sint annis* 25. *dummodo vigesimum attigerint, rejectis exceptionibus a reis dari solitis, vel quod non satis constet de earumdem Particularum consecratione, vel quod non fuerint subreptæ, asportatæ, vel respective retentæ ad malum finem: quarum exceptionum claram, & concludentem probationem ad eosdem reos, & non ad fiscum spectare decernitur.* ☜

Alii fures, qui citra effractionem furantur, v. g. calicem ex Ecclesia, excommunicari debent, *cap. fin. de furt. c. 16. de for. compet.* Si satisfacere nolint, non sunt absolvendi, nec in loco sacro sepeliendi: si vero ante mortem velint, sed non possint satisfacere, contritis Viaticum datur, sed eorum sepulturæ clerici interesse prohibentur sub amissione beneficii, *c. 2. h. t.*

14. ℞. 3. Violatores sepulchri civiliter conveniuntur ad interesse: & si dominus sepulchri agere nolit, quilibet alius admittitur ad pœnam 100. aureorum, *l. 3. §. 8. ff. de sepulchro violat.* Est ergo actio ista popularis, & ex dolo famosa, *cit. l. 3. pr. 2.* Armata manu cadavera spoliantes, vel ipsa corpora, aut ossa temere extrahentes, pœna capitis plectuntur, *l. 3. §. 7. & l. fin. eod.* habitantes vero in sepulchris actione 200. aureorum, & in civitate sepulchrum facientes pœna 40. aur. ex edicto Adriani puniuntur, *l. 3. pr. & §. 5. eod.* quæ jura hodie vix sunt in usu. 3. Creditores, qui cadaver defuncti sepulturæ tradi prohibent, æquiparantur violatoribus sepulchrorum, & 50. libris auri multantur, *l. fin. C. de sepulchr. viol.* imo tenentur lege julia de vi publica *l. 8. ff. eod.* Jure novo creditores isti debitum amittunt, alterum tantum hæredibus defuncti præstant, & tertia pars bonorum illorum publicatur: qua pœna tenentur & illi creditores, qui moribundi ædes ingressi, omnia sigillant, *Auth. item, Auth. Sed neque, C. de sepulchro violat.* ubi cetera legere poteris.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

Agitur de hac materia in Institut. *lib.* 4. *tit.* 1. In Pandectis *lib.* 47. *tit.* 2. *& seqq.* in Codice *lib.* 9. *tit.* 27. *& seqq. & lib.* 6. *tit.* 2.

1. *Nota* 1. Furtum dici a *ferendo*, vel a *furvo*, seu nigro; quia plerumque patratur in obscuro. *Furtum* proprie quoad rem est *contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve* §. 1. *Inst. de oblig. ex delict. l.* 1. *in fin. ff. h. t.* seu, ut definiunt TT. cum S. D. 2. 2. *q.* 66. *ar.* 3. est *occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.*

2. *Nota* 2. Furtum varie dividi: 1. in *Simplex*, cui non admiscetur, aliqua qualitas notabiliter aggravans, vel mutans speciem: & *qualificatum*, cui similis qualitas admiscetur, ut vis, effractio violenta, tela, arma &c. 2. In *Parvum*, quod est infra 5. solidos: & *Magnum*, quod adæquat, vel excedit 5. solidos, seu aureos Hungaricos, ut communis interpretatur. Utrumque hoc potest esse vel *primum*, vel *iteratum*, *diurnum*, vel *nocturnum*: *domesticum*, quod fit ab uxore, liberis, & familia: vel *extraneum*, quod fit a peregrinis, seu ab aliis extra familiam. 3. Ex parte materiæ in *furtum rei*, dum ipsa res mobilis aufertur: *furtum usus*, dum quis contra voluntatem domini re utitur, vel alter quam ut deberet, ut si depositarius, vel creditor utatur re deposita, vel pignorata; vel commodatarius, cui usus equi concessus est ad unum milliare, illo utatur ad duo, vel plura milliaria contra voluntatem domini: & *furtum possessionis*, dum quis possessionem solam, alteri competentem eo invito aufert; ut si debitor rem pignoratam auferat occulte a creditore; quo casu privat illum possessione talis rei. Divisio ista traditur in jure in definitione supra allata. 4. In *manifestum*, dum fur deprehenditur in ipso crimine, antequam perveniat ad locum, ubi rem furtivam deponere intendit; sive deinde deprehendatur a domino, sive ab alio, sive in actu flagranti, sive in itinere, sive in loco publico, sive privato, sive attineatur, sive tantum videatur, & inclametur: & *nec manifestum*, dum fur ita non deprehenditur, nisi postquam rem deposuit in loco destinato. Hodie divisio ista parum attenditur, cum plerumque ex furto agatur criminaliter, Manz. 5. Olim furtum erat quadruplex: *conceptum*, dum res simul captum, dum apud aliquem res furtiva reperta fuit, & contra hunc dabatur *actio furti concepti*; quia particeps fuit furti; sicut hodie adhuc puniuntur receptatores furum, *tit. ff. de recept. Oblatum*, dum res furtiva a fure, vel emptore mihi oblata fuit, ut apud me potius, quam alium reperiretur. Jam si apud me res inventa fuit, ego condemnatus fui, sed contra offerentem dabatur mihi *actio oblati* ad simplum rei, & triplum pœnæ. *Prohibitum*, dum quis prohibuit quærere furem, atque ita contra illum, velut suspectum de furto, dabatur *actio prohibiti*. *Non exhibitum*, dum quis rem furtivam apud se repertam petenti exhibere noluit: & contra hunc competebat *actio furti non exhibiti*. Divisionem istam sustulit Imp. §. 4. *In. de oblig. ex delict.* cum desiverit esse in usu. Hodie scienter recipientes, & celantes rem furtivam, tenentur actione furti nec manifesti *ibid. & l.* 14. *C. h. t.* celantes vero furem, pœna receptatorum puniendi sunt, *l.* 48. §. *qui furem ff. h. t.* 6. Furtum latius acceptum dividitur in varias species; ut sacrilegium, abigeatum, peculatum &c. quas in fine *h. t.* ex jure civili afferam.

§. I.

De Furto simplici.

3. Q. I. *Quando, & a quibus personis committatur furtum?* ℞. 1. Ad furtum requiritur: 1. *Res aliena* quoad substantiam, vel usum, vel possessionem; quia rei suæ furtum non datur, nisi in foro poli, si quis fraudulento animo contrectaret rem suam, quam putat esse alienam. 2. Res *mobilis corporalis*; quia res immobiles, & incorporales, auferri non possunt. 3. Ut fraudulenter contractetur *lucri faciendi causa*: nam si contrectetur sine lucrandi animo, v. g. ut res corrumpatur, aut deterioretur, non fit furtum, sed damnum ex L. Aquilia compensandum. 4. Ut contrectatio ista fiat, *rationabiliter invito domino*: unde qui consentiente, vel vidente domino, & non contradicente, cum facile contradicere posset, rem illius accipit, non est fur; quia dominus non censetur invitus, nisi aliud ex circumstantiis colligatur, §. 8. *Inst. de oblig. ex delict. l.* 91. *ff. & l.* 20. *C. h. t.* Similiter, qui in extrema necessitate aliquid accipit, non committit furtum; quia dominus non potest esse rationabiliter invitus; cum tali casu omnia sint communia. At in necessitate communi, quam mendici, & pauperes patiuntur, & in necessitate gravi non licet alienum accipere; & oppositam propos. *n.* 36. damnavit Inn. XI.

4. ℞. 2. Reus furti est omnis ille, qui alienum accipit, aut detinet causa lucri, invito domino: 1. Filiusf. & servus §. 12. *Inst. de oblig. ex delicto, l.* 17. *ff. h. t.* quia in hoc casu non sunt eadem persona cum patre, & domino; cum furari non sit effectus patriæ, aut dominicæ potestatis. Actio tamen furti non datur contra filium, & servum proprium; quia inter patrem, & filiumf. dominum, & servum nulla actio nasci potest, *ibid.* 2. Uxor aliquid surripiens de rebus mariti; licet propter conjunctionem maritalem non detur contra illam actio famosa *furti*, sed actio *rerum amotarum*, *l.* 52. *ff. l.* 22. § 4. *C. h. t. & tit. ff. rer. amotar.* 3. Creditor, depositarius, commodatarius, si re aliter utantur, quam sit a domino concessum, *l.* 40. 54. *ff. h. t.* & e contra ipse dominus est fur, si clam dolose auferat pignus creditori, vel rem usuario, aut fructuario ad usum, vel usumfructum datam, §. 14. *Inst. de oblig. ex del. l.* 12. §. 2. *ff. h. t.* 4. Qui furto cooperantur, ut mandantes, consulentes, auxilium præstantes, imo & recipientes, & occultantes furem cum rebus furtivis, §. 11. *Inst. de oblig. ex delict. l.* 48. §. 1. *& l.* 56. §. 1. *h. t.* & scienter ementes rem furtivam a fure, *arg. l.* 2. 5. *C. h. t.* 5. Inventor, & detentor rei alienæ, si diligenter non inquirat in dominum *l.* 43. §. 4. *ff. h. t. Can.* 6. *siquid.* 14. *q.* 5. Sed si post debitam diligentiam non reperiatur dominus, res profana licite, juxta aliquos, retinetur; licet securius sit eam in opera pia distrahere *l.* 43. §. 3. *ff. h. t. l.* 1. 2. *ff. pro derel.* res vero sacra prælato Ecclesiæ tradenda est. 6. Religiosus, vel prælatus surripiens aliquid ex rebus monasterii peccat non tantum contra paupertatem, sed etiam contra justitiam; adeoque reus est furti. Similiter si prælatus aliter dispenset, vel aliter utatur rebus monasterii, quam sibi regula permittat, furtum committit, sicut quicumque alii administratores, S. D. 2. 2. *q.* 32. *ar.* 8. nam prælati non sunt domini, sed administratores *c.* 2. *de donat.* neque bona monasterii dicuntur esse *communia* eo sensu, quod sub nullius dominio sint; vel quod per occupationem acquiri possint a religioso, vel prælato; sed dicuntur *communia*, quia ipsa communitas est persona ficta, & domina talium bonorum, sicut hæreditas jacens *l.* 61. *pr. ff. de A. R. D.* ac proinde jus communitatis læditur per iniquam talium bonorum usurpationem. 7. Jure Can. quasi furtum, & rapinam committit, qui beneficium Ecclesiasticum occupat sine Canonica institutione, *Can.* 10. *non furem* 7. *q.* 1. *Can.* 18. *de restit. spoliat.*

5. ℞. 3. Reus furti non est: 1. Creditor, qui non valens suum debitum recuperare, occulta utitur compensatione, concurrentibus aliis conditionibus, ut alias dixi. 2. Qui non manifestat furem; nisi ex officio suo ad id teneatur, *l.* 48. §. 1. *ff. h. t.* vel nisi simul esset particeps rei furtivæ *c.* 4. *h. t.* 3. Qui bona fide accipit, vel detinet alienum, putans esse suum, cum desit fraudulenta contrectatio. 4. Qui domino expresse, vel tacite consentiente, rem illius aufert. Is tamen, qui incitavit servum ad aliquid domino furandum, etsi dominus consentiat ad rei ablationem, tenetur actione furti, & servi corrupti §. 8. *v. unde*, *Inst. de oblig. ex del l.* 20. *C. h. t.* quia consilium fuit perniciosum; licet per accidens impeditum.

6. Q. II. *Quæ, & cui dentur actiones contra fures?* ℞. 1. Si ex furto agatur civiliter, quatuor dantur actiones. 1. *Ad exhibendum*, quæ est præparatoria ad vindicationem. 2. *Reivendicatio* ad rem suam repetendam. 3. *Condictio furtiva* in odium furum introducta, qua petitur res, vel æstimatio rei, & totum interesse a fure, ac si iste factus fuisset dominus rei furtivæ:

& hæ

& hæ actiones sunt rei persecutoriæ. 4. *Actio famosa furti*; & quidem in quadruplum; si furtum fuit manifestum: in duplum vero pœnæ, si furtum fuit nec manifestum: & hæc est pœnalis, seu pœna persecutoria: hodie tamen, cum fures plerumque sint pauperes, cessat pœna quadrupli, aut dupli, & in ejus locum succedit pœna corporalis. Ratio horum est, quia in fure datur obligatio rem furtivam exhibendi, & restituendi; vel si res ipsa reddi nequeat, præstandi æstimationem rei cum reparatione lucri cessantis, aut damni emergentis: & ob hoc delictum datur obligatio subeundi pœnam: ergo recte assignantur quatuor istæ actiones contra furem.

7. ℞. 2. Reivindicatio, & condictio furtiva competit soli domino, ejusque hæredibus contra furem, ejusque hæredes, & furti participes *l.* 14. §. 16. *ff. h. t.* si plures sint fures, singuli tenentur in solidum: uno autem satisfaciente, ceteri liberantur *l.* 1. *C. de condict. furtiv.* & hæc est *conditio certi*; qua res ipsa, vel certa ejus æstimatio petitur. At *condictio incerti*, qua petitur usus, ususfructus, possessio, & omne, quod interest, competit etiam aliis, quorum interest rem non fuisse subreptam; ut usuario, fructuario, si fructus maturi sublati sunt, creditori; si pignus ei ablatum sit, commodatario, conductori *l.* 12. §. *fin. ff. de condict. furtiv. l. fin.* §. 3. *C. h. tit.* 2. Actio furti conceditur non tantum domino, sed omni illi, cujus interest rem non fuisse sublatam, §. 13. *Inst. de oblig. ex del. l.* 10. 11. *ff. & l. fin. C. h. t.* ut creditori, de pignore surrepto, sarcinatori, cui vestis ad resarciendum data, fulloni, cui vestis ad poliendum tradita, furto sublata est, si uterque est solvendo, commodatario, si dominus actione furti experiri nolit: non tamen depositario, nisi forsan ex culpa lata depositum ablatum fuisset; tunc enim depositarius conventus regressum habet contra furem; cum in hoc casu culpa lata non æquiparetur dolo, ob quem actio furti non conceditur depositario, *l.* 14. §. 3. *ff. h. t. arg. l.* 9. §. *fin. ff. ad L. Aq. &* §. 13. *cum seqq. Inst. de oalig. ex delict.*

8. ℞. 3. Si ex furto agatur criminaliter, actio furti est popularis cuilibet ex populo competens, ad hoc, ut fur puniatur ad vindictam publicam. Pœna autem furis pro qualitate delicti de jure antiquo fuit verberatio, multa pecuniaria fisco applicanda, relegatio, deportatio; non tamen pœna mortis, *l. fin. ff. h. t. Auth. sed. novo C. de serv. fugit. Nov.* 134. *c.* 13. *v. pro furto.* Crescente audacia furum, constituta est pœna mortis; quæ tamen regulariter non infligitur pro primo furto simplici, sed pro tertio; nisi consuetudo aliud habeat, vel primum furtum sit nimis grave, periculosum, seu qualificatum, *lib.* 2. *F. tit.* 27. §. *fin. & Const. Carl. art.* 159. *& seqq.* De his pœnis pro praxi consule Criminalistas, Carpz. Blar. Farin. Mascard. &c Ceterum licet etiam pro re parva moveri possit actio furti criminaliter, utpote remedium ordinarium *l.* 21. *ff. h. t. &* §. 16. *Inst. de rer. divers.* ubi auferens gallinam, dicitur furtum facere: probabilius tamen, & benignius est, pro tribus furtis non adæquantibus quinque solidos, non posse decerni pœnam mortis, quia in Const. Carl. *art.* 161. statuitur, ut habeatur ratio quantitatis ablatæ, & non solius numeri furtorum.

9. ℞. 4. De jure Can. pro foro interno fur ante ullam sententiam obligatur ad restitutionem rei ablatæ, & detentæ, & reparationem damnorum inde secutorum: & quidem suis sumptibus, cum injuste damnificaverit dominum rei. Hæc obligatio in furto gravi est sub mortali, in furto levi sub veniali. Quæ autem quantitas requiratur, & sufficiat ad constituendum peccatum mortale, mathematice definiri non potest; sed id ex circumstantiis, & conditione personarum desumi debet: & quidem duo, vel tres aurei a ditissimo, & potentissimo Rege, & principe ablati sufficiunt ad mortale; quia quantitas ista gravis reputatur, quam etiam princeps non præsumitur velle jactare, *l.* 9. *cum seq. ff. de dolo malo.* Duo, vel tres nostri floreni ab homine valde divite; a ceteris vero civibus tantum sublatum, quantum eis sufficeret in victu unius diei: ab operario duo, vel tres grossi, a mendico pauci nummi sunt materia sufficiens constituendi mortale: nam jacturam istam domini graviter ferunt. Plura de his videre in TT. Moralib. 2. In foro externo fur condemnatus, fit infamis, & conf. irregularis, *Can.* 27. *infames,* 6. *q.* 1. occultus vero, peracta pœnitentia, admitti potest ad ordines. 3. Fures excommunicari solent, præsertim ad finem revelationis; ut si intra certum præfixum tempus non restituant; vel qui sciunt, non revelent furem, sint hoc ipso excommunicati, Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de refor.* Hac tamen excommunicatione non teneretur is, qui in extrema necessitate rem abstulit, & consumpsit; quia probabilius non tenetur ad restitutionem. 4. Clericus in notabili furto, vel iterato convictus, deponitur ab ordine, & officio *Can.* 13. *d.* 81. & si incorrigibilis sit, traditur curiæ seculari, *c.* 10. *de judic.*

§. II.

Variæ species Furtorum ex *lib.* 47. *&* 48. *ff. & lib.* 9. *Codicis.*

10. I. *Crimen tigni juncti* est, dum quis ex alieno *tigno*, hoc Ist, ex aliena materia ædificat; ut si proædificio adhibeat alienos lapides, calcem, arenam, trabes &c. hæc enim omnia intelliguntur nomine tigni, §. 29. *Inst. de R. D.* Qui ergo scienter, & mala fide junxit tignum alienum, tenetur actione in duplum: & insuper actione ad exhibendum, & reivindicatione, quasi dolo possidere desiisset. Hac tamen vindicatione non agitur, ut tignum exhibeatur, & restituatur, quia lex XII. Tabb. ædificia solvi prohibuit, sed ut pretium rei solvatur. Qui vero bona fide junxit tignum furtivum, tenetur solum actione dupli; qua probabiliter etiam tenetur, qui bona fide junxit tignum alienum non furtivum; quia alterum simplum non est pœna, sed quædam compensatio facta domino, qui cogitur carere tigno suo: ita *tit.* 3. *ff. de tigno juncto, &* §. 29. *Inst. de R. D.*

11. II. *Crimen in hæreditatem* committitur a servo, qui testamento liber esse jubetur, si quid dolo malo, vel culpa lata ex hæreditate nedum adita surripiat, vel corrumpat. Talis servus tenetur actione prætoris in duplum, & reivindicatione ad similitudinem furti: & si plures servi peccarunt in hæreditatem jacentem, singuli in solidum duplum tenentur: nec unius pœna præstat alteri in punitatem: ita statuitur, *tit.* 4. *ff. Si is, qui testamento &c.*

12. III. *Crimen furti adversus nautas, caupones, & stabularios.* Si alicui in navi, caupona, vel stabulo furtum factum est a servis, vel famulis exercitoris navis, cauponæ, aut stabuli, ex furto eorum tenetur dominus; eique, cui furtum factum est, optio datur, vel agere actione prætoria contra dominum principalem, vel actione civili furti contra famulos. At si furtum factum sit ab aliis hominibus viatoribus, & hospitibus, contra hos tantum agendum est, non contra dominum navis, cauponæ, & stabuli: nam furtum famulorum, & servorum imputatur domino, quia opera malorum hominum utitur; non vero furtum ab aliis commissum: ita hæc statuuntur, *tit.* 5. *ff. furti adversus nautas &c. &* §. *fin. Inst. de oblig. ex quasi del.*

13. IV. *Furtum a familia*, seu servis *commissum*, *ignorante domino*, punitur pœna dupli præter simplum condictionis; nisi dominus malit servos noxæ dedere, *tit.* 6. *ff. Si familia furtum fecisse dicetur.*

14. V. *Arborum furtim cæsarum* crimen committitur, dum quis clam, ignorante domino, arbores cædit, cingit, seu deglabrat, aut decorticat, ex quo arbores emori solent. Variæ hic concurrunt actiones: 1. Actio arborum furtim cæsarum in duplum. 2. Actio furti, si ligna cæsa auferantur fraudulenter. 3. Actio Legis Aquiliæ, si adsit animus injuriandi. 4. Actio locati, si colonus cædat. 5. Actio latrocinii ad vindictam publicam, quia hi, qui arbores, & maxime vites, cædunt, tanquam latrones puniendi sunt. Una ex his actionibus electa, ceteræ consumuntur, excepto eo, quod ex aliis actionibus in plus obtineri potuit. Evellens radicitus arborem, hac actione non tenetur; bene vero ex Lege Aquilia: ita hæc omnia habentur *tit.* 7. *ff. arborum furtim cæsarum.*

15. VI. *Crimen concussionis* fit, dum quis injustum timorem incutit pecuniæ, vel alterius rei extorquendæ causa. Quod ita extortum est, restitui debet, & concutiens arbitrarie punitur. Si quis minatus est alteri crimen imponere pecuniæ extorquendæ causa, publico judicio damnatur ad pœnam corporalem *tit.* 13. *ff. de concussione.*

16. VII. *Crimen abigeatus* committitur ab eo, qui pecora ex paſcuis, vel ex armentis ſubtrahit, ſeu abigit, & quodammodo deprædatur. *Armenta* dicuntur majora animalia; ut boves, & equi, ſub quibus etiam ſunt jumenta, ut muli, cameli, aſini. *Grex* conſtat minoribus pecoribus; ut ovibus, capris, ſuibus, quæ gregatim paſcuntur. Tunc autem quis cenſetur abigens, dum ex minoribus pecoribus totum gregem abigit, ſeu ſurripit; puta oves ſaltem decem, & porcos quinque, vel quatuor; vel qui hanc artem exercet ſæpius, v. g. ter, quater unam, aut alteram ovem, abducendo. Ex majoribus, ſeu armentis ſufficit ad abigeatum unum pecus abduxiſſe: non tantum ex agro, ſed etiam e domo, aut ſtabulo: ſi quis vero bovem in ſolitudine errantem abducat, fur potius eſt, quam abigens. Hodie abigei puniuntur ut fures; & quidem laqueo, ſi citra effractionem: gravius vero, ſi cum effractione abigeatum commiſerunt: imo ut latrones, & graſſatores plectuntur, ſi gladio, & armis abegerunt. Olim pro qualitate delicti puniebantur relegatione, gladio &c. Vide *tit.* 14. *ff. de Abigeis, & tit. C. eod.*

17. VIII. *Crimen receptationis* fit, dum quis furem, ſeu alium maleficum recepit in ſuo, vel alieno, eumque occultat. Receptator pari pœna punitur cum malefico, quia in pari eſt culpa: mitius tamen, ſi propinquum occultavit, *tit. ff. & C. de receptatoribus.*

18. IX. *Furtum balnearium* fit ab iis, qui furantur veſtimenta ingreſſorum in balnea. Fures balnearii gravius puniuntur extra ordinem pro qualitate delicti; quia gravior pœna ſtatuenda, ubi facilis eſt copia furanei, *tit.* 17. *ff. de furib. balnear.*

19. X. *Crimen effractionis* eſt, dum a furibus fores, & parietes violenter perfringuntur diripiendi cauſa. *Crimen expilationis* eſt, dum prædones alienas ædes, aut villas expugnant, & ſpoliant. *Effractores, & expilatores*, cum ſint attrociores fures, gravius puniuntur: hodie ultimo ſupplicio exaſperato, uti & effractor carceris. Item pro qualitate delicti puniendi ſunt *Saccularii*, ſeu *Sacellarii*, qui artificioſe pecuniam e ſaccis ſubtrahunt. *Directarii*, ſeu *derectarii*, aut *dietarii*, qui in alienam domum ſe dirigunt, & ingrediuntur. *Aperturarii*, quibus nihil ita obſeratum eſt, quod non aperiant, *tit. ff. de effractorib.*

20. XI. *Crimen expilatæ hæreditatis* eſt, dum quid ſurripitur ex hæreditate jacente. Et quamvis ſurreptio iſta theologice ſit furtum; in jure tamen civili non dicitur *furtum*, ſed crimen capilatæ hæreditatis, quia non accipitur defuncto, qui non extat: nec hæredi, qui necdum adivit, & apprehendit poſſeſſionem, *l.* 13. *ff. de acq. poſſ.* Hoc crimen committitur a ſolis extraneis: non a cohærede, qui tenetur judicio familiæ herciſcundæ; neque ab uxore, quæ tenetur actione rerum amotarum, bene vero a vitrico, vel noverca, ſi quid rapiant ex hæreditate privigni, aliunde quam a patre, vel matre delata, *l.* 2. 3. *C. de crim. expil. hæred.* Punitur hoc crimen extraordinarie, hodie extraneus hæreditatem expillans, laqueum non evadet, cum per *l.* 1. §. 1. *ff. de effractor.* expilatores ſint atrociores fures. Vide *tit. ff. & C. expitatæ hæred.*

21. XII. *Crimen termini moti* eſt, dum quis doloſe terminos, ſeu limites fundorum mutat, vel ut præciſe alteri noceat, vel ut aliquid de fundo alieno detractum ſuo addat. Et quidem terminos propellens, fundi ſui dilatandi cauſa, pro qualitate perſonæ, & ætatis punitur corporaliter verberatione, relegatione, condemnatione ad opus publicum, *l.* 1. *ff. de termino moto, Conſt. Carol. art.* 114. item tenetur ad reſtitutionem termini, & reparationem damni illati. Si vero extraneus terminos movit, ut litem inter confines excitaret, tenetur actione populari in 50. aureos ex L. Agraria C. Cæſaris: ſervus vero, vel ancilla id faciens, capitali pœnæ ſubeſt ex L. Divi Nervæ, niſi dominus multam ſufferre maluerit *l. fin. eod.* Actio *termini moti*, ſeu *legis Agrariæ*, utpote ex delicto deſcendens, non tranſit contra hæredes, niſi ejuſdem criminis ſint rei: ſed ſi quid ad eos pervenit, tenentur ſola actione ad exhibendum, rei vindicatione, vel condictione, prout res ſe habet, *l.* 1. *ff. de privat. delict.* Vide *tit. ff. de termino moto.*

22. XIII. *Crimen repetundarum*, puta pecuniarum eſt, dum magiſtratus, vel officialis publicus pecunias ſordide accipit ob judicandum, vel decernendum; & generaliter ob præſtandum id, quod ex officio ſuo præſtare debet; vel contra ob non faciendum id, quod faciendum foret. Crimen hoc ex L. Julia repetundarum, quæ voluit magiſtratus ab omni ſorde puros eſſe, punitur pœna quadrupli, ita ut exacta pecunia, ſeu quodcumque munus in quadruplo reſtituatur, *l.* 1. *C. ad L. Jul. repetundar.* donatum ex hac cauſa uſucapi non poteſt: venditio, locatio ex ſimili cauſa facta pluris, vel minoris, eſt irrita *l.* 8. *ff. eod.* & pro qualitate delicti reus interdum extra ordinem punitur *l.* 7. *in fin. ff. eod.* Movetur actio iſta etiam contra dantem, cum & dare ob talem cauſam turpe ſit; & contra hæredem intra annum, cum turpia lucra non ſint imputanda hæreditati, *l.* 2. *ff. & l.* 4. *C. eod.* Durante officio, non inſtituitur hoc judicium, niſi contra præſides, ſeu gubernatores provinciarum, ſi judicia venalia faciant *l. fin. C. eod.* Si olim etiam apud ethnicos tam deteſtabilis fuit acceptio pecuniæ pro exercendo actu officii publici, quanto magis cavenda erit magiſtratibus chriſtianis; & præſertim Eccleſiaſticis. Vide dicta *lib.* 1. *tit. de off. Jud.* Agitur de hoc crimine publico *tit. ff.* & *C. ad L. Juliam repetundarum.*

23. XIV. *Crimen peculatus* eſt furtum pecuniæ publicæ, ſeu fiſcalis ad rempubl. ſeu principem pertinentis: vel furtum rei ſacræ, quod proprie dicitur ſacrilegium. Si quis municipio, ſeu civitati inferiori pecuniam ſurripiat, furtum eſt, non peculatus, *l.* 15. *ff. de V. S. l.* 81. *ff. de furt.* Nomine *pecuniæ*, venit omnis res ad ærarium principis pertinens *arg. l.* 4. *§. fin. ff. ad L. Jul. pecul.* Committitur hoc crimen variis modis; ut ſi pecunia publica principis Superiorem non recognoſcentis ſurripiatur, vel res ſacra, quia ſacra ſunt publica; vel ſi quis in talibus publicis minorem ſummam ſcripſit, vel effractis muris, aut portis civitatis aliquid inde abſtulit, *l.* 4. 10. 11. *ff. eod.* 2. Judicium peculatus eſt publicum ex L. Julia peculat. & ſi pecunia fiſco incorporata fuit ſurrepta, eſt pœna pecuniaria quadrupli; alias eupli, ſi ſurrepta eſt pecunia fiſco debita, ſed non incorporata *l.* 6. 13. *ff. ad L. Jul. pecul. l.* 7. 8. *C. de jure Fiſc. l.* 1. *C. de his, qui ex publ. rat.* altera pœna eſt deportatio, hodie ultimum ſupplicium, quo etiam puniuntur magiſtratus, qui tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerunt, & hi, qui eis ad hoc miniſterium exhibuerunt, vel pecunias ab eis ſubtractas ſcienter receperunt, §. 9. *de publ. jud. l. un. C. de crim. peculat.* 3. De jure Can. clerici, qui bona Eccleſiæ ſibi appropriant, vel alienant, tanquam rei peculatus excommunicantur, niſi celeriter reſtituant *c.* 6. *de reb. Eccl. alien.* & ſi reſtituere non poſſint, deponuntur, *Can.* 35. *Diaconi*, 12. *q.* 2. *Far.* Vide *tit. ff. ad L. Jul. peculat. & tit. C. de crim. peculat.*

24. XV. *Sacrilegium* eſt crimen, quo res ſacra e loco ſacro, vel res ſacra e non ſacro, vel res non ſacra, attamen Eccleſiæ concredita, de ſacro fraudulenter aufertur, *Can.* 21. *§. ſimiliter* 17. *q.* 6. Eſt hoc crimen mixti fori, & ex eadem L. Julia punitur extraordinarie pro qualitate furti uſque ad pœnam capitis; qualis etiam eſt deportatio, & damnatio ad metallum §. 2. *v. capitalia de publ. judic. l.* 6. *pr. & l.* 9. *ff. ad L. Jul. pecul.* hodie fures ſacrilegi pro qualitate delicti puniuntur ſuſpendio, vel igne. De jure Can. ſacrilegus dare debet 30. libras puriſſimi auri, fit infamis, & ſi res Eccleſiæ non vult reſtituere, excommunicatur, donec ſe corrigat, *Can.* 21. *indigne* 12. *q.* 2. Vide *l.* 2. 4. 5. 6. 9. *ff. ad L. Jul. pecul. & de ſacrilegis; & de reſiduis.*

25. XVI. *Crimen de reſiduis* eſt, quo tenetur magiſtratus, qui pecuniam publicam in certum uſum deſtinatam retinet, neque eam fiſco, ſeu ærario infert, *l.* 2. 4. §. 4. *ff. ad L. Jul. pecul.* ubi huic delicto, præter infamiam, dictatur pœna, ut damnatus tertia parte plus, quam debet, fiſco inferat, ſive pecuniam publicam in ſuum uſum converterit, ſive non converterit in illum uſum, ad quem fuit deſtinata. Hodie pœna eſt arbitraria, non vero ſuſpendii, quia officiales publici non tam furantur, quam perfide agunt, & pecuniam ſuo periculo adminiſtrant, *l.* 9. §. 2. *ff. eod. & l.* 53. §. 1. *ff. de admin. tutor. l.* 6. *ff. de publican. & vectib.*

26. XVII. *Plagium* eſt crimen publicum, quo liber homo, vel ſervus alienus furtim abducitur animo illum celandi: ſeu eſt furtum liberi hominis, aut ſervi alieni. Plagiarii ex L. Fabia de plagiariis puniuntur pro qualitate delicti pœna pecuniaria, exilio, damnatio-

ne

ne ad metalla; & aliquando gladio, si venditor scienter emptori scienti liberum hominem vendiderit. Vide *tit. ff. C. ad L. Fabiam de plagiar.* De jure Canon. plagiarii acriter puniendi sunt; non tamen morte, quam Ecclesia infligere nequit. Nec obstat textus *Exod.* 21. *v.* 27. relatus *c.* 1. *h. t.* nam quoad mortem corporalem hodie non tenet; bene vero quoad spiritualem, puta excommunicationem, licet secularis judex morte punire possit plagiarium.

TITULUS XIX.

De Usuris.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. *hoc tit.* in Decreto *dist.* 46. *&* 14. *q.* 56. in Pandectis *lib.* 22. *tit.* 1. in Codice *lib.* 4. *tit.* 32. De mutuo agitur in Institution. *libr.* 3. *tit.* 15. *princ.* in Pandectis *libr.* 12. *tit.* 1. in Codice *libr.* 4. *tit.* 1. 2. *Nov.* 106. 110. 121. 136.

Cum usura sit filia mutui, & de hoc in jure Can. nullus specialis titulus habeatur, non erit inconveniens prius de mutuo, deinde de usuris tractare.

§. I.

De Mutuo.

1. *Nota* mutuum *objective* accipi pro ipsa re mutuo data; *effective*, seu *consecutive* pro jure, & obligatione ex mutuo descendentibus. *Formaliter* vero pro contractu; qua ultima acceptione mutuum est *contractus realis stricti juris, quo res fungibilis in alterum transfertur ea conditione, ut res ejusdem generis, quantitatis, & qualitatis, seu bonitatis restituatur*: ita in re comm. ex *l.* 2. *§.* 1. *ff. de rebus credit. Dicitur* 1. *realis*, quia mutuum non contrahitur, nisi ex traditione rei. *Dicitur* 2. *stricti juris*, quia, cum mutuum §. 28. *Inst. de action.* non numeretur inter contractus bonæ fidei, sequitur illud esse stricti juris, ut judex secundum terminos conventionis teneatur judicare. *Dicitur* 3. *res fungibilis*, seu usu consumptibilis; cujusmodi sunt res *pondere*, *numero*, *& mensura* constantes, ut lana, pecunia, vinum, oleum &c. oves tamen, boves, equi, & similia animalia non constituunt materiam mutui, cum eorum usus non consistat in abusu, *l.* 68. *§. fin. ff. de usufr. Dicitur* 4. *ut res ejusdem generis &c.* nam obligatio mutuatarii est, non ut restituat eamdem *speciem*, seu philosophice loquendo, *idem corpus individuum*, sed idem genus, seu rem similem in eadem quantitate, & qualitate; ut triticum pro tritico, vinum pro vino, lanam pro lana &c. ita ut tantum, & tam bonum restituatur, quantum, & quam bonum mutuo datum fuit. In pecunia id speciale est, quod non attendatur corpus, seu materia, sed valor publicus, & æstimatio, ut dixi *libr.* 3. *tit. de censib.* Ex his discrimen habes mutui a commodato, locato, deposito, in quibus dominium rei non transfertur in accipientem, sed idem corpus, seu individuum rei restitui debet: secus est in mutuo.

2. Q. I. *Qui possint mutuum dare?* ℞. 1. Omnes liberam rerum administrationem habentes, nisi specialiter prohibeantur: nam contrahere est libertatis. Unde etiam servus, & filiusfam. pecuniam peculiarem, & fur pecuniam ex re furtiva redactam mutuam dare potest, *l.* 7. *ff. de R. C.* quia licet furtiva fuerit, tamen pecunia inde redacta non est furtiva. Prohibentur autem mutuum dare: 1. Pupilli, & minores sine auctoritate tutoris, & curatoris, *l.* 12. *&* 19. *eod.* 2. Filiusfam. rem patris, & servus rem domini *l.* 11. *in fin. eod.* 3. Præsides provinciarum *l.* 33. *eod.* quia negotiatio eis prohibetur. Denique omnes illi, quibus paciscî, & contrahere prohibitum est a natura, vel jure.

3. ℞. 2. Si mutuum bona fide acceptum est a persona inhabili, & bona fide consumptum, mutuum convalescit, & pecunia, seu res consumptione acquiritur accipienti: ita comm. Exempla habes in *l.* 12. 13. 19. *ff. de R. C.* ubi mutuum a furioso, servo, pupillo datum convalescit consumptione bona fide facta. Quod etiam procedit in solutionibus, & liberationibus; ut si debitor alienam pecuniam dedit, & creditor eam bona fide consumpsit; tunc enim consumptione facit suam *l.* 78. *&* 94. *ff. de solution.*

4. ℞. 3. Fictione juris censetur mutuum dedisse: 1. Qui dedit speciem, seu corpus, v. g. poculum aureum, ut ex ejus distractione pecunia esset mutua, *l.* 11. *pr. ff. de R. C.* licet de rigore juris non esse mutuam dicat Africanus, *lib.* 34. *ff. mandati.* 2. Qui pecuniam sibi debitam jussit ab altero accipere, quasi sibi cessam in mutuum, *cit. lib.* 34. quia delegans debitorem, videtur mutuum dare, & per fictionem brevis manus tradere, *lib.* 18. *ff. de fidejussor. & l.* 15. *ff. de R. C.* 3. Qui deposita pecunia permittit uti depositarium, *l.* 9. *§. fin. eod.* quia hic consensus vim habet traditionis, *arg. §.* 44. *in de rer. divis.* 4. Qui suam pecuniam dat nomine tertii absentis, & ignorantis, v. gr. Titius nomine Caji credit pecuniam Sticho: quo casu Cajus fingitur pecuniam credidisse, *l.* 9. *§.* 8. *ff. de R. C.* quamvis enim alteri per alterum obligatio non acquiratur actu civili, uti est stipulatio, *l.* 38. *§.* 17. *ff. de V. O. & §.* 5. *In. per quas pers.* acquiri tamen potest actu naturali, uti est mutuum, *l.* 126. *§.* 2. *ff. de V. O. l.* 3. *C. per quas person. l.* 6. *C. de condict. indeb.* A fortiori id procedit, si quis pecuniam nostram nomine nostro det mutuam *l.* 4. *C. si cert. petat.*

5. Q. II. *Qui, & quomodo obligentur ex mutuo?* ℞. 1. Omnes obligantur, & tenentur condictione certi, aut incerti, qui ex contractu obligari possunt. Hinc pupilli sine auctoritate tutoris non obligantur, nisi facti sint locupletiores, *l.* 3. *pr. ff. commodat.* Dominus ex mutuo servi, aut procuratoris non obligatur, nisi voluntate domini censeatur mutuum acceptum; ut si dominus mandatum dedit, si servum negotiationi, vel pecuniis fœnerandis, & accipiendis præposuit.

6. ℞. 2. Collegium, seu universitas, v. g. civitas, Ecclesia, monasterium non aliter obligatur ex mutuo per administratores accepto, nisi probetur in utilitatem ejus conversum fuisse, *lib.* 27. *ff. de R. C.* ne scilicet Ecclesia per fraudem, & iniquitatem administratorum lædatur, & ære alieno gravetur. Nec sufficit, quod mutuum acceptum sit cum consilio, & consensu seniorum, vel quod in instrumento exprimitur causa necessitatis, & utilitatis: nam hæc omnia fraudibus subsunt in gravamen communitatis, & senioribus nullo jure permissum est disponere circa res, & gravamina communitatis. Secus esset si adesset consensus totius civitatis, capituli, aut monasterii, saltem capitulariter a majori parte datus: tunc enim communitas ex mutuo accepto censetur obligata, *c. pen. de fidejussor.* Porro in casu priori, cum communitas intentionem suam habeat fundatam in jure, onus probandi mutuum fuisse conversum in utilitatem communitatis, incumbit creditori tamquam actori, *l. un. Cod. de solut. & liber. debit. civil. libr.* 12. *& Auth. hoc jus in fin. Cod. de SS. Eccles.* Vide meas *Disput. Civ. disput.* 11. *controv.* 3.

7. ℞. 3. Filiusfam. ex pecunia mutuo accepta mero jure obligatur: ita comm. eorum, qui non tantum bene sentiunt, sed etiam bene loquuntur: licet aliqui non penetrata natura *obligationis*, *& exceptionis*, perperam dicant filiumfam. nullo modo obligari; nam exceptio juris, proprie talis, supponit obligationem, & actionem, cujus est elisio *princ. Inst. de except.* Sed filiofam. contra fœneratorem competit exceptio SCti Macedoniani, *l.* 1. 9. *§.* 4. *ff. de SCto Maced.* ergo filiusfam. ex mutua pecunia est mero jure obligatus: tum quia SCtum hanc obligationem non tollit, sed expresse asserit, *lib.* 10. *eod. quia naturalis obligatio manet*: neque necesse fuit eam tollere, quia stante tali obligatione, finis totius SCti obtinetur. *Dices*: *l.* 1. *eod.* negatur actio creditori, seu fœneratori; ergo nulla est obligatio in filiosfam. ℞. Actionem negari non ideo, quia mero jure non competit, sed quia ei obstat notoria exceptio SCti Macedoniani.

8. ℞. 4. Filiofam. ejus patri, & fidejussori competit exceptio perpetua SCti Maced. ad hoc præcise, ne teneantur solvere mutuam pecuniam a filiofam. acceptam: ita *lib.* 1. *d. t.* Ratio hujus saluberrimi SCti fuit, ne filiorum mores per pecuniam, & luxum depravarentur in maximum detrimentum reip. & desolationem parentum; & ne filii ære alieno gravati optarent mortem parentum, eorumque vitæ insidiarentur, ut a contractis debitis liberarentur.

9. Quæ

9. Quæ rationes cum concernant bonum publicum, & favorem tertii, seu parentum, suadent, quod filiusfam. neque juramento renunciare possit huic SCto Maced. ex doctrina, *cap. 28. de jurej. c. 2. de pact. in 6. & reg. 58. in 6. non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Idem suadent, quod exceptio ista SCti Maced. prosit non tantum in foro externo, sed etiam interno; quia secus non obtineretur finis SCti, cum eadem mala perseverarent. Fusius ista vide in meis *disp. civ. disp. 15. controv. 2. 3. 4.* Porro hoc SCtum introductum est in odium fœneratorum; & ideo nomen accepit a celebri fœneratore Macedone: licet alii nomen hoc derivent a quodam juvene macedone, qui ære alieno gravatus, & longam patris vitam pertæsus, eumdem occidit.

10. ℞. 5. SCtum Macedon. cessat in casibus expressis, *lib. 2. 3. d. tit.* ut si filiusfam. pro castrensi peculio pecuniam petiit, si patremfam. se finxit, si alium contractum inivit, ut venditionis, locationis, mutui aliarum rerum præter pecuniam &c. nisi id fieret in fraudem SCti; ut si fœnerator triticum venderet, ut ex eo mox vendito filiusfam. numeratam pecuniam haberet &c. 2. Cessat, si filius emancipatus, vel pater debitum solvit: ita ut solutum repetere non possint, *l. 9. §. 4. d. t.* tum quia SCtum factum est ad non solvendum, non vero ad solutum repetendum; tum quia obligationem mutui non sustulit, neque fœneratores punire voluit repetitione soluti: tum quia facta solutione, cessat finis SCti, scil. depravatio morum, & insidiæ vitæ paternæ. Si tamen filius in patria potestate constitutus solvit, pater solutum repetere potest, si nummi extent, *lib. 9. §. 1. hoc tit.* secus si bon. fid. a creditore consumpti sint, *lib. 14. ff. de R. C.* Si tandem pater solvere incepit, tenetur integrum debitum solvere, quia censetur debitum filii approbasse *l. 7. §. 15. ff. & l. 2. C. ad SC. Maced.*

§. II.

De Crimine Usuræ.

11. *Nota* 1. *Usura* nomine significari *usum*; & quandoque *fructum* ex re provenientem: sed in jure usura proprie objective sumpta, est *lucrum ultra sortem*, seu *quantitatem mutui*, & formaliter sumpta est *conventio de lucro dando ultra sortem præcise ex vi, & causa mutui*; sive lucrum istud consistat in pecunia, sive in alia re pretio æstimabili; ut vino, labore, obsequio &c.

12. *Nota* 2. Usuram dividi: 1. *In compensatoriam, moratoriam, & lucratoriam*. *Compensatoria* est illud lucrum, quod accipitur in compensationem ejus, quod nobis abest, puta ratione lucri cessantis, damni emergentis, expensarum, periculi in amittenda sorte &c. *Moratoria*, seu *punitoria*, est illud lucrum, quod accipitur per modum pœnæ conventionalis ob moram culpabilem in solvendo commissam. *Lucratoria* est lucrum ultra sortem præcise ex causa mutui. Et hæc est proprie usura, non vero duæ priores: quia non proveniunt ex titulo, seu causa mutui, sed ex aliis causis. 2. In *internam*, quæ in sola mente consummatur: & *externam*, quæ prodit in opus exterius. 3. In *mentalem*, *conventionalem*, & *realem*, ad similitudinem simoniæ. Mentalis est, dum ex mutuo dato intenditur aliquod lucrum ex justitia dandum; attamen sine prævio pacto. *Conventionalis* est, dum prævio pacto petitur aliquid ultra sortem mutui: & si hoc lucrum re ipsa detur, est usura *realis*, & *completa*, 3. In *expressam*, seu *formalem*, quæ fit disertis verbis: & *tacitam*, seu *virtualem*, quæ fit pacto implicito in factis, aut verbis relucente. Vocatur *palliata*, ut si mercem constantem 90. vendas 100. ob dilationem pretii intra annum; vel si dicas: do tibi centum mutuos, confidens eos vacuos non redituros.

13. *Nota* 3. Varios assignari titulos aliquid petendi ultra sortem; uti est titulus lucri cessantis, damni emergentis, periculum sortis amittendæ, si sit extraordinarium, & proximum: assecuratio, seu periculum sortis a creditore susceptum, mora culpabilis. Item obligatio non petendi ad certum tempus, labor numerandi pecuniam &c.

14. Q. I. *An usura ex genere suo sint mala, & illicita?* ℞. Affirmative: ita Catholici cum S. Thom. 2. 2. *quæst. 78. art.* 1. nam inspecta rerum natura, illicitum est capere lucrum ex re aliena; ut si ex horto vendito, aut permutato lucrum habere velis; sed in mutuo res fit aliena, scil. mutuatarii, ergo ex tali re illicitum est lucrum capere; tum quia vendere id, quod non est, ex genere, & natura sua est illicitum; sed in mutuo usurario venditur id, quod non est, scil. usus rei fungibilis, qui tamen non est distinctus ab abusu, cum non possimus uti, v. gr. vino, aut pecunia, quin abutamur; ergo: tum denique quia contractus, in quo deficit æqualitas, ex natura sua est illicitus; sed in mutuo usurario deficit æqualitas: nam creditor dat, v. gr. centum cum potestate abutendi, seu consumendi rem fungibilem; mutuatarius vero præter centum cum simili potestate abutendi reddere debet quinque, sex, vel decem, qui excessus ponit inæqualitatem dati, & recepti; ergo. Ex quo patet, usuras ex natura sua, seu de jure naturali, seclusо omni jure positivo, esse illicitas; adeoque omni hominum generi prohibitas. Jam conformiter juri naturali usuræ prohibentur *jure divino*. Deuter. 23. *v.* 19. *non fænerabis fratri tuo ad usuram pecuniam*, Exod. 22. *vers.* 25. Ezech. 18. *v.* 20. &c. Luc. 6. *vers.* 35. *mutuum date, nihil inde sperantes*: & ideo Alex. III. *cap.* 3. 4. *hoc tit.* dixit usuras esse condemnatas utriusque testamenti pagina: nam licet *mutuum dare* sit consilii; tamen si datum fuit, est præcepti, ut nihil inde speretur, hoc est, ex justitia accipiatur, S. Thom. *c. ad* 4. Prohibentur etiam usuræ *jure Can.* ut *Can.* 43. *Apost. Can.* 18. *Conc. Nicæn. Can.* 1. *& seqq.* 14. *q.* 3. & toto *hoc tit.* Unde in *Clem. unic.* §. *fin. hoc tit.* dicitur tanquam hæreticus puniendus, qui pertinaciter affirmare præsumpserit, exercere usuras, non esse peccatum. De *jure civili*, licet usuræ toleratæ fuerint ad majora mala præcavenda nullibi tamen positive approbantur, ut licitæ, sed potius condemnantur a Justin. *Nov.* 131. *c.* 1. ubi jubet regulas, seu Canones IV. Concil. observari: constat autem *Can.* 18. Conc. Nicæni prohiberi usuras, ut refertur *Can.* 2. *d.* 47. & Carol. V. an. 1530. expresse in sua const. prohibet usuras. *Dices*: 1. Pro usu vasis aurei potest pecunia accipi; ergo etiam pro usu, seu jure utendi pecunia. 2. Pecunia, & opera hominis æquiparantur, *l.* 5. §. 1. *ff. pro socio*; sed pro opera hominis potest lucrum exigi: ergo etiam pro usu pecuniæ. ℞. Neg. conf. nam usus vasis est distinctus, & separatus a corpore, seu substantia vasis; & cum sit prætio æstimabilis, pecunia locari potest; econtra usus pecuniæ est ejusdem abusus, neque separatur a dominio, & conf. ob inæqualitatem, & injustitiam nihil peti potest pro usu pecuniæ, nisi per accidens pecunia locetur, v. g. ad ostentationem, delectationem oculorum, pompam, & splendorem, ut eadem numero pecunia restituatur: quo casu, cum non celebretur mutuum, sed locatio, conductio, neque usus consistat in abusu, nihil prohibet aliquid accipi pro locato usu pecuniæ, utpote suo domino fructificantis, S. Thom. *loc. cit. ad* 5. *Ad* 2. Pecunia, & opera hominis secundum quid æquiparantur in ordine ad contractum societatis, ubi lucra negotiationis, & damna sunt communia; at in mutuo, ubi idem genus restituitur, non est æquiparatio, quia opera hominis ex se est frugifera, non vero pecunia, cum præter naturam sit, ut nummus nummum pariat, Arist. 1. *Polit. cap.* 7. Ceterum, quæ hic objici solent, ex dicendis solventur, & jam soluta sunt a S. D. *loc. cit. art.* 1. & 2. & apud Cajet. *ibid.*

15. ℞. 2. Usura censetur committi in seqq. casibus: 1. Quotiescumque mutuatario imponitur extranea obligatio justitiæ ad aliquid dandum, vel faciendum, v. g. ut ratione mutui aliquid pendat ultra sortem, obsequia præstet, injuriam, debitum, vel aliam obligationem remittat, preces, intercessiones, & commendationes interponat, officium, vel beneficium procuret, sit in futurum obligatus mutuum dare &c. nam hæc omnia sunt pretio æstimabilia, & ultra sortem exiguntur. Econtra non est usura, si a petente mutuum petas de præsenti aliud mutuum, & sub conditione hujus dare velis mutuum: nam hic nulla obligatio mutuatario imponitur, sed præcise unum beneficium mutui offertur alteri, si & iste simile beneficium vult præstare. Secus esset, si daretur mutuum, ut alter suo tempore obligatus

tus foret aliud mutuum dare: hic enim nova obligatio ei imponeretur.

16. II. Si creditor ratione mutui petit aliquid determinatum ex gratitudine, & benevolentia præstandum, est usura, & oppositam propositionem *num.* 42. damnavit Innoc. XI. nam tali casu alteratur obligatio gratitudinis, quæ indeterminata est, & transit in obligationem justitiæ, ut in simili casu dixi *tit. de Simon. num.* 7. At si quid sine ullo pacto offerretur ex obligatione pure antidorali; vel si creditor sub sola spe aliquid obtinendi, vel conciliandi sibi benevolentiam mutuatarii, eidem daret mutuum, nulla esset usura; quia nullum gravamen justitiæ imponeretur mutuatario.

17. Q. II. *An usuræ possint ex certis causis cohonestari, ut sint licitæ?* Quæstio ista non procedit de usuris formaliter talibus, quæ nunquam cohonestari possunt; quia peccatum ut tale, nunquam potest esse honestum; sed procedit de usuris materialiter spectatis, an scil. materia usurarum subduci possit a præcepto naturali non fœnerandi, ita ut ab eo subducta possit esse materia, seu objectum actus boni, & liciti: quo sensu solemus loqui de cohonestatione furti, homicidii, fornicationis &c. & in hoc sensu.

18. R. 1. Affirmative: nam materia usurarum non est ita intrinsece mala, sicut materia mendacii, hæresis, &c. ut in nullo casu variari possit, sed cum subest dominio divino, & variis circumstantiis, ita purificari potest, ut id, quod supra sortem accipitur, juste, & licite accipiatur, ut patebit ex dicendis, ergo.

19. R. 2. Usura cohonestatur, si Deus det jus petendi, & accipiendi aliquid ultra sortem: nam Deus, cum sit dominus omnium, potest ex bonis alienis alteri aliquid attribuere; ergo & illud lucrum ultra sortem mutui. Hoc modo usuræ, quas hebræi a gentibus exigebant, dicuntur fuisse licitæ, quia hebræi ex voluntate divina lucra ista, tanquam res sibi debitas vindicabant *Can. fin.* 14. *q.* 4. *& Can.* 12. *dixit.* 14. *q.* 5. S.D. tamen dicit usuras istas fuisse solum permissas, non vero licitas, 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 3.

20. R. 3. Usuræ moratoriæ, seu punitoriæ, sunt licitæ ex conventione, dummodo sint moderatæ, & mora fuerit culpabilis in solvendo, præfixo termino competenti: ita com. DD. nam exactio pœnæ conventionalis propter moram culpabilem utroque jure approbatur in contractibus *l.* 14. *C. de pactis*, *lib.* 23. *ff. de O. & A. l.* 13. §. 26. *ff. de action. empt. lib.* 15. *C. h.t. & c.*4. *&* 9. *de Arbitr.* ergo & in mutuo; cum lucrum hoc pœnale non exigatur ratione mutui, sed ratione moræ culpabilis. His non obstat *l.* 44. *ff. de usuris & fruct. l.* 15. *C. h. t. & Can.* 11. *fraternitas* 12. *q.* 2. *& Can.* 1. 4. 5. 8. *caus.* 14. *quæst.* 4. nam jura civ. loquuntur de pœna excessiva: Canones vero clericis prohibent pœnalia lucra ob indecentiam, ne videantur lucris turpibus inhiare.

21. R. 4. Usuræ compensatoriæ sunt licitæ: 1. *Ex titulo damni emergentis*, S. D. *l. c. a.* 2. *ad* 1. seu ratione jacturæ, quam patitur creditor ex mutuo dato; ut si nequeat ædes ruinosas reficere, si cogatur postea frumentum, aut vinum carius emere, vel aliunde mutuum accipere cum usuris: nam damnum suum quilibet licite vitare potest; ergo si creditor ex mutuo damnum patiatur, illius compensationem petere potest; dummodo super tali damno pactum liberum præcesserit, & mutuum sit causa hujus damni.

22. II. *Ex titulo lucri cessantis* pro quantitate spei consequendi lucrum: nam creditoris interest, ne tempore illo, pro quo mutuum dedit, suo lucro quærendo privetur: ergo loco lucri cessantis aliquid peti potest, ut insinuat JCtus, *l.* 60. *ff. pro socio*; dummodo spes certa, vel probabilis lucri manifestetur mutuatario, & mutuum sit causa, cur cessat negotiatio, & lucrum moraliter præsens: secus si lucrum plane sit incertum, S.D. *cit. a.* 2. *ad* 1.

23. III. *Ex titulo periculi* admittendæ sortis, si periculum sit extraordinarium, & proximum, nisi aliunde caveatur de sorte: ita Sylv. Reiff. cum citt. contra Nav. Sot. VVading. & alios: nam tale periculum, quod creditor subit, est pretio æstimabile, sicut in fidejussione, *lib.* 19. §. 1. *ff. de donat.* & in casum, quo res tempore solutionis minus sit valitura, *lib.* 5. *princ. ff. de naut. fœn. cap.* 6. *hoc tit.* ergo ratione hujus periculi licet aliquid ultra sortem petere. Favet huic sententiæ S. D. *Opus* 73. *de usur. quæst.* 10. & ita videntur excusati mercatores a peccato, qui aliquanto pluris vendunt merces in creditum illis personis, a quibus vix aliquid accipiendum prudenter timent; atque ita exponunt se periculo amittendæ sortis, seu justi pretii. Nec obstat, *cap.* 6. *h. t.* nam in priori parte damnatur conventio plus petendi ob dilatam solutionem; non vero ob periculum amittendæ sortis.

24. IV. *Ex titulo assecurationis*, dum creditor in se suscipit periculum pecuniæ, v.g. per mare trajiciendæ, ita ut si deperdita fuerit, debitor ad nihil teneatur: si vero salva ad locum conventum pervenerit, aliquid pro magnitudine periculi ultra sortem tribuatur, S. D. *Opusc.* 73. *de Usur. q.* 9. nam hic duo sunt contractus: *mutui*, ex quo nihil petitur, & contractus *assecurationis*, quo creditor in se suscipit periculum sortis: hæc autem assecuratio, quam gratis nemo tenetur præstare, est pretio æstimabilis; ergo ratione ejus aliquid peti potest: unde jure civili approbatur *nauticum fœnus tit. ff. & C. de nautico fœnore*: & quamvis jura loquantur de periculo marino; tamen ob identitatem rationis intelligenda etiam sunt de periculo terrestri, si creditor in se suscipiat periculum pecuniæ, vel alterius rei mutuæ per loca periculosa deferendæ. His non obstat, *cap. fin. h. t.* nam multi Interpretes legunt negative: *usurarius non est censendus*, alias Papa non fuisset usus particula conjunctiva: *ille quoque*, sed adversativa: *ille vero*, vel *econtra ille*: præsertim cum in isto capitulo agi videatur de his, qui excusantur ab usura. Vel dic, textum istum procedere in casu, quo non adest probabile periculum amittendæ sortis, sicut in secura navigatione, vel itineratione ad nundinas; vel si creditor non aliter vellit mutuum dare, nisi cum pacto assecurationis, ut exinde aliquid ultra sortem accipiat; & tunc saltem in foro externo censendus est usurarius, quia novum gravamen imponit invito mutuatario, Fagnan. Engl, Reiff. &c.

25. R. 5. *Ex titulo venditionis justæ* mutuo immistæ non committitur usura: 1. Si prævidetur pretium rei diminuendum, conveniri potest, ut restitutio fiat secundum præsentem æstimationem, v. g. do tibi tres modios tritici, quorum singuli valent duobus florenis, ut restituas certo tempore 6. modios, quorum singuli valebunt uno floreno, vel sex florenos solvas: nam hic formaliter plus non datur, sed idem secundum valorem æstimationis: & ideo si valor unius modii cresceret ad tres florenos, mutuatarius non teneretur dare nisi duos modios, vel sex florenos. 2. Si non prævidebatur pretium augendum, vel minuendum, secluso alio pacto, restitutio mutui fieri debet in natura secundum idem genus, quantitatem, & qualitatem, ut vinum pro vino, avena pro avena, sive pretium crescat, sive decrescat: hoc enim fit secundum naturam mutui, excepta pecunia, in qua per se solus valor attenditur, non materia, seu corpus. 3. Si vero prævidebatur pretium diminuendum, damnum est creditoris, qui excessum pretii censetur condonare, cum aliter pacto æstimatorio sibi non providerit. Si tandem prævideatur pretium augendum, regulariter mutuatarius liber est a damno, & restituet secundum publicam æstimationem, v. g. tres modios valentes sex florenis pro sex modiis, qui tempore initi mutui sex florenis valuerunt, nisi pactum de eadem quantitate restituenda intervenisset. Cum ergo casus isti sæpius lites pariant, optimum erit, ut mutuum celebretur cum pacto venditionis secundum præsentem valorem: quia hoc modo neutri contrahenti fit injuria.

26. R. 6. *Ex titulo delatæ solutionis*, dum quis obligat se ad non repetendum debitum intra certum terminum, v. g. intra unum, vel plures annos, nihil citra usuram accipi potest: ita comm. DD. nam dilatio solutionis, & obligatio non repetendi debitum intra certum terminum, est intrinseca, & essentialis, mutuo ut tali, seu hoc modo celebrato sed ratione mutui nihil citra usuram peti potest; ergo nec ratione dilatæ solutionis: tum quia, secluso alio titulo, pecunia in præfixo termino numeranda tantum valet, quantum præsens numerata pecunia; ergo si quid ultra exigatur, ponitur inæqualitas, & usura, ut patet ex opposita sententia ab Innoc. XI. damnata *num.* 41. *Cum numera-*

ra pecunia pretiosior sit numeranda; *& nullus sit*, *qui non majoris faciat pecuniam præsentem* , *quam futuram* , *potest creditor ultra sortem aliquid a mutuatario exigere*, *& eo titulo ab usura excusari*. Et quamvis illa obligatio non repetendi intra certum tempus esset pretio æstimabilis, tamen abunde compensatur per hoc, quod pecunia interim pereat, mutuatario perit. Unde 1. Qui vendit mercem 110. quæ valet 100. ob dilatam solutionem annuam, vel qui anticipate emit mercem 90. quæ tempore traditionis valeat 100. committit usuram sub contractu venditionis emptionis palliatam. 2. Qui dat triticum antiquum deterius, ut detur novum melius; vel qui dat vinum in autumno, ut antiquius restituatur in vere, vel detur tantum pretium, quantum est in vere, & generaliter qui dat mutuum, ut restituatur plus, vel melius, vel carius, non excusatur ab usura, cum aliquid ultra sortem accipiat.

27. Contendunt Tannerus, Haunoldus, & Sa relati a Reinfestuel. lib. V. tit. 19. de Usuris §. 3. per totum, contra commun. DD. usuras, secluso omni alio titulo, cohonestari posse ex causis publicis, quibus innitens princeps lege sua, concedere possit eas tamquam licitas in foro interno, & externo: probantque I. Doctrina generali, quod princeps vi dominii alti, ob causas publicas libere possit disponere de bonis subditorum, prout melius est bono communi ex principio naturali, quod *bonum publicum præferendum sit bono privato*, & sic si adsint causæ publicæ, & ita expediat bono communi, poterit princeps lege sua dispensare, ut lucrum illud ultra sortem ex alienis bonis proveniens, cedat creditori: neque appareat hic ulla iniquitas, aut potestatis defectus, cur princeps ob causas publicas nequeat dominium ab uno transferre in alterum civem, & rem unius attribuere alteri. II. Quod non minus usucapiones, & detentionis rei alienæ sint ab intrinseco malæ, & contrariæ præcepto naturali justitiæ, quam usuræ; & tamen princeps ob publicas causas, eas cohonestavit, ut sint licitæ, & justæ pro utroque foro juxta communem, quia materia usucapionum ita subducta non amplius continetur sub præcepto naturali non furandi, & suum unicuique tribuendi: ideoque etiam princeps ob causas publicas, cohonestare poterit usuras, ut sint licitæ in utroque foro, & in his circumstantiis amplius non contineantur sub præcepto naturali non fenerandi: ajuntque idem argumentum currere in irritatis contractibus pupillorum, minorum, alienationis rerum Ecclesiæ, & aliis in quibus princeps ob publicas causas, aliter disponit, quam jus naturale: quia hoc ad similes circumstantias se non extendit.

28. Quibus tamen objici potest. I. quod princeps non potest cohonestare fornicationes, & adulteria, vel mendacia, ergo nec usuras, quæ æquiparantur mendacio *cap.* 4. *hoc tit. II. Clem. un. hoc tit.* reprobantur omnia principum statuta usuram foventia, & ea defendens puniendus est, ut hæreticus. III. Princeps non potest immutare naturas rerum, puta ut ex re fructifera reddat fructiferam; sed pecunia est infructifera, ergo princeps eam reddere nequit fructiferam, ut lucrum supra sortem pariat, cum præter naturam sit, ut nummus nummum pariat, *Arist.* 1. *Polit. cap.* 7. IV. Usucapio cohonestatur per hoc, quod res incipiat bona fide possideri, & materia tam remota, quam proxima, scil. possessio rei subsit alto dominio principis: usuræ autem non incipiunt bona fide exerceri, nec materia proxima usuræ, scil. lucrum ex re infructifera, subest alto dominio principis, cum is ex re infructifera nequeat reddere fructiferam; ergo.

Verum respondent ad I. Negando consequentiam; nam corpora humana non subsunt dominio principis, sed solius Dei, qui dando jus in corpus solutæ, aut ligatæ, cohonestare potest fornicationes, & adulteria materialiter spectata; e contra bona civium substant alto dominio principis, & consf. princeps ob causas publicas dare potest jus percipiendi lucrum ex re aliena, uti fit in usuris. Comparatio usuræ, & mendacii procedit in formali, quia utrumque formaliter, & ab intrinseco est peccatum, sed non in materiali, cum materia mendacii nullo modo, materia vero usuræ in certis circumstantiis variari possit. Ad II. Statuta non fundata in causis publicis, & indiscrete foventia quascumque usuras excessivas, & mordentes, ut vocant, arbitrarias, Justitiæ, & charitati adversas, omnino reprobantur, & qui ea defendit cum errore speculativo pertinaci, hæreticus est, & ut talis puniendus; secus dicunt de statutis, de quibus hic loquuntur, quæ disponunt circa usuras moderatas, & justitiæ conformes, cum istæ altum dominium principis non transcendant. Ad III. Pecunia, accedente industria hominis, fit fructifera, sicut domus, vel ager, & ideo parit lucra in societate, & super illa quasi usus, & quasi ususfructus constitui potest *l.* 1. *&c. ff. de usufr. earum rerum*. Præterea princeps naturas morales immutare potest, ut patet in plurimis contractibus, & actibus in translatione dominiorum, & jurium &c. ergo etiam id facere potest, ut ex bonis alienis lucrum aliquod capiatur. Ad IV. Quidquid sit de veritate antecedentis, quod hic non impugnant, minime tamen doctrina ista satisfacit eorum argumento: nam agitur hic de jure juste alienum accipiendi: si ergo princeps facere potest, ut aliena bona, v. g. integræ civitates, & principatus licite usucapiantur, ita exigente bono publico, a fortiori facere poterit, ut aliquod lucrum capiatur ex re aliena, sive lucrum istud obveniat ratione rei fructiferæ, sive infructiferæ. Afferunt hoc obvium exemplum: princeps ex causa publica obligare potest civem, ut alteri civi annuos det 5. florenos, ergo ad eandem quantitatem obligare potest civem sub conditione, si ab altero cive centum mutuos acceepit; dummodo id suadeat causa publica, sine qua jus naturale quoad materiam mutari nequit.

29. Unde hujus sententiæ Sectatores inferunt, quod consuetudo Germaniæ accipiendi 5. pro 100. justificetur ex causis publicis, licet deficiat in particulari omnis alius titulus damni emergentis, lucri cessantis &c. Et probant enumeratione talium causarum.

Primo est ut *consulatur necessitatibus & indigentia civium*, quia per mutuas pecunias multi cives in statum felicem restituuntur, & in eo conservantur, alioquin non evasuri defectu pecuniarum, quæ otiosæ jacerent in arcis, aut dissolutæ in usus privatos converterentur cum ingenti reipublicæ detrimento. 2. *Ut homines excitentur ad honesta commercia*, labores, & negotiationes, quibus bonum reipubl. promovetur, tam directe per copiam rerum, & pecuniarum, quam indirecte per evitationem furtorum, deprædationum, & latrociniorum. 3. *Ut consulatur miserabilibus personis*, & locis piis, Ecclesiis, & monasteriis, quæ cum per se negotiari non valeant, aliis industriis dominis, & civibus pecuniam mutuam tradunt, ut ex lucris inde provenientibus sustenteutur. 4. Quia pro justitia talium usurarum militat *duplex generalis præsumptio*, altera ex parte creditoris mutuantis, in quo præsumitur aliquis justus titulus, ut lucri cessantis, periculi ammittendæ sortis &c. cujus tituli, & causa mentionem faciunt Recessus Imp. Augustæ sub Maximiliano I. *an.* 1500. & ibidem sub Carolo V. 1530. *&* 1548. In comitiis Spirensibus sub Maximiliano II. *an.* 1570. & sub Rudulpho II. *an.* 1600. §. 152. Altera præsumptio est ex parte mutuatarii, in quo regulariter præsumitur industria ad faciendum lucrum ex negotiatione pecuniæ, licet per accidens in casu particulari præsumptiones istæ deficiant: sed justitia legis non deficit; quia motivum generale *boni publici*, in quo Recessus imperii principaliter fundantur, semper in his circumstantiis durat. 5. Denique causa est, *ut tranquillitati* tam privatæ conscientiarum, ne homines sint in perpetuo timore peccati, & damnationis æternæ, quam publicæ tribunalium, ne innumeræ lites oriantur, & judices circa inquisitionem justi tituli continuo fatigentur: cum enim usuræ ex genere suo sint illicitæ, justus titulus non præsumitur, sed judici probari deberet ad hoc, ut licite, & juste debitorem condemnare posset ad usuras. Hoc autem arduum est, quia quilibet mutuatarius facile negare posset titulum, v. g. lucri cessantis; mutuans vero cogeretur ad illum probandum cum diuturna litium protractione, damno, & gravamine tribunalium. Ad quod malum evitandum, sicut introductæ sunt usucapiones, ita quoque ob bonum publicum justificatæ sunt consuetæ usuræ in Germania; & ideo judex, sine

sine ulla inquisitione tituli, solet mutuatarium condemnare ad usuras: secus non vident, quomodo tota Germania excusari possit ab usuraria iniquitate, & injustitia manifesta: & sic ob has, & similes publicas causas opinantur istam consuetudinem Germaniæ existimandam esse licitam justam, & immunem ab omni usura formaliter tali.

30. Ajunt tamen, quod hæc opinio modificanda sit. 1. Ut usura sit moderata, quam lex, & consuetudo probata præscribit; sicut in Germania 5. vel 6. pro 100. adeoque si quid ultra accipiatur, est formalis usura, & peccatum restitutioni obnoxium, & pœnæ confiscandi capitalis, seu sortis subst at, vel quoad totum, vel quoad partem, ut disponitur in *citt. Rec.* 2. Ut usuræ istæ non extendantur ad alium locum, neque ad aliud genus mutui; & ideo pro vino, & tritico, & similibus mutuo datis nihil peti potest ultra sortem, quia non est consuetudo, aut lex id justificans ex causis publicis, sicut est in pecunia. 3. Ut exactio usuræ aliunde non sit vitiosa, charitati erga proximum repugnans; ut si proximus per usuras redigeretur in mendicitatem, quia tali casu, sicut charitas dictat mutuum dare, ita quoque dictat usuras non esse recipiendas. Unde existimant a miseris, & pauperibus, qui præcise pro sublevanda miseria, & necessitate mutuum petunt, nihil ultra sortem sine peccato accipi posse; cum hoc sit valde inhumanum, & quodammodo crudele, sanguinemque pauperum exugens. Secus esset, si pauper industrius pecuniam mutuam acciperet, & cum ea negotiando ditior evaderet.

31. *Obj.* 1. Præsumptio tituli (qua nititur consuetudo Germaniæ, & constitutiones Imperiales) fundatur in facto, quod justus titulus adsit; ergo si præsumptio fallat, & factum deficiat, corruit lex, & consuetudo, & const. non justificat usuras. 2. Leges istæ permittunt usuras pro foro externo ut licitas; ergo si in foro interno deficiat justus titulus, usurarii sunt omnes, qui 5. vel 6. pro 100. accipiunt, sicut sub Imperatoribus Gentilibus, & sub Justiniano fiebat. 3. Consuetudo Germaniæ melius excusatur a peccato usuræ per contractum censualem, quo creditor dans 100. emit a debitore jus percipiendi 5. vel 6. annuos florenos, addito pacto retrovendendi idem jus eodem pretio 100. florenorum, vel per contractum societatis, quo unus dat pecuniam, & alter confert operam, ut ex lucro 25. annua obveniant danti pecuniam.

Respondent ad 1. Negando anteced. fundari enim ajunt principaliter in bono publico, ratione cujus semper censetur adesse justus titulus, quatenus princeps ex causis publicis motus, dat jus percipiendi 5. pro 100. etiamsi per accidens percipiantur ex bonis alienis. *Ad* 2. Doctores ita loquentes non satis capi: nam licet princeps ad majora mala evitanda permittere possit usuras, quasi negative dissimulando pœnam, si tamen illicitæ sunt, non potest eas positive approbare, præmiare, & eis assistere condemnando debitorem in foro externo, quia hoc intrinsece malum est; ob quam etiam causam usucapiones in mala fide neque licitæ sunt in foro externo: sed in Germania experientia quotidiana est, quod judices, nullo quæsito titulo, positive assistant usuris, eis faveant, & debitorem in illas condemnent; ergo vel principes, & judices Germani omnes inique agunt, vel usuræ, si sunt licitæ in foro externo, debent etiam licitæ esse in foro interno. Ne ergo tota Germania usurariæ iniquitatis condemnetur, dicunt ex communi opinione populi usuras istas justificatas esse pro foro externo, & interno; quod ipsum sine scrupulo judicant viri docti, & pii tam sæculares, quam ecclesiastici, dum, deficiente omni titulo 5. pro 100. annuatim recipiunt. *Ad* 3. Negant ant. nam 1. hoc modo evacuatur, & eliminatur omnis usura, ita ut committi non possit; quia semper allegari poterit contractus censualis expresse, vel tacite initus, quo v. g. pro centum emitur jus percipiendi 5. vel plures florenos. 2. Contractus censualis in hoc puncto, solo nomine differt a contractu usurario, quia in utroque idem re ipsa petitur solo nomine mutato: tum quia in censu vel adest aliquis justus titulus v. g. lucri cessantis, vel non adest: si adest, cessat argumentum de usura, si non adest, ergo re ipsa idem fit in censu, quod in usura, quod scil. ex re aliena percipiatur fructus non alio titulo, quam titulo contractus, quod certe injustum est. Multo minus in tali casu est contractus societatis, ut perpendenti patet. Unde, licet non negent in his casibus celebrari posse contractum censualem, dicunt tamen, si omnis titulus aliquid ultra sortem accipiendi deficiat, illum non aliter hic, & nunc justificari, nisi ex causis publicis, ita disponente principe: vel si ista dispositio non sufficit ad licitatem, usuram in eo committi palliatam, sicut in emptione, dum quis dat 100. ut sibi deinde detur merx constans 105. vel 100.

32. Q. III. *An modus usuris a Justiniano lib. 26. hoc tit. præscriptus, sit licitus? Nota* in *citat. loc.* determinari usuras. 1. *Centesimas*, quæ intra centum menses, seu octo annos, & quatuor menses adæquant sortem, danturque 12. pro 100. in trajectitia pecunia, seu nautico fœnore. 2. *Bessales*, seu centesimæ quinquagesimæ, quæ intra 150. menses, seu duodecim annos, & sex menses æquant sortem, danturque 8. pro 100. & hæ mercatoribus permittuntur. 3. *Trientes*, seu tertiæ centesimarum, quæ 300. mensibus, seu 25. annis adæquant sortem, danturque 4. pro 100. & hæ illustribus personis permittuntur. 4. *Semisses*, seu ducentesimæ, quæ 200. mensibus, seu sedecim annis, & 8. mensibus æquant sortem, danturque 6. pro 100. & hæ aliis personis permittuntur. 5. *Quicunces*, seu 5. pro 100. quæ intra 20. annos æquant sortem, fitque earum mentio, *lib. 17. princ. ff. & lib. 5. C. hoc tit.* Jam ℞. in Germania ex asserta recepta consuetudine approbantur usuræ tantum *semisses*, & *quicunces*, seu 6. vel 5. pro centum; non vero majores, nisi adsit manifestus titulus plus accipiendi: secus creditor in conscientia obligatur ad excessum restituendum. 1. Unde usuræ *centesimæ* tanquam sanguinolentæ, & *bessales*, tanquam excessivæ reprobantur, nisi damnum emergens, vel lucrum cessans, vel periculum pecuniæ per mare, aut terras trajiciendæ tanti æstimetur.

Ceterum, licet sententia de hac asserta consuetudine in Germania recepta existimetur probabilis; quia tamen sensus sæpe homines fallit; ideo ego humanæ prudentiæ non innitendam judico, sed infallibili S. Sedis judicio decidendam relinquo.

☞ *In littera encyclica Bened. XIV.* Vix pervenit 1. *Novemb.* 1745. *ad omnes Italiæ Ordinarios refertur, & approbatur, confirmaturque sententia Congregationis speciatim a se deputatæ circa usuras, aliosque injustos quæstus, contenta num. 2. ejusdem litteræ videlicet* - Neque vero ad istam labem (*usuræ*) purgandam ullum accersiri præsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus. ☜

§. III.

De Contractibus Usuræ affinibus.

Contractus isti sunt: anatocismus, antichresis in pignoribus, cambium, montes pietatis, olla fortunæ, emptio chirographi, contractus societatis, & censualis.

33. Q. I. *An anatocismus, & antichresis in pignoribus usuram contineant?* ℞. Affirmative: nam anatocismus, seu usuræ usurarum reprobantur, *lib. 29. ff. & lib.* 3. 38. *C. h. t.* easque exercens, infamiæ nota notatur, *lib. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.* quia de jure non datur accessio accessionis, & servitus servitutis, fructus fructuum, lucrum lucri; ergo nec dari debet usura usuræ. Si tamen usura tibi numerata fuit, nihil prohibet eam investire per modum novæ sortis, seu capitalis. *Antichresis*, qua fructus ex re pignorata ultra sortem accipiuntur, tanquam usura palliata reprobatur in Concil. Turonen. & Lateranen. sub Alexand. III. *cap.* 1. 2. 3. 8. *hoc tit.* Vide dicta tit. de pignorib.

34. Q. II. *An cambium, montes pietatis, olla fortunæ, emptio chirographi, seu debiti litigiosi, & difficulter consequibilis, & contractus societatis sint immunia a vitio usuræ?* ℞. Per se loquendo affirmative: nam 1. in cambio tam *reali*, seu *manuali*, in quo

pecu-

pecunia hujus sortis permutatur cum pecunia alterius sortis, ut argentea pro aurea; quam *locali*, in quo pecunia datur campsori in uno loco, v. g. Pragæ, ut restituatur in altero, v. gr. Romæ, adsunt tituli sufficientes, vi quorum aliquid accipi possit ultra pecuniam permutatam, puta obligatio comparandi pecuniam omnis generis, periculum illam conservandi, lucrum cessans, labor numerandi, scribendi, rationes faciendi, sumptus necessarii ad alendum campsorem, ejusque officiales. 2. In montibus pietatis sunt idem tituli, vi quorum aliquid exigitur ultra sortem; & quamvis olim suspecti fuerint de usura, re tamen diligenter considerata, illos licitos declaravit Leo X. in Conc. Later. *Sess.* 10. & favet ei Trid. *Sess.* 22. *cap.* 8. *de reform.* Sunt autem montes pietatis æraria, seu granaria publica piorum liberalitate constituta, ex quibus indigenti datur certa quantitas pecuniæ, aut frumenti, receptis pignoribus, ea lege, ut si præfixo termino non solvat, pignus vendatur, & ita mons pietatis suam sortem, & aliquid ultra recipiat; reliquum vero debitori restituatur. 3. In olla fortunæ spes emitur, sicut emi solet jactus retis: talis autem spes est pretio æstimabilis: sed quia in olla fortunæ plerumque fraudes committuntur, ideo vix unquam a magistratibus admitti deberet. 4. Chirographum, seu nomen litigiosum, & difficulter evincibile in communi æstimatione minus valet; ergo si minoris ematur, nulla erit usura, nisi princeps, vel præfectus ærarii, quibus debita evincere est facile, nomen emeret. At si nomen, seu debitum liquidum, & facile consequibile, minoris ematur, est usura palliata, ut patet ex *prop.* 41. ab Innoc. XI. damnata: *cum numerata pecunia &c.* nam debitum, v. g. 100. valet omnino 100. neque ob dilatam solutionem fit minoris pretii; ergo si ematur 90. fit usura sub specie emptionis palliata. 5. In contractu societatis, ubi lucra, & damna sunt communia, nihil usurarium apparet: imo contractus iste a jure civ. approbatus, nullibi a jure Can. reprobatur, nisi pecuniam conferens adderet pactum, ut lucrum sit commune, non vero damnum, sed sors sua maneat: tunc enim deficit æqualitas, & justitia, estque talis societas leonina ex mente Cassii, *lib.* 29. §. *fin. ff. pro socio.*

35. Q. III. *Quid, & quotuplex sit census, & an sit licitus contractus censualis?* ℞. 1. Census *objective* est pensio annua; *formaliter* est actus, quo constituitur, & *consecutive*, seu *effective* est jus exigendi pensionem annuam: & qui tale jus habet, seu qui percipit pensionem vocatur: *censualista*, seu creditor; & qui obligatur pensionem dare, dicitur *censuarius*, seu debitor: fundus vero, ex quo pensio debetur, vocatur *censiticus*, vel *censitus*. Sunt autem species principales *census*, quinque: census, *legatarius*, qui legato, *donatarius*, qui donatione, *transactitius*, qui trasactione, *pœnalis*, qui condemnatione judicis, & *emptitius*, qui per contractum emptionis constituitur. Rursum ex modo constituendi dividitur census in *reservativum*, & *consignativum*. *Reservativus* est, dum dominus plenum dominium rei tradit alteri, & sibi reservat aliquam pensionem annuam *lib. fin. C. de rer. permutat.* *Consignativus* est, dum dominus retinet plenum dominium rei, & solum alteri dat, seu consignat jus percipiendi, & exigendi annuam pensionem. Porro hodie raro est in usu; sed locum ejus tenet emphyteusis, in qua utile dominium transfertur sub obligatione præstandi annuum Canonem, seu pensionem: quæ si non solvatur per biennium, aut triennium, emphyteuta privatur emphyteusi *cap. fin. de locato:* at si censuarius non solvat pensiones annuas, has quidem solvere cogitur, sed fundo censuali non privatur, *argum. cap.* 6. *vers. cum autem de relig. domib.* Censum legato, donatione, transactione, aut condemnatione constitutum, esse honestum, & licitum fatentur omnes. Tota igitur quæstio procedet de censu emptitio, seu contractu censuali, quo venditur, & emitur jus percipiendi annuas pensiones ex re, aut industria personæ.

36. ℞. 2. Censum emptitium, seu consignativum specifice talem dividi: 1. In *realem*, qui constituitur in re frugifera, ut agro, vinea, domo &c. & *personalem*, qui constituitur, non quidem in ipsa persona, sed in personæ industria, labore, & artificio: si vero constituatur in re, & industria personæ, erit mixtus ex utroque. 2. In *pecuniarium*, qui solvitur in pecunia: & *fructuarium*, qui solvitur in fructibus, vel determinate, v. gr. ut dentur tres modii annuatim; vel indeterminate, v. g. ut detur quarta pars fructuum. 3. In *perpetuum*, quæ non finitur morte venditoris, aut emptoris, sed utrinque ad hæredes transit; licet mutuo consensu dissolvi possit: & *temporalem*, qui constituitur ad tempus, vel certum, v. g. 10. annor., vel incertum, v. g. ad vitam censualistæ; & vocatur *vitalitius*, qualis dependenter a voluntate superiorum solet quandoque concedi monialibus, & religiosis. 4. In *redimibilem*, qui redimi potest a creditore tantum, vel a debitore tantum, vel ab utroque: ita ut restituto, & recepto pretio, ex utraque parte sit redimibilis: & *irredimibilem*, qui altero invito, tolli, seu redimi nequit; bene vero utroque consentiente. Solent autem censui varia pacta adjici, ut dicetur.

37. ℞. 3. Emptio census realis est licita de jure naturali, & positivo: ita com. contra Henriq. Salic. & paucos alios: nam spectato jure naturali, licitum est emere jus totale percipiendi omnes fructus ex prædio, ut si totum prædium ematur; ergo etiam de jure naturali licet emere jus partiale ad percipiendos aliquos fructus sive in pecunia, sive in natura præstandos: quid enim hic iniquitatis? non certe est usura, quia hæc non datur, nisi in mutuo: non inæqualitas, quia suppono dari æqualitatem inter jus emptum, & pretium lege, aut consuetudine taxatum. Jure positivo Can. *Extrav.* 1. & 2. *de emption. inter com.* expresse approbatur contractus censualis, quo emitur census realis in re furgifera: tum quia licite emitur ususfructus *lib.* 8. *princ. ff. de peric. & com. rei vend.* partus, & fructus futuri *lib.* 8. §. 2. *ff. de contr. empt.* & servitus §. *fin. Inst. de servit.* sed census realis est partialis ususfructus, est jus ad futuros fructus, est quædam servitus in re constituta, saltem in possessore relato ad certam rem, ergo: tum denique, quia licitus est census consignativus legato, donatione, aut transactione constitutus; ergo etiam emptione constitutus; cum non minus valeat quod emitur, quam quod legatur, donatur, & transigitur. *Dices*: Magna est inæqualitas in hoc contractu: nam si pro 100. emas jus percipiendi 5. intra 20. annos census adæquabit sortem, & post 20. an. eam superabit, & tamen censualistæ salva manet tota sors. ℞. Retorquendo in emptione totius prædii: nam si hoc emas 1000. per 20. an. fructus percepti æquabunt mille, & tamen salvum manet jus vendendi prædium mille florenis; ergo si hic nulla est inæqualitas, & injustitia, ita neque in priori casu. Ratio utriusque est, quia pensiones annuæ successive percipiendæ moraliter non valent tantum, quantum omnes simul, idque ob varias molestias, difficultates, pericula, aliosque casus contingentes, quibus obnoxiæ sunt pensiones annuæ.

38. ℞. 4. Attento jure naturali, licita est emptio census personalis: ita com. DD. contra Navar. Gutier. Fach. &c. Prob. argumentis prioribus, quæ huc ob paritatem rationis accomodari possunt: tum quia pensiones personales constitui possunt, donatione, & lege, ut patet in decimis personalibus; ergo etiam emptione: siquidem personæ industria est instar agri fertilis, adeoque sicut emi potest jus ad fructus ex agro, ita quoque emi potest ad fructus ex industria, & lucris personæ percipiendos. Cessante autem industria personæ, etiam regulariter cessare debent pensiones, sicut interitu rei frugiferæ intercidit jus ad fructus percipiendos. *Dixi: attento jure naturali*, quia emptio census personalis prohibetur per Const. S. Pii V. incip. *Cum onus*, sed hæc Constitutio non est usu recepta in Germania, Belgio, Gallia, Hispania; sed observantur ea solum, quæ jure naturali requiruntur; puta ut sit justum pretium lege, vel consuetudine taxatum, ut census anticipate non exigatur; ut in casu, quo res censualis, aut industria personæ perit citra culpam censuarii, redditus annui extinguantur.

39. ℞. 5. Pacta, quæ contractui censuali in Germania addi solent, sunt seqq. 1. Pactum durationis ad certum tempus, v. g. ad 20. annos, vel ad tempus incertum vitæ, cum jus percipiendi fructus, intra tale tempus sit pretio æstimabile. 2. Pactum de non vendenda re censuali absque consensu censualistæ, ne hujus conditio debitor efficiatur. 3. Quamvis a jure positivo approbetur census redimibilis tantum ex parte vendi-

venditoris, seu censuarii *Extrav.* 1. 2. *de empt. int. com.* Const. S. Pii V. *Cum onus* 1568. 14. *Cal. Febr.* Constit. Carol. V. in com. Augustæ 1548. & 1550. Ubi tamen his Constitutionibus derogatum est contraria consuetudine, servata æqualitate contrahentium, addi potest pactum de redimendo censu vel ex parte venditoris, & emptoris, vel utriusque simul: nam contractus ex conventione legem accipiunt *reg.* 85. *in* 6. & aliunde talis redemptio admittitur in aliis emptionibus, venditionibus. 4. Pactum assecurationis de salva futura sorte, si res frugifera, vel industria personæ periret: nam pactum assecurationis locum habet in aliis contractibus; ergo & in contractu censuali.

§. IV.

De Judice, solutione, restitutione, & pœnis usurarum.

40. Q. I. *Quis sit judex in crimine usurarum?* ℞. Crimen usurarum esse mixti fori; adeoque judicem illius esse laicum, vel ecclesiasticum, & ex his, qui prævenerit: ita Sylv. Reiff. & alii contra Clar. Azor. &c. docentes quæstionem juris de usura pertinere ad ecclesiasticum privative. Prob. ex *cap.* 12. *hoc tit.* ubi cognitio usuræ indiscriminatim attribuitur principibus laicis, & judicibus ecclesiasticis: nam usura plus spiritualitatis non habet, quam alia delicta adversantia justitiæ, ut furtum, homicidium &c. ergo. Excipe, nisi consuetudo aliud habeat, vel quæstio sit de justitia statuti permittentis usuras: tunc enim judicis ecclesiastici examinare est, an justum, vel injustum sit statutum?

41. Q. II. *An mutuatarius teneatur solvere usuras promissas mere lucratorias?* ℞. Regulariter negative, quia usuræ istæ injustæ petuntur: si tamen promissio usurarum fuit juramento firmata, ob reverentiam juramenti, quod hic sine peccato servari potest, solvendæ sunt usuræ *cap.* 6. *de jurejur. &c. cap.* 5. *hoc tit.* sed solutum mox repeti potest, vel reivindicatione, si pecunia extet, vel condictione, si pecunia bona fide consumpta est. Si vero fœnerator ex pecunia usuraria aliquid comparavit, id suum facit, quia consumptione acquisivit, & transtulit dominium pecuniæ; sed ad tantundem restituendum obligatur in conscientia. Ne ambages istæ fiant, debitor sataget impetrare relaxationem juramenti, quam facere potest Episcopus, & alii privilegiati, qui in votis, & juramentis dispensare possunt. Hæc pro foro interno, in quo regulariter ad restitutionem adigendi sunt, qui usuras acceperunt maxime a pauperibus, & miserabilibus personis, quæ non causa negotiationis, sed præcise propter necessariam sustentationem, vel solutionem, alterius debiti mutuum acceperunt: nam in tali casu non tantum peccatur graviter contra charitatem, sed probabilius etiam contra justitiam; cum deficiente omni justo titulo, non censeatur princeps dare potestatem aliquid exigendi a pauperibus; vel miserabilibus personis. In foro autem externo raro fit talis restitutio; quia judices præsumunt aliquem justum intervenisse titulum.

42. Q. III. *Quæ sint pœnæ usurariorum?* ℞. Seqq. 1. Infamia *lib.* 20. *Cod. ex quib. caus. infam. irrog. Can.* 2. *infames.* §. *porro*, 3. *q.* 7. quæ tamen infamia cessat ex usu, & æquitate Canonica, si usurarius resipiscat, Bald. Felin. &c. 2. Satisfacere nolentibus neganda est absolutio sacramentalis, Eucharistia, & sepultura ecclesiastica, *c.* 3. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. & clericus eos sepeliens, ipso facto excommunicatur, *Clem.* 1. *de sepultur.* 3. Fiunt irregulares propter infamiam, *Can.* 2. *d.* 37. 4. Fiunt intestabiles active *c.* 2. *h. t.* 5. Confiscatur sors illorum, vel tota, vel pars pro qualitate delicti. In Germania quarta pars cedit fisco ex Const. Maximiliani I. *an.* 1500. Caroli V. 1548. Rudulphi II. 1577. *Francofurti* His pœnis subjacent usurarii manifesti post sententiam declaratoriam criminis *c.* 15. *h. t.* Probantur autem usurarii manifesti vel ex evidentia facti, quia palam fœnus improbum exercent, vel ex confessione propria in jure facta, vel per testes idoneos, aut indicia violenta, & per libros rationum, quos edere tenentur *c.* 15. *h. t. l.* 5. 6. *de prob. Clem. un.* §. *ceterum h. t.*

TITULUS XX.

De Crimine falsi.

Agitur de hac materia in Extrav. Joan. XXII. & com. *hoc tit.* In Decreto *Can.* 3. *d.* 19. *& cap.* 80. *quisquis.* 11. *quæst.* 3. In Instit. §. 7. *de publ. jud.* in Pandectis *lib.* 48. *tit.* 10. In Codice *lib.* 9. *tit.* 22. 23. 24. 25. *Nov.* 73.

1. *Nota*, Crimen falsi definiri, quod sit fraudulenta veritatis imitatio, seu immutatio in præjudicium alterius facta, *Nov.* 73. *princ.* Ex qua definitione patet tria requiri ad hoc crimen: *fraudem*, seu *dolum*, *fictionem*, seu *immutationem veritatis*, *& nocumentum* alteri illatum, vel inferendum, etsi per accidens impediatur, *l.* 1. 6. *ff. de L. Cornelia de fals. lib.* 8. 20. *C. eod.* Licet autem lex Cornelia lata sit de solis testamentis falso conscriptis, suppressis, vel alio modo immutatis, tamen deinde extensa est ad omne genus falsitatis dolosæ, ut patet ex *cit. tit. ff. & C. de L. Corn. de fals.* Hoc crimen committitur vel circa personam, vel circa res, *dicto*, *scripto*, *facto*, *& usu*.

2. Q. I. *Quando committatur crimen falsi dicto?* ℞. Tunc, quando quis dolose in præjudicium alterius falsum profert: quod maxime accidit in judicio, dum testis falsum deponit, & verum occultat, dum advocatus dolo malo causam clientis sui prodit, dum judex dolose sententiam injustam pronunciat, *l.* 1. 20. 27. *ff. h. t.* Pœna falsi testis, uti & aliorum falsariorum est deportatio cum publicatione bonorum; vel si persona vilis sit, damnatio ad metallum: ex Const. Carol. *art.* 107. est pœna talionis præter reparationem damnorum. Pœna advocati falsi hodie est arbitraria, ut fustigatio, carcer, numellæ, relatio *art.* 115. Carpz. Pœna judicis falsi pro qualitate personæ, & delicti est privatio officii, confiscatio, exilium; imo & pœna mortis; & de jure Can. judex per sordes judicans, suspenditur a divinis, *c.* 1. *de sent. & re jud. in* 6.

3. Q. II. *Quando committatur crimen falsi scripto?* ℞. 1. Tunc, dum litteræ, seu quodcumque instrumentum dolose falsatur in nocumentum tertii; ut si falsitas committatur in testamento, instrumento publico, & litteris alicujus momenti; ut si mendici fingant sibi casus fortuitos incendii, morbi, &c. *lib.* 1. *& seq. ff. de L. Corn. de fals.* Pœna hujus falsitatis est deportatio cum confiscatione bonorum; vel arbitraria ex Constit. Car. *art.* 112. mitius tamen punitur, qui privatas litteras alicujus aperuit, nisi eas adversario ostendisset: secus si aperuit litteras, magistratus, prælati, aut principis.

4. ℞. 2. Falsarii litterarum apostolicarum sunt illi, qui litteras papales falsas conficiunt, vel falsis sigillis utuntur, vel in litteris apostolicis, sive gratiæ, sive justitiæ, radendo, addendo, abluendo, vel alio modo aliquid immutant, vel litteras ipsas ex alterius, quam Papæ, vel officialium deputatorum manibus recipiunt, *cap.* 4. 5. *hoc tit.* Pœnæ hujus sunt seqq. 1. Falsarii litterarum apostolicarum, qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, ipso facto excommunicantur. 2. Clerici omnibus officiis, & beneficiis privantur: & si per se falsitatem exercuerint, degradati curiæ seculari traduntur: laici vero juxta leges puniendi sunt. 3. Qui litteris falsis apostolicis utuntur, si clerici fuerint, officiis, & beneficiis spoliandi sunt: laici vero tamdiu debent excommunicati manere, donec satisfaciant competenter: ita *cap.* 7. *hoc tit.* cujus dispositio, utpote pœnalis, non est extendenda ad clericos falsificantes litteras Imperatoris, S. Pœnitentiariæ, SS. Congregationum, Legati a latere, proprii Episcopi &c. Sufficit autem ad incurrendas istas pœnas etiam uncius actus falsitatis; quia *exercere* in materia pœnali verificatur in uno actu, §. 4. *In. de publ. judic.*

5. Q. III. *Quando committatur crimen falsi facto?* ℞. in seqq. casibus. 1. In partus suppositione, ad cujus accusationem admittuntur soli parentes, & quorum interest, *lib.* 30. §. 1. *ff. de L. Corn. de fals.* & supponens præter reparationem damnorum, subjacent pœnæ capitali, *lib.* 1. *C. eod.* quæ tamen non videtur esse mors naturalis, sed civilis per deportationem, cui hodie successit fustigatio, Carpz. Zoes. 2. Qui eandem rem pluribus vendit, *lib.* 21. *ff. eod.* si vero falso donet,

net, vel pluribus oppignoret; tenetur crimine stellionatus. 3. Qui mercibus adulterinam materiam admiscet, pondera, & mensuras immutat: hi præter ordinariam pœnam deportationis, condemnantur in duplum, *lib. 32. ff. eod.* in Germania arbitraria puniuntur, Const. Caroli *art.* 113. 4. Falsarii monetæ, qui propria auctoritate monetam cudunt, etiam justi ponderis, & materiæ, qui tondendo, radendo, & alio modo pondus monetæ publicæ diminuunt, qui adulterinam monetam cudunt, v. g. ex cupro, stanno; & hi, præcedente strangulatione, igne puniuntur ex Const. Constantini, *l. 2. C. de falsa monet.* tondentes, vel veram monetam cudentes hodie substant pœnæ arbitrariæ. 5. In *Extrav. un. h. t. int. com.* prohibetur moneta ex auro alchymistico; quia sophisticum, & deceptorium est. Qui tale aurum, secuto effectu, faciunt, vel facientibus ministrant, vel eo utuntur in commerciis, in pœnam tantum pondus veri auri dare debent; vel corporaliter puniuntur, & infames fiunt: clerici vero præter has pœnas, privandi sunt beneficiis habitis, & inhabiles ad alia obtinenda futuri.

6. Q. IV. *Quando crimen falsi committatur usu, seu potius abusu?* ℞. 1. Qui nomen, cognomen, patriam, parentes dolose in nocumentum tertii falsificat. 2. Qui illicitis, seu alienæ familiæ insignibus utitur, fingendo se nobilem, doctorem &c. 3. Qui proposita Edicta dolose corrumpit, vel falsas leges allegat &c. *l. 13. 27. §. fin. l. 32. & fin. ff. de L. Corn. de fals.* Plures particulares casus reperies in Pandectis, & Codice, *ll. citt.*

7. Q. V. *Quid statuatur in SCto Liboniano?* ℞. Hoc SCto pœna L. Corneliæ de falsis extenditur ad eos, qui vocati ad scribenda aliena testamenta, vel codicillos, sibi aliquid in eis adscribunt permodum hæreditatis, aut legati, *l. 15. C. de L. Corn. de fals. l. 3. C. de his, qui sibi adscrib. in testam.* Præter hanc pœnam scribens, fit incapax accipiendi id, quod scriptum est, idque ob præsumptionem falsitatis: unde si aliquid scribenti relinquere vult testator, id alia manu scribendum est. Vide Zoes, *tit. ff. de L. Corn. de fal. num.* 16.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

Agitur de hac materia in Decreto, *26. q. 1. usque ad 6.* in D. Thom. *2. 2. q. 92. usque ad 98.* In Codice *lib. 9. tit.* 18.

1. *Nota* 1. Sortilegium, falso affine, late accipi pro superstitione, quæ est vitium oppositum religioni secundum excessum; quatenus exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet, S. D. *2. 2. q. 92. a.* 1. Hujus quatuor sunt species: 1. *Idololatria*, quæ cultum divinum exhibet creaturæ. 2. *Superstitio indebiti modi colendi Deum*; dum quis cultu falso, superfluo, & vano a Deo non revelato, neque ab Ecclesia instituto, colit verum Deum; ut si Christianus colat Deum ritibus Judaicis vel Gentilium; vel si velit missam dici a sacerdote, qui vocatur Joannes &c. 3. *Vana observantia*, dum quis per media inutilia, & a Deo, vel Ecclesia minime ordinata conatur procurare aliquem effectum externum, sive id fiat cum expresso pacto dæmonis, sive cum tacito. 4. *Divinatio*, quæ est cognatio futurorum, & occultorum ex pacto cum dæmone *explicito*, si homo habeat expressam voluntatem aliquid resciendi a dæmone: vel *implicito*, si homo pro cognitione occultorum signum aliquod vanum adhibeat, & inspiciat: differt a priori, quia vana observantia tendit ad procurandum effectum externum, ut sanitatem, bellum, promotionem ad officia &c. divinatio vero præcise tendit ad cognoscendum futura, & occulta, S.D. *2. 2. q. 92. a. 2. & Can. 1. igitur 26. q.* 3.

2. *Nota* 2. Divinationis, seu necromantiæ, ut fit ex pacto explicito cum dæmone, novem esse species: quarum 1. est *præstigia*, dum dæmon variis apparitionibus illudit, & docet superstitiosos. 2. *Divinatio per somnia*, dum per somnia cognitio quæritur a dæmone. 3. *Necromantia* specifice, dum ad certas preces videntur mortui resurgere, loqui, & docere. 4. *Divinatio per pythones*, dum dæmon per homines arreptitios. 5. *Geomantia*, dum per signa, & corpora terrestria. 6. *Hydromantia*, dum per signa aquea, seu in aquis apparentia, 7. *Aeromantia*, dum per signa in aere apparentia, 8. *Pyromantia*, dum per signa in igne apparentia, & 9. *Aruspicium*, dum per signa in extis animalium sibi immolatorum dæmon futura, & occulta docet.

3. *Nota* 3. Divinationis, ut fit ex pacto implicito, duas esse species: *Prima* quærit cognitionem ex consideratione depositionis, vel motus alterius rei, ut *Genethlia* ex siderum motu, & situ, *Augurium* ex animalium vocibus, aut hominum sternutatione, *Auspicium*, ex volatu avium, & motu animalium, *Omen* ex hominum vocibus præter intentionem prolatis, *Onyrocritica*, ex somniis, *Physiognomia* ex totius humani corporis signis, *Spatulamantia* ex spatulæ, seu delectationis signis, *Metoposcopia* ex fronte, *Chiromantia* ex manibus, & variis lineis inspectis. Qui ergo ex talibus signis futura, & occulta prædicit, *Divinus, & Augur* est. *Altera* quærit cognitionem ex dispositione eorum, quæ nos consulto facimus propter aliquod occultum cognoscendum, vel per *Geomantiam*, seu protractionem punctorum; vel *per sortes*, dum occulta inquirimus ex signis resultantibus, v. g. ex schedulis in urnam projectis, ex jactu alearum, ex plumbo liquefacto in aquam projecto, ex eo, quod fortuito nobis occurrit in libro aperto, S. D. *2. 2. q. 95. a. 1. & seqq.* ubi dignus est lectu.

4. *Nota* 4. Has superstitionis species esse omnes illicitas, ad quas etiam reducitur *Astrologia judiciaria*, quæ ex siderum inspectione prædicit eventus fortuitos a libero arbitrio dependentes: uti & *Magia superstitiosa*, quæ dæmonis ope mira facit, vel ad proprium commodum, aut ostentationem, vel ad proximi nocumentum: quo sensu dicitur *Maleficium*, vel *Veneficium*. Econtra sub genere superstitionis non continetur: 1. *Magia naturalis*, quæ per causas naturales, absque dæmonis ope mira operatur. 2. *Astrologia naturalis*, quæ ex siderum motu, & concursu effectus naturales prædicit, ut eclypses, pluvias, grandines, ventos, morbos, fertilitatem anni &c. 3. *Physiognomia, & Chiromantia naturalis*, quæ ex inspectione corporis, & lineamentorum arguit ad complexionem, sanitatem, ingenium &c. 4. *Observantia naturalis* ex volatu, & clamore avium, & aliorum animalium, quæ naturaliter solent indicare quosdam eventus naturales, ut pluvias, serenitatem, frigus &c. quia revera horum signa sunt, S. T. *2. 2. quæst. 95. art.* 7. Denique a superstitione procul abest notitia prophetica, etiam ex somnio a Deo immisso hausta, *ibid. art.* 6. Plura de his vide in *cit.* S. D. & TT. Mor. Laym. *lib. 4. tr.* 10.

5. Q. I. *An sortilegium sit licitum?* Nota ante resp. ex S. D. *l. c. a.* 8. tres esse sortium species: *Divinatorias*, quæ adhibentur ad occulta, vel futura contingentia cognoscenda. *Consultorias*, quæ adhibentur, ut Deus occultam veritatem manifestet, vel anceps consilium dirigat: & *Divisorias*, quæ adhibentur ad jus indivisum, aut dubium pluribus competens inter eos dividendum, vel uni applicandum.

6. ℞. 1. Sortes *Divinatoriæ* sunt graviter illicitæ, non tantum quando fiunt per expressam invocationem dæmonis, sed etiam per verba, scripturam, aut alia signa nullam connexionem cum re occulta, & eventu futuro habentia, *cit. art. 8. & Can. 6. & seqq. 26. q. 5. & cap. 1. hoc tit.* nam in sortibus istis saltem tacite dæmon colitur, tanquam Deus, & revelator occultorum.

7. ℞. 2. Sortes *Consultoriæ* regulariter sunt illicitæ, *Can. 7. sortes 26. quæst.* 5. nam per illas Deus tentatur, & sortilegi exponunt se periculo, ne Deo permittente, a diabolo decipiantur. Si tamen fiant ex levitate, curiositate, & vanitate, absque ullo commercio cum dæmone, & sine fide, quasi veritas per Deum hoc modo manifestaretur, saltem sunt peccata venialia; quatenus sortilegi sine ulla urgenti causa Dei providentiam his sortibus alligare velint. *Excipe*, nisi sortes istæ ex speciali instinctu divino adhibeantur, qualiter detectum est furtum Achani *Jos. 7. v.* 14. Mathias per sortes electus est Apostolus &c.

8. ℞. 3. Sortes *divisoriæ* regulariter sunt licitæ, quia mutuo consensu partium, vel mandato judicis

fiunt

fiunt per modum transactionis, & compositionis; uti inter hæredes, socios, commilitones: item si agatur de una re individua, de promotione ad officia secularia, de periculosa statione in bello, de puniendis pluribus reis, quorum omnes puniri nequeunt: & generaliter, dum nulla apparet ratio, cur in aliquo commodo, vel incommodo alter alteri sit præferendus; res ista sortibus definiri potest; dummodo eventus non expectetur a dæmone, sed via ordinaria a Deo, ut litibus finis imponatur. Dixi *regulariter*: nam.

9. ℞. 4. Electio ad prælaturas, & beneficia ecclesiastica per sortes divisorias, aut consultorias, est graviter prohibita: & quidem jure naturali, si sortibus committantur digni, & indigni; cum id vergat in damnum Ecclesiæ ob indignum pastorem: jure vero ecclesiastico, si sortibus committantur æque digni, etiam in casu, quo duo paria vota haberent, & neutra pars eligentium vellet cedere, *c. fin. h. t. c.* 42. *de elect.* ubi tales electiones ipso jure nullæ pronunciantur: nam electio personarum ecclesiasticarum non debet sortibus, seu cœca fortuna fieri, sed ex delectu, & juxta majorem capacitatem, ac dignitatem. Electio compromissariorum per sortes facta reprehenditur quidem *cit. c. fin.* non tamen irritatur. At lites alias beneficiales, & ecclesiasticas, ex mutuo partium consensu, & accedente auctoritate superioris nihil prohibet per sortes terminari.

10. Q. II. *Cujus fori sint sortilegia, & magia superstitiosa, & quæ pœna his constituta?* ℞. 1. Sunt mixti fori: nam ratione peccati etiam ecclesiasticus procedere potest, ut patet ex Constitut. Sixti V. *Cæli, & terra.*

11. ℞. 2. Sortilegi de jure civ. puniuntur publicatione bonorum, & aliquando pœna ignis *l.* 3. 5. *C. de maleficiis*: hodie pœna est arbitraria. Magi vero plectuntur gladio, vel igne comburruntur, si magiam exerceant cum nocumento tertii; vel pro qualitate delicti relegantur, Carpzov. 2. De jure Can. clerici sortilegi, seclusa hæresi, verbaliter degradantur, seu deponuntur ab officio, & beneficio, & ad monasterium, vel carcerem detruduntur *Can.* 4. *& seqq.* 26. *q.* 5. *Can.* 15. *admoneant* 26. *q.* 7. *c.* 1. 2. *h. t.* Laici viles verberantur: honestiores incarcerantur, aut relegantur, *Can.* 10. *contra* 26. *q.* 1. imo excommunicari possunt *cit. c.* 15. vel stigmate notati e diæcesi expelli *Can.* 12. *Episcopi* 26. *q.* 5. Magi vero, & libros magicos edentes, aut legentes, notantur infamia, excommunicantur, & pro qualitate delicti arbitrarie puniuntur. Vide Const. Innoc. VIII. *Summis*. Leonis X. *Honestatis*. Greg. XV. *Omnipotens*. Sixti V. *Cæli, & terra.*

Vide etiam Decretum Cong. univers. Inquisit. a me relatum tit. 38. *de pœnit. & remiss. post num.* 3. *contra sacerdotes abutentes missæ sacrificio ad sortilegia.*

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

Hic revoca dictum *tit. de calumniatoribus, &c.* nam collusio idem est, quod prævaricatio, seu occulta dolosa conventio inter actorem, & reum, ut reus absolvatur.

1. Q. *Quid juris circa collusionem?* ℞. 1. Si actor, & reus colluserunt circa beneficium ecclesiasticum, ita ut actor in gratiam rei pateretur sibi litem fieri circa illud, uterque illo privandus est, *c.* 3. *h. t.* ne patronis, & collatoribus jus conferendi lædatur.

2. ℞. 2. Si accusator in criminalibus collusit reo accusato, uterque fit infamis, *l.* 4. *ff. de prævar.* Accusator extraordinarie punitur, vel pœna talionis: reus vero absolutus, iterum accusari, aut inquiri potest, *arg. c. fin. h. t. l.* 3. §. 1. *ff. de prævaric.* quia sententia, ex collusione lata est invalida *l.* 3. *ff. de collus. deteg.*

3. ℞. In civili causa non datur proprie collusio, seu prævaricatio; quia actor, & reus in civilibus transigere inter se possunt. At procuratores in civilibus judiciis colludere possunt, uti & advocatus, licet hic falsarius potius, quam collusor dicendus sit, ut dixi *tit.* 20. *num.* 2.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

1. Nomine puerorum venit hic uterque sexus, annos pubertatis necdum ingressus. Quamvis vero in ordine ad matrimonia ineunda, ubi potentia generandi attenditur, mas præsumatur pubes an. 14. completo, & fæmina viripotens an. 12. *c.* 3. *&* 14. *de desponſ. impub.* tamen in ordine ad delicta, & pœnas nulla videtur esse distinctio ætatis inter marem, & fæminam, ut innuit Const. Carolina; quia judicium, & capacitas doli, ac providentiæ non advenit citius in fæmina, quam mare; & ideo neque puella fit citius majorennis. An vero pubertas anno 14. an. 17. vel 18. adveniat pro judicio criminali, mathematice definiri nequit; sed totum hoc pendet a circumstantiis, & conſ. judicis arbitrio relinquitur.

2. Q. I. *An, & quibus pœnis subſtent infantes, pueri, & minorennes delinquentes?* ℞. 1. Infantes nec civili, nec criminali pœnæ subſtant, *l.* 12. *ff. ad L. Corn. de sicar. l.* 5. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* nam infantes septimum annum non egressi, propter defectum judicii non præsumuntur doli capaces; ergo nec pœnæ. Infantibus comparantur amentes, furiosi, & similes usu rationis destituti. Quod vero in uno, vel altero malitia ætatem prævertat, id tanquam rarum non est trahendum in consequentiam.

3. ℞. 2. Pueri ob delicta omissionis raro ad pœnam tenentur, *l.* 2. *C. si adverſ. delict.* quia imprudentia potius, quam malitia actum debitum omisisse præsumuntur; nisi probetur dolum in omissione intervenisse, *l.* 14. *ff. de SCto Syllan.* Magistri tamen, & parentes pueros, qui officia sua non implent, missas diebus festivis, & Dominicis non audiunt, & alia necessaria exercitia omittunt, moderate castigare debent, ne peccare assuescant.

4. ℞. 3. Pueri ob delicta commissionis, v. g. ob furta, homicidia, & similia, puniri possunt, & debent, sed pœna mitiori, attenta, non tam ætate, quam qualitate doli, & malitiæ. Ita *c.* 1. *h. t. l.* 14. *ff. de SCto Syllaniano*: nam pueri, quatenus sunt capaces doli, subſtant pœnæ; quatenus vero patiuntur defectum judicii, merentur remissionem majoris pœnæ ex *reg.* 108. *ff. fere in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati, & imprudentiæ, succurritur*, ergo. *Dices*: Pupilli sine auctoritate tutoris obligari non possunt, *pr. Inſt. de auct. tut. & l.* 22. *pr. ff. de L. Corn. de falſ. l.* 1. *v. impuberes. C. de falſ. monet. & c.* 2. *h. t. in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis severius corrigendum.* ℞. Dist. ant. obligari ex contractibus conc. ant. ex delictis neg. ant. ceteræ leges procedunt in delictis omissionis: & *c.* 2. *h. t.* loquitur comparative, quod pueri tam severe non puniantur, ac alii.

5. ℞. 4. Minorennes 25. annos non egressi ob delicta commissionis puniri possunt pœna ordinaria *l.* 9. §. 2. *l.* 37. §. 1. *ff. de Minor.* regulariter tamen ob fragilitatem ætatis non solent ordinaria pœna puniri, nisi gravissima delicta concurrant, ut hæresis, simonia, veneficium, læsæ majestatis, repetitio delicti &c. modo delinquens sit major 14. annis. Imo pueri, si malitia suppleat ætatem, tenentur de adulterio, aliisque delictis carnalibus *l.* 36. 38. §. 4. *ff. de L. Jul. de adult. & lib.* 37. §. 1. *ff. de Minor.*

6. Q. II. *An pater teneatur ex delicto filii quoad pœnam pecuniariam?* ℞. Negative, si delicti particeps non fuit, *tit. C. ne filius pro patre*: nam nemo *alieni criminis successor constituitur l.* 26. *ff. de pœnis* & peccata suos tenent auctores *l.* 22. *C. de pœn.* ergo. Unde pater non tenetur solvere ex peculio profectitio *l.* 58. *ff. de R. J.* neque ex bonis adventitiis, ne usufructu privetur, neque ex legitima, quia hanc ante mortem suam dare non tenetur. Idem dic, de prælato, qui ex delicto monachi non tenetur, ne delictum personæ noceat monasterio. *Dices*: 1. Pater ex L. XII. Tabb. non secus ac dominus, judicio noxali conveniri potest ex delicto filii. 2. Pater saltem ex peculio filii solvere tenetur *l.* 1. *C. ne filius pro patre*, ibi: *neque amplius, quam de peculio actionem sustinere cogitur*. 3. Frustra alias filius ex delicto conveniretur. ℞. *Ad* 1. cessante potestate vitæ, & necis in filium, cessat istud judicium noxale §. *fin. In. de* *noxa-*

noxalib. actionib. *Ad* 2. Ex contractu filiifam. pecunia peculiaris solvenda est, non vero ex delicto. *Ad* 3. Neg. seq. quia si filius ex peculio castrensi satisfacere nequit, alia pœna puniri potest.

Hactenus examinata fuerunt delicta fidei, religioni, justitiæ, & charitati proximi adversantia: nunc a *tit.* 24. *usque ad* 33. examinabuntur illa delicta, quæ potissimum a clericis committuntur. Sit

TITULUS XXIV.

De Clerico venatore.

Agitur de hac materia in Decreto *Can.* 8. *& seqq. d.* 86. *& Can.* 1. *d.* 34. & Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. 12. *V. vestitu, circa fin. de refor.*

1. *Nota* hic non agi de venatione *oppressiva* hominum, sicut Nemroth fuit robustus venator *Gen.* 10. hoc est, oppressor hominum *Can. fin. in fin. Scholii d.* 6. neque de venatione *arenaria*, seu pugnatione cum bestiis; sed de venatione *occupativa* feræ liberæ, quæ ad ferarum, volucrum, & piscium capturam ordinatur; estque duplex: *Clamorosa*, quæ fit cum magno tumultu armorum, retium, canum, & aliorum requisitorum. *Quieta*, quæ fit sine magno strepitu, v. g. ad lepores, aves, & ejusmodi feras capiendas. Venatio ista sylvatica, licet per se sit licita, per accidens tamen fit illicita: ut damnum fiat proximo, si missa die festo omittatur, & si ob graves causas aliquibus personis prohibeatur.

2. Q. I. *Quæ venatio sit clericis prohibita?* R. Clamorosa, seu tumultuosa *c.* 1. *& fin. h. t.* nam talis venatio non convenit modestiæ clericali, neque lenitati propter immitem calidi sanguinis effusionem: & potissimum, quia vehementer distrahit, & avocat animos ab orationibus, & officiis clericalibus. At modesta, & quieta venatio, si fiat necessitatis, aut honestæ recreationis causa, & rarius citra turbationem officiorum spiritualium, permissa est clericis, ut probat consuetudo optima legum interpres. Quamvis autem nomine clericorum in materia odiosa non veniant Episcopi, & monachi, hic tamen in hac materia accommoda veniunt, ut patet ex *c.* 1. *& fin. h. t.* imo quia Episcopi, & monachi gravius obligantur vacare exercitiis spiritualibus, gravius peccant venando; nisi in sylvis suis per alios venentur, sicut *c.* 21. *de censib.* ubi fit mentio de spallis, seu armis Episcopo ab Abbate offerendis. Nec obstat *Can.* 33. *v. taxantur de consecr. d.* 5. nam piscatio moderata non tantum distrahit, quantum venatio: & piscatores Sanctos in Evangelio legimus, non vero vel unum venatorem, S. Hier. *Can.* 11. *d.* 86.

3. Q. II. *Quæ sint pœnæ clericorum venatorum?* R. ex *c.* 1. *h. t.* Episcopus jubetur tribus mensibus a communione arceri: presbyter duobus: diaconus vero suspendi ab officio, puta ad arbitrium Episcopi: ceteri vero beneficiati arbitrarie puniendi sunt: quas tamen pœnas regulariter monitio præcedere debet. Et quamvis VVagnereck, & alii dicant in multis locis pœnas istas contraria consuetudine abrogatas esse; si tamen venatio impedit debita exercitia clericalia, præsertim episcopalia, & monachalia, jus naturale, cui consuetudo non prævalet, obligat ad omittendas istas venationes; præsertim si scandalo sint conjunctæ.

Vide notata post c. 1. *h. t. p.* 1. *pag.* 364.

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

Agitur de hac materia in Decreto *dist.* 45. *per tot. & c.* 25. *d.* 86.

1. Q. *Quis dicatur clericus percussor, & quæ pœna illius?* R. 1. Clericus, præsertim in sacris constitutus, tunc dicitur percussor, dum laicos etiam delinquentes, sive fideles, sive infideles, propriis manibus percutit, quod est contra modestiam, & mansuetudinem clericalem, *Can.* 1. *& seqq. d.* 45. Pœna illius est correctio arbitraria: & si se non emendaverit, sed consuetudinarius sit in percutiendo, jubetur deponi *c.* 2. *h. t.* imo etiam ob unam percussionem gravem, & lethalem deponi potest, *c.* 2. *eod.*

2. R. 2. Prælatus Episcopo inferior clericos sibi subditos disciplinæ causa potest propria manu percutere, non vero Episcopus *Can.* 25. *d.* 86. sed is verberationem istam demandare debet alteri clerico, & ex hodierna consuetudine etiam laico; quia executio hujus verberationis non satis decet clericos: ita tamen ut castigatio sit moderata, alioquin mandans, & mandatarius incurret excommunicationem Canonis, *si quis suadente*.

3. R. 3. Clerici magistri, si verba non proficiunt, possunt discipulis suis clericis etiam moderata verbera infligere, *Can.* 19. *de pœn. d.* 1. *c.* 10. 54. *de sent. excom.* nam talis potestas censetur esse quasi necessaria ad docendum, & corrigendum, ne magister clericos docens sit in periculo excommunicationis. Similiter senioribus sacerdotibus permittitur, ut pueros minoristas inquietos, & divina officia turbantes leviter percutere possint, *c.* 16. *& 54. de sent. excom.* De clerico in bello percutiente dixi *tit. de homic. n.* 38. *&* 39.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

Agitur de hac materia in Decreto *dist* 46. *&* 24. *q.* 3. *sparsim*.

1. *Nota* Maledictum esse malum sermonem de alio: cujus tres sunt species. *Blasphemia*, dum quis male loquitur de Deo, vel Sanctis, sive affirmando, quod Deo non convenit, ut quod sit crudelis; sive negando, quod ei convenit, ut quod non sit providus; sive imprecando malum Deo, v. gr. ut pereat, punire non possit, sive indecentia verba in Deum, & Sanctos proferendo, ut contemptim dicendo Christum esse fabrum, vel B. ejus Matrem non esse Virginem &c. vel denique creaturæ attributum divinitatis attribuendo, v. gr. dæmonem esse omnipotentem &c. Dum error hæresis miscetur, vocatur blasphemia qualificata, secus, blasphemia simplex. Vide S. D. 2. 2. *q.* 13. & 14. Altera species est *detractio*, seu mala locutio de proximo absente. Tertia est *calumnia*, seu mala locutio de proximo præsente; ut si quis in faciem ei objiciat, quod sit fur, adulter, illegitimus &c. Vide S. D.

2. Q. I. *Quæ sit pœna blasphemantis?* R. 1. De jure div. *Lev.* 24. *c.* 16. fuit lapidatio: hodie de jure civ. *Nov.* 77. *c.* 1. *§. fin.* & Recess. Imp. sub Car. V. 1548. blasphemi in Deum puniuntur morte, vel mutilatione: blasphemi in Sanctos fustigatione, linguæ sectione &c. quæ tamen pœnæ mitigantur, si blasphemia indeliberate prolata est; nisi prolata fuisset ex ira ab officium juste perditum, vel pecuniam in lusu amissam, Clar. Menoch. Farin. 2. De jure Can. clericus blasphemus deponebatur, laicus excommunicabatur, *Can.* 10. *si quis* 22. *q.* 1. deinde jure Decretal. indicta est pœnitentia publica, & multa pecuniaria, ut describitur *c. fin. h. t.* Hodie plerumque particularia statuta observantur, quia Const. Leon. X. incip. *Supernæ* Julii III. *In multis*, S. Pii V. *Cum primum*, non sunt usu receptæ.

3. Q. II. *Quæ sit pœna maledicentis principi?* R. 1. Si quis Papæ, vel Imperatori ex levitate, insania, aut temulentia maledixerit, & injuria vergat præcise in personam eorum convenienter ab utroque injuria remittitur ad imitationem mansuetudinis Christi *Can.* 27. *int.* 23. *q.* 4. *l. un. C. si quis Imp. maled.* Idem faciet Episcopus, & prælatus regularis, ut personalem injuriam maledicenti subdito mansuete remittat, *cit. Can.* 27. *& l.* 10. *de Episc. & Cler.* ubi tamen judici laico præcipitur, ut injuriam Episcopo illatam vindicet, *nec expectet, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit*. Exemplum est in Sancto Pio V. qui auctorem famosi criminis in se confictì liberum dimisit. 2. Si maledictum redundet in Sedem apostolicam, vel majestatem, vel seditio, aut aliud grave malum immineat, locus est pœnæ arbitrariæ pro qualitate delicti, cum certa non statuatur *c.* 1. *h. t. & Can.* 24. *d.* 63. *& Can.* 30. *Guilisarius* 23. *q.* 4.

4. Q. III. *Quæ sit pœna maledicentis privato?* R. Clericus, maxime sacerdos, in proximum maledicus, olim cogebatur ad petendam injuriæ veniam; secus degradabatur, hoc est, suspendebatur usque ad satisfactionem præstitam *Can.* 5. *d.* 46. Hodie maledici tenentur actione injuriarum, & palinodias, seu recantationis, *l.* 15. *§.* 27. *ff. de injur.*

5. Q. IV. *An maledictum sit mixti fori?* R. Affirmative, excepta blasphemia hæreticali, quæ pertinet ad cognitionem solius judicis ecclesiastici: licet de consuetudine etiam laicus punire soleat tales blasphemos,

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

1. Q. I. *Quæ sit pœna clerici censura irretiti exercentis actum Ordinis sacri?* ℞. 1. Pœna est depositio ab officio, & beneficio per sententiam infligenda *c. 4. h. t.* licet Episcopus, si velit, possit prius monere reum, *c. 3. h. t.* 2. Est privatio beneficiorum, & quidem ipso jure *c. 6. h. t.* Tiraq. 3. Est irregularitas ipso jure, & facto incurrenda: ita disponitur de excommunicato *Can. 6. & seq. 11. q. 3. c. fin. h. t.* de suspenso *c. 9. h. t. c. 1. in fin. de sent. & re jud. in 6.* de interdicto personaliter *c. 18. §. fin. & c. 20. de excom. in 6.* dummodo censuratus exerceat *actum proprium Ordinis, & temere*, sine urgenti causa: secus non fit irregularis; quia pœna irregularitatis lata est in temerarium violatorem censuræ *Can. 6. siquis 11. q. 3. c. 1. §. fin. de sent. & re jud. in 6.* ibi: *damnabiliter ingesserit se divinis.*

2. Unde non fit irregularis. 1. Qui in censura suscipit ordinem, licet suspendatur *c. 1. de eo, qui furtiv.* qui matrimonio assistit, sed illud non benedicit, qui absolvit a censuris, vel dispensat in votis, modo id fiat sine stola, qui baptizat privatim, non solemniter, qui canit Evangelium sine stola, & epistolam sine manipulo &c. quia in his casibus non exercetur actus proprius Ordinis. 2. Qui in extrema necessitate exercet actum ordinis, v. gr. absolvendo moribundum, vel si excommunicatus toleratus ex officio suo ad instantiam petentis conferat sacramentum; quia in his casibus temere non exercet actum ordinis. 3. Excusatur ab irregularitate, qui ignorat se esse censuratum *c. 9. h. t.* qui metu gravi injusto adigitur, vel timore propalandi delicti, infamiæ, & scandali inde secuturi, exerceret actum ordinis; quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. Item si sententia est evidenter nulla, vel si reus contra illam appellavit, vel si est parvitas materiæ; ut si sacerdos censuratus in horis Can. dicat: *Dominus vobiscum*: denique si justa causa excusat a mortali, sine quo pœnalis irregularitas non incurritur.

3. ℞. 2. Si actus ordinis ex defectu intentionis est invalidus, probabiliter non incurritur irregularitas: nam actus iste, etiam ut procedit a tali agente, non est usus ordinis, sed fictio; licet in foro externo habeatur pro irregulari. At si actus ex alio capite, v. g. defectu materiæ, fuit invalidus, locus est irregularitati; quia vere violatur censura, & exercetur ordo, licet per accidens invalide. Similiter, si sacerdos censuratus distribuat Eucharistiam, vel suppleat cæremonias baptismi, probabilius fit irregularis; cum distributio Eucharistiæ, & suppletio cæremoniarum per se pertineat ad officium sacerdotis.

4. ℞. 3. In dubio, an censura lata sit, exercens actum ordinis, post sufficientem veritatis inquisitionem, non fit irregularis; quia temere non violat censuram, licet ad cautelam absolvi debeat, *c. 5. h. t.* Ast in dubio, an censura sit valida, vel invalida, debet se gerere pro censurato, & sub pœna irregularitatis nequit exercere actum ordinis: ita com. *arg. c. 5. h. t. c. 40. de sent. excom.* quia sententia pastoris, sive injusta fuerit, est timenda *Can. 1. sententia 11. q. 3.* Nec prodest appellatio, quia ista non parit effectum suspensivum, sed devolutivum, ut dixi *tit. de appell.* Hactenus dicta non habent locum in casu excommunicationis minoris; quia hic irretitus, exercendo actum ordinis, non fit irregularis, ut dicitur, *c. fin. h. t.*

5. Q. II. *An censuratus exercens actum Ordinis minoris fiat irregularis?* ℞. Affirmative de rigore juris, quod non distinguit inter actus majorum, & minorum ordinum, ut declaravit Sixtus V. Const. incip. *Sanctum* 1588. *Non. Jan.* Hodie vix unquam irregularitas ista incurritur; quia actus minorum ordinum non aliter peraguntur a clericis, quam secularibus.

6. Q. III. *Quæ sit pœna clerici depositi, in ordine ministrantis?* ℞. Excommunicatio ferendæ sententiæ, *c. 1. & 2. h. t.* & si monitus se non emendaverit, tanquam incorrigibilis plectendus est exilio, *cit. c. 2. h. t.* & tandem degradatione *c. 10. de judic.*

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato, ministrante.

1. Q. I. *Quæ pœnæ sint clerici ministrantis in ordine non suscepto?* ut si sacerdos simplex confirmet, Ecclesias consecret, aliosque actus ordinis episcopalis exerceat, vel si diaconus missam legat, minorista epistolam, & Evangelium solemniter canat cum manipulo, & stola &c. ℞. 1. Pœna est excommunicatio ferendæ sententiæ *c. 1. h. t.* 2. Suspensio ad biennium, vel triennium ab ordine ultimo suscepto *c. fin. h. t.* quæ suspensio in hac materia pœnali non porrigitur ad alios ordines. 3. Irregularitas partialis, ne clericus iste ad superiores ordines promoveri possit, *c. 1. 2. h. t.* si vero clericus exerceat actum ordinis, a quo suspensus est, fit plene irregularis, ut *tit. præced.* dictum.

2. Requiritur autem ad hanc irregularitatem, ut clericus scienter, & temere exerceat actum ordinis non suscepti, *c. 1. h. t.* ibi: *propter temeritatem*, adeoque simplicitas, & ignorantia excusat illum ab hac pœna. Censetur autem ordo non susceptus etiam ille, qui susceptus est invalide, seu cum defectu substantiali. Hodie cum in minoribus ministrare laici possint, vix unquam irregularis fiet clericus exercens actum alicujus ordinis minoris non suscepti.

3. ℞. 2. Clericus exercens actum ordinis non suscepti, etsi non habeat intentionem illum exercendi, fit tamen irregularis: ita Suar. Reiff. & alii contra Tabien. Navar. Bonac. Hurtad. &c. nam jus indistincte loquitur de clerico non ordinato ministrante: imo is ex defectu potestatis nec potest habere intentionem istam: & aliunde pœnæ istæ eluderenter per hoc, quod quisque dicere posset, se non habuisse intentionem seriam ministrandi in ordine non suscepto; nisi ex adjunctis constet jocum fuisse, vel scenicam repræsentationem: secus actus externus serio positus, tanquam sacrilegus subștat his pœnis. *Dices*: rebaptizans sine intentione, non incurrit irregularitatem, ut com. docet, ergo a pari. ℞. Neg. conf. nam irregularitas ex rebaptizatione lata est occasione hæreticorum, in quibus supponitur animus rebaptizandi: at in nostro casu irregularitas statuta est contra clericos sacrilege ponentes actum ordinis, quem non susceperunt.

4. Q. II. *Quas pœnas incurrat laicus exercens actum Ordinis sacri?* ℞. 1. Si missam celebret, vel sacramentales confessiones audiat, tanquam reus gravissimi sacrilegii, & suspectus de hæresi, ab Inquisitoribus, & Ordinariis locorum judicari, & velut idololatra, & falsarius Curiæ seculari tradi potest, & debet ex Constit. Clem. VIII. incip. *Etsi alias*: at irregularitatem ipso jure non incurrit; quia irregularitas ista nec est expressa in *cit.* Constitutione Clem. neque *hoc tit.* loquente de solis clericis ministrantibus in ordine non suscepto.

☞ *Ex Constit. Bened. XIV.* Sacerdos in æternum-20. *Aprilis* 1744. *missam celebrans ad presbyteratus Ordinem non promotus, Curiæ seculari tradendus est, etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium Ordinem susceperit, quamvis unam tantum missæ partem celebraverit; si tamen elevationrm Hostiæ, vel Calicis, seu utriusque peregerit, etiam non prolata consecrationis forma. Nec privilegium ætatis minoris annis viginti quinque ei suffragatur, quin condignis pœnis a Curia seculari afficiatur; dummodo vigesimum annum expleverit juxta ampliationem factum ab Urbano VIII. Constit.* - Apostolatus officium-*quæ hic innovatur. Si vero elevationem non peregerit, mitiori pœna damnari permittitur.*

Eisdem pœnis subjiciuntur confessionem sacramentalem audientes, non promoti ad presbyteratum, si absolutionis formam protulerint, etiam pro prima vice.

Præterea statuitur, quod licet delictum celebrationis missæ non satis plene probatum dici possit ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio seculari, quando testes inducti in suis quique depositionibus singulares dignoscuntur: nihilominus indicia per ejusmodi depositiones acquisita satis relevantia judicari debeant, ut reus tormentis subjiciatur ad eliciendam veritatem. Fisci vero intentio satis probata intelligatur, si ex extrajudicialibus litteris Ordina-

riorum rei constet, hunc ad presbyteratus Ordinem non fuisse promotum: cui tantum incumbere debeat onus concludenter probandi, se fuisse promotum.

Ex alia ejusdem Bened. Const. Divinarum 4. *nonas Aug.* 1757. *prædictis reis non amplius suffragatur, ut olim, sincera hujusmodi delictorum a se patratorum confessio facta judici, cum primum ab eo interrogati fuerint, an sciant, qua de causa carceribus inclusi sint, ad obtinendam promeritæ pœnæ minorationem, scilicet triremium, & carceris in perpetuum loco mortis, sed omnino tradi debent, servatis servandis, brachio seculari, capitali pœna puniendi.*

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

Agitur de hac materia in Decreto *Can. un. d.* 52. *& Can.* 2. *& fin. d.* 59. Trid. *S.* 23. *c.* 2. *de sacr. Ord. & c.* 11. *&* 14. *de ref.*

1. Q. I. *An clericus per saltum valide ordinetur?* ℞. Affirmative, excepto episcopatu; quia essentialiter præsupponit sacerdotium, cum illis sit ultimum complementum. Inter ceteros autem ordines non datur essentialis ista connexio, & præhabitio, sed qui illicite suscepit sacerdotium, debet deinde reliquos inferiores ordines suscipere; nec prius ei licet in ordine per saltum obtento ministrare.

2. Q. II. *Quæ sit pœna clerici per saltum promoti?* ℞. 1. Suspensio, vi cujus clericus nequit in ordine per saltum suscepto ministrare, nec ad superiores ordines ascendere, nec omissum ordinem sine dispensatione recipere: quæ suspensio ipso jure, & facto incurritur ut com. docet, contra Turrecr. Archid. quia Trid. *S.* 23. *c.* 14. *de refor.* dat Episcopo potestatem dispensandi cum promoto per saltum, ut prius recepto inferiore ordine, valeat ministrare in ordine per saltum suscepto; ergo Trid. supponit suspensionem istam ipso jure incursam fuisse. Et hoc sensu explicatur *c. un. h. t.* ibi: *a sacerdotali officio illum prohibeas*, seu declares prohibitum. Eandem suspensionem ex declaratione S. Cong. Conc. incurrit suscipiens minores ordines absque prima tonsura; quia ista est saltem necessaria ad ordines disponendo, reddens subjectum capax licitæ ordinationis. Secus est si omittatur Confirmatio, quæ de sola congruitate prærequiritur ad ordines; & aliunde nomine ordinum non venit.

3. ℞. 2. Episcopus ex Trid. *S.* 23. *c.* 14. *de refor.* dispensare potest in hac suspensione, ut prius suscepto omisso ordine, promotus per saltum ministret in ultimo ordine, si antea in hoc non ministraverit, sive ignoranter, sive scienter promotus fuerit, cum Trid. non distinguat. Econtra Episcopus non potest dispensare; imo probabilius nec Papa, ut non recepto inferiori ordine, recipiatur superior; quia ex institutione Christi ordines gradatim sunt recipiendi: neque Episcopus dispensare potest, si promotus in ordine per saltum recepto ministraverit, quia Trid. conditionate loquitur, *si non ministraverit*. Si tamen delictum cum suspensione, & irregularitate occultum sit, poterit in his Episcopus dispensare vi Trid. *S.* 24. *c.* 6. *de ref.* At promotus per saltum non indiget ulla dispensatione ad ministrandum in prioribus ordinibus rite susceptis; quia suspensio ista ad illos se non extendit, ut patet ex dictis, neque fit irregularis; cum id nullo jure caveatur.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtive Ordinem suscepit.

1. Qui furtive ordinem suscepit, hoc est, sine licentia Episcopi, & prævio examine immiscet se ordinandis, aut eodem die duos sac. ordines suscipit, regulariter valide ordinatur, non obstante consueta protestatione Episcopi, quæ fit potius animo deterrendi, quam non ordinandi, nisi expressa esset voluntas Episcopi eos non ordinandi. Unde regulariter furtive ordinati non sunt reordinandi, *c.* 1. *h. t.*

Vide additionem part. 1. *tit.* 12. *post num.* 5. *pag.* 588.

2. Q. *Quæ sint pœnæ furtive ordinati?* ℞. 1. Suspensio ab ordinibus ita susceptis, *c. fin. h. t.* 2. Suspensio, ne ascendat ad altiores ordines *c.* 1. *h. t.* non tamen irregularitas; quia clare non colligitur ex *cit. c.* 1. Per accidens, si Episcopus sub excommunicatione prohibuit furtivam ordinationem, ita ordinati, utpote excommunicati exercere nequeunt ordines antea rite susceptos.

3. ℞. 2. Dispensare in hac suspensione regulariter potest Episcopus; nisi furtiva ordinatio prohibita fuisset sub excommunicatione; quo casu dispensat solus Papa: Episcopus vero, vel prælatus dispensare potest, cum eo, qui postea monasterium ingressus est, *c.* 1. 2. *h. t.* In occulta suspensione dispensat Episcopus vi Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* Dispensatione non videtur opus cum eo, qui ignoranter, per vim, aut gravem metum furtive suscepit ordinationem; quia causæ istæ excusant a pœnis.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & subditorum.

Agitur de hac materia in Sexto & Clem. *h. t.* & in Decreto sparsim *d.* 86. *&* 2. *q.* 1.

1. Q. I. *Qui sint excessus prælatorum?* ℞. Plures enumerari *h. t.* & quidem 1. Si subditos gravent indebitis oneribus, exactionibus, censuris non promeritis, *c.* 1. *h. t.* 2. Si illorum jura diminuant, vel Ecclesias eis subjectis eripiant, *c.* 2. *eod.* 3. Si beneficia, quorum collatio ad subditos spectat, sibi retineant, aut conferant, *c.* 3. *eod.* 4. Si beneficia conferant indignis, *c.* 11. *eod.* 5. Si aliquid præcipiant, vel prohibeant contra privilegia apostolica: quo casu *liberum est abbatibus*, seu regularibus, *auctoritate apostolica quod petitur, denegare c.* 5. *eod.* nam Episcopi, utpote inferiores, non possunt tollere privilegia apostolica, sed tenentur ea conservare *c.* 16. *de M. & O.* & ideo excommunicatio lata contra subditum, qui non paret contra privilegium, est ipso jure nulla *c.* 7. *h. t.* Alia gravamina Regularibus illata vide *c.* 16. *&* 17. *& Clem. un. h. t.* 6. Si prælati Episcopo minores Ecclesias propria auctoritate uniant, *c.* 8. *h. t.* vel si, secluso privilegio, indulgentias concedant, publicas pœnitentias imponant, & alia Episcoporum propria exerceant, *c.* 12. *eod.* Ceteros excessus prælatorum vide hic in textu.

2. Q. II. *Qui sint excessus subditorum erga prælatos?* ℞. seqq. 1. Si festa, interdicta, & alias censuras ab Episcopo latas non observent; cum in his Episcopo parere etiam Regulares exempti teneantur *c. fin. h. t.* Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Regg.* 2. Si privati clerici sibi faciant commune sigillum, & alia collegii jura usurpent, *c.* 14. *eod.* 3. Si negent Episcopum esse suum pastorem, eumque trahant ad judicium seculare, aut invadant: pro quo excessu deponendi, officiis, & beneficiis privandi sunt, *c.* 15. *eod.* 4. Si mutent sibi causam possessionis in beneficio; ut si vicarius sibi arroget titulum rectoris principalis, ob quod tanquam perjurus, & infamis ab executione officii amovendus est, *c.* 6. *eod.* Alios excessus subditorum passim in jure reperies, uti etiam pœnas eis debitas.

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

1. Titulus, iste pertinet ad excessus prælatorum, & subditorum, dum ædificant Ecclesias, domos, & alia pia opera in præjudicium alterius; cujus delicto occurritur per novi operis denunciationem a jure civili *tit. ff. & C. de N. O. N.* introductam, & a sac. Canonibus receptam, *c.* 1. *h. t.* ubi ponitur celebris illa regula: *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Porro novi operis nunciatio est legitima prohibitio, ne opus aliquod extruatur, vel extructum immutetur, aut in cœpta ædificatione, aut mutatione procedatur, donec intra tres menses constet de jure ædificantis, vel eo nomine idonea cautio detur *c. fin. h. t. l.* 1. §. 11. *ff. & l. un. C. eod.*

2. Q. I. *Quod dicatur novum opus nunciabile?* ℞. Illud tantum, quod est *conjunctum solo*, *novum* simpliciter, & *futurum*. Unde locum non habet nunciatio contra eum, qui messem colligit, arbores succidit, qui vetus ædificium reficit, pristinam ejus faciem, seu for-

formam non mutando, & qui absque prohibitione totum opus complevit, *l.* 1. §. 1. 11. 12. *ff. de operis nov. nunc.* Adversus opus præteritum, seu jam factum, & completum non competit hoc edictum, seu interdictum, sed aliud *Quod vi, aut clam, cit. l.* 1. §. 1. nisi quis prohibitus, non impetrata nunciationis remissione, nec data satisdatione, ædificaverit: tunc enim actor in optione habet experiri vel *interdicto de N.O.N.* vel interdicto *quod vi, aut clam. l.* 7. §. 2. *ff. quod vi, aut clam.*

3. Q. II. *Quis, & cui nunciare possit novum opus?* ℞. 1. Nunciare potest omnis, cujus interest, vel alius ejus nomine, ne contra jus illius ædificetur: & quidem 1. Si ædificium vergit in præjudicium boni publici, quilibet de populo nunciare potest *l.* 3. §. *fin. & l.* 4. *ff. h.t.* cum omnium intersit bono publico non noceri. Mulier tamen, & pupillus, nisi specialiter eorum intersit, uti & infamis non admittuntur ad popularem actionem, *l.* 5. *eod. & l.* 4. 6. *ff. de popul. act.* 2. Si novum opus vergit in præjudicium boni privati, illud nunciare potest non tantum dominus directus, sed etiam vasallus, emphiteuta, superficiarius, creditor hypothecarius, vel eorum nomine filius, servus, mercenarius, procurator, negotiorum gestor, amicus; dummodo hi, non habentes mandatum speciale, caveant de rato: ita hæc omnia habentur *l.* 1. *& seqq. ff. h. t.* Pupillus saltem verbaliter nunciare nequit, ne alterum fateatur esse in possessione; nisi adsit auctoritas tutoris, *l.* 5. *pr. ff. eod.* fructuarius non nunciat, sed agit confessoria, ne impediatur in usufructu, *l.* 5. §. *fin. eod.*

4. ℞. 2. Opus novum nunciari potest cuivis, etiam superiori, qui in præjudicium alterius illud molitur *l.* 8. *pr. ff. h.t.* sive iste sit dominus, sive dominum repræsentans, ut servus, fabri, opifices; item sive sit mas, sive fæmina, infans, furiosus, amens; modo aliquis in loco sit præsens, qui nunciationem factam intelligat, *l.* 5. §. 3. *l.* 10. *eod.* sive sacrum, sive profanum ædificet, *c.* 2. *h.t.* sive non habeat, sive habeat jus ædificandi, si hoc non sit notorium *c.* 1. *h. t. l.* 20. §. 1. *eod.* nam si jus ædificandi habet, facile apud judicem impetrabit remissionem, seu cassationem nunciationis ex interdicto *tit. ff. de remissionib.*

5. Q. III. *Qua forma fieri debeat nunciatio novi operis?* ℞. 1. Oportet, ut nunciatio fiat, vel *solo verbo* extrajudiciali, adversario prohibendo, ne ædificet, vel cœptum prosequatur; vel *facto* significante prohibitionem novi operis, quod fit per *appositionem manus*; ut si lapides, vel materiam ad ædificandum paratam dispergas, lapidem jacias in opus cœptum, vel ex eo lapidem amoveas; dummodo per verba, aut alia signa significetur per actiones istas fieri nunciationem novi operis; vel denique judicialiter petendo a judice, ut novum opus prohibeat, *l.* 5. §. 10. *ff. h. t.* ubi etiam Ulp. dicit, si in nostro ædificetur, meliorem esse nunciationem judicialem per prætorem, & realem per jactum lapidis, quam verbalem: quia verbaliter nuncians, fatetur adversarium esse in possessione. 2. Testes utiliter adhibentur, non quidem ad substantiam, sed ad faciliorem probationem factæ nunciationis. 3. Nunciatio facienda est in loco, vel prope locum, ubi intenditur extructio operis *l.* 5. §. 2. *eod.* de tempore non curatur, quia etiam die feriata opus novum nuntiari potest, & prætor adiri, ut de plano cognoscens, absque cognitione tribunalitia prohibeat novum opus. 4. Proponi debet causa, ob quam nunciatur; puta conservatio juris nostri, quod opere novo læditur, vel aversio damni, & præjudicii, quod ex opere novo timetur, vel defensio juris publici, *l.* 1. §. 15. *ff. eod.*

6. Q. IV. *Quis sit effectus nunciationis legitime factæ?* ℞. 1. Obligatio non ædificandi, aut ab opere cœpto desistendi, donec causa discussa, constet de jure ædificantis, & prohibentis, *l.* 8. §. 4. *ff. h. t.* Unde siquis, non impetrata remissione, vel non præmissa satisdactione de ædificato destruendo, quæ locum remissionis tenet, novum opus ædificaverit, ante omnia tenetur illud destruere propriis sumptibus, & in pristinam formam reducere; ita ut non audiatur volens dare cautionem de opere destruendo, si nuncians jus, & interesse suum probaverit: ita de utroque jure *l.* 20. *pr. cum seqq.* §§. *ff. h. t. c.* 1. 2. *h. t.* etsi postea appareat jus ædificandi fuisse; quia interdictum prætorium temerario ædificatori hanc pœnam salubriter statuit, ne in præjudicium aliorum nova opera fiant; nisi forsan eo casu nuncians elegerit interesse. 2. Alter effectus nunciationis *verbalis* est, quod accepta remissione, & satisdatione, possessio transeat in adversarium, ut ante dictum ex *l.* 5. §. 10. *eod.* quia post remissionem, & satisdationem ædificari permittens, fatetur adversarium possidere, *l.* 7. §. 2. *ff. quod vi, aut clam.* 3. Nuncians, si nolit cautionem recipere de ædificato destruendo, potest, & debet jus, ac interesse suum probare intra spatium trium mensium *c. fin. h. t.* quo tempore si jus suum non probet, adversarius, impetrata remissione, opus novum tuto ædificabit, *l. un. ff. de remission.* 4. Dominus soli propria auctoritate in continenti diruere potest quidquid alius in eo ædificavit, *l.* 27. *ff. de S.P.U. l.* 3. §. 9. *ff. de vi arm.* tum quia ædificatum in solo, cepit domino soli; tum quia in continenti vim vi repellere licet, At si quis in solo suo ædificet, non licet alteri ædificatum diruere, sed adhibenda est nunciatio conformiter *l.* 5. §. 10. *ff. h. t.* si autem post nunciationem dominus soli ædificare pergat, poterit nuncians vim vi repellere, & propria auctoritate ædificatum diruere ex interdicto *ff. quod vi, aut clam.*

7. Q. V. *In quibus casibus locum non habeat nunciatio novi operis?* ℞. seqq. 1. Si jus ædificandi sit notorium, *l.* 20. *pr. ff. h. t.* quo casu non est necessaria auctoritas prætoris; cum jus sit liquidum, & nunciatio notorie injusta. 2. Si judex revocet nunciationem, ejusque remissionem faciat *l.* 16. *ff. h. t.* ex quacumque justa causa; maxime si nuncians intra trimestre non probet jus suum, *c.* 3. *& fin. h. t. l.* 20. §. 14. *ff. & l. un. C. eod.* 3. Si nuncians ædificanti remittat nunciationem, vel cautionem acceptet de opere destruendo, si deinde constiterit non adesse jus ædificandi *c.* 2. 3. *h. t. l.* 8. §. 4. *& l.* 20. §. 9. *ff. eod.* vel si nuncians nolit jurare de calumnia, quia præsumitur calumniose nunciare, *l.* 5. §. 14. *eod.* 4. Si nuncians, re integra, moriatur, *l.* 8. §. 6. *eod.* quia nunciatio ex parte nunciantis est mere personalis, neque transit ad hæredes, nisi & horum nomine fuisse nunciatum. At contra nunciatio morte ejus, cui nunciatum est, non extinguitur, *cit. l.* 8. §. *fin.* quia hoc respectu realis est, & transitoria ad hæredes *l.* 10. *ff. h. t.* imo etiam ad successores particulares, ut emptorem *l. fin. eod.* Ceterum regulariter loquendo, si jus alienum non obstet, quilibet in suo fundo ædificare potest quodlibet, *l.* 8. *C. de servit.* nam juxta com. brocardicon: *Si domus mea est, est mea usque ad cælum sursum, & usque ad infernum deorsum.* Plura alia de ædificatione traduntur a Civilistis ad §. 29. *&* 30. *Instit. de rer. divis.*

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

Agitur de hac materia in *Sexto, Clem. & Extrav. Joann. XXII. & Extrav. com. h. t.* In Decreto 25. *q.* 2. In Trid. *Sess.* 6. *c.* 3. *Sess.* 7. *c.* 14. *Sess.* 14. *c.* 5. 8. *Sess.* 24. *c.* 11. *de reform.* & alibi frequenter, ubi privilegia multa revocantur. In Pandectis *l.* 14. 15. 16. *ff. de LL. & l.* 1. §. *fin. ff. de Const. Princ.*

1. Prima pars hujus rubricæ hic incidenter ponitur: alias tractatio de privilegiis, tanquam privatis legibus magis proprie spectaret ad *tit. de Const.* sicut fit in jure civili. Altera vero pars de *excessibus privilegiatorum* huc proprie spectat, cum excedere in privilegiis delictum sit. Agam hic 1. De privilegiis in communi. 2. De quibusdam privilegiis in specie. 3. De excessibus privilegiatorum.

§. I.

De Privilegiis in communi.

Hic considerari solet natura, divisio causæ, effectus, amissio, & revocatio privilegii.

2. Q. I. *Quid sit privilegium?* ℞. Quoad nomen est *lex privata Can.* 3. *d.* 3. quoad rem privilegium formaliter est jus singulare contra tenorem juris communis ob aliquam utilitatem a principe concessum: ita in re com. ex *l.* 16. *ff. de LL. Dicitur* 1. *Jus* per modum generis, in quo convenit cum lege, cum adinstar legis obliget.

Dicitur 1. *Singulare*, quia datur uni, vel alteri personæ singulari, aut communitati minori, tanquam personæ singulari fictæ, licet ex consequenti obligat totam communitatem principi subjectam, ne privilegiatum in usu privilegii impediat. *Dicitur* 3. *contra tenorem juris communis*; quia privilegium, seu lex privata, debet esse contrarium juri communi, ut asserit JCtus & *l.* 14. *& seqq. ff. de LL.* Unde id, quod conceditur, *præter*, aut *juxta jus commune*, non est in rigore privilegium, sed potius *gratia*, *beneficium*, aut *declaratio principis*; licet in communi usu frequenter dicatur privilegium, quem usum non damno; quia de vocibus non libenter contendo. *Dicitur* 4. *ob aliquam utilitatem*; quia ex hoc, quod quibusdam personis concedatur exemptio a quibusdam legibus, & oneribus communibus, magna utilitas, & emolumentum reipubl. sequi solet; ut consideranti patet in privilegiis pupillorum, minorum, clericorum, militum &c. *Dicitur* 5. a principe, seu suprema potestate, quæ sola derogare potest juri communi. Ita proportionaliter discurrendum de privilegiis, quæ inferior conditor dat contra jus suum territoriale. Præterea pluribus aliis modis accipi potest privilegium; puta *instrumentaliter* pro ipsa scriptura, consecutive pro facultate, quam privilegiatus accipit: *formaliter* vero pro ipso jure singulari a principe constituto.

3. Q. II. *Quomodo dividatur privilegium*? R. 1. In *affirmativum*, quo conceditur actus alias jure prohibitus; ut eligere in aliena Ecclesia: & *negativum*, quo conceditur omissio actus jure præcepti; ut non solvere decimas. 2. In *mere gratiosum*, quod datur ex pura benevolentia principis; cum & ista sit causa sufficiens ad dandum privilegium, licet ordinarie alia causa concurrat: & *remuneratorium*, quod datur ob merita personarum; sicut pleraque privilegia Regularium. 3. In *favorabile*, *& odiosum*, in quibus explicandis variant DD. In meliori sententia illud est privilegium *favorabile*, quod primario & per se conceditur in favorem personæ, licet per accidens odium, seu præjudicium alterius contineat; sicut privilegium ætatis, SCti Vellejani &c. *Odiosum* est illud, quod per se, & principaliter in odium, & detestationem alterius conceditur; sicut privilegium SCti Macedoniani in odium fœneratorum, quartæ pianæ in odium injuste exhæredantium, vel emancipantium arrogatos impuberes, privilegium retrahendi libertum ingratum in servitutem, vel revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii &c. Fateor tamen in communi usu sæpe vocari privilegia *odiosa*, quæ adversantur juri communi, aut tertii, seu gravamen, & præjudicium alterius continet; ut privilegium decimandi, pontificalia exercendi in alia diœcesi &c. 3. In *onerosum*, seu *conventionale*, quod mediante pacto datur ex justitia: & *purum*, seu *non onerosum*, quod sine ullo pacto, & titulo justitiæ datur. 4. In *perpetuum*, quod de se perpetuo durat; sicut lex, nisi revocetur: & *temporale*, quod durat ad tempus limitatum: & hoc non videtur differre a dispensatione. 6. In concessum *motu proprio*; *& ad instantiam supplicantis*. Tunc privilegium conceditur *motu proprio*, dum clausula ista *motu proprio* exprimitur, seu causa finalis concessionis; & consf. preces privilegiati vel nullæ præcesserunt, vel si præcesserunt aliquæ, tamen concedens non attendit eas, ut causam finalem concessionis. Tunc vero conceditur *ad instantiam*, seu *preces*, dum pro causa concessionis allegantur preces supplicantis. 7. In *absolutum*, *& conditionatum*, *ecclesiasticum*, *& politicum*, *clausum in corpore juris communis*, *& extravagans*, & alia, quorum notitia ex vocibus innotescit. 8. Privilegium celebri divisione dividitur in *personale*, *& reale*: licet aliqui, qui amant terminos carpere, aut entia multiplicare sine necessitate, eam rejiciant contra *l.* 196. *ff. de R.J.* ubi Modestin. ait: *privilegia quædam causæ sunt*, *quædam personæ*. *Personale* est, quod per se conceditur personæ independenter a causa, seu re, fundo, officio, aut simili titulo perpetuo, & cum persona extinguitur, *reg.* 78. *ff. & reg.* 7. *in* 6. uti est privilegium competentiæ datum parentibus, patronis, marito, militi, clerico §. 37. *& seq. Instit. de act.* *Reale* est, quod conceditur personis dependenter a causa, seu ratione rei, fundi, castri, dignitatis, officii, status, & communitatis: & hoc transit ad successores in eadem re, *cit. l.* 196. ut privilegium eligendi annexum dignitati, privilegium asyli, fori clericalis &c. Ex privilegiis realibus aliqua quoad usum competunt tantum *communitati*, *qua tali*; ut privilegium liberæ electionis &c. alia *singulis membris*; ut privilegium fori clericalis, & multa privilegia Regularium.

4. Q. III. *Quæ sint causæ privilegii*? R. 1. *Materia*, seu objectum privilegii proprie talis, est actus jure communi præceptus, aut prohibitus; ita ut respectu privilegiati desinat esse præceptus, aut prohibitus: nam privilegium est jus singulare contra tenorem rationis communis, *l.* 16. *ff. de LL. Can. fin.* §. *si ergo* 25. *q.* 1. Privilegia declaratoria juris communis, & privilegia præter jus non sunt in rigore privilegia, licet vulgo ita dicantur: quo sensu explicari solet *c.* 7. *de proc. c.* 26. *v. fin. de jurej.* In dubio, an sit privilegium *declaratorium*, an *concessivum* contra jus com. censendum est concessivum, utpote proprie tale. Unde privilegium testandi datum Episcopo intelligitur de testamento quoad bona ecclesiastica, non patrimonialia &c. Illi autem actus, qui substant juri naturali præceptivo, non sunt objectum privilegii humani; quia princeps non est supra jus naturale: unde nec privilegium dare potest contra pacta justitiæ, quibus ipse obligatur, nisi causæ gravissimæ suaderent, ut Papa de absoluta sua potestate relaxaret aliqua pacta, etiam publica, quæ semper a fidelibus fiunt, salva auctoritate Vicarii Christi.

5. R. 2. *Forma* intrinseca privilegii, sicut legis, est actus principis, ut legitime manifestatus: forma vero extrinseca desumenda est ex stylo cujusque Curiæ principalis: & si in scripto detur, eadem proportionaliter est forma, quæ in rescriptis. Ceterum ad valorem privilegii per se non requiritur scriptura, *c.* 7. *institutionis* 25. *q.* 2. *& Clem.* 2. *v. nos etenim de sepult.* ibi: *universa privilegia verbo*, *seu scripto concessa*; *& Extrav.* 5. *de pœnit. inter com.* ibi: *tam verbo*, *quam scriptis*, *confectis inde litteris*, *vel non*: nam totus valor, sicut legis, ita & privilegii, pendet a voluntate principis; ergo sive scripto, sive verbo, sive alio signo voluntas principis intimetur, valebit privilegium; nisi in casu particulari expresse scriptura requiratur; uti in collationibus, confirmationibus, & unionibus beneficiorum a Sede apostolica factis, *Extrav.* 1. *de elect. int. com.* in delegationibus judicum papalium ex *reg.* 24. *Cancell.* in facultatibus non residendi in beneficio, Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de refor.* & ingrediendi monasteria monialium, *sess.* 25. *c.* 5. *de Regg.* &c. Hodie ex Const. Urb. VIII. incip. *Alias*, & Greg. XV. incip. *Romanus* privilegia apostolica non valent, saltem pro foro externo, nisi authentizata sint per officiales publicos, quibus id in Curia apostolica incumbit.

6. R. 3. Causa *efficiens* privilegii est princeps; cum iste solus, relaxare possit jus commune: & quidem tribus modis. 1. *Personali concessione*. 2. *Præscriptione*, aut *consuetudine* rationabili, & legitima, quæ nititur generali, seu legali consensu principis, *c. fin. de consuet. c.* 18. *de præscript.* 3. *Communicatione*, dum princeps privilegium uni concessum deinde communicat, seu concedit alteri, vel *relative*, seu *adinstar*, hoc est, indirecte accessorie; sicut multa privilegia viris regg. concessa communicantur monialibus, illorum familiaribus, medicis, advocatis &c. vel *absolute*, seu *pariformiter*, *& æque principaliter*, seu directe, ac si specialiter his concederentur: ita hos terminos sumi patet ex pluribus Bullis Pontificiis, in specie ex Bulla Greg. XV. incip. *Ad uberes fructus*, ubi terminus *adinstar* opponitur termino *pariformiter*: sic enim §. 1. communicans Scholis Piis privilegia Regularium, inquit: *pari modo*, *non solum ad eorum instar*, *sed pariformiter*, *& æque principaliter*, *perinde ac si illis nominatim*, *& in specie concessa fuissent &c.* Ex quibus conciliabis P. Schmalz. & alios DD. qui terminos istos aliter usurpant, & subdividunt. Porro hoc interest inter privilegia *adinstar*, *& pariformiter concessa*, quod illa minuantur, & amittantur, si priora privilegia contingat minui, vel amitti; ista vero nec minuantur, nec amittantur, etiamsi priora contingat amitti, vel minui; quia illa, & non ista per se dependent a prioribus.

7. R. 4. Causa *finalis*, seu finis generalis privilegii est aliqua utilitas redundans in bonum reipubl. *l.* 6. *ff. de LL.* finis vero partialis, seu causa motiva concessionis est illud motivum, quo princeps motus, concedit privilegium. Circa hanc causam eadem observantur, quæ

quæ circa causam rescripti. Vide *tit. de rescriptis a num.* 5.

8. ℞. 5. *Subjectum*, cui privilegium stricte tale datur, debet esse subditus principis, jure communi obstrictus, saltem in transitu, sicut externi, & peregrini: nam privilegium est liberatio ab obligatione juris communis. At privilegium late tale, acceptum pro gratia, & beneficio, concedi potest etiam non subdito; cum sit actus meræ liberalitatis, & præter jus, sicut Theodosius Imp. concessit judicibus ecclesiasticis cognoscere causas temporales laicorum, *Can.* 35. *quicumque* 11. *q.* 1. Porro licet princeps absolute dare possit privilegium independenter a consensu privilegiarii, regulariter tamen solet illud dare quasi conditionate, *si privilegiarius illud acceptaverit*, tum ne gratia principis contemnatur: tum quia privilegium vim habet donationis, quæ non est absoluta, nisi acceptetur a donatario: & hoc intellige de privilegiario directo: in cæteris enim nullus requiritur consensus; ut si alicui communitati concedatur exemptio, potestas absolvendi &c. imo sine ullius consensu, Papa motu proprio posset aliquam Religionem eximere a jurisdictione Ordinarii, a consuetis processionibus &c.

9. Q. IV. *Quis sit effectus privilegii?* ℞. 1. Ex parte privilegiarii est jus utendi privilegio secundum tenorem, & rectam interpretationem illius: ex parte vero aliorum est obligatio non impediendi usum privilegii, *c.* 26. *h. t.* Debet autem in usu privilegii observari locus, tempus, modus, & aliæ conditiones in privilegio expressæ: si autem locus, vel tempus non sint expressa, neque subjecta materia aliud suadeat, concessa gratia porrigitur ad omne tempus, & omne territorium concedentis; ut si obtinuisti privilegium legendi libros hæreticos, prædicandi Evangelium in omni Ecclesia &c. imo si gratia tollit solam inhabilitatem, vel concedit actum nullo speciali jure loci prohibitum, licitus est usus illius etiam extra territorium concedentis, ut ubique legere libros hæreticos, celebrare ante auroram &c.

10. ℞. 2. Privilegiatus non tenetur uti privilegio privato, *c.* 6. *h. t.* quia favori suo renunciare potest, nisi per accidens obligatio oriatur, ut audire missam die festo tempore interdicti. At si privilegium sit ex fine suo publicum, tenetur eo uti, sicut clericus privilegio fori *c.* 12. *de for. comp.* quia favori publico privatus renunciare nequit.

11. ℞. 3. In concursu duorum privilegiatorum discrimen faciendum est: & quidem 1. Si privilegia sint æqualia, sibi non opposita, privilegiatus utitur privilegio advers. privilegiatum; quia is quoad hunc effectum non censetur privilegiatus. Sic Ecclesia, vel minor læsus restituitur contra Ecclesiam, vel minorem lædentem; quia non lædentibus, sed læsis restitutio promissa est. 2. Si privilegia sint respectiva, & circa idem sibi opposita, speciale prævalet generali; quia species derogat generi ex *reg.* 34. *in* 6. Si vero utrumque sit æque generale, vel æque speciale, id prævalebit, quod est fortius hoc est, antiquius, vel a majori potestate concessum, v.g. Dominicanus Ordo habet privilegium, ne alius Ordo monasterium ædificare possit intra certum spatium, alter vero Ordo habet privilegium ædificandi, hic prævalebit privilegium, quod est specialius, vel antiquius, si ambo sint æque specialia. 3. Si privilegia tantum apparentem habent contrarietatem, prævalet magis absolutum; alterum vero quasi tacite conditionatum cedit ei. Sic Ecclesia privilegiata a solvendis decimis prævalet alteri Ecclesiæ privilegiatæ ad exigendas decimas ab omnibus Ecclesiis; quia in hoc secundo privilegio tacita inest conditio: *ab omnibus, si non sunt exempta a solvendis decimis*. 4. Si privilegium ab ipso jure prælationem habet, prævalebit alteri: sic enim filiusfam. non utitur SCto Macedoniano contra minorem, a quo mutuam pecuniam accepit; quia majus est privilegium ætatis, quam SCti *l.* 11. §. *fin. ff. de minor.* Item inter duos minores certantes de damno vitando, vel de lucro capiendo, potior est conditio possidentis, & consumentis, ut dixi *l.* 1. *tit.* 41. *n.* 5. ex his facile conciliabis illud tritum: *Privilegiatus non potest uti privilegio adversus privilegiatum*.

12. Q. V. *Quomodo liceat uti privilegio per viam interpretationis?* ℞. 1. Non pro arbitrio, sed secundum regulas communiter a DD. receptas, quas dedi *tit. de Const. a n.* 39. ut verba privilegii, quantum materia patitur, proprie, & generaliter, prout sonant, intelligantur: privilegia odiosa, seu adversa juri communi, aut juri quæsito tertii restringantur: mere autem favorabilia, tanquam beneficium principis latissime interpretentur &c. personalia ad personam realia etiam ad successores rei porrigantur. In dubio privilegium favorabile censetur reale, uti & conventionale ex pacto, cujus naturam sequitur: at privilegium præjudiciosum censetur personale, uti etiam remuneratorium; licet hoc frequenter sit reale; quia merita antecessorum prosunt etiam successoribus.

13. ℞. 2. Privilegia admittunt interpretationem comprehensivam, non vero mere extensivam, ob paritatem, aut majoritatem rationis: ita comm. contra Sa, docentem privilegia extendi ad casus similes; & contra Sanchez, qui talem extensionem admittit in favorabilibus, saltem si pro casu omisso expressa sit causa concessionis. *Ratio* 1. Quia interpretatio comprehensiva detegit casum, aut personam; quæ quidem in privilegio non exprimitur, virtualiter tamen, & implicite continetur, quatenus casus iste, aut persona in mente legislatoris, seu principis privilegiantis fuit comprehensa. Et hic valet illud brocardicon: ubi *est eadem ratio, eadem est juris, aut privilegii dispositio*. Unde privilegium de non evehendo frumento, comprehensive intelligitur de non evehenda farina: privilegium filiorum, fratrum, virorum Regularium commune est filiabus, sororibus, Monialibus; dummodo materia sit eis accommodata &c. 2. Pars sumitur ex *c.* 9. *h. t.* ubi summarium ita concipitur: *Privilegium uni concessum, non potest ad alium extendi propter identitatem rationis*, & *l.* 14. 15. *ff. de LL.* & *l.* 1. §. *fin. ff. de Const. princ.* ubi JCti docent privilegia non esse producenda in consequentias, aut in exemplum trahenda. Ratio est; quia vis privilegii, licet hoc ob rationem detur, non oritur ex ipsa ratione, sed ex voluntate principis, sicut omnia jura; ergo licet pro casu, vel persona non expressis militet similis, aut major ratio, quam pro expressis, tamen privilegium ad non expressa extendi non debet etiam in favorabilibus. Unde qui propter merita, aut scientiam accepit privilegium obtinendi plura beneficia, vel legendi libros hæreticorum, non potest hoc privilegium extendere ad personam non expressam, quæ habet eadem merita, & eandem scientiam: & qui propter urgens studium accepit privilegium non recitandi breviarium, nequit illud extendere ad omissionem missæ die festivo &c. Ex his explicantur *l.* 12. *ff. de LL. l.* 8. *ff. de Senator. l.* 1. *C. de dignitatib. c.* 27. *de decimis*, *c.* 13. *qui filii legit. in fin. pr. quod in majori conceditur, licitum esse videtur*, & *in minori c.* 11. *h. t. in* 6. &c.

14. Q. VI. *Quomodo amittantur privilegia?* ℞. Seqq. modis: 1. *Interitu subjecti:* & ita privilegium personale, pereunte persona, perit, *ex reg.* 7. *in* 6. & pereunte re totaliter, perit privilegium reale ei inhærens; ut si destruatur Ecclesia sine spe ædificationis; nisi privilegium inhæreret pavimento, vel communitati, quæ alio translata trahit secum privilegium, sicut religiosi, vel academici alio translati, *c.* 2. *de relig. domib. Can.* 48. & *seq.* 16. *q.* 1. 2. *Lapsu temporis*, pro quo data sunt, vel non servata conditione, cumqua data sunt; ut si religiosus profiteatur aliam religionem; quo casu privilegia prioris Ordinis amittit. 3. *Non usu*, seu *usu contrario* illa tantum privilegia amittuntur, quæ gravamen tertii continent; ut privilegium affirmativum decimandi, & negativum non solvendi decimas: nam si quis legitimo tempore non utatur privilegio, dum eo uti posset, & deberet, tacite censetur illi renunciare, illudque submittere præscriptioni extinctivæ, sicut qui non utitur servitute rustica *l.* 6. *pr. ff. de servitut.* qualiter etiam amittitur jus, seu privilegium nundinarum, utpote onerosum, & sub conditione usus concessum, *l.* 1. *ff. de nundinis*. Si amissio privilegii fit per tacitam renunciationem, tantum tempus requiritur, quantum sufficit ad faciendam præsumptionem, quod quis privilegio se abdicaverit; si vero fit per præscriptionem, servanda sunt tempora, & requisita præscriptionum. At contra privilegium, quo datur mera facultas agendi, vel omittendi, non usu non amittitur; ut privilegium sacrificandi ante auroram, vel post meridiem, non jejunandi, non recitandi

horas Can. non comparendi in choro &c. 4. *Abusu*: quia meretur privilegio privari, qui in illo abutitur vel *excedendo fines privilegii*, vel *sumendo ex illo occasionem liberius peccandi*, vel *contra privilegii finem agendo Can.* 7. *ubi d.* 74. *c.* 18. *de Regul. c.* 24. *h. t.* &c. Sic beneficiarius ratione studiorum absens, si studio omisso, vagetur, meretur privilegio privari. 5. *Libera renunciatione*, si privilegium contineat privatum favorem personæ; quia juri, & favori suo quilibet renunciare potest ex antiqua *reg.* 29. *C. de pact. c.* 6. *in fin. h. t.* Et quidem si renunciatur in gratiam aliorum, requiritur eorum consensus, & acceptatio: si vero in nullius gratiam renunciatur, requiritur consensus concedentis *arg. c.* 7. *de procur. in* 6. secus privilegium durabit, quamdiu durat voluntas concedentis. At si privilegium contineat favorem publicum, privatus ei renunciare nequit ex *reg. l.* 38. *ff. de pact.* sicut clericus nequit renunciare privilegio fori, religiosus privilegio sui Ordinis, *c.* 12. *de for. compet. c.* 5. *de arb.* Prælatus regulariter nequit renunciare privilegio utili, & honorifico, si vel unus ex capitulo reclamaret; bene vero privilegio inutili, modo adsit consensus capituli, & renunciatio non cedat in præjudicium tertii, ut Ecclesiæ, Sedis apostolicæ &c. *c.* 8. *de const. c.* 22. *de præb.* 6. *Cessante causa*; sed hic discrimen faciendum est: & quidem *primo*, si causa cessat ante actualem concessionem, nulla fit concessio privilegii deficit voluntas principis, mota a causa finali, quæ non existit. *Secundo*, si privilegium, stante causa, unico actu perfecte, & integre consummatum est: cessante causa non cessat: quia in conservando non pendet a tali causa, & locus est *reg.* 73. *in* 6. *factum legitime, retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.* Sic irregularis, qui ex causa paupertatis accepit privilegium, seu dispensationem recipiendi ordines, & beneficium, licet deinde evadat dives, tamen licite exercet actus ordinum, & retinet beneficium; quia irregularitas unico actu sublata est. Vide dicta *l.* 4. *in fin. tract. de dispens. matr. Tertio*, si actus privilegio concessus habeat tractum successivum per dies, menses, & annos, cessante causa *contrarie*, ita ut ex actu, seu usu privilegii licito fiat illicitus, cessat privilegium, cum hoc super actu illicito dari nequeat. Sic enim cessat *privilegium decimandi*, si per hoc Ecclesia depauperetur, ut ministros alere non possit, *c.* 9. *de decim.* privilegium *non residendi*, si ex absentia ministrorum præsertim curatorum, Ecclesia damnum patiatur, & div. cultus destituatur *c. pen. de Cler. non resid.* Et generaliter privilegia particularium religiosorum cessant, si incipiant esse noxia disciplinæ regulari, ita ut hæc commode observari nequeat, *arg. cit. c. pen.* At si causa privilegii cesset tantum negative, quia non existit, usus vero privilegii non reddatur illicitus, non cessat privilegium, semel perfecte datum. Sic ob paupertatem obtinens jus decimandi, potest decimare, licet deinde paupertas cesset. *Quarto*, si causa privilegii non existit tota simul, sed habet tractum successivum, ea cessante, cessat privilegium, vel saltem suspenditur, donec causa redeat: nam tali casu privilegium in conservando pendet a causa; ergo ea cessante, cessat, *cum cessante causa, cesset effectus c.* 60. *de appell.* Sic in quadragesima ex causa debilitatis dispensatus ad esum carnium, vel ad non recitandum horas Can. cessante debilitate, tenetur abstinere a carnibus, & recitare horas Canon. quia in tali casu virtualiter tot sunt dispensationes, quot dies. 7. Denique amittitur privilegium *revocatione*, vel quoad totum, vel quoad partem.

15. Q. VII. *Quis, quo modo, & quæ privilegia revocare possit?* ℞. 1. Solus princeps, vel ejus successor revocare potest privilegia: nam inferior nequit tollere jus superioris. Fit autem revocatio ista, vel *expresse*, dum princeps per verba aperta privilegium datum aufert, vel *tacite*, dum ponit actum, seu legem directe contrariam privilegio, *c.* 28. *de rescript.* Porro revocatio per legem universalem non sortitur suum effectum, nisi lex promulgata fuerit solemniter in locis solitis; quia lex non promulgata non obligat: item per clausulam generalem: *non obstantibus quibuscumque privilegiis* non revocantur privilegia specialibus munita clausulis, ne revocari possint, nisi de illis specialis mentio fiat; cum clausula generalis non contradicat clausulis specialibus. Si autem fiat revocatio specialis per hominem, tunc primo sortitur suum effectum, cum privilegiato debite intimata fuerit; quia per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvi debet ex *reg.* 1. *in antiq.* Cetera omnia servantur, sicut in revocatione legum: & sic privilegium speciale derogat generali, lex contraria posterior derogat privilegio anteriori clauso in corpore juris communis; quia hoc princeps non censetur ignorare, non vero privilegiis extra jus commune vagantibus; quia hæc probabiliter ignorat, nisi & horum mentio fiat, *cap.* 1. *de Const. in* 6.

16. ℞. 2. Papa, vel alius princeps non potest revocare privilegia ex pacto, seu contractu oneroso concessa, nisi in casu extraordinario ex re gravi, & publica causa: nam princeps non potest subdito tollere jus quæsitum, nisi vi dominii alti ex gravi, & publica causa; siquidem princeps subditur juri naturali, quod dictat: *neminem lædere*; sed per privilegium ex pacto, seu contractu oneroso concessum, subditus titulo justitiæ habet jus quæsitum, ergo. Idem dic de privilegio remuneratorio, ex titulo justitiæ dato: ac proinde si princeps talia privilegia revocet, tenetur compensationem facere subdito; quia hic non tenetur jus suum gratis remittere. At privilegium mere gratuitum valide quidem revocatur absque ulla justa causa; cum totaliter pendeat a gratiosa voluntate principis, non tamen honeste, & decenter; quia talis revocatio sapit levitatem, & inconstantiam.

17. ℞. 3. Tridentinum non revocavit omnia anteriora privilegia Regularium; ita *Sess.* 25. *cap.* 20. *in fin. de Regular.* ibi: *in ceteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, ac jura concernunt, firma sint, & illæsa.*

18. ℞. 4. Tridentinum revocavit omnia privilegia Regularium, adversantia decretis *sess.* 25. *de Regular.* non vero adversantia aliis decretis clausulam derogatoriam non habentibus. 1. *Pars* habetur *cit. sess.* 25. *c.* 22. ubi S. Synodus præcipit decreta ista de Regularibus observari ab omnibus Regularibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis. *Secunda pars* est Rodriq. Suar. Reiff. Schmalz. & aliorum contra Donat. Peyrin. & alios docentes revocata fuisse privilegia Regg. cuicumque decreto Tridentini adversantia. *Prob.* 1. negative, quia ex nullo textu Tridentini, vel Pontificis declarantis constat, omnia privilegia, quæ alicui decreto Tridentini clausulam derogatoriam habenti adversantur, sublata esse. 2. *Prob.* positive, quia legislator condens jus commune, non censetur derogare juri particulari, ut particularibus locorum statutis, consuetudinibus, pactis, & privilegiis specialibus extra jus commune vagantibus, nisi horum mentionem faciat, cum ista probabiliter ignoret *c.* 1. *de constit. in* 6. sed Tridentinum in suis decretis condit jus commune; ergo sicut non derogat particularibus locorum statutis, & consuetudinibus, ita quoque nec derogat privilegiis Regularium, exceptis decretis clausulam derogatoriam habentibus, prout id ipsum interpretatur consuetudo, optima legum interpres: tum quia Trid. quibusdam decretis addit clausulam derogatoriam, quibusdam non addit: ergo, ne dicamus clausulas istas esse superfluas, fateri cogimur illa tantum privilegia esse sublata, quæ adversantur decretis clausulam derogatoriam habentibus. *Dices*: 1. Trident. *sess.* 25. *cap.* 22. *de Regg.* expresse dicit: *hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta* &c. ergo omnia decreta Trident. observanda sunt, sublatis privilegiis. 2. Pius IV. Const. 94. incip. *In Principis Apostolorum Sede (habetur ad calcem Trid.)* declarat omnia privilegia decretis Tridentini adversantia sublata esse, & ad formam Trid. reducta. 3. Alex. VII. damnavit hanc propos. *nn.* 36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per concilium Trid. 4. Universalis reformatio omnia sibi adversa excludit; sed in Trident. fit universalis reformatio populi christiani; ergo excludit omnia decretis suis adversantia. ℞. *Ad* 1. in *cit. c.* 22. sermo est de superioribus decretis in *sess.* 25. *de Regg.* editis, non vero de decretis aliarum sessionum; alias decreta consequentia non essent observanda. *Ad* 2. Bulla Piana, utpote confirmatoria, sequitur naturam Tridentini, & revocat omnia privilegia, quæ constat a Trid. sublata esse: jam autem ex

Trid.

Trid. non constat illa privilegia Regg. sublata esse, quæ extra *sess.* 25. *de Regg.* adversantur decretis Trid. clausula derogatoria carentibus. Sic etiam intelligitur clausula bullaris: *dummodo decretis Tridentini non adversentur. Ad* 3. id ego non affirmo, neque hoc colligitur ex hac sententia, imo contrarium, *Ad* 4. Dist. maj. omnia quæ sunt juris communis, conc. maj. juris particularis, uti privilegia, & particularia locorum statuta, neg. maj. jura particularia, nisi eorum mentio fiat, non excluduntur etiam in universali reformatione, cum probabiliter a conditore reformationis ignorentur, *c.* 1. *de const. in* 6.

19. ℞. 5. Privilegia vivæ vocis oraculo concessa hodie revocata sunt per Const. Urban. VIII. incip. *Alias*, & Gregor. XV. incip. *Romanus*: quæ vero post dictas Bullas viva voce concessa sunt, probabilius valent pro foro interno, cum ad substantiam privilegii scriptura non requiratur: at in foro externo non prosunt, nisi fuerint authentizata per publicos officiales Papæ ad id constitutos, ut statuitur in cit. Const. Urb. VIII.

☞ *Vide infra post n.* 24. ☜

§. II.

De quibusdam privilegiis in particulari.

20. Q. I. *Quid sit privilegium exemptionis, & quid juris circa illud?* ℞. 1. *Exemptio* est personæ, aut loci, vel utriusque liberatio a jurisdictione Ordinarii, sive acquiratur privilegio Papæ, sive præscriptione, aut concessione Episcopi ex justa causa, & de consensu capituli in limine fundationis, vel postea. 2. Est triplex: *Personalis, localis, & mixta*: quarum prima personam, secunda locum, tertia utrumque eximit a potestate Episcopi. Rursum exempti, alii sunt *nullius diœcesis*, qui cum clero, populo, & toto territorio eximuntur: alii sunt *in diœcesi*, sed non *de diœcesi*, qui quoad personas, & locum exempti sunt; sed certum populum cum territorio exemptum non habent. Item alia est exemptio *in capite, & membris*, dum & Ecclesia principalis, & capellæ, seu Ecclesiæ ei annexæ exemptæ sunt; alia *in capite tantum*, dum Ecclesia principalis exempta est, non vero capellæ ei annexæ; & ideo Abbas, cujus Ecclesia tantum principalis exempta est, ratione capellarum subditur Ordinario, ad Synodum venire, ejusque decreta recipere tenetur, *cap.* 17. *h. t.*

21. ℞. 2. Privilegium exemptionis, utpote præjudiciosum, stricte secundum terminos est intelligendum. Unde 1. Si exempta sit Ecclesia principalis non hoc ipso exemptæ sunt capellæ: si clerici exempti, non hoc ipso exempta est Ecclesia: si Prælatus ratione sui exemptus, non eo ipso exempti sunt clerici: at si exempta sit Ecclesia, hoc ipso etiam exemptus est prælatus cum clericis, ut deciditur *c.* 9. *h. t. in* 6. nam appellatione Ecclesiæ, vel monasterii venit etiam prælatus cum clericis, & monachis; sed non e contra. 2. Exempti tantum ratione loci, si extra locum exemptum delinquant, contrahant, aut rem sitam habeant, conveniuntur in foro Ordinarii *c.* 4. *& fin. de for. compet.* nisi etiam quoad hæc tria exempti sint, sicut ii, qui personalem exemptionem habent, coram Papa, vel suo prælato, aut Legato a latere conveniuntur *c.* 1. *de V. S. in* 6. *c.* 35. *de elect. in* 6. non tamen coram Nuncio Apostolico, aut Legato nato, nisi ad hoc specialem facultatem habeant.

22. ℞. 3. Exemptus renunciare nequit suæ exemptioni, etiam privatæ, *c.* 5. *de arbitr. c.* 2. *h. t. c.* 2. *de in integr. restit.*: nam talis renunciatio est præjudiciosa Sedi Apostolicæ, qui per exemptionem jus speciale acquiritur in exemptum: unde, v. g. religiosi exempti, nec de licentia Generalis subjicere se possunt Ordinario in casibus non permissis.

33. ℞. 4. In causa exemptionis judex est Papa privative, *c.* 12. *de judic.* quia privilegium, & jus papale inferior authentice interpretari non potest. Probatur autem exemptio ex instrumento authentico, re judicata, præscriptione 40. ann. cum titulo: non tamen ex privilegio fructus terræ colligendi; quia per hoc non probatur monasterium esse exemptum, *c.* 19. *h. t.* Jam si allegetur privilegium, jus ei favet, atque ita, pendente lite, reus defenditur in possessione certa: si vero possessio est incerta, vel si allegetur præscriptio, jus assistit Episcopo, isque jurisdictione utitur, donec lis decidatur.

24. ℞. II. *Quæ sint privilegia Regularium?* Ad hanc quæstionem multa scribenda forent, quæ in Scriptoribus regg. fuse & confuse reperiuntur, & multa jam in decursu juris hujus attuli; & ideo hic breviter me expediam. ℞. seqq. 1. Exemptio a lege diœcesana, non vero jurisdictionali; nisi quibus id specialiter concessum est, ut dixi *lib.* 1. *tit. de off. Ord.* 2. Privilegium eligendi judicem conservatorem *tit. de off. deleg.* 3. Privilegium non solvendi decimas secundum dicta *tit. de decim.* 4. Privilegium asyli *tit. de immun. Eccl.* 5. Privilegium sepulturæ *tit. de sepult.* 6. Privilegium dispensandi in votis non reservatis, & plura alia, quorum memini suis locis, & titulis.

☞ *Nota, quod Clem. XII. complura privilegia a suis Prædecessoribus concessa revocavit, & I. Constit.* Romanum 13. *Jan.* 1731. *revocavit, & ad terminos juris communis reduxit privilegia, seu exemptiones quomodocumque, & quibuscumque etiam Ordinibus regularibus Societatis Jesu, Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini concessas in damnum Cameræ Apostolicæ.*

II. Constit. Romanus Pontifex 12. *Febr.* 1732. *revocavit varias facultates, & indulta concessa per vivæ vocis oraculum, vel rescripta suorum Decessorum; non tamen concessa per quasvis litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis expeditas, aut rescripta a sacris Congregationibus edita & a prædecessoribus Pontificibus approbata; nec non ab officio S. Pœnitentiariæ quomodolibet concessa.*

III. Item Constit. Romanus Pontifex 30. *Mart.* 1732. *revocavit, & ad terminos juris communis reduxit alia quamplurima privilegia concessa Ordinibus regularibus a Bened. XIII., videlicet — Theatinorum Constit.* Vita, & morum — *Prædicatorum Constit.* Pretiosus *una cum declarationibus sub die* 28. *Septemb.* 1728. *ab eodem Pontifice factas super quibusdam dubiis circa intelligentiam rerum in ipsa Constitutione contentarum exortis - Universo Ordini S. Francisci quo ad Tertiarios Const.* - Paterna sedis - *Minorum Conventualium Const.* - Singularis devotio - *Capucinorum Constit.* - Ratio Apostolici - *Augustinianorum Const.* - Libenter ea - *Servorum B. V. Const.* - Exponi nobis nuper - *Item privilegia ab eodem Bened. XIII. concessa Const.* - Summe decet - 2. *April.* 1727. - Exponi nobis fecit - 21. *Mart.* 1729. - In Sede 1. *April.* 1729.

25. Q. III. *An Regulares habeant inter se mutuam privilegiorum communicationem?* ℞. 1. Mendicantes æque principaliter, seu pariformiter communicant in omnibus privilegiis intuitu status religiosi concessis: ita com. ex plurimis Bullis pontificiis Leonis X. Clement. VII. Clem. VIII. incip. *Ratio pastoralis* 1597. 20. *Decembr.* idque procedit de privilegiis non tantum concessis, sed etiam concedendis in futurum, ut clare exprimitur in iisdem Bullis pontificiis, uti etiam de privilegiis habentibus clausulam incommunicabilitatis, sicut Const. Greg. XIII. incip. *Satis, superque*, & alia incip. *Pium, & utile*, ut dixi *lib.* 1. *tit. de tempp. ordinat. n.* 14.

26. ℞. 2. Mendicantes participant privilegia omnium Ordinum non mendicantium, Congregationum, confraternitatum, & aliorum piorum locorum: ita com. ex iisdem Bullis pontif. At contra Ordines non Mendicantes illi tantum communicant in privilegiis Mendicantium, quibus hoc specialiter concessum est, ut Congregationi Cassinensi, Lateranensi, & 12. Congregationibus; & siquis cum eis in privilegiis communicant, uti fere omnes religiosi ad hanc communicationem sunt admissi: & merito, ut eadem sit omnium communio, quorum in votis essentialibus eadem est cum Deo unio. Talem communicationem accepit etiam Religio nostra Scholarum Piarum per Const. Greg. XV. incip. *Ad uberes fructus* 1622. *die* 15. *Octobr.* cum clausula §. 1. expressa: *pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, perinde acsi illis nominatim, & in specie concessa fuissent, uti, frui, & gaudere libere, & licite valeant &c.* Quam concessionem proportionaliter suæ dispositioni renovavit Alex. VII. Const. incip. *Cum sicut* §. 3. ibi: *cum omnibus gratiis* &c. & plenissime Clem. IX. Constit.

Ex

Ex injuncto nobis, §. *Nos prospero*, ibi: *ad fruitionem omnium*, *& singulorum privilegiorum &c.*

27. ℞. 3. Religiosi non communicant: 1. In privilegiis adversantibus eorum instituto; sicut sunt privilegia Ordinum militarium, vel laxioris Religionis, quæ strictiori accommodari nequeunt. 2. In privilegiis pœnalibus, & odiosis; nisi & hoc cederet in favorem Religionis. 3. In privilegiis exorbitantibus, quæ non intuitu Religionis, sed causæ alterius particularis sunt concessa, v. g. ratione hujus Ecclesiæ, imaginis miraculosæ &c. ex quo fundamento docent Scriptores Minorum S. Francisci indulgentiam Portiunculæ non communicari aliis.

28. ℞. 4. Modus in communicandis privilegiis conformiter cuique Religioni observandus est. Unde Societas Jesu, ejusque religiosi participant privilegia aliorum Regularium illimitate data, cum modo limitationis, & dependentiæ a Præposito Generali, quia attentis Constitutionibus pontificiis, omnes gratiæ Apostolicæ per dictum Præpos. Generalem derivari debent ad religiosos Societatis; e contra plerique alii Regulares, non tantum sua, & aliorum Regg. sed etiam privilegia Societatis cum modo limitationis, & dependentiæ data, participant immediate, & sine tali modo, conformiter suæ Religioni: quia dependentia ista, utpote restringens usum privilegii, est quoddam onus, & odium, quod in communicationem non cadit, *arg. reg. odia in 6.*

29. ℞. 5. Sicut privilegiorum, ita & Indulgentiarum communicatio datur inter Regulares; dummodo Indulgentiæ intuitu Religionis ejusque Sanctorum sint concessæ: ita com. nam & Indulgentiæ veniunt nomine privilegii late sumpti. Unde religiosus, præstitis præstandis, non tantum lucrari potest Indulgentias cuicumque Religioni, Congregationi, aut sodalitati concessas, sed etiam ipsæ Indulgentiæ datæ, v. g. pro festivitate S. Fundatoris Ordinis, applicantur festivitati Fundatoris alterius Ordinis in privilegiis communicantis &c.

☞ *Circa communicationem privilegii altaris attendendum est sequens Sac. Indulgent. Cong. responsum ad generale dubium tertio loco eidem discutiendum propositum 5. Febr. 1748. & 2. Martii ejusdem an. a Bened. XIV. approbatum.*

Tertio - An privilegium altaris sit communicabile.
Ad tertium. Negative.

§. III.

De Excessibus Privilegiatorum.

30. Q. I. *Qui sint notabiles excessus Privilegiatorum.* ℞. Seqq. qui maxime in Templariis, & Hospitalariis sunt animadversi. 1. Recipere Ecclesias, vel decimas a manu laici non privilegiati, *c. 3. h. t.* 2. Non vitare excommunicatos, & nominatim interdictos, instituere, vel amovere presbyteros in Ecclesiis pleno jure non subjectis absque auctoritate Episcopi, celebrare in Ecclesiis interdictis, vel sepelire corpora defunctorum, *ibid.* 3. In privatis oratoriis campanas publicas habere, easque pulsare, *c. 10. h. t.* 4. In Ecclesia polluta ante reconciliationem celebrare, vel suspensos ab Episcopo absolvere, *c. 11. eod. & c. 18. de sentent. excom. in 6.* 5. Ecclesias, aut capellas ædificare in locis non exemptis absque licentia Episcopi; in exemptis vero absque licentia Papæ *c. 4. h. t. in 6.* quo casu præter pœnam arbitrariam Ecclesia ædificata cedit Episcopo, *c. 14. h. t. 6.* Extremam unctionem, & Viaticum ministrare, vel matrimonia solemnizare sine licentia parochi: quo casu religiosi ipso facto incurrunt excommunicationem reservatam Papæ, & per locorum Ordinarios publice denunciabilem, *Clem. 1. h. t.* ubi plures alii excessus religiosorum enumerantur. Quia vero excommunicatio ista lata est contra eos, qui hæc facere *præsumpserint*; ideo ab hac censura excusatur religiosus, qui ex simplicitate, & ignorantia, etiam modicum crassa, dummodo non sit affectata, talia sacramenta administravit. Corripi tamen potest, & debet pro qualitate culpæ, & ignorantiæ. Pœnam excommunicationis, contra solemnizantes matrimonia absque licentia parochi latam a Trident. *S. 24. c. 1. de refor. Matr.* in suspensionem fuisse commutatam dixi *lib. 4. tit. 3.*

31. Q. II. *Quæ sit pœna excedentium in privilegiis?* ℞. Amissio privilegii, præter alias pœnas delicto proprias; quia meretur quis in eo puniri, in quo delinquit. Sicut e contra, qui privilegiatum impedit in usu privilegii, meretur suis privilegii, & juribus spoliari, *c. 4. h. t.* Cetera particularia de privilegiis vide hic in textu: consule Bullaria Religiosorum; & inter plures de privilegiis Scribentes, vide etiam Salmant. Moral. *trat. 48.*

TITULUS XXXIV. & XXXV.

De Purgatione canonica, & vulgari.

Agitur de hac materia in Decreto 2. *q. 5. & 15. q. 5.* Neque hic scrupulose inquirendum, an duo isti tituli recto ordine sint collocati.

1. *Nota* 1. Purgationem in materia criminali esse actum solemnem, quo innocentia rei contra objectum crimen ostenditur. Est duplex: *Canonica* a Sac. Canonibus introducta, quæ licite adhibetur ad ostendendam rei diffamati innocentiam. *Vulgaris*, a vulgo reperta, quæ temere, & illicite usurpatur ad ostendendam rei innocentiam, ut per duellum, per contactum ferri candentis &c.

2. *Nota* 2. Modum purgationis canonicæ fuisse varium. 1. Per *judicium sanctæ Crucis*, dum ad eam, vel preces fundebantur, vel sortes jaciebantur, vel ea contacta, juramentum præstabatur. 2. Per juramentum ab accusatore, & reo præstitum ad sepulchra, & Reliquias SS. Martyrum, *Can. 6. & seqq. 2. q. 5.* 3. Per susceptionem SS. Eucharistiæ, seu celebrationem missæ, *Can. 23. ibid.* Sed hi, & similes modi, in desuetudinem abjerunt. Hodie purgatio Can. fit per juramentum super sancta Dei Evangelia præstitum: & quidem reus facit juramentum super veritate, quod innocens sit a delicto; compurgatores vero, seu testes purgantis se a delicto, super credulitate, quod credant illum esse innocentem, *c. 5. h. t.*

3. Q. I. *Quis, cui, & super qua materia indicere possit purgationem Canonicam?* ℞. 1. Judex Ecclesiasticus competens, seu suus, indicit purgationem Can. secus præceptum Judicis non sui non obligat, *c. 6. 10. 15. h. t.* nam purgatio ista est actus judicialis, adeoque expediri debet a judice suo in foro Ecclesiastico.

4. ℞. 2. Purgatio Can. indicitur regulariter personis Ecclesiasticis, quarum fama integra est valde necessaria populo christiano; uti sunt Episcopi, prælati, sacerdotes, concionatores, religiosi, & moniales *c. 3. 4. 5. & seqq. h. t.* Laicis nobilibus in foro canonico conventis raro indicitur, nisi causæ gravitas postulet, & crimen sit Ecclesiasticum; ut hæresis, simonia &c. *c. 1. h. t.* Viles autem, & plebejæ personæ, si de crimine graviter suspectæ sint, ad torturam trahuntur; quia in eis periculum est perjurii, & compurgatores facile reperire non possunt.

5. ℞. 3. Purgatio Can. indicitur super delicto diffamato, quod non est notorium, neque probabile per testes idoneos; ita tamen ut adsint indicia verosimilia, & præsumptiones cum infamia apud graves viros, aut scandalum publicum generetur *c. 15. in fin. h. t. Can. 5. & seqq. 2. q. 5.* Item super defectu Canonico, v. g. natalium, vel alio impedimento *c. 14. h. t.* *Ratio* horum est, quia personæ ita diffamatæ melius est purgatam esse, & famam restitutam, quam suspectam. At si delictum sit notorium, vel probabile per testes, vel indicia adsint ad torturam sufficientia, non est locus purgationi, tanquam remedio extraordinario, sed proceditur via ordinaria ad sententiam condemnatoriam, vel absolutoriam, *c. 4. 5. 8. 10. 15. h. t.* Porro hic adverte, si crimen diffamatum sit tale, cui debetur pœna depositionis, reum suspendi debere ab officio, donec se purget legitime, *c. 2. h. t.* imo in crimine tractum successivum habente, ut in concubinatu, si reus ter monitus non resipuerit, & occasionem peccandi non vitaverit, suspendendus est etiam a beneficio, *c. 10. h. t.* quia opinio personæ Ecclesiasticæ in nullo vacillare debet, *Can. 6. d. 33.*

Dices: Purgatio Can. est valde fallax; quia testes, seu

seu compurgatores non deponunt de veritate, sed credulitate, cujusmodi testimonium non valet, *l.* 18. *C. de testib.* estque collusioni obnoxium. 2. Famæ non est credendum *c.* 8. *de cohabit. Cler.* & actore non probante, reus absolvendus est *l.* 9. *C. de O. & A.* ergo. ℞. *Ad* 1. Purgatio Can. in foro externo præsumitur vera, donec contrarium clare innotescat, aut collusio probetur. *Ad* 2. Famæ fundatæ in verosimilibus indiciis creditur ad effectum purgationis; neque reus absolvitur, donec probet suam innocentiam; cum Ecclesiæ requirat ministros non solum a crimine, sed etiam a suspicione, & infamia criminis alienos.

6. Q. II. *Quid juris circa compurgatores?* ℞. 1. Compurgatores debent esse personæ honestæ, fide dignæ, & in judicio propter crimen non condemnatæ *c.* 7. 9. *h. t.* 2. Debent esse personæ vicinæ, ita ut notam habeant vitam purgandi *c.* 10. 11. *h. t.* 3. Debent esse ejusdem ordinis cum purgando, Episcopi pro Episcopo, presbyteri pro presbytero, *cit. c.* 10. sed qualitas ista, uti & numerus compurgatorum hodie est in arbitrio judicis, cum jura ubique æqualiter non loquantur, ut patet ex *Can.* 13. & 19. *cauf.* 2. *q.* 5. *c.* 10. & 12. *h. t.* neque compurgatores tam stricte examinandi sunt, ac testes cum non deponent de veritate, sed credulitate.

7. Q. III. *Quis sit effectus purgationis Canonicæ?* ℞. 1. Ut *indictæ*, effectus est obligatio eam præstandi, nisi ex justa causa reus ab ea appellet; ut si non est diffamatus, si Ordinarius nolit admittere testes, nisi extraneos, inter quos reus non vixit, inimicos &c. Gloss. in *c. fin. h. t.*

8. ℞. 2. Effectus purgationis, ut *præstitæ*, est absolutio rei, non tantum a suspensione, si hæc ab initio lata fuit, sed etiam ab objecto crimine, ita ut reus declaretur innocens, suoque honori, & famæ restituatur, neque deinceps super eodem crimine accusetur, nisi nova infamia, & indicia criminis superveniant: ita *Can.* 6. & *seqq.* 2. *q.* 5. *c.* 8. 10. *h. t.*

9. ℞. 3. Effectus purgationis, ut *recusatæ*, aut *non præstitæ*, est, quod reus deficiens in purgatione, seu nolendo jurare, seu non habendo compurgatores, habeatur pro convicto, & pœna ordinaria, vel plerumque arbitraria puniri possit, *c.* 7. *v. deficientem h. t.* Quod si judex Ecclesiasticus clericum in judicio purgationis degradatum Curiæ seculari tradat, non potest laicus illum punire pœna mortis; quia non fuit vere convictus, sed tantum præsumptive, aut interpretative: secus si delictum confessus, aut plene convictus fuit.

10. Q. IV. *An modi purgationis vulgaris sint liciti?* ℞. 1. Negative, *Can.* 7. 20. *cauf.* 2. *q.* 5. *c. fin. de purg. vulg.* nam modi isti sunt cum superstitione gentilium, & præstigiis conjuncti, inepti ad veritatem manifestandam, & quibus Deus tentatur ad faciendum miraculum; uti sunt duella, contactus ferri candentis, vel aquæ ferventis, fluxus sanguinis ex cadavere occisi ad præsentiam occisoris &c. *Dices* 1. Adulterium apud Judæos probabatur per aquas amarissimas *Can.* 21. *in libro* 2. *q.* 3. ex *num.* 5. *v.* 18. 2. In lege nova extant plura exempla purgationis vulgaris: S. Brictius enim tulit ardentes prunas in veste sua usque ad sepulchrum S. Martini; & multæ Sanctæ contactu ferri candentis suam innocentiam probaverunt, & *Can.* 24. *Conc. Mogunt.* occidens presbyterum, si servus sit, purgare se debet super 12. vomeres ardentes. ℞. *Ad* 1. Probatio ista, ob promissionem divinam olim fuit licita; hodie vero cessat cum aliis cæremoniis judaicis. *Ad* 2. Miracula ex instinctu S. Spiritus facta, non sunt trahenda ad exemplum: *cit. c.* 24. reprobatus est a pluribus Pontificibus, & ideo *c.* 2. *de pœnitent.* omittuntur illa verba: *super duodecim vomeres ferventes se expurget*, quæ ponuntur in *palea; qui presbyterum* 17. *q.* 4.

11. R. 2. Sententia lata ex purgatione vulgari, est invalida: nam est contra ordinem judiciarium, & nititur fallacibus probationibus: unde reformari debet, comperta veritate: sicut *c.* 2. *h. t.* cadentes in duello purgativo, dum furtum apud alios repertum fuit, recipiunt omnia bona, quibus spoliati erant.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & damno dato.

Agitur de hac materia in Sexto *h. t.* in Decreto 15. *q.* 1. & in jure civili *de injuriis* agitur in Institut. *lib.* 4. *tit.* 4. in Pandectis *lib.* 47. *tit.* 9. in Codice *lib.* 9. *tit.* 35. & 36. De *damno dato* in Institution. *lib.* 4. *tit.* 3. in Pandectis *lib.* 9. *tit.* 2. in Codice *lib.* 3. *tit.* 34.

1. *Nota* ex *pr. Inst. h. t.* injuriam tripliciter accipi; 1. Pro omni eo, *quod non jure fit*. 2. Pro damno culpa dato, sicut in L. Aquilia. 3. Specialiter pro contumelia, seu dolosa læsione honoris alieni. Idem docet Ulp. *l.* 1. *ff. h. t.* Item accipitur injuria pro injustitia, & iniquitate: & in hoc sensu complectitur omne peccatum contra justitiam, quo læditur jus alienum. Hic agam 1. De injuria accepta pro contumelia. 2. De injuria accepta pro damno culpa dato.

§. I.

De Injuria contumeliosa.

2. Q. I. *Quibus modis fiat injuria, seu contumelia?* ℞. Duobus: *re*, seu *facto* in corpus, dignitatem, & famam; ut si qui alterum verberet, alapam ei infringat, matronæ honestæ comitem abducat, pudicitiam matrisfam. vel prætextatæ, seu virginis ingenuæ attentare, aut affectati præsumat, puta sequendo illam ex intentione stupri inferendi. *Verbis*, sive prolatis in dedecus alterius; & tunc est *convitium*: quasi *convocium*, sive scriptis; & tunc est *famosus libellus l.* 1. 15. §. 2. *ff. h. t.* ut si quis alterum compellet furem, adulterum, illegitimum, servum &c. Multa, & pulchra exempla injuriarum legere utiliter poteris *ff. h. t.* Ex his colliges injuriam aliam esse *realem*, aliam *verbalem*, & utramque, vel *levem*, qua leviter honor proximi læditur; vel *gravem*, seu *atrocem*, qua attentis omnibus circumstantiis, graviter honor læditur.

3. ℞. 2. Injuria censetur committi in seqq. casibus: I. Si quis verum crimen alteri objiciat extra judicium: nam hic adest animus injurandi, libido privatæ vindictæ, & læsio honoris alieni; ergo est vera injuria pœnis obnoxia *l.* 5. *C. h. t.* & *arg. l.* 1. *C. de famos. libel.* At si verum crimen objiciatur in judicio, & republ. intersit illud revelari, non fit injuria, modo crimen probetur, *l.* 3. *C. de off. rector. Provin.* secus si reipubl. non intersit crimen revelari: nam illo, & non isto casu studetur bono reipubl. ne crimina maneant impunita. De jure Can. ex lege charitatis regulariter requiritur prævia monitio; nisi aliud postulet qualitas delicti bono communi nocentis.

4. II. Si quis injuriosa facta, aut verba alteri inferat cum *protestatione honoris*, v. g. si alterum voces adulterum, vel alapam ei infringas, dicendo: *salvo honore tuo*: nam protestatio facto contraria nihil operatur; imo factum contrariam declarat voluntatem.

5. III. Si quis verbalem injuriam passus, aliam injuriam faciat, delictum objiciendo, quod nihil prodest ad priorem injuriam tollendam; ut si alter te compellavit furem, & tu illum reciproce compelles latronem, vel adulterum: nam *non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur l.* 5. *pr. ff. de publ. judic.* tum quia talis retorsio delicti fit animo vindictæ privatæ; ergo est vera injuria. At si, delictum objiciatur ad tollendam injuriæ notam, v. g. *mentiris, donec probes delictum mihi impactum*: vel ad necessariam defensionem, v. g. si actori objiciatur excommunicatio, testi, infamia, adultero petenti dotem adulterium, damnificanti agenti ad interesse damnum simile ab eo factum, nulla committitur injuria, cum delictum non objiciatur animo injuriandi, sed præcise animo se defendendi, & alterum repellendi a judicio: quo sensu explicatur *l.* 3. *ff. de J. & J. l.* 10. §. *quoties ff. de compens. l.* 14. §. 6. *ff. de bonis libert. l.* 25. *ff. de procurator. c.* 1. 2. 8. *de except. c. fin. de adult.*

6. Q. II. *Quis, & cui injuriam inferre possit?* ℞. 1. Omnis doli capax, qui potest habere animum injuriandi, injuriam inferre potest, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* imo si facta, aut verba injuriosa ponantur, semper præsumitur

tur animus injuriandi; nisi probetur contrarium, v. g. joco aliquid dictum esse; nam in materia generaliter prohibita præsumitur dolus, & actus animo malo factus; nisi agens contrarium probet, *l. 5. C. h. t. l. 1. C. ad Cornel. de Sicar.* 2. Infantes, furiosi, amentes, perfecte ebrii, cum doli capaces non sint, non possunt injuriam inferre, *l. 3. §. 1. ff. h. t.* Semiebrii, vel qui inebriarunt se, ut audaciores essent ad conviciandum, non excusantur ab injuria illata, uti nec iracundi *l. 5. C. h. t.* Parentes, Superiores, magistri &c. si quando prorumpant in verba, aut facta contumeliosa contra suos, regulariter non præsumuntur facere injuriam; quia talia agunt ex causa correctionis, & sine animo injuriandi; nisi aliud colligatur; ut si concionator aliqua proferat, quæ in particulari unius, vel alterius honorem lædunt; vel si magistratus, non servato juris ordine, aliquid decernant, *l. 7. §. 2. 3. & l. 32. 33. ff. h. t.*

7. ℞. 2. Injuria inferri potest cuicumque personæ, etiam amenti *l. 3. §. 1. eod.* vel absenti; ut si ad domum ejus cornua appendantur, vel aliud quid dedecorosum; item *directe in se, & indirecte in persona conjuncta*; sicut injuria illata prolibus, religiosis, novitiis, & uxori, redundat in patrem, Religionem, & maritum *l. 1. §. 2. eod.* At injuria illata marito, vel fratri non redundat in uxorem, & fratrem, cum casus isti non sint jure expressi, §. 2. *Inst. h. t.* ubi seq. §. 3. dicitur, quod servis nulla injuria fieri intelligatur; sed si atrox sit, & in contumeliam domini, ipsi domino injuria fieri videatur. Sed doctrinam istam sane intellige, quod scil. servo non concedatur actio injuriarum: alioquin pro foro interno contra servum vera, & mortalis injuria committi potest: imo & pro foro externo a prætore inulta relinqui non debet; maxime si verbera servo inflicta sint, *l. 15. §. 35. ff. h. tit.*

8. Q. III. *Quæ actio oriatur ex injuria?* ℞. 1. Actio *civilis* ex L. XII. Tabb. qua propter membrum ruptum agebatur ad pœnam talionis, & propter os fractum ad pœnam pecuniariam. Sed hæc actio in desuetudinem abiit §. 7. *In. h. t.* Hodie viget *actio prætoria* ex edicto prætoris descendens *l. 7. pr. l. 15. §. 2. & §. 25. ff. h. t.* & actio *civilis* descendens ex Lege Cornelia pro casu injuriæ, *quo quis se pulsatum, verberatumve; vel domum suam vi introitam esse dicit*, §. 8. *Instit. h. t. l. 5. pr. ff. eod.* ubi *seq. §. 1.* JCtus differentiam ponit inter *verberare*, & *pulsare*: quia *verberare est cum dolore cædere, pulsare sine dolore*. Utraque hac actione agitur, vel *civiliter* ad pœnam privatam, quanti injuria ab actore æstimata, & a judice moderata, seu definita fuit, ut actori pro suo interesse applicetur: vel *criminaliter* ad vindictam publicam: & tunc extraordinaria pœna indicitur pro qualitate delicti, & personæ, sive corporalis, sive pecuniaria fisco applicanda, §. 10. *Inst. & l. 37. & fin. ff. h. t.* Cum vero utraque ista actio sit *pœnalis*, tendens ad eundem finem, seu ad pœnam pro injuria infligendam, altera alteram consumit, & una electa, non est regressus ad alteram, ne idem bis vindicetur, *l. 6. in fin. ff. eod.*

9. ℞. 2. Actio pœnalis injuriarum ex L. Cornel. descendens est perpetua, quia civilis: descendens vero ex jure prætorio est *annalis*, sicut actiones aliæ prætoriæ pœnales *l. 5. C. h. t.* item est actio *famosa*, quia condemnatum ex injuria facit infamem, *l. 7. pr. ff. & l. 5. C. h. t.* Habent autem viri illustres privilegium ex Const. Zenoniana §. 10. *In & l. fin. C. h. t.* quod conventi actione injuriarum, judicium suscipere possint per procuratorem: quo casu sententia lata in procuratorem nec ipsum, nec principalem infamat. Item evaditur infamia, si judex in sententia expresse famam, & honorem conservet condemnato. Ceterum in judicio criminali injuriæ regulariter non admittitur procurator, quia judex in arbitrio habet infligere pœnam, etiam corporalem, quæ hic eluderetur; nam principalis eam non sustineret, quia condemnatus non fuit, neque procurator, quia iste est innocens.

10. ℞. 3. Præter actionem pœnalem tum prætoriam, cum civilem, datur adhuc contra injuriantem actio civilis *rei persecutoria*, quæ dicitur *Recantatoria*, seu *ad Palinodiam*, moribus potius, quam jure scripto introducta, qua agitur ad famam recuperandam, ut scil. verbalem injuriam inferens, dicta contumeliosa judicialiter revocet, & injuste a se prolata fateatur. Quodsi vero alterum non infamavit, sed tantum objecit defectum naturalem, v. g. quod spurius, gibbosus, vel surdaster sit, non est locus huic actioni, sed solum christianæ deprecationi.

11. Porro licet actio pœnalis injuriarum civilis, & criminalis cumulari nequeant, ut ante dictum, tamen actio *recantatoria*; item, si damnum culpa datum sit, *actio L. Aquiliæ* cumulari possunt cum actione pœnali injuriarum; cum tendant ad diversos fines, scil. persecutionem rei, puta famæ, vel interesse ratione damni, & persecutionem pœnæ pro quantitate injuriæ, *l. 7. §. 1. ff. h. t.* Sic etiam cumulari possunt actio furti, & condictio furtiva, §. *fin. In. de oblig. ex delict.* *Dices* Actio recantatoria est criminalis, quia infamat: ergo non cumulatur cum pœnali. ℞. Neg. ant. neque ratio est ad rem, quia multæ actiones infamant; ut actio depositi, mandati &c. neque tamen sunt criminales, sed civiles. Ceterum probabilius est, actionem recantatoriam non esse famosam; cum id nullo jure constet, nec colligatur ex Const. Caroli V. qua actio ista videtur introducta.

12. ℞. 4. Actio ob famosum libellum criminaliter intentata tendit ad pœnam capitalem, si crimen capitale impactum fuit, *l. un. C. de famosis libell.* & Const. Carol. *art.* 110. vult imponi pœnam talionis. Secus est pœna exilii, & deportationis, & hodie arbitraria, qua tenetur auctor famosi libelli, & divulgator, *cit. l. un. & Can. 1. qui in alterius 5. q. 1.* Typographi vero amittunt impressa exemplaria, & potestatem imprimendi, aliisque arbitrariis pœnis subduntur.

13. ℞. 5. De jure Can. percutiens clericum incurrit excommunicationem *Can. 29. si quis suadente 17. q. 4.* & si S. R. E. Cardinalem, vel Episcopum percutiat, quasi reus criminis læsæ majestatis punitur, *c. 5. de pœn. in 6. & Clementina 1. eod.* Hæc de actionibus injuriarum, quæ competunt injuriam, passo sive directe in se ipso, sive indirecte in persona subjecta §. 2. *Instit. l. 1. §. 3. ff. h. t.*

14. Q. IV. *Quomodo expiret actio injuriarum?* ℞. seqq. modis 1. *Retorsione apta*, dicendo: *mentiris*. 2. *Satisfactione l. 7. §. 6. ff. h. t.* 3. *Remissione* expressa, vel tacita injuriæ; quam tamen facere nequeunt personæ subjectæ, ut filiusfam. religiosus: bene vero pater, vel prælatus, etiam istis reclamantibus, *l. 17. §. 12. ff. eod.* ubi tamen *seq.* §. 13. excipitur casus, quo patris persona est vilis, filii vero honesta: & tunc pater nequit remittere injuriam filio illatam. Remissione pœnæ non censetur remissa reparatio damnorum ex injuria secutorum, utpote diversa. 4. *Præscriptione* unius anni probabilius utilis, intra quem actiones prætoriæ extinguuntur, *l. 5. C. h. t.* Sed actio recantatoria, & ex L. Cornelia, cum utraque sit civilis, durat perpetuo, seu 30. annis. 5. *Morte* injuriantis, vel injuriati ante litem contestatam; quia actio pœnalis ex delicto regulariter ad hæredes non transit, *l. 13. ff. h. t.* Sacramento tamen pœnitentiæ non tollitur ista actio, quia potest quis esse amicus personæ, & inimicus causæ.

§. II.

De Damno dato.

15. Hic non agitur de damno *lucroso* ex bonis alienis, dum damnificans ex bonis alienis ditescit; ut per furtum, rapinam, usuram &c. sed de damno *non lucroso*, dum alterum damnificans, nullum exinde commodum reportat: quo sensu damnum est *delictum privatum, quo res aliena animata, vel inanimata dolo, vel culpa destruitur sine ullo damnificantis lucro*; ut si animal destruatur, vinum effundatur &c. Hoc delictum coercetur ex L. Aquilia, cujus tria erant capita. *Primo capite* cavetur, ut qui alienum servum, vel quadrupedem injuria occiderit, tantum det, quantum ea res illo anno plurimi fuit *pr. Inst. & l. 2. pr. ff. ad L. Aquil.* nomine quadrupedis intelligitur pecus gregatim pasci solitum, ut equi, asini, muli, oves, boves, capræ, sues; non vero feræ bestiæ, aut canes, *ibid.* *Secundo capite* quid statutum fuerit, non con-

statj

stat; atque ita *caput secundum L. Aquiliæ in usu non est* §. 12. *in eod.* Cujac. & alii existimant caput istud fuisse non de damno rei nostræ, sed de quovis alio damno, v. g. de intercepta nobis utilitate, Gottofr. *cit.* §. 12. *Tertio capite* cavetur de omni cetero damno rei nostræ, si præter servum, & pecudem occisum, damnum causetur, urendo, frangendo, rumpendo; & tunc res solvitur, quanti plurimi valuit ante 30. dies §. 13. *Inst. & l.* 27. §. 5. *ff. eod.* ut si servum, vel pecudem vulnerasti, animal gregatim pasci non solitum occidisti, si face servum adussisti, vitrum fregisti, vestem dilacerasti &c. Exempla plurima reperies *tit. ff. ad L. Aquil.*

16. Q. I. *Quid requiratur ad rationem damni?* ℞. 1. Ut fuerit res destructa, sive integre, sive ex parte contra usum suum naturalem; ut si uvas immaturas decerpsisti, agrum devastasti, vinum effudisti, hominem, hoc est, servum elusćasti, vel occidisti &c. e contra si res non est corrupta, sed ad suum naturalem usum adhibita, non est damnum sub L. Aquil. contentum; ut si uvas maturas ad comedendum decerpsisti, vinum ebibisti, vestes alienas portasti &c. ita passim *d. t.* 2. Ut fuerit res destructa injuria, seu *non jure*, hoc est, per dolum, aut culpam, *l.* 44. *ff. eod.* An vero requiratur culpa in committendo, & non sufficiat in omittendo, controvertunt DD. Videtur res conciliari posse dicendo, sufficere culpam in omittendo, si omissio est causa moralis commissionis, seu facti; ut si servus fornacarius obdormiat ad ignem, vel per alium ligna injiciat, & inde oriatur incendium; vel si medicus deserendo curam ægri sit causa mortis illius &c. quo sensu procedit *l.* 8. *& l.* 27. §. 9. *ff. d. t.* At si mera sit omissio, ex qua factum non sequitur, non continetur sub L. Aquilia; ut si fructuarius agrum non proscindat, vites non subserat, aquæductum corrumpi patiatur, *l.* 13. §. 2. *ff. de usufr.* In foro Can. parum curatur de nomine actionis; quia damnum sive commissione, sive omissione datum, reparari debet. Excipitur, si damnum datum sit casu fortuito, vel ab eo, qui non est doli, aut diligentiæ capax; ut ab infante, amente, furioso; & si nocumentum factum sit non ab homine, sed a pecude: quo casu dicitur non damnum, sed pauperies fieri, *tit. Inst. & ff. si quadrupes pauper.*

17. Q. II. *Cui, & contra quem concedatur actio L. Aquiliæ, seu de damno dato?* ℞. 1. Conceditur illi, cujus interest, scil. domino rei destructæ: & quidem *directa*; *utilis* vero accommodatur emphyteutæ, vasallo, bonæ fidei possessori, fructuario, usuario, & creditori, quatenus eorum interest, *l.* 12. §. 6. *& fin. l.* 30. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* non tamen commodatario, *cit. l.* 11. §. 9. sed si vestimenta commodata scissa fuerint, domino competit ista actio, *ibid.* Nec obstat *l.* 2. *ff. si quadrup. pauper.* ubi actio quadrupedaria conceditur commodatario: nam damnum facilius fieri potest ab homine, quam bruto: adeoque commodatarius censetur remittere damnum ab homine datum, non vero pauperiem a bruto datam; sed tunc interesse suum prosequi potest. Harpr. concedit commodatario utilem actionem L. Aquil.

18. ℞. 2. Actio L. Aquiliæ datur contra damnificantem physice, vel moraliter, ut si mandet rem destrui, *l.* 37. *ff. ad L. Aquil.* uti etiam contra mandatarium extraneum, non tamen in potestate mandantis constitutum. 2. Contra hæredes defuncti non datur, nisi lis cum defuncto fuerit contestata *l.* 9. *ff. eod.* quia actiones ex delicto non transeunt ad hæredes. At de jure Can. damnum culpa theologica datum resarciendum est ab hæredibus defuncti; quia cum hoc onere bona ad eos transeunt *c. fin. de Sepultur. c.* 5. *de raptorib.*

19. Q. III. *Quid veniat in actionem L. Aquiliæ?* ℞. I. Æstimatio damni: & quidem ex *c.* 1. *L. Aquil.* quanti plurimi res valuisset illo anno, & ex *c.* 3. quanti valuisset ante 30. dies, v. g. occidisti equum cœcum, qui ante cæcitatem hoc anno valuit centum florenis, teneris igitur ex capite primo L. Aquil. dare centum, licet tempore occisionis valeat tantum decem. Item effudisti vinum, quod ante 30. dies valuit 20. teneris 20. dare, licet tempore effusionis non valeat nisi 15. ac proinde quoad hunc excessum actio L. Aquiliæ est pœnalis §. 9. *Inst. ad L. Aquil.* ibi: *qua ratione creditum est pœnalem esse hujus legis actionem.* Sed ut notant Stryck, Lauterb. Schmier, & alii, modus iste æstimandi, & excessus in desuetudinem abjit; & hodie fit æstimatio damni secundum tempus præsens, quanti res valeat eo tempore, quo servus, vel pecus occiditur, aut alia res corrumpitur.

20. II. Venit in hanc actionem non tantum corpus læsum, sed omne, quod extrinsecus interest, seu omne damnum ratione corporis læsi causatum, v. g. expensæ in medicos, operæ cessantes, lucra, aut pretia diminuta; ut si ex quadriga, ex choro comœdorum, aut musicorum aliquis læsus, ac occisus sit, & ob id pretium aliorum equorum decrescit, musicis, aut comœdis lucrum cessat &c. *l.* 21. *in fin.* 22. 23. *ff. eod. l.* 29. §. 3. *C. eod.* His non obstat *l.* 21. *ff.* §. 3. *ff. de action. empt. l.* 63. *ff. ad L. Falcid.* nam prior procedit de lucro remoto, & incerto; posterior de imputatione præsentium bonorum in falcidiam: at respectu L. Aquiliæ consideratur lucrum, & damnum moraliter certum, licet hic, & nunc non habeatur.

21. III. Actio L. Aquiliæ in *duplum* est tantum pro casu inficiationis, si damnificans neget damnum a se factum, & super hoc convincatur, *l.* 2. §. 1. *l.* 23. §. 10. *ff. eod.* Hinc etiam actio ista est *arbitraria;* quia judex, si damnificans nolit parere illius præcepto, dato ad simplum solvendum, deinde ex arbitrio suo reum convictum condemnat in duplum, §. 23. & 31. *Inst. de action.*

22. IV. Cum actione L. Aquiliæ concurrunt plures aliæ actiones; ut familiæ herciscundæ, communi dividundo, furti, vi bonorum raptorum, injuriæ, L. Corneliæ de sicariis: si quis tamen una recepit suum, altera experiri nequit, nisi in illud *plus*, quod per aliam actionem obtinere potuisset, *l.* 34. *pr. ff. de O. & A. & l.* 23. §. 9. *ff. ad L. Aquil.* ubi JCtus ait per Aquiliam non præjudicari Corneliæ. *Dices: Interdum evenit, ut præjudicium judicio publico fiat, sicut in actione L. Aquiliæ, & furti l.* 4. *ff. de publ. judic.* ℞. Hic nomine *præjudicii* venire prius judicium civile, a quo facilius, & expeditius transitur ad judicium publicum.

23. Q. IV. *Quotuplex sit actio L. Aquiliæ?* ℞. Triplex: *Directa, utilis, & subsidiaria in factum* §. *fin. Inst. de L. Aquil.* & passim *ff. h. t. Directa* est, quæ descendit immediate ex verbis L. Aquiliæ, dum scil. aliquis corpore suo damnum dat, seu dum corpus corpore læditur; & hæc soli domino competit, cujus res læsa fuit; ut si manu tua servum occidisti, baculum fregisti &c. *Utilis* est, quæ ex interpretatione L. Aquiliæ descendit, dum quis scil. damnum dat corpori, sed non corpore suo, seu per positivam actionem; vel corpus liberi hominis læsit, vel destruxit rem alteri interesse habenti, ut fructuario &c. Exempla habes *l.* 7. §. 6. *& seqq. l.* 8. 9. *& seqq. ff. ad L. Aquil.* Nec te moveat, quod actio ista sæpe dicatur in *factum*: nam *actio utilis, & in factum* sæpe quoad nomina confunduntur: sic §. *fin. Inst. de L. Aq.* Imperator dicit utilem esse actionem, *si quis hominem alienum, aut pecus ita incluserit, ut fame necaretur; aut pecus in tantum exagitaverit, ut præcipitaretur.* JCtus autem in his exemplis dicit esse actionem in factum *l.* 9. §. 3. 4. *ff. eod.* dum ergo quis non occidit physice, sed tantum moraliter, præbendo causam morti, tenetur actione *utili* L. Aquil. quam JCti sæpius vocant actionem *in factum*; ut si medicinam venenatam alicui des, vel si trudendo alterum, tertium occidas &c. *citt. ll. Actio in factum subsidiaria*, ex doctrina Imp. est proprie in eo casu, quo damnum fit alteri, ita ut quis nec corpore lædat, neque lædat corpus; *veluti si quis misericordia ductus alienum servum solverit, ut fugeret*: vel si aperuisti conclave, ut canis inclusus abiret, vel avis evolaret: vel si roborarium referasti, ut feræ aufugerent &c. in his enim, & similibus casibus damnum datur, neque tamen corpus corpore læditur. Doctrina præsens bene notanda est, tum ad conciliandos textus juris; tum quia pluribus aliis materiis applicari solet.

24. Q. V. *Quanta sit obligatio reparandi damnum injuria datum?* ℞. 1. Si damnum est dolo, seu scienter, & malitiose datum, damnum pro foro externo, & interno est ad æqualitatem reparandum: nam tunc obligat præceptum juris naturalis: *neminem lædere, & suum cuique tribuere*: jus vero naturale obli-

gat etiam pro foro interno: & quidem graviter ſub mortali, ſi materia eſt gravis, leviter, & ſub veniali, ſi materia ſit levis.

25. ℞. 2. Si damnum datum ſit culpa theologica, abſque tamen expreſſo dolo, Lex Aquilia ad reparationem damni obligat non ſolum in foro externo, ſed etiam interno, ante ullam ſententiam judicis: ita com. nam radix reſtitutionis, & reparationis damni non tantum eſt *res accepta*, ſed etiam *injuſta acceptio*, ſeu *injuſta læſio*; ſed in dato caſu eſt læſio injuſta, & peccaminoſa, utpote conjuncta cum culpa theologica; ergo. Jam ſi per culpam mortalem factum ſit grave damnum proximo, totum reparandum eſt ſub mortali: ſi vero grave damnum factum ſit per culpam venialem, non conveniunt DD. Videtur probabilius quod tantum pars damni ſub veniali reparanda ſit ſecundum quantitatem culpæ, & voluntarii, idque pro foro conſcientiæ.

26. ℞. 3. Si damnum datum ſit culpa mere juridica, ſive lata, ſive levi, aut leviſſima, Lex Aquilia ad reparationem damni non obligat in foro conſcientiæ, ſaltem ante ſententiam condemnatoriam: ita Silv. Haunold. Reiff. Chling. Schmier, & communior TT. & Canoniſtæ contra Covar. Nav. Zoes &c. *Prob.* 1. Obligatio iſta in conſcientia non deſcendit ex jure naturali: nam hoc jure radix reſtitutionis eſt *res accepta*, *& injuſta acceptio*, *ſeu læſio*: hic autem in damnificante non concurrit *res accepta*; quia ſupponitur nihil ad eum perveniſſe: neque *injuſta læſio*; quia ſine culpa theologica læſio non eſt formaliter injuſta, ſicut nec voluntaria, ſed potius comparatur caſui; ſicut læſio ab infante, aut amente facta; ergo damnificans ex mera culpa juridica pro foro interno conſcientiæ non tenetur reparare damnum ante ſententiam. 2. Neque obligatio iſta deſcendit ex jure poſitivo canonico, aut civili: tum quia id ex nullo textu clare colligitur; tum quia obligatio Leg. Aquiliæ videtur efficaciter naſci primo poſt ſententiam: ut ſatis clare deducitur ex textu capitis primi, & tertii Leg. Aquil. *l.* 2. *pr.* & *l.* 27. §. 5. *ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *damnas eſto*, quæ verba proprie ſignificant ſententiam condemnatoriam, ſicut *l.* 2. *C. eod.* ibi: *ut id damnum ſarciatur, competentis judicis auctoritate conſequeris*, *ut aqua in priorem ſtatum reſtituatur*, *ejuſdem judicis cura impetrabis*: tum quia Lex Aquilia eſt pœnalis, vel ſaltem ſequitur naturam legum pœnalium §. 9. *Inſt. eod.* lex autem pœnalis ad pœnam non obligat regulariter ante ſententiam judicis, ergo. *Ratio* eſt; quia communis ſenſus, praxis, & conſuetudo fidelium interpretatur nobis Leg. Aquiliam, quod nullus exiſtimet, ſe coram Deo obligari ad damnum reparandum immediate, & ante ſententiam, ſi damnum iſtud fecit involuntarie per ignorantiam inadvertentiam, oblivionem, vel alium defectum coram Deo inculpabilem: imo obligatio immediata eſt nimis dura, noxia, & conſcientiis oneroſa; ergo. Ex his ſolvuntur jura in contrarium, dicendo illa obligare non immediate, & abſolute, ſed mediate, & conditionate tacite, ſi ſententia lata fuerit, §. 4. *& ſeq. Inſt.* & *l.* 5. §. 1. 3. *l.* 44. *ff. ad Leg. Aquil. l.* 45. *pr.* & §. *fin. eod.* & *c.* 2. 4. 5. 6. *fin. h. t.* *Dices*: Jus utrumque indiſtincte obligat ad damnum reparandum culpa datum, ita ut ignorantia non excuſet *cap. fin. h. t.* 2. Quod petitur actione rei perſecutoria, debetur ante ſententiam, cum nobis abſit *arg.* §. 17. *Inſt. de action.* ſed compenſatio damni illati petitur actione Legis Aquiliæ, quæ eſt rei perſecutoria, licet in caſu inficiationis ſit mixta §. 23. *eod.* 3. Æquius eſt, ut faciens damnum, illud compenſet, quam alter prorſus innocens illud patiatur ex culpa damnificantis. ℞. *Ad* 1. Jura iſta explicanda, & ſupplenda ſunt ex *c.* 6. *h. t.* ſi damnum *voluntarie*, ſeu culpa Theol. datum ſit; neque excuſat ignorantia culpabilis, quæ conjuncta eſt cum peccato Theologico. *Ad* ℞. 2. Diſt. maj. quod petitur tanquam debitum ex contractu, aut delicto theologico, conc. maj. debitum ex culpa mere juridica, neg. maj. hoc ipſum enim eſt in quæſtione, an debitum ex culpa juridica vere in conſcientia debeatur ante propoſitam actionem. *Ad* 3. In hoc caſu uterque certat de damno vitando, adeoque locus eſt *reg.* 65. *in* 6. *in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, & conſumentis.

27. ℞. 4. Lex Aquilia poſt ſententiam judicis probabilius obligat ad reparationem damni culpa juridica dati: ita com. ſententia contra Rebell. Haunold. Schmier &c. *Prob.* 1. Lex juſta in foro externo, eſt etiam juſta in foro interno; ſed Lex Aquilia eſt juſta, & rationabilis in foro externo: tum quia non apparet ipſius iniquitas; tum quia fundatur in bono communi, ut homines reddantur attenti, ne per ſe directe, vel indirecte damnum proximo faciant; ergo etiam eſt juſta pro foro interno; ita ut reus in conſcientia teneatur parere judici præcipienti compenſationem damni culpa juridica lati. Præterea lex iſta fere eſſet inutilis, ſi culpoſus damnificator neque poſt ſententiam obligaretur ad damnum reſarciendum. Ex his duabus reſolutionib. *Colliges*. 1. Quod damnificatus ex culpa mere juridica ante ſententiam judicis non poſſit ſibi facere occultam damni compenſationem ex bonis damnificantis; quia compenſatio iſta in conſcientia non debetur, niſi poſt ſententiam. At ſi ſententia lata eſt, ſolutum ex illa reſtituere non tenetur; quia adjudicatione ſuum factum eſt, cum reus poſt ſententiam ſolvere teneatur. *Colliges*. 2. Quod damnificans ex culpa juridica, ſolutum poſt ſententiam repetere, vel occulte compenſare non poſſit: ſi vero ſolvit ante ſententiam, ſolutum occulte compenſare poſſit; quia, cum natura non debuerit, repetitioni locus eſt.

28. Obj. 1. Lex Aquilia fundatur in dolo, & culpa theologica, ut patet ex verbis illius *l.* 2. *pr. l.* 27. §. 5. *ff. ad L. Aquil.* ergo ſi deficit culpa theologica, ceſſat hujus legis obligatio. 2. Lex Aquilia apud nos fideles explicanda, & intelligenda eſt ſecundum jus Can. cujus eſt diſcernere juſtitiam Legum civilium; ſed jus Can. *c.* 6. *h. t.* dicit reparandum eſſe damnum *voluntarie*, ſeu culpa theologica cauſatum, & ubi ly *voluntarie* non ponitur, ſubintelligi debet: ſiquidem *cit. c.* 6. per modum regulæ generalis deſumptum eſt ex Pœnitentiali Romano; ergo. 3. Compenſatio, & reſtitutio in foro Can. & theologico non oritur niſi *ex re accepta*, *vel injuſta læſione*, *& acceptione*; ſed in hoc caſu non adeſt *res accepta*, ut ſuppono, neque *injuſta læſio*; quia ſine peccato theologico injuſtitia formalis non committitur; ergo. 4. Dum judex aliquem condemnat ex Lege Aquilia, ſententia illus fundatur in præſumptione culpæ voluntariæ, & theologicæ: ſiquidem in foro externo non poteſt probari, an culpa mere juridica, an ſimul theologica intervenerit: imo ex toto *tit. L. Aquiliæ* non poteſt evidenter oſtendi, quod ſermo ſit de culpis mere juridicis per excluſionem voluntarii, ſaltem indirecti ſufficientis ad culpam theologicam; ergo judex ſententiando, abſolute non adjudicat actori compenſationem damni, ſed tacite conditionate, ſi damnum voluntarie, ſaltem indirecte cauſatum ſit, ſicut accidit in aliis ſententiis; ut ſi non debitorem condemnet ad ſolvendum &c. Hæc argumenta, præter cetera, adeo aliquibus videntur efficacia, ut omnino exiſtiment ſententiam iſtam eſſe probabilem, & tutam in foro conſcientiæ, reumque, ſi ſolvere coactus, eſt in foro externo, uti poſſe compenſatione occulta, ſervatis tamen aliis debitis conditionibus, ſicut non debitorem, qui ex falſa præſumptione debiti condemnatus, coactus eſt ad ſolvendum: nihilominus pro mea opinione.

℞. *Ad* 1. Culpa theologica fuit occaſio condendi leges de damno reparando, ſed quia culpa theologica in foro externo nequit facile probari, ideo melius dicitur leges iſtas inniti cauſæ publicæ, ne per inattentionem, & negligentiam aliquorum damna civibus inferantur; ergo licet culpa theologica non præceſſerit, tamen juſta eſt condemnatio ob ſolam culpam juridicam, & civilem, & conſ. reus ex tali ſententia in foro interno obligatur. *Ad* 2. ly *voluntarie* opponitur caſui fortuito, non vero culpæ juridicæ, quæ fictione juris habetur pro voluntaria; alias non recte diceretur culpa, & ideo *c.* 2. 3. 4. 5. *h. t.* indiſtincte dicitur damnum culpa datum eſſe reparandum. *Ad* 3. Pro damnis compenſandis ſufficit læſio civiliter, ſeu juridice injuſta; cum læſio theologica non facile ſit probabilis. *Ad* 4. Sicut Lex Aquilia, ita & ſententia judicis occaſionaliter fundatur in culpa theologica, principaliter vero, & motive fundatur in bono publico, ut inter cives ſecuritas ſit a damnis inferendis. *Sed dices contra*: jura, quando contra jus naturale diſponunt ex cauſa boni publici, cauſam iſtam aperiunt,

ut

ut patet in usucapionibus, in privilegiis pupillorum, & minorum, SCto Macedoniano, & Vellejano &c. sed in toto jure non reperitur, quod Lex Aquilia fundetur in causa boni publici: bene vero reperitur, quod fundetur in delicto, cum damnum injuria datum numeretur inter delicta privata: tum quia Gregorius IX. *c. fin. h. t.* non dicit simpliciter quod ignorantia non excuset ab injuria, & damno culpa dato, sed signanter addit: *si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere, vel jacturam*, quod perinde est, ac ignorantiam esse theologice culpabilem, cum stante culpa mere juridica, utpote hic, & nunc invincibili, nemo scire debeat, aut possit, quid ex facto suo sit secuturum; ergo Lex Aquilia non fundatur in bono publico, sed in præsumptione delicti theologici: hæc autem præsumptio facti, si fallat, facit cessare obligationem legis, & sententiæ in tali facto fundatæ, ut dixi *l. 1. tit. de Constit. n. 26.* Ad hoc sane difficile argumentum. ℞. Causam publicam Leg. Aquiliæ sufficienter colligi, tum ex fine hujus plebisciti ad communem securitatem, & damnorum aversionem conditi; tum quia *in Lege Aquilia, & levissima culpa venit*, *l. 44. ff. ad Leg. Aquil.* ob quam respubl. dat judici potestatem condemnandi reum, ita ut sententia illius justa omnino habeatur, atque ita tranquillitati conscientiarum consulatur. Ad textum *c. fin. h. t.* dico, illum procedere de negligentia, & debito non tantum theologico, sed etiam civili, & juridico. Ex his patet culpam levissimam, quæ raro culpæ theologicæ misceatur, sufficere ad judicium Leg. Aquiliæ, quamvis in contractibus non tam Lex Aquilia, quam culpa cuilibet contractui propria attendatur, ut dixi *lib. 3. tit.* 14. in doctrina generali de contractibus.

In *hoc tit.* Compilator juris nostri finit seriem delictorum: priusquam tamen hinc abeas, pro uberiori notitia paululum animum diverte ad delicta, quæ tibi ex jure civili hic subjicio.

29. *Noxa* est dictum servi, ex quo dominus obligatur alternative, ut vel damnum a servo causatum præstet, vel servum noxæ dedat, hoc est, ipsum corpus servi in satisfactionem cedat, v. g. si servus commisit furtum, rapinam, vel aliud delictum privatum: ex delicto autem publico, ipsi servi tenentur, cum dominus loco illorum ad pœnam corporalem condemnari nequeat, *l. 12. §. 3. 4. ff. de accusation.* Casus de judicio noxali vide in Instit. *lib. 4. tit. 8.* in Pandectis *lib. 9. tit. 4.* In Codice *lib. 3. tit. 41.* Hodie deficientibus servis, deficit hoc judicium noxale; & si famulus conductitius in suo officio deliquit, datur actio elective, vel contra famulum, vel contra dominum, si is in culpa fuit eligendi famulum idoneum: secus si famulus communiter pro honesto, & idoneo habeatur: tunc enim ad reparationem damni solus famulus, & non dominus convenietur. Exempla habes in exercitoribus navis, cauponæ, aut stabuli, si ministri illorum in suo officio deliquerunt §. *fin. Inst. de obligat. ex quasi del.* item in *l. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil.* de servo, aut famulo fornacario ad fornacem obdormiente &c.

30. *Pauperies*, seu damnum ab animali datum, dum pecus quadrupes generatim pasci solitum contra naturalem suam consuetudinem nocumentum facit alteri domino, cui competit actio *quadrupedaria*, seu *de pauperie*, ut dominus animalis, vel nocumentum recompenset, vel animal noxæ dedat, v. g. ut si bos cornu petat, equus calce feriat &c. Ratio ex parte damnificati est, ut indemnis servetur; ex parte domini animalis, quia ei imputari debet, quod tale animal habeat. Non dicitur autem actio ista de damno; quia animal, seu brutum, quod sensu, hoc est, ratione caret, injuriam non facit, sed *pauperiem*, seu *damnum sine injuria facientis datum*, *pr. Inst. si quadrupes injur.* 2. Si aliud animal bipes, ut gallus, corvus, vel quadrupes gregatim pasci non solitum, ut canis, fera bestia, nocumentum faciat, datur actio ista noxalis, seu quadrupedaria *utilis* ex interpretatione *L. XII. Tabb. l. pen. ff. si quadrup. pauper.* 3. Si animal secundum suam consuetudinem, & naturam damnum faciat, v. g. sata depascendo, cessat hæc actio noxalis, & datur alia, v. g. actio de pastu; vel in factum, in quantum dominus animalis factus est locupletior. 4. Si animal ferox sive solutum, sive ligatum nocuit eo loci, quo vulgo iter fit, datur actio *ædilitia* in factum, seu honoraria descendens ex edicto Ædilium *l. un. ff. de via publ.* ut dominus animalis nocumentum recompenset, 200. solidis, si homo liber occisus sit; arbitrarie, si tantum ei nocitum fuit: si vero servo, vel alteri rei nocitum est; dupli dominus condemnetur; hodie arbitrarie ex Const. Car. *cap.* 136. Vide de his action. in Inst. *lib. 4. tit. 9.* in Pandect. *lib. 9. tit. 1. lib. 21. tit. 1. l. 40. & seqq.*

Vide par. I. pag. 690. post n. 27.

31. *Quasi delictum* est factum carens vero dolo, & culpa vera; in quo tamen lex fingit, aut supponit esse culpam. Hujus species sunt I. *Imprudentia*, vel *imperitia*, si judex bona fide procedens propter imperitiam male sententiam proferat, *pr. Inst. de oblig. ex quasi delict.* quo casu tenetur judex actione *syndicatus*, seu *male judicati*, facitque litem suam, hoc est, in tantum tenetur parti læsæ, in quantum eam læsit *l. 5. §. 7. ff. de O. & A.* Huc revocatur imperitia ministrorum ad publica officia deputatorum, ut Episcopi, parochi, confessarii &c. at si medicus, per imperitiam male curet, verum delictum committit, & convenitur ex Lege Aquil. §. 7. *Inst. de Leg. Aquil.* nam medicus profitetur peritiam suæ artis, non vero judex peritiam juris.

32. II. *Quasi delictum dejecti, vel effusi ex cœnaculo*, dum ex aliqua domo aliquid dejicitur, aut projicitur, aut effunditur in locum, quo vulgo fit iter, & præteriens læditur, aut in vestibus conspurcatur, §. 1. *Inst. de oblig. ex quasi del.* Hoc casu, si familia dejecit, vel effudit, dominus tenetur damnum reparare; quia ei incumbit habere instructam familiam, ne quid in locum publicum dejiciat, aut effundat. Si plures sint inhabitantes, & unus certus nescitur, omnes in solidum tenentur, uno tamen solvente, ceteri liberantur *l. 1. §. fin. ff. de his, qui dejec. vel effud.* Si hospites moniti simile quid fecerunt, nihilominus propter securitatem viarum dominus tenetur; sed is regressum habet contra hospites, *l. 5. §. 4. ff. eod.* in quo titulo plures de hac materia casus reperies.

33. III. *Quasi delictum suspensi*, dum res aliqua collocatur ad locum, ex quo facile in viam publicam cadere, & prætereuntem lædere potest. Contra dominum rei suspensæ datur actio prætoria popularis in 10. aureos, etsi adhuc nihil nocitum sit; quia hic solus metus nocumenti a prætore punitur, *l. 5. §. 6. & seqq. ff. de his, qui dejecer.* Omnes tres actiones istæ dantur in filiumfam. si is judex fuit, vel habitavit in cœnaculo separato, ex quo aliquid dejectum, effusum, aut suspensum fuit, §. 2. *Institut. de oblig. ex quasi delict.*

34. IV. *Quasi delictum exercitoris navis, cauponæ, aut stabuli*, si talibus ministris utatur, qui alicui in navi, caupona, aut stabulo furtum, vel aliud damnum faciunt: quo casu præter actionem propriam delicti, v. g. furti contra ministros, & præter actionem *infactum de recepto* ex quasi contractu, datur damnificato actio *prætoria in factum* ex quasi delicto contra dominum navis, cauponæ, & stabuli; quia culpa ejus est malis hominibus uti; estque hæc actio pinguissima pro damno resarciendo, cum in ea veniat etiam culpa levissima *l. 1. l. 3. §. 1. ff. Nautæ, Caupon.* Hodie ex recepta consuetudine hospitas periculum rerum suarum in se suscipiunt; nisi specialiter eas consignent cauponi custodiendas. Hactenus actiones de damno dato reparando, quæ satis clare approbantur a jure Can. *cap. fin. h. t.*

35. *Crimen ambitus* est illicita quæsitio, & impetratio honorum, & dignitatum, v. g. per pecuniam, & alia munera sibi conciliando favorem, & animos suffragantium, ut per eos honor ambitus obtineatur; cum tamen officia, & dignitates bene meritis gratis conferri deberent. Hoc pestiferum crimen viget in rebus publicis Democraticis, & Aristocraticis: cessat in Monarchicis, ubi distributio officiorum ad principem pertinet: punitur ex *L. Julia de ambitu* pœna 100. aureorum, cum infamia *l. un. ff. & l. un. C. ad L. Jul. ambitus.* Huic delicto in foro Can. similis est simonia, de qua jam supra actum. In Ordinibus religiosis contra ambientes servanda sunt propria statuta, & pœnæ.

36. *Crimen fraudatæ annonæ* est, dum quis dolo malo facit, ut annona carior fiat, quod est annonam flagel-

flagellare, vexare, fraudare *l. 2. ff. ad L. Juliam de annona* cujusmodi vocantur Dardanarii a Dardano Mago, quasi per magiam frumentum convolaret in eorum horrea: *Pantapolæ*, *& Seplasiarii*, quibus nihil est iniquius in oneranda annona; ut si annonam conservent ad tempus caritatis, frumentum coemant, ut ipsi carius divendant, naves annonarias retineant, annonam corruptam, & minori mensura divendant. Hoc crimen, utpote publicum, punitur ex L. Julia de annona pœna 20. aureorum, aliquando confiscatione bonorum, & exilio. Vide *tit. ff. & C. ad L. Jul. de annon. l. un. C. de monopol.*

37. *Crimen privati carceris* est, dum quis privata auctoritate delinquentem, vel debitorem carceri mancipat, & detinet. Crimen hoc ex Const. Zenonis punitur ultimo supplicio, *tit. C. de privatis carcer. inhibend. Lex Visellin.* persequens libertinos, officia ingenuorum usurpantes: hodie apud nos non est in usu, cum servis, & libertinis careamus.

38. *Crimen illiciti collegii*, seu *corporis* est, dum societates instituuntur ad finem improbum, v. g. ad comessationes, libidines, falsas religiones, factiones &c. Talia collegia sunt pestis Reipubl. cum frequenter in iis nascantur conspirationes, seditiones & alia gravia, & infanda scelera, puniunturque variis pœnis, ut vis publicæ proscriptionis domus, & aliis arbitrariis, *tit. ff. de colleg. & corpor. l. 15. C. de Episcop. & Cler.* At collegia auctoritate principis instituta licita sunt; ut mercatorum, fabrorum, & aliorum opificum, quibus datur potestas condendi statuta præter, non contra jus commune, *l. fin. ff. d. t.* quibus etiam hæreditas relinqui potest, & successio ab intestato *l. 1. & seqq. C. de hæreditatibus Decur.* illicitis autem collegiis nulla successio permittitur, *l. 8. C. de hæred. Inst.* A fortiori licita sunt collegia Ordinum religiosorum, utpote a Papa approbata, & jurisdictione cum plurimis privilegiis donata.

39. *Extraordinaria crimina* sunt, quæ certa lege, & pœna non puniuntur, sed arbitrio judicis coercentur; uti sunt *solicitare alienas nuptias*, seu alienæ uxoris pudicitiam appellare, seu prostituere velle, *interpellare aliena matrimonia*, seu alienæ uxoris nuptias appetere: quæ delicta etsi effectu careant, *propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur*, *l. 1. pr. ff. de extraord. criminib.* in quo titulo plura alia exempla reperies, quæ continuantur in seqq. titulis; ut *de sepulchro violato*, *de concussione &c. Scopelismus* est delictum grave, dum quis in alieno agro ponit lapides, seu scopulos, hoc indicio, ut, si quis agrum istum coleret, sciret ob insidias lapides ponentium se malo letho periturum. Punitur hoc crimen usque ad pœnam capitalem *l. 9. ff. de extraord. crim. Circulatores*, qui serpentes circumferunt, & alios terrent, pro qualitate delicti, & damni extra ordinem puniuntur, *l. fin. eod.* Præterea crimina ordinaria, quibus a lege certa pœna statuta est, sæpe extra ordinem de plano cognoscuntur, & arbitrarie puniuntur, ut injuria *l. fin. ff. de injuriis* furtum *l. fin. ff. de furtis &c.* quia hæc via sine figura & strepitu judicii est expeditior, *l. 13. ff. de pœnis.*

40. *Repressaliæ*, latine *Pignorationes* Græce *Androlepsiæ*, sunt crimen extraordinarium, quo res aliena, vel persona occupatur pro delicto alterius: nam iniquum, & juri naturali contrarium est, ut quis in persona sua, aut rebus patiatur pro delicto alterius, cum delicta suos tenere debeant auctores, *l. 22. C. de pœnis.* Unde repressaliæ prohibentur non tantum jure naturali, sed etiam Canonico *c. un. h. t. in 6. &* civili *Nov.* 52. *c.* 1. ubi utens repressaliis præter amissionem actionis, dicitur puniendus pœna quadrupli violentiam passo applicanda. 2. Repressaliæ quoad materiam variari & cohonestari possunt: puta si princeps ex causa justa, ex qua bellum movere potest, indicat repressalias, easque adversario nunciet, ut si satisfacere nolit, pignorationes istas sustinere cogatur in bonis etiam innocentium, non tamen in eorum personis, nisi hæ executoribus repugnarent; quia tunc vim vi repellere licet *Can. 2. dominus*, 23. *q.* 2. At contra clericos, eorumque bona nullatenus licet repressalias concedere; alias persona singularis excommunicatur, & communitas interdicto subjicitur, nisi intra mensem concessionem pignorationum revocaverit, *cit. c. un. h. t. in 6.* 3. Alicubi inter privatos tolerantur pignorationes; ut si quis animal, quod pauperiem fecit, capiat & detineat instar pignoris, donec dominus animalis damnum resarciat, vel animal noxæ dedat. Vide Gaill. *tract. de pignorationib.*

Vide par. I. pag. 690. post n. 27.

Hactenus actum est de criminibus: nunc in seqq. tribus titulis de pœnis vindicativis in foro externo, & interno, & medicinalibus. Tandem ad imitationem Pandectarum jus Can. clauditur duobus titulis generales juris materias continentibus; puta de *Verbor. significat. & regular. jur.*

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementin. Extravag. Joan. XXII. & Communib. *h. t.* in Decreto dist. 81. per plura capita, & 23. *q.* 4. 5. & sparsim in 16. *q.* 1. & 6. in Trid. *sess.* 13. *c.* 4. *de refor. & sess.* 25. *c.* 6. 14. in Pandectis *l.* 48. *tit.* 19. *cum seq.* in Codice *lib.* 9. *tit.* 47. *cum seq.*

1. *Nota* 1. Pœnam in genere definiri, quod sit *justa delicti punitio*. Quæ definitio applicatur pœnæ civili, medicinali, & vindicativæ, quia omnes hæ pœnæ suo modo coercent, & puniunt delictum; & ideo pœna a puniendo dicta est.

2. *Nota* 2. Pœnam dividi 1. in *Privatam*, seu *conventionalem*, quæ ex privata partium conventione imponitur; & plerumque non obligat ante sententiam judicis, nisi aliter convenerit; & de hac in præsenti non agitur: & *publicam*, quæ ex publica potestate, & jurisdictione infligitur. 2. Publica subdividitur in *medicinalem*, quæ fertur ad contumacis correctionem; uti sunt censuræ: *civilem*, quæ fertur ad satisfactionem privatam parti applicandam: & *vindicativam*, quæ fertur ad vindictam publicam, sive pœnæ istæ latæ sint ab ipso jure, sive ex arbitrio judicis. 3. In *ordinariam*, quæ a lege, aut consuetudine constituta est: & *extraordinariam*, seu *arbitrariam*, quæ ex arbitrio judicis pro qualitate delicti, & personarum imponitur. 4. In *personalem*, quæ soli personæ; *realem*, quæ rebus in odium personæ; & *mixtam*, quæ personæ, & rebus imponitur. Sic depositio ab officio est personalis, privatio beneficii est realis, & utraque simul est pœna mista. 5. In *positivam*, cujus executio petit actionem sive rei, sive alterius in reum exercendam, ut flagellatio, occisio &c. & *negativam*, seu *privativam*, cujus executio est aliqua privatio, sive juris quæsiti: ut privatio beneficii, sive juris quærendi, ut inhabilitas ad beneficium obtinendum. 6. *Vindicativa* subdivitur in *capitalem*, quæ damnato infert mortem, vel naturalem, uti occasio, vel civilem, uti servitus, deportatio, & damnatio ad metalla, quibus exæquatur bannus imperialis, & perpetuum exilium, & *non capitalem*, quæ citra mortem naturalem, aut civilem infligitur in corpore, statu, aut bonis rei; uti sunt pœnæ temporales, fustigatio, incarceratio, pecuniaria fisco applicanda, infamia, &c. & spirituales; privatio beneficii, depositio, irregularitas, degradatio. Agetur hic 1. de pœnis in genere potissimum vindicativis. 2. De pœnis spiritualibus Ecclesiæ. 3. De pœnis temporalibus fori canonici & secularis.

§. I.

De Pœnis in genere.

3. Q. I. *Quo jure, & ob quam causam introductæ sint pœnæ?*

℟. 1. Pœna in thesi originem suam habent a jure naturali; & quidem ob causam delicti: nam jus naturale in genere dictat, malefactores esse puniendos; & ideo justitia vindicativa per se tendit ad vindictam malorum; cum alioquin felicitas reipubl. consistere non posset, si omnia crimina manerent impunita.

4. ℟. 2. Pœnæ determinatæ in specie descendunt ex jure positivo, vel divino; sicut in veteri testamento; vel humano, sicut antea apud gentes omnes bene moratas, & nunc in Lege Christi a principibus tam Ecclesiasticis, quam politicis: ita com. nam jus naturale non deter-

determinat istas pœnas; bene vero principis suprema potestate præditi, ut patet ex integris ordinationibus criminalibus; ergo. Unde principes, cum jure suo sint Superiores, pœnas istas pro varietate temporum mitigare, exasperare, & in eis dispensare possunt. Nec audiendi sunt Carpzov. Vitriar. & alii Acatholici, qui negant, principem posse dispensare, & mitigare pœnam in his delictis, quibus Deus in vet. leg. statuit pœnam capitalem, uti homicidio *Gen. 9. v. 6. Levit.* 24. *v.* 17. &c. nam præcepta ista, utpote judicialia, abrogata sunt per mortem Christi, *c.* 3. *de Constit.*

5. Q. II. *An judex inferior teneatur infligere pœnam legibus statutam?* ℞. 1. Regulariter affirmative: nam judex legibus subjectus est, nec licet ei *de ipsius judicare, sed secundum ipsas Can.* 3. *d.* 4. tum quia *facti quæstio in arbitrio judicantis est, pœnæ vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur, l.* 1. *§.* 4. *ff. ad SC. Turpill.* ergo. Unde judex inferior pœnas contra legem molliens gravi infamia notatur, *l.* 8. *§. fin. pr. ad L. Jul. de vi priv.* Excipe, nisi talis judex *jus aggratiandi* a principe concessum habeat, sicut principes Imperii; tunc enim pœnam remittere, vel mitigare potest.

6. ℞. 2. Judex inferior ex arbitrio puniens, pro qualitate delicti, deliberationis actus, attenta circumstantia loci, temporis, personæ, damni illati, potest determinare pœnam graviorem, vel mitiorem, specifice legibus non determinatam: nam talis pœna est extraordinaria, pendens ex arbitrio judicis: imo si consuetudo permittat, potest pro ratione circumstantiarum aggravantium, vel alleviantium delictum, pœnam exasperare, vel mitigare, cum legislator omnes istas circumstantias prævidere non potuerit.

7. Q. III. *Quod sit subjectum pœnæ?* ℞. 1. Homo delinquens, & regulariter vivus; nam bruta, sicut incapacia sunt culpæ, ita & pœnæ: licet quandoque in detestationem sceleris, & confusionem dominorum una cum reo flammis exurantur, ne occursu suo memoriam infandi sceleris excitent. Mortui vero sublati sunt a potestate humana, & mors omnia crimina extinguit, *Can.* 4. *d.* 23. *l.* 6. *ff. de publ. judic.* Excipe quosdam casus, in quibus pœna in mortuorum bona, & cadavera exercetur: 1. Si commissum est crimen, cui annexa est confiscatio bonorum, ut perduellionis, repetundarum, hæresis *l. fin. C. ad L. Jul. Maj.* 2. Si delinquenti in pœnam negatur sepultura Ecclesiastica, ut hæreticis, notoriis peccatoribus, ut dixi *tit. de sepult.* Porro delinquens toties puniendus est, quoties delictum iterat; quia *ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur frequenti sententia condemnari debent c.* 1. *h. t.* si tamen in continenti idem crimen iteretur, ut adulterium, una pœna graviori plectitur: si vero in eodem actu plura delicta committantur, ut rapina, injuria, blasphemia, homicidium, reus pœnis omnium subjacet, *l.* 2. *ff. de privat. delict.*

8. ℞. 2. Innocens ex causa potest subesse pœnæ; quatenus id exigit delictum nocentis, *ex reg.* 23. *in* 6. Sic ob crimen perduellionis filii patris perduellis privantur omnibus bonis paternis, fiuntque infames, *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* & liberi patris, qui Episcopum occidit, usque ad quartum gradum arcentur a beneficiis *c.* 10. *1x. h. t.*

9. ℞. 3. Si tota communitas deliquit, rigor pœnæ in primores sceleris exercendus, ceteri mitius, & in bonis fortunæ puniendi. Si vero major pars deliquit, tota communitas nocentium, & innocentium puniri potest: & quidem auctores, & capita sceleris in vita, ceteri in fortunis, *Deuteron.* 13. *v.* 12. *& seqq. Can.* 5. *ordinationes* 9. *q.* 1. Si tandem aliqui solum ex communitate deliquerunt, hi soli plectendi erunt, *l.* 7. *§. fin. ff. de jurisd.*

10. Q. IV. *Quomodo, & quando reus obligetur ad pœnam subeundam?* ℞. 1. Pœna ferendæ sententiæ non incurritur ante sententiam judicis: nam lex vult talem pœnam mediante ministerio, & condemnatione judicis infligi.

11. ℞. 2. Pœna medicinalis, ipso jure, & facto incursa, stringit in conscientia ante ullam sententiam judicis: ita com. ex *Can.* 29. *si quis suadente* 17. *q.* 4. *& fere toto tit. de sent. excom.* nam censuræ, quæ sunt pœnæ medicinales, ordinantur ad correctionem, & salutem animæ, non excedunt gravitatem delicti, neque improportionatæ sunt humanæ fragilitati; ergo si ipso jure, & facto incurrantur, obligant ante sententiam judicis.

12. ℞. 3. Pœna positiva, & privativa juris plene quæsiti, etiamsi ipso jure, & facto incursa sit, non stringit ante sententiam judicis, saltem criminis declaratoriam: ita com. ex toto fere *tit. de pœnis*, hic & in jure civ. ubi ad executionem pœnarum requiritur judicis auctoritas. *Ratio* 1. quia conditioni humanæ adversum, & inhumanum est, ut quis se ipsum offerat ad pœnam positivam, v. g. ad mortem, ad fustigationem, deportationem, incarcerationem; ergo 2. *Pars* habetur *cap.* 19. *de hæret. in* 6. ubi ad confiscationem, seu privationem bonorum, quæ ipso jure ob hæresim incurritur, prævie requiritur sententia criminis declaratoria: *ratio est*, quia inclinationi, & fragilitati humanæ nimis durum, & contrarium esset, ut quis ob crimen pœnam privativam in se exerceat, v. g. privando se episcopatu, parochia, vel alio officio, aut jure plene quæsito in bonis, & aliis rebus; ergo cum jura debeant esse conformia fragilitati humanæ, etsi pœnam ipso facto incurrendam statuant, tamen non obligant ante sententiam declaratoriam criminis.

13. *Dices*: 1. Ex his sequitur, nullam esse differentiam inter pœnam *ipso jure*, & per sententiam judicis incursam. 2. In jure pontif. sæpe adduntur istæ clausulæ: *ante ullam sententiam, absque alia declaratione, nulla monitione prævia*; ergo tunc pœna privativa stringit ante ullam sententiam etiam criminis declaratoriam. ℞. *Ad* 1. Neg. seq. nam sententia *declaratoria criminis*, privat sola possessione, & declarat jus, titulum, & dominium tempore delicti amissum fuisse; atque ita sententia ista retrotrahitur ad tempus commissi delicti, ad quod etiam refertur pœna: e contra sententia *condemnatoria* privat non tantum possessione, sed etiam titulo, jure, & dominio, neque retrotrahitur, sed obligare ad pœnam incipit ab eo tempore, quo prolata est. Unde, si, v. g. parochus commisit delictum calendis Januarii, ipso jure privans beneficio, & sententia criminis declaratoria fertur primo calendis decembris, tenetur omnes fructus tempore intermedio perceptos cum parochia restituere, cum sine titulo eos perceperit: si vero delictum ipso jure non privet beneficio, non tenetur fructus restituere, nisi perceptos post sententiam condemnatoriam. *Ad* 2. Prior clausula intelligitur: *ante ullam sententiam condemnatoriam*, ubi non excluditur criminis declaratoria. Altera clausula, quæ vix unquam ponitur in pœnis proprie dictis, privantibus jure plene quæsito, vel intelligitur de pœnæ declaratione, vel in delictis notoriis, quæ nulla declaratione indigent: quo casu saltem præcepto judicis opus est, ut reus bonis, & juribus quæsitis spolietur.

14. ℞. 4. Pœna privativa improprie dicta, quæ est negatio favoris sub conditione concessi, ipso jure incursa obligat ante ullam sententiam judicis: ita com. nam lex statuens talem pœnam, est conditionata, si alter conditionem impleat: neque tali casu est jus plene, & absolute quæsitum, sed inchoative, & conditionate, *si conditio posita fuerit*; ergo si conditio deficiat, jure naturali deficit favor sub ea concessus, & conf. privatio hujus favoris, & juris jure naturali, & in conscientia incurritur. Hinc etiam in jure pontificio frequenter adduntur istæ clausulæ: *nec possessio ei suffragetur, sub periculo animæ teneatur ad restitutionem* &c. sic enim Episcopus intra semestre negligens consecrationem, amittit Episcopatum Trid. *S.* 23. *c.* 4. *de reform.* beneficiatus, etiam curatus, non persolvens horas canonicas, fructus non facit suos ex motu proprio S. Pii V. *Ex proximo* 12. *Kalend. Octob.* 1571. parochus intra annum non suscipiens sacerdotium, privatur jure parochiæ *c.* 14. *de elect. in* 6. &c. quorum omnium eadem est ratio; quia jura, & favores isti non conceduntur ab Ecclesia, nisi sub his conditionibus a jure præfixis.

15. ℞. 5. Reus post justam sententiam judicis, obligatur in conscientia ad sustinendam pœnam: nam de jure naturali subditus parere tenetur justo præcepto Superioris. Unde 1. Tenetur solvere pœnam pecuniariam, si tamen exigatur, alioquin præsumitur condonari. 2. Tenetur manere in carcere, aut exilio, nec inde aufugere potest: & si condemnatus est ultimo supplicio, tenetur, v. g. scalas, aut rogum conscendere &c. 3. Ipse tamen reus non tenetur, imo nec licite potest pœnam mortis in se exequi, vel aliam nimis duram,

ram, v. g. ut gladio se perimat, venenum sumat, manum sibi amputet, a cibo clam abstineat, ut fame pereat &c. nam hoc valde inhumanum est. Item si carcer est valde squalidus, & terra exilii insalubris, licite fugit ex carcere, aut exilio; quia non tenetur esse minister pœnæ adeo molestæ: imo judex Ecclesiasticus clericum, aut religiosum mancipans carceri valde squalido, non evitat excommunicationem canonis.

§. II.

De Pœnis spiritualibus Ecclesiæ.

Pœnæ istæ sunt: *Irregularitas, privatio beneficiorum, & inhabilitas ad illa, depositio, & degradatio.* Pro quibus,

16. *Nota* 1. Irregularitatem quoad nomen esse recessum a regula: quoad rem vero in jure pontificio esse *impedimentum Canonicum, primo, & per se impediens licitam susceptionem Ordinum, & secundario eorum usum*: ita in re com. *Dicitur* 1. *impedimentum*; quia irregularitas non est proprie pœna positiva; aut privativa juris plene quæsiti, sed potius est inhabilitas ob honorem status clericalis introducta, quia non decet aliquos defectuosos, & criminosos ad ordines, vel eorum exercitium admitti. *Dicitur* 2. *Canonicum*; quia irregularitas solo jure Can. non vero naturali, aut divino constituta est. Hinc fæmina, incapax potius jure divino ad ordines, quam irregularis dicitur, cum irregularitas afficiat subjectum de se capax ordinationis. *Dicitur* 3. *per se*, ut excludantur censuræ, quæ per accidens, & eatenus impediunt ordinationem, quatenus subjectum privant passivo usu sacramentorum. *Dicitur* 4. *licitam*, quia irregularitas valorem ordinis non vitiat, sed tantum licitatem, seu honestatem.

17. *Nota* 2. Irregularitatem dividi. 1. In *totalem*, quæ tam receptionem ordinis, quam exercitium ejus impedit: & *partialem*, quæ aliquod tantum exercitium, vel receptionem Ordinis Superioris impedit. 2 In perpetuam, quæ semper durat, nisi dispensetur; & *temporalem*, quæ ad certum tempus durat, eoque adveniente, cessat, ut defectus legitimæ ætatis. 3. In eam, quæ oritur ex *defectu*, & eam, quæ oritur ex *delicto* impediente ministerium clericale. *Defectus*, quibus irregularitas annexa est, sunt: defectus usus rationis, ætatis, natalium, christianæ lenitatis, vitium corporis, curialitas, aut obligatio ad ratiocinia, & bigamia. *Delicta* irregularitatem causantia, sunt: iteratio baptismi, hæresis, occisio, vel mutilatio injusta hominis, furtiva susceptio ordinum, ministratio in ordine non suscepto, violatio censuræ Canonicæ; ut si excommunicatus, suspensus ab Ordine, personaliter interdictus, vel in loco interdicto celebret, *cap.* 18. *de sent. excom. in* 6. De his omnibus jam suis titulis actum fuit. Hic,

18. Q. I. *Quis, & in quem irregularitatem ferre possit*? ℞. 1. Solus Papa statuere potest irregularitatem: ita com. nam inducere impedimenta ordinum, sicut & matrimoniorum, est unum ex gravioribus negotiis Sedi Apostolicæ, & juri communi reservatis. Unde generalis regula deducitur ex *c.* 18. *pr. de sent. excom. in* 6. nulla irregularitas incurritur, nisi id expressum sit in jure.

19. ℞. 2. Subjectum irregularitatis est mas baptizatus, & jurisdictioni Ecclesiæ subjectus. Unde 1. Non baptizati non incurrunt irregularitatem, sed jure divino ante susceptum baptismum incapaces sunt ordinis, ceu sacramenti. Si tamen post baptismum retineant aliquem defectum, v. g. vitium corporis, bigamiam, servitutem, statim fiunt irregulares. 2. Papa, cum juri suo non subsit quoad vim coactivam, & pœnas, nulli irregularitati subjici potest.

20. ℞. 3. In dubio juris, aut facti, an irregularitas incurratur, regulariter standum est pro libertate, quod non incurratur: nam per *cit. c.* 18. *de sent. excom. in* 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis; sed nullo jure exprimitur, quod quis in dubio juris, aut facti censendus sit irregularis, ergo: tum quia impedimentum certum, & de se grave non est asserendum, nisi in casu certo delicti, aut defectus; sed stante dubio juris, aut facti non est casus certus delicti, aut defectus, ergo: tum denique quia in dubio benignior interpretatio eligenda est *ex reg.* 30. *in* 6. Unde 1. Qui rationabiliter dubitat, an jus huic casui annectat irregularitatem (quod est dubium juris) judicare potest non subesse illam 2. Qui dubitat, an legitime natus sit, an mutilaverit, an excommunicationem incurrerit &c. quod est dubium facti, si adhibita sufficienti diligentia, veritatem deprehendere non potest, decidere poterit, se non esse irregularem. *Excipe* dubium *facti* in materia homicidii, dum corpus delicti est certum, & dubitatur, an ictus, quem quis inflixit, fuerit lethalis, an vero mors aliunde secuta fuerit, v. g. ex imperitia chirurgi, inordinata vita vulnerati &c. tunc enim percutiens gerere se debet pro irregulari ad effectum, ne sacrificium missæ celebrare possit, idque ob reverentiam hujus incruenti sacrificii, & agni mansuetissimi Christi Domini; ita com. ex *c.* 12. *&* 18. *de homicid.* ubi non consilium, sed præceptum poni communiter fatentur DD. At si dubium *facti* sit de ipso corpore delicti, puta an homicidium factum sit, an quis occisus fuerit? si post indagationem veritas non pateat, stari potest pro libertate, quod non sit factum homicidium; & conf. nec irregularitas contracta, quia id jure non est expressum, nec contentum sub *cit. c.* 12. *&* 18. *de homicid.*

21. ℞. 4. Ignorans, an alicui delicto annexa sit irregularitas, nihilominus committendo delictum, incurrit illam: ita teste Palao, com. sententia in praxi: *Prob.* 1. Inhabilitas legalis incurritur ab ignorantibus, ut patet in impedimentis ordinum, & matrimoniorum ortis ex defectu, vel delicto; sicut est impedimentum metus, criminis, raptus, affinitatis ex copula fornicaria; cum jura nullibi requirant scientiam ad incursionem talium inhabilitatum, & impedimentorum; sed irregularitas ex delicto est primo, & per se inhabilitas, quia scil. indecens est homines certis defectibus, & delictis notatos ad statum clericalem, & ordinum exercitium admitti; ergo irregularitas ex delicto incurritur ab ignorante. 2. Dato, quod irregularitas ex delicto sit primario pœna, tamen incurritur ab ignorante; tum quia ignorantia pœnæ vindicativæ nullo jure delinquentem excusat a tali pœna, alioquin clerici, & laici delinquentes immunes essent ab omnibus pœnis, quas ignorabant delicto esse annexas, quod non esse verum praxis quotidiana probat; tum quia voluntarie consentiens in culpam, virtualiter, & implicite consentit in omnem pœnam vindicativam tali delicto in hoc loco debitam, etsi per accidens ignoret, qua lege prohibeatur, & qua pœna puniatur delictum, ut patet in pœna æterna, adulterii, læsæ majestatis &c. siquidem volens causam, implicite etiam vult effectum, etsi hunc non prævideat; ergo talis pœna est delinquenti voluntaria, saltem indirecte, & in causa, quale voluntarium sufficit ad incursionem pœnæ; secus vix ullus maleficus juste puniri posset; quis enim quotus est, qui calleat jura pœnas statuentia? Unde si laicus occidat, vel mutilet hominem, dolo, vel culpa gravi, etsi ignoret legem, & pœnam irregularitatis, tamen sine dispensatione ad ordines non admittetur. Hic adde delictum, ex quo oritur irregularitas, debere esse *externum*, sive publicum, sive occultum; *consummatum*, & non mere attentatum: & *grave*, seu lethale, ut communior docet contra Cajet. Armill. & alios; quia irregularitas, sive sit pœna primario, sive inhabilitas, res tamen est gravissima; ac proinde non censetur oriri ex delicto, nisi hoc grave sit, & lethale.

22. Opposita sententia, quam tenent Sanch. Suar. Schmalz. & alii, est satis probabilis, & servire potest pro foro conscientiæ in casibus arduis, & desperatis ob hæc fundamenta: 1. Irregularitas ex delicto est impedimentum pœnale; sed pœna saltem extraordinaria ab ignorantibus non incurritur *arg. c. fin. de constit. in* 6. ergo. 2. Pœna lata in contumaces, & inobedientes non incurritur ab ignorantibus, ut patet in censuris, cum ignorantes legem, & pœnam non sint contumaces; sed irregularitas lata est in contumaces, & inobedientes legi Ecclesiasticæ; ergo. 3. Ut incurratur pœna, debet delinquens consentire in culpam, ut inductivam talis pœnæ; sed ignorans irregularitatem non consentit in culpam, ut inductivam irregularitatis; ergo. 4. Clerici incontinentes, quia ignorarunt legem, & pœnam Siricii, non deponuntur, sed arbitrarie puniuntur *Can.* 2. *d.* 82. ergo a pari. Ex qua sententia sequitur, quod

quod clericus, vel laicus occidens, mutilans, abortum fœtus animati procurans, censuram violans, aut in ordine non suscepto ministrans, non fiat irregularis, si legem Ecclesiæ, & pœnam irregularitatis delicto tali annexam ignoravit.

℞. *Ad* 1. Transf. maj. & neg. min. ex dictis, *c. fin. cit.* procedit de censuris ab Episcopo latis, quæ, cum sint pœnæ medicinales, & ad frangendam contumaciam inventæ, ab ignorantibus non incurruntur: secus est in pœnis vindicativis. Item si ignorantia juris excuset a peccato; ut si quis ignoraret legem Episcopi esse latam, etiam excusat a pœna; dummodo ignorantia sit probabilis: hic autem supponitur, quod quis omnino sciat se delictum committere, & per accidens ignoret pœnam; tunc enim sicut expresse consentit in peccatum, ut causam, ita implicite consentit in pœnam tali delicto in hoc loco debitam, ut effectum peccati. *Ad* 2. Pœnæ vindicativæ per se feruntur in delinquentes; medicinales vero in delinquentes cum contumacia, cum in toto jure non exprimatur, scientiam pœnæ prærequiri ad ejus incursionem, nisi casus sit specialis. *Ad* 3. Neg. maj. implicite enim consentit etiam in pœnam. *Ad* 4. In illo loco non viguit pœna depositionis; ergo nec imponi debuit: secus si præceptum Siricii ad eorum notitiam pervenit. Imo ex hoc Can. contrarium de irregularitate elicitur, quia clerici isti incontinentes prohibentur ascendere ad ordinem Superiorem, quia scil. non decet eos ordinari. Præterea hæc, & similia argumenta sponte corruunt, si dicatur irregularitatem non esse pœnam, nisi secundario, & in consequentiam; primario vero, & per se, ob causam indecentiæ, esse inhabilitatem.

23. Q. II. *Qui sint præcipui effectus irregularitatis?* ℞. Tres seqq. 1. *Inhabilitas ad Ordines* licite suscipiendos, vel exercendos; & quia prima tonsura est via, & dispositio ad ordines, qui impeditur ordines suscipere, etiam prima tonsura initiari nequit. Jam si irregularitas superveniat ordini suscepto, si quidem est ex delicto, ut homicidio, aut mutilatione, impedit quodcumque exercitium Ordinis, *c. fin. de temporibus ord. c.* 21. *de accus.* si vero est ex *defectu*, illud solum exercitium impedit, cui talis defectus, adversatur; ut si sacerdos pollicem, & indicem manus amittat, missam celebrare non poterit; bene vero alia ministeria ordinum exercere, ut confessiones audire, concionari &c. 2. *Inhabilitas ad recipienda beneficia*, ita ut collatio beneficii irregulari facta probabilius ipso jure sit nulla, *c. fin. de Cler. pugnant. in duell.* Trid. *S.* 14. *c.* 7. *de refor.* nam inhabilis ad ordinem, ejusque usum, etiam est inhabilis ad beneficium, quod ordinis usum requirit. Si tamen irregularitas sit partialis ex *defectu* ordini superveniens, non impedit validam, & licitam collationem beneficii; saltem si defectus non impediat usum ordinis in beneficiato requisiti, *arg. c.* 2. *de cler. ægrot.* 3. Irregularitas per se non privat beneficiis antea obtentis, donec delinquens per sententiam judicis condemnatoriam, vel criminis declaratoriam iis privetur, *c.* 5. *Ne clerici c.* 6. 7. *de Cleric. excom. ministr. c.* 10. *de excessib. prælat.* ubi ad talem privationem, ceu pœnam vindicativam, requiritur officium judicis: interim vero beneficiatus tenetur per alium administrare, donec dispensationem impetret: & si hanc non vult, vel non potest obtinere, tenetur dimittere beneficium: quia sine causa illud possideret. In casu necessitatis, scandali, infamiæ, & alterius gravis incommodi, quod sequeretur, si, v. g. parochus factus occulte irregularis, abstineret ab usu ordinum, non obstante irregularitate, potest exercere ordines, quatenus exercitium necessarium est ad mala ista præcavenda, donec celeriter sibi provideat de dispensatione: nam præceptum Ecclesiæ non obligat cum tam gravi incommodo. Si vero per Vicarium idoneum administratio fieri possit, nec timeantur mala ista secutura, parochus irregularis tenetur vices suas committere Vicario, cum nulla sit necessitas violandi præceptum Ecclesiæ.

Circa dispensationem in irregularitate servantur ea, quæ dixi tit. de homicid. a *num.* 48, & alia communia ceteris dispensationib. in jure com. faciendis.

☞ *Vide additiones meas hac par. II. pag.* 5. 6. *post n.* 50. & 51. ☜

24. Q. III. *Quos effectus habeat pœna privationis officiorum, & beneficiorum, & inhabilitas ad illa?*

℞. 1. Si privatio ipso jure est incursa, sequitur ex illa amissio tituli, seu juris in re, amissio fructuum a die commissi criminis, impotentia ad resignandum beneficium in favorem tertii, & vacatio beneficii ex delicto, non per mortem, etsi interim beneficiatus moriatur, *c.* 28. *de præb. in* 6. *Extrav.* 2. *de Sim. int. com.* At si privatio inducta est per sententiam condemnatoriam, effectus isti non incurruntur, nisi a tempore sententiæ latæ. 2. Effectus inhabilitatis ad officia, & beneficia præcipuus est, quod collatio inhabili facta, non teneat.

25. Q. IV. *Quid sit depositio, & quid juris circa illam?* ℞. 1. Depositio proprie dicta est pœna solis clericis statuta, qua clericus perpetuo removetur, vel totaliter a *beneficio, officio, & ordine*: vel partialiter a *beneficio*, vel *officio*, seu usu jurisdictionis, vel *ordine*, seu usu ordinis: & vocatur dispositio *simplex*, seu *verbalis*, & contradistinguitur depositioni solemni, seu degradationi. Differt depositio a *privatione beneficii*; quia illa, & non ista inducit inhabilitatem ad alia beneficia: a *suspensione totali*; quia ista non tollit titulum beneficii, & officii; bene vero depositio: licet suspensio totalis frequenter confundatur cum depositione.

26. ℞. 2. Depositio olim infligebatur etiam ob minora delicta *c.* 4. §. *de adulter. de judic.* hodie nonnisi ob enormia crimina, & valde scandalosa; uti est homicidium præmeditatum, furtum sacrilegum rei pretiosæ; fornicationes notoriæ post monitionem continuatæ &c. Sic depositus clericus retinet privilegium fori, & canonis, nisi & isto per sententiam privetur, *c.* 10. *de judic.* si vero ob adulterium, & minora delicta depositus est, peracta pœnitentia, poterit cum eo jam emendato Episcopus dispensare *cit. c.* 4. *de judic.* quia misero misericordia non est deneganda: neque hoc modo restituitur ei fama directe, sed indirecte, quod potestatem Episcopi non excedit, *arg. l.* 1. §. 10. *de postulat.*

27. Q. V. *Quid sit degradatio, & quid juris circa illam?* ℞. Degradatio est pœna Ecclesiastica, qua clericus solemniter, & authentice dejicitur ab ordine, & statu clericali. Est duplex: *verbalis*, seu *sententialis*, qua profertur solemnis sententia privans clericum statu clericali. *Realis*, seu *actualis*, qua clericus executive in forma Ecclesiæ dejicitur a statu clericali. *Verbalis* degradatio differt a *depositione*; quia a sententia depositionis immediate transiri nequit ad degradationem sine nova sententia degradationis; bene vero a degradatione verbali ad realum. Rursum degradatio *verbalis* differt a *reali*; quia *verbalis* fieri potest per Episcopum tantum confirmatum, exercite non tollit privilegium fori, & canonis, & verbaliter degradatum Episcopus restituere potest: e contra degradatio realis fieri debet ab Episcopo consecrato, cujus ordini est annexa ex præcepto Ecclesiæ, exercite privat privilegio fori, & canonis, & realiter degradatus a solo Papa restitui potest.

28. ℞. 2. Clericus ob nullum crimen, nisi jure expressum degradari potest: ita com. ex *c.* 10. *de judic.* ubi præscribitur ordo puniendi clerici; ut primo deponatur ab officio, & beneficio; deinde crescente contumacia, excommunicetur, & anathematis mucrone feriatur: tandem, si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra, quid faciat, seculari potestati tradatur puniendus. Ita procedendum est in casu incorrigibilitatis. Præter hunc incorrigibilitatis casum, dantur in jure com. 4. casus, in quibus clericus, non expectata incorrigibilitate, statim degradari potest: 1. Ob crimen *hæresis* præsertim cum reincidentia, *c.* 9. *de Hæret. & c.* 4. *eod. in* 6. 2. Ob *conspirationem* in proprium Episcopum, *Can.* 18. *si quis sacerdotum* 11. *qu.* 1. 3. Ob crimen *falsationis* Litterarum apostolicarum, *c.* 7. *de crimine fals.* 4. Ob crimen assassinii *c.* 1. *de homicid. in* 6. Extra corpus juris sunt tria crimina degradatione digna. *Sodomia* frequentata, Const. S. Pii V. incip. *Horrendum illud scelus. Celebratio missæ, & sacramentalis auditio confessionum* a non sacerdote exercita, Const. Clem. VIII. incip. *Et alias.* Et pro Italia observatur Const. Urban. VIII. incip. *In suprema* de clericis monetariis. Extra hos casus, si aliud enormissimum delictum a clerico perpetretur, recurri debet ad Sed. apostolicam pro licentia degradationis. Vide meas *resol. Can. tit. de judic. resol.* 1.

☞ *Est etiam solicitatio ad turpia in confessione sacramentali, si eam aggravent peculiares quædam circumstantiæ ex Const. Greg. XV.* Universi 30. *August.* 1622. *quamvis Cardinal Albitius tract. de Inconstan. in fide par.* 1. *cap.* 15. *asserat d. Constit. quoad hanc pœnam non fuisse usu receptam. Item furtum sacrilegum SS. Eucharistiæ, sive quis cum sacra pixide sive sine illa sacram Hostiam surripiat, & præsumat apud se retinere, aut alio transferre ex Constit. Innoc. XI. & Alexand. VIII. confirmatis a Benedicto XIV. Constitut.* Ab augustissimo 5. *Mart.* 1744. *Item abortus fœtus animati, sive quis eum procuraverit per se, sive per alium ex Const. Sixti V.* Effrænatam *juxta moderationem factam a Gregor. XIV. Const.* Sedes Apostolica: *cum Sixtus hanc pœnam extenderit etiam ad fœtum inanimatum.*

Ab aliquibus recensetur etiam inter crimina degradatione digna maleficium, seu sortilegium, ex quo unius, aut plurium mors sequuta comprobetur ex Const. Greg. XV. Omnipotentis 20. *Martii* 1623. *verum perperam, cum d. Const. non loquatur de degradatione, ut observat Card. Albit. loc. cit. c.* 32. *n.* 150. *Item polygamia cum quis nempe falsum professus nomen, & agnomen, uxore vivente, aliam duxerit ex Const. Urban. VIII.* Magnum 20. *Jun.* 1637. *sed neque in ista degradationis mentio ulla fit, ut animadvertit Bened. XIV. de synod. diœc. lib. IX. c. 6. n. 7. & seqq.* ☜

29. ℞. 2. Degradatio clericorum facienda est a proprio Episcopo; si vero clerici, & religiosi exempti sunt, a Papa *Can.* 5. 7. *caus.* 3. *q.* 6. Trid. *sess.* 13. *c.* 4. *de refor.* Plerique tamen prælati regg. habent privilegium degradandi suos religiosos. Compend. Privileg. Socier. Jesu *v. prælatus.*

30. ℞. 3. Forma degradationis verbalis de jure antiquo *Can.* 5. *& seqq.* 15. *q.* 7. *& c.* 2. *h. t. in* 6. in eo consistit, ut Episcopus coram 12. Episcopis, presbyter coram 6. diaconus, & subdiaconus coram 3. Episcopis: minorista vero coram Episcopo, & capitulo cathedrali sententialiter degradetur. At de jure novo Trid. *cit. S.* 13. *c.* 4. *de refor.* si tot Episcopi haberi nequeunt, sententialis degradatio, etiam presbyteri, fieri potest coram totidem Abbatibus usum mitræ, & baculi habentibus, Episcopo, vel ejus Vicario generali assistentibus: vel si nec hi commode interesse possunt, coram *aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant. ibid.* Porro assistentes isti in judicio degradationis habent votum decisivum; & probabilius sententia eorum debet esse concors, & non tantum a majori parte, *c.* 3. *de sent. & re jud.* nam factum *concorditer* opponitur facto a majori parte *c.* 30. *de elect.* maxime in hac materia criminali, ut non sit locus *arg. a sensu contr. ex Can.* 1. *siquis* 6. *q.* 4. Quia vero circa degradationem minoristarum non est tantus rigor juris, sufficit sententiam ferri ex voto majoris partis.

31. ℞. 4. Forma degradationis realis traditur in Pontificali rom. ut scil. fiat ab Episcopo consecrato proprio, vel alio consecrato deputato *c.* 2. *h. t. in* 6. & præsente judice seculari, clerico vestibus sacris induto, gradatim ipsæ vestes sacræ usque ad cottam inclusive auferantur; & deinde reus judici seculari tradatur cum seria protestatione, & intercessione pro reo, ut citra mortem puniatur, *c.* 27. *de V. S.* Si tamen talis intercessio omitteretur, Episcopus non fieret irregularis, cum id nullo jure caveatur, neque omissio intercessionis fit cooperatio ad necem.

32. ℞. 5. Judex secularis, extradito sibi reo, non potest cognoscere de valore degradationis, neque de crimine fori Ecclesiastici, uti est hæresis, simonia, sacrilega missæ celebratio &c. cum cognitio ista sit actus jurisdictionis spiritualis, qua laicus caret. At si crimina sint mixti fori, ut assassinium, sodomia, homicidium &c. si laicus non vult stare processu judicis Ecclesiastici, potest novum processum instituere, degradatum, si opus est, pro elicienda veritate torquere, & prout probationes suadebunt, reum vel condemnare ad mortem, vel ad pœnam aliam mitiorem; præsertim si princeps gratiam reo faciat.

§. III.

De Pœnis temporalibus utriusque fori.

Pœnæ propriæ fori civilis sunt: ultimum supplicium, & mutilatio, ad quas judex Ecclesiasticus condemnare nequit: secus efficitur irregularis, *c.* 5. *ne clerici.* Ceteræ pœnæ fere omnes sunt mixti fori, ut infamia, confiscatio bonorum, flagellatio, exilium &c.

33. Q. I. *Quid juris circa infamiam?* ℞. 1. Infamia est privatio bonæ famæ, & existimationis. Est duplex: *infamia facti*, quæ ex pravis moribus oritur, & per emendationem aboletur, *l.* 2. *C. de dignitat. Infamia juris*, quæ auctoritate juris ob turpe crimen infligitur, tribusque modis contrahitur: *ipso jure*, dum jus ante ullam sententiam aliquibus delictis annectit infamiam, ut crimini læsæ majest. hæresi, usuris, lenocinio &c. modo crimen sit notorium. *Sententia judicis*, dum judex ob certa delicta infamantia condemnat reum, ut de rapina, furto, calumnia, prævaricatione, de dolo in tutela, deposito &c. *Genere pœnæ*, dum quis ignominiæ causa ab officio amovetur, ut a militia, dignitate, vel condemnatur ad pœnam infamantem, ut deportationem, fustigationem &c. Delicta, & causas, ex quibus infamia nascitur, vide *tit. ff. de his, q. notant. infam. tit. C. ex quib. caus. infam. irrog. & Can.* 2. *infames. §. porro infam.* 3. *q.* 7. *& Can.* 17. *infam.* 6. *q.* 7.

34. ℞. 2. Pœna infamiæ juris facit reum irregularem, privat, & removet ab honoribus, dignitatibus, actibus legitimis, & officiis publicis, ut judicis, advocati &c. *c. fin. d.* 51. *c.* 2. *infames* 3. *q.* 7. & a nullo, nisi principe tolli potest, *Can.* 7. §. *hinc colligitur* 2. *q.* 3. *l.* 6. *C. ex quib. caus. infam. irrog.*

35. Q. II. *Quæ pœnæ, præter infamiam, a judice Ecclesiastico infligi possint?* ℞. 1. Pœna *pecuniaria*, non Episcopo, aut mensæ capitulari, aut officialibus Episcopi, sed piis locis applicanda, Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de refor.* & consuetudo in contrarium videtur esse corruptela, & bonis moribus adversa; quia intuitu pecuniæ avaritia fovetur, pœnæ efficaciores negliguntur, & emendatio seria non procuratur. Secus evenire solet, si juxta saluberrimum præceptum Trid. pœna delicto debita commutetur in eleemosynam piis locis & pauperibus distribuendam. 2. Pœna confiscationis bonorum *c.* 19. *de Hæret. in* 6. & quidem si bona sunt Ecclesiastica, applicantur Ecclesiæ; si patrimonialia, cedunt fisco Ecclesiastico: & alicubi fisco seculari, sicut alia bona secularia. 3. *Verberatio, & flagellatio* clericorum, attamen citra mortis, & mutilationis periculum, *Can. fin. d.* 35. Sed hæc pœna, uti & detrusio in arctum monasterium exolevit. 4. Carcer est frequens pœna clericorum, & Regularium, *c.* 3. *h. t. in* 6. cum enim Ecclesia non possit infligere pœnam mortis, utitur carcere pro malefactoribus, honesto tamen, lucido, & decenti pro personis sacris: de quo plura vide in mea *Epitome judic. sum.* §. 7. 5. *Exilium*, seu *relegatio*, quam infligere potest Episcopus pro sua diœcesi, & Archiepiscopus pro sua provincia *Can.* 8. *d.* 45. *& Can.* 13. *in fin.* 16. *q.* 5. quamvis autem Gloss. in *c.* 2. *in fin. de Cler. excom. v. regis judicio* sentiat ab Episcopo non posse imponi tale exilium, quod patriæ, ac civitatis juribus privat: id tamen non procedit, nisi respectu clerici degradati, de quo sermo est in *cit. c.* 2. alioquin Ecclesia non solum mediam, sed & maximam capitis diminutionem infligere potest, v. g. revocando clericum ingratum in servitutem, *c.* 3. *de serv. non ordin.* Pœnæ apud Regulares usitatæ, hauriendæ sunt ex statutis cujusque Ordinis.

36. Q. IV. *Quæ pœnæ sint in foro seculari?* ℞. 1. *Capitales*, quæ mortem naturalem, aut civilem inferunt; ut gladius, laqueus, rota, ignis, fissio in partes, submersio in aquis; & olim crucifixio *l.* 28. §. 15. *l.* 38. §. 1. *& seqq. ff. h. t.* Maxima capitis diminutio per servitutem, uti & media per amissionem civitatis, cui hodie æquivalet proscriptio, seu bannitio ex Imperio, aut regno, damnatio ad triremes. 2. Non capitales sunt inustio stigmatis, exoculatio, amputatio linguæ, manus, & aliorum membrorum, statio ad numellas, relegatio, confiscatio, multa pecuniaria, & aliæ plures, de quibus videri potest Carpzov. in Practic. crim. Carcer tamen de jure civ. non est proprie pœna *l.* 8.

§. 9. *ff. h. t.* ibi*: carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.* Idem statuitur *l. 6. C. eod & l. 5. C. de custod. reor.* Jura romana vide *tit. ff. & C. de pœnis.*

37. Q. V. *An hodie bona damnatorum publicentur?* ℟. Negative, sed relinquuntur descendentibus, vel ascendentibus ex *Nov.* 134. *c.* 13. *in fin.* & quidem usque ad tertium gradum; secus cedunt fisco ex Jure antiquo. Vide *tit. ff. & C. de bonis damnator.*

☞ *Ex Const. Bened. XIV.* Rerum humanarum 16. *Decemb.* 1746. *pro reformatione Tribunalium urbis, ab initio inquisitionis damnatorum facienda est descriptio bonorum eorumdem, tam mobilium quam immobilium, inserenda in processu, & Commissario Cameræ Apostol. intimanda, ut eadem Camera post eorum condemnationem repetere possit viatica aliasque expensas: qua descriptio, si neglecta fuerit in commissionibus tribunalis Vicarii, & Auditoris Cameræ, judices, & notarii nihil pro viaticis, & cibariis a d. Camera Apostolica repetere possunt.* ☜

38. Q. VI. *Qui sint interdicti, relegati, & deportati?* R. *Interdicti* sunt, quibus certus locus prohibetur: *relegati*, quibus integra provincia, vel regnum prohibetur*: deportati*, quibus præter relegationem insula, seu certus locus assignatur, e quo egredi eis non licet, *l. 7. pr. ff. de interdictis, & releg.* Deportatus patitur mediam capitis diminutionem; atque ita amittit civitatem, ejusque jura: libertatem tamen retinet, & consequenter acquirit sibi, licet moriens fiscum relinquat hæredem *l. 15. ff. eod.* Si interdictum violet suam pœnam, punitur relegatione: relegatus deportatione, & deportatus ultimo supplicio. Vide *cit. tit. ff. de interd. & releg.* ubi etiam *l.* 7. §. 20. reperies interdictum pœnale, seu quandam civilem irregularitatem, ne quis ad honores promoveatur.

39. Q. VII. *An sententiam passi restitui possint?* ℟. Possunt, sed a solo principe, qui non ligatur sententiis suorum inferiorum, *l. 7. & 10. C. de sententiam passis, & rest.* dummodo nullum sequatur præjudicium partis, *Can.* 10. *denique* 10. *q.* 5. Porro restitutio ista fieri potest duplici modo: 1. *imperfecte, & extra ordinem*, dum solus reditus in patriam conceditur *l. 2. & seqq. C. eod.* 2. *perfecte, & pleno jure*, dum a principe non tantum reditus in civitatem conceditur, sed omnia priora jura, bona, dignitates, honores, actiones, reales, non tamen personales, quæ censentur extinctæ per deportationem. Hac plena restitutione facta, redit patria potestas, testamentum deportatione irritum convalescit, non secus ac jure postliminii; ea tamen, quæ tempore intermedio a filio gesta sunt, rata manent, quia filiusfam. pro eo tempore censetur esse paterfam. seu homo sui juris *l. 1. §. fin. C. h. t.* Eadem proportionaliter observantur in foro Can. si Papa ex urgentissima causa clericum, aut religiosum plenissime restituat in omnia priora jura. Et hæc de restitutione gratiosa per viam indulgentiæ. Si vero restitutio fit justitiæ, quia innocens condemnatus est, v. g. ad deportationem, tunc prorsus omnia redintegranda sunt, etiam alienata, cum suis fructibus; quia in his initium vitiosum fuit, ob quod cetera non subsistunt. Cetera vide in textu *tit. ff. & C. de sententiam passis, & restitutis.* An cadavera punitorum manere possint insepulta, an vero tradenda sepulturæ Ecclesiasticæ, dixi *tit. de sepultur.* Vide *tit. ff. de cadaverib. punitor.*

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

Agitur de hac materia in Sexto, Clementin. & Extrav. com. *h. t.* in Decreto 33. *q. 2. & q.* 3. *in Tract. de pœnitentia per 7. distinct.* in Trid. *sess.* 14. *de sacram. pœnit. & sess.* 24. *c.* 8. *de refor.* Item Theologi fuse agunt de pœnitentia, ut est virtus, & ut est sacramentum, ad quos pro doctrina ista te remitto.

1. Post pœnas in foro externo, agitur hic de pœnitentiis in foro interno: & quia pœnitentiæ istæ solent quandoque relaxari, additur altera pars rubricæ de *Remissionibus.* Est autem pœnitentia satisfactio condigna pro peccatis imposita, vel *publica* pro peccatis manifestis *c. 1. h. t.* vel *privata* pro peccatis manifestis *c. 1. h. t.* vel *privata* pro peccatis occultis. Rursus publica est duplex*: solemnis*, quæ olim imponebatur ab Episcopo initio quadragesimæ pro delictis toti reipubl. noxiis, & scandalosis, ratione quorum pœnitentes fiebant infames, ut ordinari non potuerint, *c. 15. de privil. Can. 64. & seqq. d.* 50. *Non solemnis*, quæ etiam a presbytero imponi potuit pro delictis publicis, non tamen reipubl. ita noxiis, eamque peragentes non fiebant infames. *Remissio* hic est relaxatio pœnarum temporalium, quæ hodie fit per Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ per applicationem meritorum Christi, Sanctorum, *Extrav. 1. h. t. int. com.* Trid. *sess.* 25. *in decr. de Indulg.* Est autem Indulgentia varia: 1. Pro *vivis* per modum absolutionis: & pro *defunctis* per modum suffragii, seu solutionis. 2. *Personalis*, quæ directe datur personis: & *realis*, quæ dependenter a re aliqua, vel loco conceditur; ut si Indulgentia affixa sit Ecclesiæ, altari, numismati &c. 3. *Perpetua*, quæ semper durat, nisi revocetur: & *temporalis*, quæ ad certum tempus durat. 4. *Plenaria*, quæ totam pœnam peccatis debitam remittit: & *partialis*, quæ partem pœnæ remittit; vel indeterminate, ut tertiam partem; vel determinate, ut pœnam 10. annorum, 40. dierum &c. *Carena* est pœnitentia sustinenda per jejunium in pane, & aqua per 40. dies. *Quadragena* est pœna per quadragesimam sustineri solita. Quæ pœnitentiæ si relaxentur, dicitur indulgentia *carena*, vel *quadragena*, unius, vel plurium.

2. Q. I. *An confessio sacramentalis sit in præcepto?* ℟. 1. Affirmative, ut scil. omnis utriusque sexus fidelis in peccatum lapsus, saltem semel in anno confiteatur; & ad minus in Pascha Eucharistiam sumat: secus præcepta ista negligentes, vivi arcendi sunt ab ingressu Ecclesiæ, & mortui a sepultura Ecclesiastica: ita Innoc. III. in Conc. Later. relato *c. 12. omnis h. t.* ubi determinatur præceptum divinum, quo fidelis obligatur per confessionem se reconciliare Deo, & manducare Corpus Christi. Idem confirmat Trid. *sess.* 14. *c.* 5. *& Can.* 8. *de sacram. pœniten.* Non satisfit autem huic præcepto per sacrilegam confessionem, & communionem: & oppositam propos. *n.* 15. damnavit Innoc. XI. Neque ab ejus observantia excusantur peccatores publici, ut meretrices, usurarii &c. quod vero pœnæ executioni non dentur, id fit causa majoris mali evitandi.

☞ *Neque satisfacit, qui Eucharistiam sumit a Regularibus intra dies a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive: & his, non obstantibus ipsorum privilegiis, prohiberi potest, ne eam administrent secularibus personis in die Paschatis, licet hæ satisfecissent eidem præcepto in Ecclesia parochiali; non autem in aliis diebus intra dictum tempus interclusis, in quibus tamen Eucharistiam sumentes ab eisdem non satisfacerent præcepto, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relat. a Bened. XIV. de synod. diœc. lib. IX. cap. 6. n. 4. & 5. ac in Thes. resol. in Suessana 3. Decem.* 1735. *tom. 7. pag.* 161 *&* 18. ☜

3. ℟. 2. Mulieri, quæ ex adulterio prolem suscepit, vel alienum partum supposuit, si ex metu gravis mali nolit delictum manifestare, non est deneganda pœnitentia: ita decidit Innoc. III. *c. 9. h. t.* nam cum tanto periculo famæ, & vitæ mulier non tenetur damnum alienum, utpote minus, avertere; sicut fur, qui rem sine majori suo periculo restituere nequit, deobligatur a restitutione. Excipe, nisi uxor alias sit malæ famæ, de adulteriis graviter infamata; vel si ex non revelatione majus malum sequeretur, ut si hæreticus succedere deberet in regno &c. regulariter vero bonum vitæ, & famæ, cujus periculum uxori, & proli imminet, prævalet bonis fortunæ, utpote ordinis inferioris.

☞ *Ex bonis Constitutionibus Benedicti XIV.* Sacramentum pœnitentiæ 1. *Junii* 1741. *&* Apostolici muneris 3. *Februarii* 1745.

I. *Reservatur summo Pontifici facultas absolvendi calumniantes, vel per se ipsos, vel per alios, de solicitatione confessarios, excepto mortis articulo.*

II. *Sublata est ipso jure cuicumque confessario, etiam tempore Jubilæi, aut in vim Bullæ cruciatæ, sive alterius indulti, confessiones audienti jurisdictio absolvendi complicem in peccato contra sextum decalogi præceptum sub pœna excommunicationis Papæ reservata incurrenda, etiamsi complex reperiretur in mortis articulo; quando tamen absque illius infamia, vel scandalo,* & qui-

& quidem non confičto, haberi potest alius sacerdos, qui illius confessionem exciperet. Complex vero in hujusmodi articulo constitutus, etiamsi alius sacerdos haberi potuisset, & ob confessarii complicis malitiam adhibitus non fuisset, remaneret valide absolutus.

III. *Ex decreto Cong. sacræ Inquisitionis 5. August.* 1745. *coram eod. Benedict. XIV. & ab ipsomet confirmato, ac relato in appendice tom. 2. ejus Bullar. num. 8. confessarii tam seculares, quam regulares cujuscumque Ordinis, & Instituti* - Vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia solicitantes, vel sacrificio missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas *contra solicitantes, & sacrilegos jam alias statutas*, perpetuam etiam inhabilitatem *incurrunt* ad præfati sacrificii celebrationem - *Hæc tamen pœna non habet locum in casibus occultis.*

IV. *Ex Constitutionibus ejusdem Pontificis* - In suprema - & - Ubi primum - *editis pro regnis Portugalliæ, & Algarbiorum, deinde ad universum catholicum orbem extensis Constit.* - Ad eradicandum - *Peccat lethaliter confessarius exquirens nomen, & habitationem complicis, cum quo pœnitens peccatum perpetravit, etiam prætextu procurandæ illius correctionis, aliorumque bonorum colligendorum: multoque magis si deneget absolutionem, quando pœnitens ejusdem complicis nomen renuat revelare. Ob quod denegatæ absolutionis crimen ne dum suspensioni ab audiendis confessionibus decernitur subjiciendus, sed etiam Sacr. Inquisitioni intra terminum dierum in illius edictis præfigi solitum, & sub pœnis contra non denunciantes per eadem edicta infligi consuetis, denunciandus, & ab Inquisitoribus prout in causis fidei puniendus* - dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convenstitus, quæ sic agentem confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, *de expetendo nempe complicis nomine*, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant - *a quo tamen onere eximitur pœnitens in causa propria, nisi aliunde, quam ex propria confessione, novit dictum confessarium* - aliquo ex superius enumeratis, & S. Officio denunciandis modis deliquisse - *tunc enim, & ipse denuntiare teneretur.*

4. ℞. 3. Ægroti obligantur confiteri, & viaticum sumere: nam in periculo salutis constituti sunt; ideo omni meliori modo tenentur salutem suam assecurare: unde juxta *c.* 31. *h. t.* medicus non admonens ægrum de confessione, arcetur ab ingressu Ecclesiæ, donec competenter satisfaciat: & quidem ex Const. *S. Pii V. Super gregem* 1566. 8. *Martii*, ubi est usu recepta, si æger tertio die non confiteatur, medicus non debet eum visitare.

☞ *Hac de causa Romæ ex decreto Sac. Cong. Visitat. Apostol. jussu Urban. VIII. edito* 10. *Jul.* 1625. *præcipitur (ut alibi præcipi etiam solet) quibuscumque confessariis tam secularibus, quam regularibus, sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incurrendæ*, ut statim *in domo infirmi* fidem auditæ confessionis proprio parocho, & medico supervenientibus dimittere *teneantur. Et hic notandum, quod si confessarius ab Episcopo jam approbatus, sit secularis, infirmi confessionem audire nequeat sine licentia parochi ejusdem infirmi: si vero regularis sit, itidem ab Episcopo approbatus, satis sit, ut dictam tantum fidem relinquat ex decreto Cong. Conc.* 14. *Decemb.* 1658. *relato a Bened. XIV. lib. IX. de Synod. diœc. cap.* 17. *n.* 9. *quo decreto idem Pontifex refert ita temperatam fuisse synodalem Constitutionem cujusdam Episcopi adstringere volentis confessarios regulares ad parochi licentiam obtinendam.*

Imo, ubi piana Const. usu recipitur, non videtur æger totaliter a medico deserendus, si obstinate nolit confiteri, & sine gravi periculo deseri non possit, ne utraque morte pereat; quia convalescens resipiscere poterit. *Thesaur.* de pœnis verb. *Medicis* c. 1.

☞ *Circa medicos vide notata in summariis post c.* Cum infirmitas 13. *par. I. p.* 377.

An vero tenetur parochus Viaticum deferre illi, qui mane sanus Eucharistiam sumpsit, & eodem die in morbum periculosum incidit, est hinc inde opinio æque probabilis; ideoque idem Bened. lib. VII. tit. synod. cap. XI. numer. 2. *infert* - integrum esse parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit.

5. Q. II. *Quales pœnitentiæ hodie sint injungendæ?* ℞. 1. Solemnes pœnitentiæ hodie non sunt in usu; imo nec olim imponi poterant clericis, nisi depositis sine spe restitutionis *Can.* 2. *de pœnitent. dist.* 6. sed si peccata sunt publica, imponitur publica pænitentia; attamen moderno statui accommoda, *c.* 1. *h. t.* ut ita delinquentes emendentur, & alii eorum exemplo terreantur. Unde pœnitentiæ in canonibus pœnitentialibus dictatæ hodie non imponentur, sed aliæ arbitrariæ *c.* 8. *h. t.* licet sacerdos pœnitentibus aperire possit, quantam pœnitentiam secundum rigorem Ecclesiæ sustinere deberent: sic pœna 12. annorum pro occisore sacerdotis statuta *c.* 2. *h. t.* commutata est in excommunicationem, & irregularitatem ipso facto incurrendam. 2. Pœnitentia minor imponi potest, si eo die occurrat aliqua Indulgentia, præsertim plenaria; dummodo pœnitens ad eam lucrandam necessaria præstet.

6. Q. III. *Quis, cui, & ex qua causa concedere possit Indulgentiam?* ℞. I. Concedere Indulgentias plenissimo jure potest Papa, *Extrav.* 2. *h. t. int. com.* II. Episcopus, sed limitate secundum modum Conc. Later. *cap.* 14. *h. t.* in dedicatione Ecclesiæ potest concedere Indulgentiam unius anni, & in anniversario dedicationis, ac etiam in aliis casibus, & rationabilibus causis 40. dierum cit. cap. 14. Et quamvis plures Episcopi dedicarent eandem Ecclesiam, modum istum excedere non possunt *cap. fin. h. tit. in* 6. neque Archiepiscopus per provinciam suam Indulgentias concedens *c.* 15. *h. t.*

☞ *Quam facultatem, utpote jurisdictionis, & non Ordinis, delegare etiam possunt simplici clerico; non autem laico, Barbos. cum communi de offic. & potest Episc. alleg.* 88. *n.* 10.

III. Legati Sedis Apostolicæ, & S. R. E. Cardinales ex consuetudine in Ecclesiis suorum Titulorum 100. dierum Indulgentias concedere possunt. De reliquis prælatis nihil habetur, nisi quid speciale eis competeret ex privilegio.

☞ *Quamvis, sede Episcopali vacante, tota Episcopalis jurisdictio transeat in capitulum, & per hoc ad Vicarium capitularem; ac potestas concedendi Indulgentias pertineat, non ad Ordinem, sed ad jurisdictionem, non tamen sequitur Vicarium capitularem eas concedere posse, quidquid pro theoria in contrarium senserint DD. relati a Bened. XIV. de Synod. diœc. lib. II. cap.* 9. *num.* 7. *stante decreto Cong. Conc.* 13. *Novemb.* 1688. *ibidem relato: quo statuit, ut se in praxi ab his concedendis abstineret: & merito quidem, cum hæc potestas sit cujusdam extraordinariæ jurisdictionis soli dignitati Episcopi annexæ ex claro textu cap.* Accedentibus 12. *de excess. Prælat.*

Ex Constitut. Bened. XIV. Pia mater 5. *Apr.* 1747. *Episcopus, aliusque inferior prælatus, territorium separatum habens (servatis tamen ab hoc conditionibus in Bulla præscriptis) impertiri potest, vel per se, vel per alios sacerdotes, tam seculares, quam regulares benedictionem cum Indulgentia plenaria constitutis in mortis articulo, cum conditione, ut hi tamquam opere injuncto ad eam acquirendam, mortem libenter acceptent in spiritu resignationis ad divinam voluntatem: cum facultate insuper quoad Episcopos, eamdem impertiendi moniali moritura, secum comites adhibendo in ingressu confessarium ordinarium monasterii, aliumque sacerdotem ipsorum arbitrio eligendum: ac præterea si per se id præstare nequeant, subdelegandi ad dictum effectum præfatum confessarium. Hæc autem facultas ab Episcopis, dictisque inferioribus prælatis semel ab Apostolica Sede concessa, durat ad ipsorum usque obitum; & non ad triennium tantum, ut olim concedi consueverat. Ab Episcopis tamen auctoritate Papæ ad aliam cathedram translatis denuo obtineri debet.*

7. ℞. 2. Indulgentia datur subjecto capaci, scil. baptizato, non excommunicato, & subdito *c.* 4. *h. t.* ex parte cujus requiritur, ut impleat opera præscripta, & saltem ultimum opus conjungatur cum statu gratiæ. Intentio formalis non requiritur, sed sufficit habitualis, & interpretativa. Incipiunt autem Indulgentiæ pro aliqua

festi-

festivitate concessæ a primis vesperis, & durant usque ad occasum solis sequentis diei.

8. ℞. 3. Ad concedendum Indulgentias requiritur justa causa, secus invalida est concessio, S. Th. in supplem. *q.* 23. *ar.* 2. nam Papa non est dominus, sed dispensator thesauri Ecclesiæ: dispensator autem sine justa causa valide non dispensat, sed dissipat; & ideo Innoc. III. *c.* 4. *h. t.* reprobat Indulgentias *indiscretas, & superfluas*. Justæ causæ: exaltatio Ecclesiæ, extirpatio hæresum, conversio infidelium, reformatio morum, concordia principum christianorum, sunt, excitatio ad studium devotionis, remuneratio meritorum, & obsequiorum, &c.

9. Q. IV. *Quid sit jubilæum in lege nova?* ℞. 1. Est annus gratiæ visitantibus limina Apostolorum Petri, & Pauli concessus, cum plena peccatorum, & pœnæ pro his debitæ remissione, aliisque favoribus in bulla Jubilæi expressis, uti sunt: potestas absolvendi ab omnibus peccatis, & censuris Papæ, aut Episcopo reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, nisi exprimantur, præsertim hæresis: item facultas commutandi, & dispensandi vota, exceptis reservatis perpetuæ castitatis, & religionis, & triplicis peregrinationis, nisi aliud exprimatur &c. 2. Jubilæum olim concedebatur centesimo quoque anno, deinde L. hodie ex Con. Pauli II. anno XXV. seu intra 25. annos, *Extrav.* 1. 2. *h. t. int. com.* incipitque a primis vesperis Nativitat. Christi usque ad vesperas secundas ejus. festi anni sequentis: & toto illo tempore aliæ Indulg. vivorum suspenduntur; nisi aliud ex privilegio habeatur, vel Indulgentiæ vivorum a Papa commutentur in Indulgent. mortuorum. 3. Ad lucrandum Jubil. præstanda sunt opera in Bulla præscripta, intra tempus ibid. assignatum; estque securius eadem septimana omnia opera præstare. Plura de Jubilæo vide in Salmant. Gobat.

☞ *Et novissime insignem tract. de Jubil. P. Theodori a Spiritu Sancto Carmelitæ excalc. clarissimi mei Collegæ.* ☜

10. Q. V. *Quid dicendum de Indulgentia pro defunctis, Altaribus privilegiatis affixa?* ℞. 1. Applicare Indulgentiam defuncto per modum suffragii est designare unum defunctum, cui Papa tribuat ex thesauro Ecclesiæ satisfactionem Deo pro illius peccatis offerendam. II. Ut applicatio ista, & Indulgentia sit secura, observandæ sunt conditiones in privilegio expressæ, scil. ut altare sit designatum, & simile in eadem Ecclesia non habeatur; licet non obstet, quod habeatur altare alio modo privilegiatum, v. g. unum pro quibuscumque fidelibus, alterum speciale pro fratribus certæ Congregationis ex decret. S. Cong. Indulgent. 13. Jun. 1676. & confirmato ab Innocent. XI. 16. Martii 1677. & in isto altari die designata sacerdos missam legat: & quidem de *requiem*, si dies non sit impedita festo duplici; alioquin sufficiet legere missam de Sancto, ex Const. ejusdem alias 4. Maii 1688. III. Illa conditio *dummodo in ea Ecclesia septem* (vel quot exprimuntur) *Missæ quotidie celebrentur*, tutissime intelligitur de singulis anni diebus, exceptis tribus ultimis feriis majoris hebdomadæ: multi tamen DD. quibus adhæret Gobat, censent conditionem, & clausulam istam esse civiliter intelligendam; puta ut regulariter, & de ordinario tot missæ celebrentur, licet per accidens ratione morbi, aut alterius impedimenti uno, vel altero die numerus iste missarum non expleatur: nam clausula: *dummodo celebrentur*, idem significat, ac verba ista: *dummodo soleant celebrari.*

☞ *Circa hanc quæstionem omnem dubitandi locum sustulerunt responsa Cong. Concil. ex mandato Clem. XI. ad sequentia dubia* 30. *Julii* 1701.

I. An absentibus religiosis, ex causa prædicationis tempore Quadragesimæ, & Adventus, vel quando occasione festivitatum, vel funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiæ concessæ cum certo numero missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potius remaneant in suo robore.

II. An idem sit statuendum, deficiente præfixo numero missarum ob infirmitatem sacerdotum, tam regularium, quam secularium.

III. An pariter idem sit statuendum, deficiente prædicto numero missarum ob absentiam ab Ecclesiis secularibus canonicorum, & sacerdotum per aliquot dies, & menses.

Ad primum, quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadragesimæ remanere suspensas, non autem in reliquis; dummodo raro contingat.

Ad secundum remanere suspensas.

Ad tertium provisum in primo.

Tempore Jubilæi Indulgentiæ Altaris, & aliæ quælibet pro defunctis concessæ non suspenduntur ex decreto sac. Cong. Indulgentiarum 24. Jan. 1700.

Altare privilegiatum quotidianum in perpetuum concessum est omnibus Ecclesiis patriarcalibus, metripolitanis, & cathedralibus a Benedicto XIII. Constitut. Omnium saluti 20. *Julii* 1724. *Circa communicationem Altaris privilegiati, vide dicta hac par. II. p.* 581. *post n.* 29. ☜

IV. His, aliisque necessariis observatis, sequitur effectus Indulgentiæ plenariæ, scil. liberatio animæ e purgatorio: quamvis multi graves Theologi dicant effectum istum non esse infallibilem sicut infallibile est, sacrificium missæ omnino prodesse animabus in purgatorio. Ex hac, aliisque causis pium, & laudabile est pro eadem anima pluries sacrificare ad altare privilegiatum: & generaliter juxta Decreta Clementina, & Innocentiana, tot missæ celebrandæ sunt, quot oblata fuerunt stipendia. Per hoc tamen non intendo reprobare illam sententiam, quam docent magni TT. Cajet. Can. Sot. Viguer. & sequitur Vasquez. *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 231. *cap.* 2. *& seqq.* quod unum missæ sacrificium oblatum, v. g. pro 100. animabus, tam multum prosit singulis, quam si pro una sola ex illis 100. offerretur; dummodo tot missæ celebrentur, quot ab offerente eleemosynam præscriptæ fuerint.

11. Q. VI. *Quid sentiendum de Indulgentiis realibus, quæ Crucibus, coronis, numismatis, &, ut vocant, medalliis: affixæ sunt?* ℞. 1. Qui tale medallium habet, lucratur in festis Domini, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis B. V. M. in natalitiis Apostolorum, in festo S. Josephi, S. Joan. Baptistæ nati, & SS. Omnium Indulgentias plenarias; dummodo confessus, & S. Eucharistia refectus consuetas preces persolvat 7. vel 5. *Pater, & Ave* aliasque in Decreto Clem. XI. & Innoc. XIII. expressas: & quamvis formulam harum Indulgentiarum a dicto Innoc. XIII. in unam formam reductarum præ manibus habeam, impressam typis reverendæ Cameræ apostolicæ; tamen, quia prohibet Sanctitas sua hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem, huic præcepto parere malo, quam formulam istam hic annectere. 2. Circa intentiones, seu ut vocant benedictiones, v. g. dum Papa dat alicui mille Indulgentias inter alios distribuendas, sublata videntur plurima DD. dubia circa applicationem, & delegationem potestatis, de quibus agit Pasqualigus Gobat *Oper. Moral. tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 4. *cap.* 11. *& par.* 2. *c.* 27. *numer.* 678. ubi priorem doctrinam revocat propter decretum Alexandr. VII. nam in fine formulæ Innocentianæ jubetur observari decretum Alex. VII. incip. *SS. Dominus noster* 6. *Feb.* 1657. quo statuitur, ut medalliæ Indulgentiis donatæ, *non transeant personam illorum, quibus a Sanctitate sua concessæ sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur.* Et quamvis expresse nec in Decreto Alexandri, nec in formula Innocentii sermo sit de intentionibus, seu potestate applicandi Indulgentias certis numismatibus, tamen sapientissimi quique viri conformiter stylo Curiæ romanæ, decretum istud intelligunt de memoratis intentionibus, quæ ex fine suo censentur comprehendi sub medalliis, ut omnino idem sit de illis sentiendum. Ac primo quidem qui pro se a Papa accepit crucem, vel medallium cum Indulgentiis, nequit hoc medallium cum istis Indulgentiis transferre in alterum. *Secundo* qui plura medallia accepit inter alios distribuenda, his tantum, quibus distribuit, prosunt, & eorum personam non egrediuntur. *Tertio* qui accepit intentiones mille, vi quarum affigere possit Indulgentias mille numismatis, per se Indulgentias istas applicare debet, neque potestatem istam subdelegare poterit; quia potestas ista, sicut in medallis, personam dantis, & accipientis non egreditur; & conf. si non ipse,

sed alius id faciat, tertius, qui numismata accipit, nullas indulgentias habet. Hæc doctrina, utpote securior in praxi, tenenda est; & ideo cit. P. Gobat dicit se non voluisse accipere intentiones a Patribus romipetis, qui multa millia intentionum a Papa acceperunt. *Dices*: Accipi, v. g. a quodam amico Romæ existente mille numismata cum Indulgentiis, mihi sufficit unum, quid cum ceteris faciam? si aliis dedero, nihil ago, quia adversatur Decretum Alex. & Innoc. ergo tot numismata frustra mihi mittuntur. Similiter accepi mille intentiones; ego pauper religiosus, mille cruces, aut medallia non habeo, ut eis Indulgentias affigam, quid cum residuis agam? ℞. 1. Si numismata petita sunt nomine meo, censentur mihi immediate a Papa data; & conf. tuto ea distribuere possum inter alios; quia hæc potestas mihi data est a Papa: hi vero, quibus dedero, ulterius dare non possunt. At si amicus ille nomine suo numismata accepit, etsi mihi mille mittat, personam meam non agrediuntur, ut statuitur in *cit. Decret.* Hoc tamen verum esse judico, quod, si ego, ut nudus minister, & exequtor; numismata ista accipiam, & nomine illius, qui immediate a Papa accepit, ea aliis distribuam, omnino cum numismate Indulgentiæ transeant ad accipientem. Idem dicendum erit de intentionibus, si ego, ut purum instrumentum nomine alterius, qui a Papa accepit, Indulgentias medalliis applicavero: licet, ut dixi, multo securius sit, ut quis Romæ nomine meo intentiones, vel medallia a Papa petat; quia tunc nullum est periculum deceptionis. Plura de his leges in P. Gobat *l.c. part. 2. c. 12. & seqq.* in altera editione.

☞ *Datur hic formula Indulgentiarum, de qua supra, juxta novissimam concessionem Benedict. XIV. ex originali transcripta, asservato in secretaria Sac. Congregat. sacrarum Indulgentiarum.*

FORMULA INDULGENTIARUM

Quas BENEDICTUS PP. XIV. concedit Coronis, Rosariis, Crucibus, parvisque Imaginibus, seu Numismatibus, ex auro, aut argento, aliove metallo confectis, Medalliis vulgo nuncupatis.

Quicumque saltem semel in hebdomada, Coronam Domini, vel Beatissimæ Virginis, aut Rosarium, ejusve tertiam partem, aut Officium, vel Divinum, vel parvum Beatissimæ Virginis, vel Defunctorum, aut Septem Psalmos Pœnitentiales, vel Graduales, recitare, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis ægrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam, vel audire, vel si est sacerdos, celebrare consuevit, si vere pœnitens, & sacerdoti per Ordinarium approbato confessus, Eucharistiæ Sanctissimum Sacramentum acceperit, in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum die Festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis Christi, & die Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Beatissimæ Virginis; tum Festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Matthiæ, atque omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro hæresum, atque schismatum extirpatione, Fidei catholicæ propagatione, pace, & Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, plenariam suorum peccatorum remissionem, & Indulgentiam consequatur.

Qui eadem aliis Festis Domini, aut Beatæ Virginis, peregerit, in quolibet eorum percipiet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum. Qui vero quavis Dominica, vel alio anni Festo, Indulgentiam quinque annorum, & totidem quadragenarum: qui demum, alio anni die, Indulgentiam centum dierum.

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem (juxta instructionem Sanctissimi Dom. Nostri BENEDICTI XIV. in ejus Bulla diei 5. Aprilis 1747. incip. *Pia mater* expressam) æquo, ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, & vere pœnitens, confessus, & sacra communione refectus, si potuerit, alioquin contritus, nomen Jesu ore, si pariter potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & Indulgentiam consequatur.

Quicumque in celebranda missa, vel sumenda Eucharistia, aut officio divino, vel parvo Beatæ Virginis recitando, priusquam incipiat, devotam aliquam præparationem adhibuerit, quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice percipiet.

Qui detentos in carcere, aut ægrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut doctrinam christianam in Ecclesia, vel domi filios, aut propinquos, aut famulos docuerit, toties Indulgentiam 200. dierum consequetur.

Quicumque saltem semel in hebdomada, recitare consuevit Coronam, aut Rosarium, aut Officium Beatæ Virginis, vel Defunctorum, aut vesperas, unumque saltem ex nocturnis, & laudes, aut septem Psalmos Pœnitentiales, & Litanias, eorumque preces, quo die id fecerit, præter Indulgentias a S. Pio concessas, Indulgentias centum dierum percipiet.

Qui ad pulsum campanæ alicujus Ecclesiæ, mane, aut meridie, aut vesperi, consuetas preces, Angelus Domini &c. dicet, vel, si eas ignoret, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam; vel dato signo orandi pro Defunctis, Psalmum De profundis, aut, si hunc nesciat, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit, eandem Indulgentiam adipiscetur.

Eandem pariter consequetur, qui feria sexta devote cogitaverit de Passione, ac morte Jesu Christi, terque Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit.

Quisquis vere pœnitens peccata commissa emendare firmiter proposuerit, conscientiamque suam excusserit, ter Oratione Dominica, & Angelica Salutatione devote repetita, vel in honorem Sanctissimæ Trinitatis easdem preces ter, aut ob reverentiam quinque vulnerum Jesu Christi quinquies devote recitaverit, Indulgentiam dierum centum lucrabitur.

Qui pro Christifidelibus ægrotis in exitu vitæ constitutis pie Deum orabit, vel saltem pro ipsis Orationem dominicam, & Salutationem Angelicam semel dicet, ea die quinquaginta dierum Indulgentiam consequetur.

Habentes in cubiculo, vel quovis alio loco decenti domus, ubi erunt, Crucifixi signum, Crucem, aliamve sacram Imaginem a Sanctitate Sua benedictam, si coram illa præscriptis precibus recitatis, cetera, quæ supradicta sunt, adimpleverint, easdem Indulgentias, quisque pro ratione precum, operumque impletorum adipiscentur.

Quilibet omnes supradictas Indulgentias memoratis diebus, aut ipse adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare potest.

Imagines autem sint, ut vult Sanctitas Sua, non chartaceæ, sed ex auro confectæ, aut ex argento, aliove metallo, quæ Sanctos repræsentent, vel canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

In distribuendis hujusmodi Coronis, Crucibus &c. eorumque usu Sanctissimus servari jubet decretum fel. rec. Alexandrii VII. editum sub die 6. Februarii 1657. nimirum, ut Coronæ, Cruces, Rosaria, Numismata, quæ vulgo medalliæ nuncupantur, & sacræ Imagines cum præfatis Indulgentiis benedictæ non transeant personam illorum, quibus a Sanctitate Sua concessæ sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur: neque commodari, aut precario dari possunt; alioquin careant Indulgentiis jam concessis: & aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea subrogari altera nullo modo possit, quacumque concessione, aut privilegio in contrarium non obstante.

Item Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. per suum decretum diei 19. Augusti 1752. expresse declarat missas ad altare, in quo aliqua ex præfatis, sive Crucifixi, sive numismatum Imago quomodocumque collocata fuerit, lectas, sive a Sacerdote hujusmodi Imaginem secum habente celebratas, nullo prorsus vigore dictæ Imaginis gaudere privilegio.

Insuper vetat, ne quisquam, quem infirmis morti proximis assistere contigerit, benedictionem cum Indulgentia plenaria in articulo mortis virtute ejusmodi Imaginis illis impertiri audeat sine speciali facultate

in

in scriptis obtenta; cum ad hujusmodi effectum ab eadem Sanctitate Sua per supra enunciatam Constitutionem die 5. April. 1747. incip. *Pia mater* satis provisum fuit.

Prohibet Sanctitas Sua hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem.

Antonius Maria Erba Protonotarius Apostolicus, & Secretarius.

12. Q. VII. *An Regulares lucrentur in suis Ecclesiis Indulgentias Stationum urbis?* ℟. Affirmative; sed tantum pro illis diebus Stationum, qui in Missali Romano sunt descripti: ita declarat Innoc. XI. in Decreto Sac. Congreg. incip. *Delata* 1678. *die 7. Martii;* ex cujus §. *fin.* emendabis Scriptores has Indulgentias ampliantes ad singulos dies. Quo non obstante, Regulares excitandi sunt, ut in suis Ecclesiis quotidie pro lucrandis Indulgentiis consuetas preces persolvant 7. vel 5. *Pater, & Ave*, vel 6. *cum totidem Gloria Patri &c.* quia singulis diebus per pia ista opera ex immenso Indulgentiarum thesauro aliquid lucrari possunt; præsertim ex Indulgentiis Regularium, quæ fere omnibus aliis Regularibus communicantur. Indulgentias plenarias Statutionum Urbis lucrantur etiam seculares in Ecclesiis Regularium, sed cum conditione confessionis, & communionis, ut ex Mari magno ab Innoc. VIII. servis B. M. V. concesso; & contrarium, quod docuit Gobat, revocavit. Hoc privilegium notent confessarii, & peccatores, præsertim graviores, hortentur ad lucrandum has Indulgentias diebus Stationum Urbis in Missali descriptis. Præterea Regulares habent Indulgentiam plenariam in die assumpti habitus, professionis, dum primam missam celebrant, vel confessi, & communione refecti ei intersunt, dum vacant exercitiis spiritualibus per decem dies; & plures alias ex Const. 21. Pauli V. *Romanus Pontifex* 1606. *die* 23. *Martii:* quæ Indulgentiæ substitutæ sunt in locum abrogatarum. Innoc. XII. Const. incip. *Ad ea, per quæ*, concedit Clericis Scholarum Piar. omnibusque utriusque fexus, alicui sodalitati, aut confraternitati in eorum Ecclesiis erectæ, vel imposterum erigendæ adscriptis, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice 100. dierum: qui per duos quadrantes continuos septem annorum Indulgentias: iis vero, qui devotioni hujusmodi vacaverint per duos, vel unum quadrantem horæ singulis diebus, facta confessione, & communione, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum remissionem, quam per modum suffragii animabus purgatorii applicari possint.

13. Q. VIII. *Quid speciale habeant Indulgentiæ Portiunculæ?* ℟. 1. Indulgentia Portiunculæ ad petitionem S. Francisci Seraphici concessa est immediate, & directe a Christo pro Ecclesia B. V. Angelorum prope Assisium 2. *Augusti*, quo die celebratur dedicatio ejusdem Ecclesiæ; ut proinde non sint audiendi dicentes, S. Franciscum a Christo Domino jussum fuisse, eam petere a Rom. Pontifice. 2. Ista Indulgentia extenditur favore, & privilegio Rom. Pontificum ad omnes Ecclesias, & oratoria Ordinis S. Francisci utriusque sexus, virorum, & Monialium, & Tertiariorum. 3. Ad lucrandum has Indulgentias in Ecclesia Assisinate B. V. Angelorum, sufficit confessio, & consuetæ preces: in aliis vero Ecclesiis requiritur insuper communio, ut patet ex Bullis pontificiis. 4. Indulgentia ista applicari potest non solum defunctis, sed etiam aliis vivis, quorum nomine aliquis peragit illa pia opera, quæ ad Indulgentiam Portiunculæ requiruntur. 5. Dum tempore Jubilæi aliæ Indulgentiæ suspenduntur, Indulgentiæ Portiunculæ in Ecclesia Angelorum non censentur suspendi: quo privilegio donari solent etiam aliæ Ecclesiæ Minorum. 6. Juxta Rodriq. Religiosi S. Dominici, & conf. alii in privilegiis communicantes lucrari possunt in suis Ecclesiis Indulgentiam Portiunculæ: sed hoc minus certum est; quia videtur hoc privilegium non usu abolitum, vel non firmiter introductum fuisse: securius proinde erit visitare Ecclesiam Minorum. 7. Volunt nonnulli in festo Portiunculæ confessariis, saltem de Ordine S. Francisci, competere facultatem absolvendi a reservatis, quod tamen negat Rodriq. item dispensandi, & commutandi vota, quod admitto ob alia privilegia Regularium, exceptis tamen Papæ reservatis: item faciendi compositionem super ablatis incertis, aut illicito modo extortis. 8. Volunt pariter aliqui, quod fideles, quoties in die Portiunculæ devote visitant Ecclesiam Angelorum, toties lucrari possint Indulgentias, atque ita aliam, & aliam animam liberare a purgatorio. Sed hoc rejicit Quintanadvennas, cum id nullo privilegio concessum reperiatur, præsertim in aliis Ecclesiis Minorum: ita hæc, & plura alia erudite scribit P. Mohr strictioris Observantiæ S. Francisci in Opuscul. intitulato: *Portiuncula theologica.* Quamvis autem nihil ex his reprobem; conjicio tamen ex variis Scriptoribus aliqua reduci in dubium, ut: *potestatem absolvendi a reservatis, faciendi compositiones super ablatis, lucrandi Indulgentiam toties, quoties quis per diem 2. Augusti visitat Ecclesiam Minorum*, sicut alicubi faciunt fideles per unam portam egrediendo, & per alteram rursum intrando Ecclesiam: *lucrandi Indulgentias per aliam personam interpositam*: cum super his, utpote singularibus, & exorbitantibus speciale privilegium Sedis apostolicæ exhiberi deberet. Hoc dubio non obstante, fideles excitandi sunt, ut sæpius Ecclesiam Minorum intrent, & consuetas preces persolvant; quia fieri potest, ut, si una, vel altera vice Indulgentiam non obtineant, saltem frequentatis vicibus ad eam obtinendam, melius se disponant; cum ex revelationibus fide dignis constet difficillimum esse plenarias Indulgentias lucrari.

☞ *Circa III. dubium, rejectis Scriptorum opinionibus, hodie nihil certi statui potest, donec a S. Sede declaratum fuerit; etenim propositis Congregation. Indulgentiarum dubiis.* At eandem Indulgentiam (*Portiunculæ*) quis consequi valeat, quoties aliquam ex dictis Ecclesiis (*Ordinis S. Francisci*) dicta die (2. *Augusti*) visitet, aut circumeat, & An præfata Indulgentia toties acquiri possit, quod diversæ Ordinis Ecclesiæ eadem die visitent. 20. *Sept.* 1745. *rescripsit*- Audiantur Procuratores generales Ord. S. Franc. tam Conventualium, quam de Observantia, & exhibeant documenta concessionum: *nec ulla usque ad hunc diem documentorum exhibitio facta fuit*

Plura de Indulgentiis vide in Bellarmino, & præ ceteris in P. Gobat, non solum scientia, sed & humilitate insigni, qui *Tract.* 4. *de thesauro Indulgent.* multa emendavit in posteriori editione; quæ, cum sint facti, etiam prudentissimum, & sapientissimum fallere poterant juxta Neratium *l.* 2. *ff. de J. & F. Ignor.*

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis.

Agitur de hac materia in Sexto, Clem. Extravag. Joann. XXII. Extravag. com. *h. t.* In Decreto 9. *q.* 1. & 11. *q.* 3. & 24. *q.* 1. 2. 3. In Trident. *sess.* 14. *c.* 1. & *sess.* 22. *c.* 11. *de reform.* & *sess.* 24. *cap.* 9. *de reform. matr.* & *sess.* 25. *c.* 12. & 18. *de Regg.* &c. 19. *de reform.*

1. Hæc Rubrica, utpote nigro strictior, amplianda est ad sententiam suspensionis, & interdicti, sicut *in* 6. *hoc tit.* ita ut sub ea contineantur omnes pœnæ medicinales ab Ecclesia præscriptæ. Agetur hic 1. de censuris in genere 2. de singulis in specie 3. cessatione a Divinis.

§. I.

De Censuris in genere.

2. *Nota* 1. Censuram a *censendo*, seu corrigendo dictam, in jure Can. definiri, quod sit pœna medicinalis homini baptizato delinquenti, & contumaci inflicta, privans illum usu quorundam bonorum spiritualium: ita in re com. *Dicitur* 1. *medicinalis*, quia *censura* per se, & primario ordinatur ad correctionem, & sanationem delinquentis, & tantum secundario ad punitionem. *Dicitur* 2. *contumaci*, quia censura ex natura sua fertur ad frangendam contumaciam, seu inobedientiam illius, qui scienter contra legem ecclesiasticam peccat: & ideo ab ignorantibus non incurritur *cap. fin. de constit. in* 6. *Dicitur* 3. *quorundam bonorum spiritualium*, quia censura primario privat bonis spiritualibus; non quidem internis, quæ potestati Ecclesiæ non subjiciuntur, uti gratia, fides &c. sed ex-

ternis,

ternis, puta actionibus, & cæremoniis spiritualibus, ut sacramentis, sacrificio &c. & secundario bonis quibusdam temporalibus, ut convictu, & communicatione cum aliis, ut infra dicetur de effectu cujusque censuræ.

3. *Nota* 2. Censuram dividi: 1. In *Latam a jure*, quæ a sac. Canonibus exprimitur, *& latam ab homine*, quæ ex arbitrio judicis ecclesiastici infligitur. 2. In censuram *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur a delinquente absque ullo ministerio judicis; & *sententiæ ferendæ*, quæ, licet a jure statuta sit, non tamen prius incurritur, nisi per sententiam condemnatoriam a judice prolatam. Agnoscitur censura latæ sententiæ ex verbis indicativi modi: *excommunicamus*, *suspendimus*, *qui secus egerit*, *noverit se excommunicatum*, *vel ipso jure*, *& facto excommunicationem incurrat &c. Ferendæ* vero *sententiæ* ex verbis futuri temporis, & modi imperativi, quæ plerumque significant aliquid ministerio judicis infligendum, v. gr. excommunicabitur, suspendatur, prohibemus sub interdicto, vel sub pœna excommunicationis &c. 3. In *validam*, quæ nullo substantiali defectu laborat; & *invalidam*, quæ aliquo substantiali defectu laborat: item in *justam*, *& injustam*. 4. Tres species sunt censuræ: *Excommunicatio*, *suspensio*, *& interdictum c.* 20. *de V. S.* Unde inter censuras non ponuntur: *cessatio a divinis*, *irregularitas*, *depositio*, *& degradatio*. Quæretur hic de causis censurarum, earumque absolutione.

4. Q. I. *An*, *& quis possit censuras ferre*? ℞. 1. Ecclesia, seu prælati Ecclesiæ possunt censuras ferre: ita Cathol. ex generali potestate a Christo data *Matth.* 16. *&* 18. qua potestate usi sunt Apostoli, sicut S. Petrus excommunicando Simonem Magum *Actor.* 8. *v.* 12. S. Paulus excommunicando incestuosum Corinthium 1. *Cor.* 5. Hyrenæum, & Alexandrum *Timoth.* 12. *v.* 20. probatque usus continuus Ecclesiæ, & Conciliorum, ubi anathematismi, & aliæ censuræ exprimuntur. *Ratio* etiam est; quia sicut in omni republica, ita maxime in Ecclesia necessaria est potestas separandi membra noxia a corpore, vel iis subtrahendi certa officia, & functiones; ergo illam Christus dedit Ecclesiæ, tunc scilicet, dum Apostolis, eorumque in clero Successoribus dedit potestatem clavium ligandi, & solvendi. Hinc ex communi DD. potestas censurandi exigit in subjecto, ut sit mas, baptizatus, ad statum clericalem elevatus, & viator, uti erant Apostoli.

5. ℞. 2. Potestas censurandi jure, & officio ordinario competit; 1. Papæ jure divino pro tota Ecclesia. 2. Episcopis, & Archiepiscopis, eorumque Vicariis generalibus, & capitulo, sede vacante, pro suis diœcesibus. 3. Cardinalibus in Ecclesiis suorum titulorum, Legatis Sedis apostolicæ in provincia suæ legationis. 4. Prælatis tam secularibus, quam regularibus jurisdictionem in foro externo contentiosam habentibus: ita hæc omnia patent ex dictis in *tit. de Off. Ordin.* 5. Parochus non habet potestatem ferendi censuras: nam hæc potestas exigit jurisdictionem contentiosam in foro externo *c.* 1. *h. t. in* 6. qua parochus caret: & ideo excommunicatio contra fures ab Episcopo ferenda est, Trid. *Sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* nisi parochus ex privilegio apostolico, vel legitima consuetudine, aut præscriptione, quæ privilegio æquivalet, jus censurandi acquisivisset: hoc sensu explicari solet *Can.* 11. *nemo* 2. *q.* 5. *& c.* 2. 3. *de off. ordinar. in* 6. Ex delegatione quilibet clericus etiam primæ tonsuræ, potestatem censurandi acquirere potest: cum ista potestas sit delegabilis. Item ex præscriptione legitima, dummodo præscribens sit clericus, atque ita capax possidendi jus spirituale: secus præscriptio non procedit ex *reg.* 3. *in* 6. Superest dubium de laico, & fœmina.

6. ℞. 3. Laicus privilegio apostolico habilitari potest ad ferendam censuram: ita com. contra paucos: nam laicus privilegio apostolico habilitari potest ad jura, & actus spirituales a potestate Ordinis non pendentes; ut ad præsentandum, eligendumve ad beneficia; ad judicandum causas spirituales, clericosque examinandos juxta Trid. *Sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* ergo etiam ad ferendam censuram, cum & ista non dependeat ab Ordine: tum quia Papa defectum tonsuræ clericalis supplere potest; cum tonsura sit juris humani; ergo nihil obstat, quo minus laico committere possit potestatem ferendi censuram. *Dices*: Potestas clavium data est a Christo solis Apostolis, & ideo *Can.* 22. *in nona* 16. *q.* 7. ad divinos libros reducitur impotentia creandi laicos in officiis ecclesiasticis; ergo laicus jure divino incapax est ferendi censuram. ℞. Potestatem Ordinis competere clericis privative; at potestatem jurisdictionis absolute etiam laicis communicari posse, cum jus divin. clare in contrarium non producatur. *cit. Can.* 22. sermo est de œconomo, qui secundum divinos, seu Canonicos libros debet esse clericus, ex dispensatione etiam laicus, *arg. seq. Can. non placuit*, *ibid.* sic ceteri Canones solvuntur.

7. ℞. 4. Fæmina privilegio apostolico habilitari nequit ad ferendam censuram: ita S. D. in 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *qc.* 3. *ad* 4. Avila, Salmant. & alii contra Sayr. Laym. Suar. Schmalz. Prob. ex 1. *Cor.* 14. *v.* 34. ubi Apostolus videtur indicare jus divinum, quo fæmina jubetur in Ecclesia tacere, seu nullam potestatem ecclesiasticam exercere: tum quia Christus Dominus in Discipulos, & Apostolos elegit mares, non vero fæminas, illisque dedit potestatem clavium, exclusis fæminis, ut docet Innoc. III. *cap.* 10. *de pœnit. & remiss. Quia*, inquiens, *licet Beatissima Virgo Maria dignior*, *& excellentior fuerit Apostolis universis*, *non tamen illi*, *sed istis claves regni cælorum commisit*; ergo fæminæ jure divino exclusæ sunt a potestate clavium, sub qua etiam continetur potestas ferendi censuras. *Dices*: Fœmina est capax jurisdictionis spiritualis, ut patet ex *cap.* 12. *de M. & O.* ubi Abbatissa clericos instituit, eosque suspendit, ergo: tum quia Abbatissa in suas religiosas habet potestatem spiritualem. ℞. Neg. ant. *cap.* 12. *cit.* sermo est de suspensione late tali, seu simplici prohibitione, ne clerici celebrent. Est autem potestas Abbatissæ privata, puta materna, aut dominativa, non vero jurisdictionalis, S. D. *loc. cit.*

8. Q. II. *In quem censura ferri possit*? ℞. 1. In solum hominem baptizatum, rationis, & doli capacem, viatorem, & subditum, sive clericum, sive laicum; ita com. nam omnes hæ conditiones requiruntur in eo, qui censura, vel alio jurisdictionis ecclesiasticæ actu, aut vinculo ligandus est. Unde subjectum censuræ non sunt. 1. *Infideles* non baptizati ex 1. *Cor.* 5. *v.* 12. *quid mihi de iis*, *qui foris sunt judicare*? Idem dic de cathecumenis, Trid. *Sess.* 14. *cap.* 2. *de Sacram. Pœnit.* 2. *Infantes*, & *amentes*; quia præcepti, & doli non sunt capaces. At impuberes usu rationis præditi, cum nullibi excipiantur, sicut capaces sunt doli, ita & censuræ *c.* 1. *& fin. h. t.* 3. *Homines mortui Can.* 1. *& seqq.* 24. *q.* 2. quia potestati humanæ non subjacent. Hæretici tamen post mortem solent declarari excommunicati, ut catholici eis non communicent in sepultura, *Can. fin. ibid.* & catholici cum signis pœnitentiæ decedentes solent absolvi a censura; sed hæc absolutio directe terminatur ad vivos, ut hi communicare possint mortuis in sepultura, *cap.* 28. *hoc tit.* 4. *Non subditi*; quia potestas coercitiva non exercetur, nisi in subditum. Hinc Papa a nullo in terris censura ligari potest, nisi propter hæresim a Concilio deponeretur *Can.* 6. *d.* 40. & subditi suffraganei non possunt censurari ab Archiepiscopo, nisi actu visitet, vel causa per appellationem ad eum devolvatur *c.* 7. *h. t. in* 6. neque subditi aliorum Episcoporum ab Episcopo non suo censurari valent, nisi per accidens ratione delicti forum in alieno territorio sortirentur *cap. fin. de foro compet.* Imo si Episcopus in alieno territorio commorans delinqueret, & gravitas delicti id exposceret, posset excommunicari ab alieno prælato territorii. Si censura lata est generaliter pro territorio, subditus extra territorium delinquens, eam non incurrit, *cap. fin. de Constit. in* 6. nisi moraliter esset præsens suo territorio, sicut parochus absens censetur per suam absentiam delinquere in sua parochia. At si censura lata sit personaliter, sequitur naturam præcepti, & extra territorium incurritur.

9. ℞. 2. Episcopi ex speciali privilegio juris *cap.* 4. *qui periculosum*, *h. t. in* 6. non ligantur censura suspensionis, & interdicti, nisi eorum expressa mentio fiat, ne scil. in exercitio sui officii impediantur. Quod privilegium extendi ad censuram excommunicationis multi concedunt, multi negant.

10. ℞. 3. Integra communitas, v. g. civitas, aut collegium interdici, & suspendi quoad actus capitulares potest, non tamen excommunicari, *cap.* 5. *h. t. in* 6. nisi forsan constaret omnes in communitate deliquisse:

q iste; nam excommunicatio est gravissima censura, plurimisque bonis spiritualibus privat: ergo innocentes ea ligari non debent, sed tantum auctores sceleris.

11. ℞. 4. Idem homo ex diversis causis ligari potest pluribus censuris, non tantum diversæ, sed etiam ejusdem rationis, v. g. pluribus suspensionibus, excommunicationibus &c. ita deducitur ex *Clem.* 2. *&* 3. *h. t. & Cap.* 27. *&* 42. *h. t.* ubi absolutus ab una excommunicatione, non censetur absolutus ab altera, si causam jus non expressit. *Ratio* est, quia censura est quoddam vinculum morale, quod secundum diversas causas multiplicari potest per respectum ad illas. Imo ob eandem causam, si adsit contumacia respectu diversorum judicum, potest idem censura ejusdem rationis ligari, una a jure, altera ab hoc, tertia ab illo judice.

12. Q. III. *Ob quam causam censura ferri possit?*
℞. 1. Regulariter loquendo ob culpam mortalem, opere externo proditam, & jure ecclesiastico prohibitam: ita com. ex *Can.* 41. *& seqq.* 11. *q.* 3. Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* nam censura, quatenus est pœna gravis, lata a potestate humana, & ordinata ad frangendam contumaciam rei, tria hæc requirit, culpam gravem, externam, & jure ecclesiastico vetitam; ergo. Sic explicatur *Clem.* 1. §. *verum de Hæretic.* & similia jura: nam loquuntur de amore, odio, omissione, opinione, & judicio, quatenus prorumpunt in actum exteriorem. Dixi *regulariter*: nam si censura feratur modo imperfecto, ut excommunicatio minor; vel minor, seu imperfecta suspensio, aut interdictum, sufficit ad illius incursionem culpa venialis; sed hoc vix est in praxi.

13. ℞. 2. Ob delictum mere præteritum, cujus contumacia cessat, censura ferri non potest: ita com. ex *c.* 23. *de V. S. c.* 40. 48. *h. t.* & signanter ex *cap.* 5. *eod. in* 6. ibi: *sed nec in specie, nec in genere pro culpis præteritis &c.* nam censura, cum sit pœna medicinalis, fertur per se ad frangendam contumaciam, & inobedientiam delinquentis; sed hæc contumacia non est in delicto mere præterito: nam qui deliquit, & nunc paratus est satisfactionem offerre, non potest dici contumax; ergo. Argumenta in contrarium non procedunt de peccato mere præterito, sed physice quidem præterito, moraliter autem præsente; quia in se, vel suis effectibus tractum successivum habet; adeoque emendatione, & satisfactione indiget; ut si quis clericum occidit, & damna consequentia reparare non vult. Sic explicatur *Can.* 27. *inter* 23. *q.* 4. *Can.* 2. *quidem* 5. *q.* 1. *Can. fin.* 2. *q.* 1. *& Can.* 30. *Guilisarius* 30. *q.* 4. Et varia exempla Rom. Pontificum, qui sceleratos excommunicarunt ob delicta præterita, quia hæc ante oblatam satisfactionem moraliter erant præsentia, & continuata.

14. ℞. 3. Ob delictum alienum non incurritur censura proprie dicta, præsertim excommunicatio: nam innocens non contumax: ergo nec censurandus ob aliena delicta; secus censura coram Deo non valet, licet in foro exteriori sit observanda, & relaxanda: quo sensu explicantur *Can.* 4. *judicet.* 3. *q.* 7. *& Can.* 8. 30. *& seq.* 11. *q.* 3. *& c.* 3. *de solution.* At per accidens innocentes afficiuntur interdicto, aut suspensione generali, quatenus sunt pars nocentium.

15. ℞. 4. Si censura lata est in *facientes*, non extenditur ad *mandantes*, *consulentes*, *ratihabentes*, nisi & isti exprimantur: nam in hac materia odiosa, & pœnali nomine *facientium* non veniunt mandantes, consulentes, ratificantes, cum proprie non faciant delictum *arg. l.* 17. §. 2. *ff. de injur.* nisi alioquin lex frustratoria redderetur 17. *h. t. in* 6. Quodsi lex lata est in mandantes, & consulentes, hi, sufficienter quoad se revocato mandato, & consilio, non videntur incurrere censuram, etsi mandatarius, ad quem revocatio non pervenit, mandatum ipso opere exequutus sit: ita favorabilior sententia Salmantic. Suar. Laym. & aliorum contra Bonac. Tolet. Molin, &c. nam in tali casu, dum effectus ponitur, mandans, & consulens non est contumax, & rebellis; ergo nec ligatur censura, sicut is, qui intendit, v. g. clericum verberare, & ante executionem operis intentionem suam revocavit: tum quia executio operis non est mandanti voluntaria, hoc ipso quod mandatum revocaverit; ergo nec est peccaminosa respectu mandantis, sine peccato autem censura non incurritur, *Dices*: Censura est compossibilis cum gratia, & pœnitentia, cum existens in gratia possit esse excommunicatus; ergo nihil est, quod in hoc casu impediat censuram. ℞. Censura in *facto esse*, seu dum perseverat, est omnino compossibilis cum gratia, at censura in *fieri*, seu dum actu incurritur, non est compossibilis, cum neque actualis contumacia, ob quam censura incurritur, cum gratia componi valeat.

16. Q. IV. *Qua forma, & solemnitate proferenda sit censura?* Solemnitas ista potissimum desumenda est ex Conc. Lugdun. sub Innoc. IV. & Greg. X. & ex Constitutionibus Bonif. VIII. prout legere est *in* 6. *h. t.* His igitur juribus conformiter.

℞. 1. Ad censuram ex parte judicis requiritur: 1. Potestas ordinaria, vel delegata, nullo obice ad sui exercitium impedita. 2. *Territorium proprium Can.* 7. *Episcopum* 9. *q.* 1. excepto casu, quo Episcopus injuste pulsus est a Sede sua: hic enim in aliena vicina diœcesi, petita, licet non obtenta, licentia Ordinarii, censuras ferre potest in suos subditos rebelles, & contumaces, servata forma *Clement. un. de foro comp.* 3. Judex zelo justitiæ, & charitatis duci debet ad ferendam censuram, non vero ira, odio, vel alia passione; neque in propria causa *Can.* 27. *inter* 23. *q.* 4. nisi ad justam sui defensionem; quia vim vi repellere omnia jura concedunt. 4. Ex parte rei requiritur, ut sit subditus censurantis, & delinquat cum contumaci, ut dixi.

17. ℞. 2. Si censura fertur *judicialiter* per modum sententiæ, requiritur ad illam: 1. *Monitio triplex*; seu una peremptoria, non necessario in scriptis, sed coram testibus idoneis, per quos probari possit, facta, assignato competenti termino, intra quem reus deliberet, an cessare velit a contumacia, *cap.* 48. *h. t. & c.* 5. 9. *eod. in* 6. nam ante monitionem non constat, an reus sit contumax, & inobediens. Hæc solemnitas monitionis est de gravi præcepto sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ per mensem, *c.* 48. *h. t.* non tamen de substantia censuræ, quæ sine monitione valida erit, sed injusta *cit. c.* 5. ibi: *si contra præsumpserint, injustas noverint esse illas sententias.* Excipe casum, quo quis ob communicationem cum excommunicato, suspenso, aut interdicto, majori excommunicatione feritur: tunc enim sententia excommunicationis sine prævia monitione lata non tenet, seu invalida est, *c.* 9. *&* 13. *h. t. in* 6. 2. delicto notorio notorietate *facti*, & simul *contumaciæ*, dum palam constat reum deliquisse, & simul pertinaciter asserere, quod nolit parere mandatis Ecclesiæ, probabiliter adhuc requiritur monitio, ut judicialiter constet reum esse contumacem: nam casus iste in citt. juribus non excipitur, & reus a judice commonitus mentem mutare potest, & timore censuræ imminentis contumaciam deponere, *Nec obstat Can.* 15. *manifesta* 2. *q.* 1. *c.* 9. *de accusat.* & similia jura, quæ in notoriis ordinem juris non requirunt: nam id verum est in ordine ad pœnas vindicativas, non vero medicinales, seu censuras, quæ infligi nequeunt, nisi propter contumaciam actualem. Fateor tamen oppositam sententiam esse satis probabilem; dummodo non solum delictum, sed etiam contumacia sit notoria. 3. His ita circa monitionem præmissis, si lapso termino, reus sit contumax, judex sententiam censuræ profert in scriptis, expressa causa excommunicationis, vel alterius censuræ, & exemplum hujus sententiæ tradit reo intra mensem, si fuerit requisitus: super qua requisitione faciendum est instrumentum publicum: vel aliæ litteræ authenticæ, *c.* 1. *h. t. in* 6. Secus judex hæc non observans, per mensem suspensus est ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis, qua suspensione violata, fit irregularis: censura vero sine difficultate relaxanda est a superiore, *ibid.* ex quo patet, censuram istam, aliter prolatam, quam præscribatur *cit. c.* 1. esse validam, cum relaxetur. Patet etiam Episcopum, cum in *c.* 48. *h. t. & c.* 1. *eod. in* 6. non exprimatur, non incurrere hanc suspensionem, & interdictum, ex privilegio *c.* 4. *h. t. in* 6.

18. ℞. 3. Si censura fertur *legaliter* per modum juris, seu statuti, ut ipso jure, & facto incurratur, nulla requiritur prævia monitio a judice facienda: ita *cap.* 26. *de appell.* ubi casus iste excipitur a præcepto monitionis, ibi: *nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat*: nam ipsa lex perpetuo monet; ergo non opus est monitione judicis. Nec obstat *c.* 5. *h. t. in* 6. ibi:

caveant

caveant etiam, nam, ut gloſſa interpretatur, textus iſte procedit de excommunicatione, ut fertur *judicialiter* per modum ſententiæ pro delictis præteritis, aut futuris, non vero ut fertur *legaliter*, & per modum juris, ſeu ſtatuti pro delictis futuris, niſi lex monitionem præſcribat, ſicut *Clem. fin. in fin. de ſtatu Monach. & Clem.* 1. *de decimis*. 2. Cenſura ipſo facto incurſa abſque prævia monitione, non poteſt a judice denunciari licite: nam etiam denunciatio iſta tendit ad frangendam contumaciam rei: ſine monitione vero non cenſetur quis contumax; imo poſt incurſam cenſuram jam forſan eſt emendatus. Si tamen notoria eſſet contumacia, ex probabili ſententia ſupra relata, poterit judex cenſuram denunciare ſine prævia monitione, *arg. c.* 26. *pr. de appell.*

19. ℞. 4. Si cenſura fertur non proprio modo cenſuræ, ſed modo pœnæ vindicativæ, nulla requiritur prævia admonitio: nam ad vindictam, & punitionem ſufficit delictum præceſſiſſe: ſola autem ſuſpenſio, & interdictum particulare ferri poteſt in vim pœnæ vindicativæ, *cap.* 1. §. *v. ſi quis hoc tit. in* 6. & *c.* 48. *x. eodem cap.* 7. §. *fin. de elect.* &c. Excommunicatio autem, uti & interdictum generale, cum privent pluribus bonis ſpiritualibus, nunquam ſcient ferri, ut pœnæ vindicativæ, ſed ſemper ut pœnæ medicinales; ita com. neque exemplum aliquod in contrarium allegari poteſt.

20. Q. V. *Quæ cauſæ excuſent ab incurſione cenſuræ*? ℞. Seqq. 1. Ignorantia, non tantum *facti*, ſed etiam *juris*; ſi quis etiam craſſe ignoret delicto appoſitam eſſe cenſuram, modo non ſit ignorantia affectata, dum quis data opera non vult ſcire, ſicut *c.* 1. *de poſtulat.* nam ſtante ignorantia, non adeſt contumacia, & contemptus legis eccleſiaſticæ: idem dic in dubio facti, aut juris, an cenſura incurratur. 2. Omnis cauſa, v. g. urgens neceſſitas, quæ excuſat a peccato mortali, etiam excuſat a cenſura. Unde ſi auditio miſſæ in Paſchate præciperetur ſub pœna excommunicationis, æger non incurreret illam. 3. Imperfectio, ſeu attentatio actus ſine conſummatione; quia verba in materia pœnali accipienda ſunt cum effectu ſecuto; niſi & ipſa attentatio cenſuræ ſubderetur. 4. Remiſſione, vel prorogatione illius, in cujus favorem cenſura lata eſt, ut ſi creditor debitum remittat, vel terminum ſolvendi proroget: ſi vero in prorogato termino non ſolvatur, locus erit excommunicationi, quia tempus a judice determinatum, non eſt finiendæ cenſuræ, ſed incurrendæ, vel tunc, vel in termino prorogato, ſi non ſolvatur. 5. Innocentia notoria, contra quam judex cenſurando nulliter agit, *c.* 2. 7. *h. t. in* 6. Si quis vero innocens eſt in foro interno, & probatur nocens in foro externo, non ligatur cenſura in conſcientia; cum ſententia lata ſit ex falſa præſumptione; at in foro externo tenetur ſe gerere pro cenſurato; quia in hoc foro præſumptio juſtitiæ ſtat pro judice. Si tamen executio ſententiæ peccatum contineat, non eſt ei parendum; ut ſi cogeretur quis uxori putativæ debitum reddere *cap.* 42. *h. t.* 6. Metus gravis injuſtus, quo quis compellitur ad actum malum faciendum: nam licet metus gravis non excuſet a tranſgreſſione juris naturalis, & divini, plerumque tamen excuſat a pœnis Canonicis, uti & præceptis. Unde ſi quis adigeretur clericum occidere, occidendo peccaret quidem mortaliter; excommunicationem tamen, & irregularitatem non incurreret, Salmant. Suar. &c. *Excipe* niſi quis in contemptum clavium Eccleſiæ, ſeu præcepti eccleſiaſtici, cogeretur aliquid facere ſub cenſura prohibitum; tunc enim metus non excuſat a cenſura; quia Eccleſia vult tali caſu ſuum præceptum obſervari: hoc ſenſu explicatur difficilis deciſio *cap.* 5. *de his, quæ vi*, ubi excommunicantur, qui metu adacti communicant excommunicatis, puta illos ſepeliendo tempore interdicti in contemptum pontificiæ poteſtatis: vide Gonz. *cit. c.* 5.

2. Q. VI. *Quomodo, & a quo cenſura tollatur*? ℞. 1. Non tollitur, niſi abſolutione, *c.* 40. *h. t.* nam ligatus ſolvi debet ab habente poteſtatem ſolvendi. Unde cenſura non ceſſat morte judicis eam infligentis, nec ſola emendatione, aut ſatisfactione: & quamvis morte cenſurati ex parte ejus tollatur, quia mors ſolvit omnia; tamen ex parte aliorum fidelium perſeverat, ne ei defuncto communicent, donec per abſolutionem tollatur, *c.* 28. *h. t.* Fit autem abſolutio iſta: 1. *Pure*, ſeu abſolute independenter ab ulla conditione. 2. *Conditionate*, quod rarius eſt, dum reus abſolvitur ſub conditione, ut ea deficiente, abſolutio deficiat, v. g. abſolvo te, ſi intra menſem reſtitueris. 3. *Ad cautelam*, dum quis ad præcavendum damnum, ſeu ad certum effectum abſolvitur a cenſura ignota, vel dubia, ſi re ipſa ſubeſſet. Tales abſolutiones ad cautelam præmitti ſolent abſolutioni ſacramentali, receptioni Ordinum, beneficiorum, privilegiorum, *c.* 51. & 52. *h. t.* ne ſcil. effectus iſti nulliter ponantur, ſi ſubjectum eſſet excommunicatione innodatum. 4. *Ad reincidentiam*, dum quis abſolvitur ad certum effectum, v. g. ut poſſit ſtare in judicio, & deinde rurſum cadit in eandem cenſuram. Hi omnes modi adhiberi poſſunt in foro interno, & externo: ſi tamen abſolutio in foro tantum interno facta ſit, reus tenetur in foro externo gerere ſe pro cenſurato, dummodo cenſura ſit nota in eodem foro. *Dices*: lapſu temporis tollitur cenſura, v. g. *abſolvo te, ſi intra* 8. *dies ſolvas*: item poſita ſatisfactione, ut *ſuſpendo te, donec ad Eccleſiam tuam redeas, donec ſolvas*; ergo cenſura tolli poteſt abſque abſolutione. ℞. In his, & ſimilibus caſibus idem actus ſuperioris vim habet ligandi, & ſolvendi; cum ſub una ratione liget, & ſub altera ſolvat.

22. ℞. 2. Cenſura ſpecialiter per ſententiam lata ab homine, ſeu judice non poteſt ab alio per abſolutionem tolli, niſi ab eo, qui illam tulit, vel ejus ſucceſſore, vel ſuperiore cumulativam juriſdictionem pleno jure habente, vel a delegato in hac cauſa, vel a judice appellationis: ita com. c. 3. 11. §. *præterea de Off. Ord. Clem.* 2. *de elect. c.* 40. & 42. *h. t. c.* 5. 7. *eod. in* 6. nam ex *reg.* 1. *in antiq.* regulariter ejuſdem eſt ſolvere, cujus fuit ligare. Quod verum eſt etiam in caſu, quo reus domicilium mutavit; quia per ſententiam præventa eſt juriſdictio *c.* 19. *de for. compet. Excipe* 1. ſi Judex, qui cenſuram tulit, ſit impeditus, v. g. excommunicatione, aut ſuſpenſione, vel præcepto Papæ, vel confirmatione ſententiæ ab eo facta: tunc enim ferens cenſuram non poteſt ab ea abſolvere, ſed recurri debet ad ſuperiorem, ad quem in his caſibus poteſtas devolvitur: ſic etiam delegatus cenſuram a ſe latam poſt annum tollere nequit, *c.* 26. *de Off. Deleg. Excipe* 2. caſum impotentiæ, ſi reus adire non poſſit judicem, a quo cenſuratus fuit: tunc enim, ſi paratus ſit ſatisfacere, abſolvi poteſt ab alio, etiam inferiori, præſtito prius juramento, quod, quam primum poterit, præſentabit ſe illi, ad quem de jure competit abſolutio, *c.* 13. 26. 58. *h. t.*

23. ℞. 3. Cenſura a jure, vel ſtatuto generaliter lata, ſi non ſit reſervata, relaxari poteſt a prælato proprio habente juriſdictionem in foro externo; imo etiam a proprio ſacerdote, ſeu confeſſario. *Prima pars eſt com.* nam hoc ipſo quod cenſura non reſervetur, relinquitur ſub juriſdictione proprii prælati. Secunda pars eſt S. D. part. 3. q. 2. ar. 2. Inn. Reiff. Salmant. & aliorum contra Gloſſ. *c.* 2. *de Pœnitent.* Covar. Sayr. & Prob. ex *c.* 29. *nuper h. t.* ibi: *in ſecundo vero caſu, quo cenſura non reſervatur, a ſuo Epiſcopo, vel a proprio ſacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere: tamen quia conditor canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*, quæ ratio univerſalis eſt, licet caſus propoſitus de excommunicatione minori fuerit particularis. *Ratio* eſt, quia ad abſolutionem cenſuræ non reſervatæ, vel non requiritur juriſdictio fori externi, vel ſiqua requiritur, ea per citatum textum generaliter datur proprio ſacerdoti, ut pro utroque foro cenſuram relaxare poſſit.

24. ℞. 4. Cenſura juris reſervata non poteſt tolli, niſi a conditore canonis, vel cui ipſe poteſtatem dederit: ita *c.* 29. *h. t.* nam inferior nequit relaxare jus Superioris. Ex ſpeciali poteſtate ab omnibus cenſuris, & peccatis occultis, & ad forum contentioſum non deductis, etiam Sedi apoſtolicæ reſervatis abſolvere poſſunt: 1. Epiſcopi ex privilegio Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de refor.* & Regulares in privilegiis communicantes, ut paſſim referunt Scriptores regg. allegantes certa privilegia Apoſtolica: exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, a quibus per ſe nec Epiſcopi, nec Regulares abſolvere poſſunt, niſi ſpeciali conceſſione ſuper his caſibus muniti ſint.

☞ *Ex*

☞ *Ex decreto Cong. Conc. 26. April. 1687. Episcopus potest absolvere ab excommunicatione incursa ob levem percussionem clerici etiam deductam ad forum contentiosum. Et licet in vim cap. 6. Trid. absolvere possit ab omnibus censuris occultis, etiam Papæ reservatis; ut supra; ex decreto tamen ejusdem Cong. relato a Fagnan. cap.* Dilectus *de temp. ordin. n. 30. absolvere nequit ab illis, quæ post Trid. Papæ reservatæ sunt Et nota, quod si agatur de percussione enormi clerici etiam coram duobus tantum facta, ex altero d. Cong. Decr. relat. a Fagn. loc. cit. n. 38. adhuc dicitur publica; ideoque Episcopus ab illa absolvere non potest.*

Nota insuper, quod licet Episcopus in vim cit. cap. 6. Trident. absolvere possit a dictis casibus occultis etiam forensem, fungentem in sua diœc. officium prætoris, vel medici, non potest tamen ex declaratione Greg. XIII. relat. ab eod. Fagn. n. 36. eum dispensare super irregularitate. ☜

II. In casu impotentiæ, & impedimenti a censura publica Papæ reservata absolvere potest Ordinarius: vel si nec iste adiri possit, proprius sacerdos, seu confessarius: ita concedit Innoc. III. *c. 29. in fin. h. t.* ibi: *Verum, si difficile sit ex aliqua justa causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut a suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote.* Hujusmodi impedimenta sunt, morbus, periculum morbi, aut læsionis in via, debilitas, vel ætas senilis, aut puerilis, obligatio manendi domi propter servitutem, patriam potestatem, alendos, & curandos liberos, fragilitas sexus cujuscumque feminæ, sive monialis, sive sæcularis, *c. 11. 58. h. t.* Hoc tamen casu censuratus debet prius satisfacere parti læsæ, & juramento promittere, quod sublato impedimento, præsentare se velit Sedi apostolicæ, *cit. c. 11. & 29. in fin. h. t.* nisi ab hac comparatione, seu præsentatione excusetur; uti senes, pueri, mulieres, & perpetuo impedimento laborantes *c. 1. 6. 33. 38. h. t.* & quia ex Germania aditus ad Papam est fere semper impossibilis, Ordinarii, vel ex privilegio speciali, vel ex consuetudine, & præscriptione absolvere solent a censuris Papæ reservatis sine onere se præsentandi Papæ. De absolutione ab hæresi vide supra tit. de Hæretic. a *n. 21.* 3. Regulares in Italia non possunt extra Bullam Cœnæ absolvere a quinque casibus Sedi apostolicæ reservatis, qui sunt: *Violatio immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constit. Greg. XIII.* Cum alias, *Violatio clausuræ monialium ad malum finem, idest luxuriæ, Simonia realis, & confidentialis scienter contracta, percussio clericorum, crimen provocantium, & pugnantium in duello in terminis Trid. sess. 25. c. 19. de ref. & Constit. Gregor. XIII.* Ad tollendum: ita disponit Clem. VIII. in suo Decreto 26. Novemb. 1602., quod non extenditur ultra, sed restringitur ad Italiam his verbis: *per universam Italiam extra urbem degentibus.*

☞ *Confessarii privilegiati, in quantum eorum privilegia ad papales casus absolvendos se extendunt, Romæ, & in ejus suburbiis poterant a dictis quinque casibus absolvere: sed ex decreto Clementis XI. 13. Martii 1711. nequeunt absolvere a publica fractione clausuræ monialium ad finem luxuriæ, neque a publico presbytericidio, neque a publica violatione immunitatis ecclesiasticæ; sicuti neque ab occulta, si immunitas hæc violata fuerit auctoritate publica. Vide Elencho VI. n. XVIII. par. 1. p. 447.* ☜

IV. In articulo mortis cessat omnis reservatio censurarum, & peccatorum, ne quis scil. hac occasione pereat, Trid. *sess. 14. c. 7. de Pœnit.* absolutio tamen a censuris fit cum onere præsentandi se superiori, si absolutus mortem evadat.

25. Q. VII. *Quæ sit forma absolutionis a censuris?* ℞. 1. Forma substantialis non est determinata, adeoque fieri potest quibuscumque verbis, scripto etiam per epistolam respectu absentis; cum etiam absens excommunicari possit; licet absens sacramentaliter a peccatis absolvi nequeat; quia non constat de ejus dispositione; & forma, *absolvo te*, non verificaretur.

26. ℞. 2. Ad formam accidentalem, & de præcepto requiruntur seqq. 1. Ut reus humiliter petat absolutionem a censura; valeret tamen absolutio data invito, & repugnanti; quia pœna pro placito superioris tolli potest. 2. Ut reus prius satisfaciat parti læsæ, nisi adesset impotentia, quo casu sufficiet cautio saltem juratoria: secus absolvens graviter peccat; quia lædit jus partis, & violat juris ordinem. 3. Ut absolvens in causa principali falsa non decipiatur; secus absolutio non valeret, ut si quis falso dicat se ab hæresi recessisse. 4. Ut servetur ritus in Pontificali Rom. præscriptus, sive quis vivus, sive mortuus absolvatur; quamvis omissio hujus ritus non videatur graviter esse illicita, præsertim si justa causa suadeat eum omitti: ita hæc omnia habentur, *c. 28. 40. 42. h. t.* Ritus solemnis absolvendi a censura, præsertim excommunicationis, habetur in Rituali Romano.

§. II.

De Excommunicatione in specie.

27. Excommunicatio est *censura ecclesiastica, privans fidelem omni ecclesiastica communione*: com. ex *can. 32. & 107. caus. 11. q. 3.* Dicitur *ecclesiastica*, quia censura ista non privat hominem communione bonorum internorum, ut gratia, fide, ceterisque gratiæ bonis, sed tantum communione bonorum externorum tam spiritualium, quam temporalium, quæ subjacent jurisdictioni, & distributioni Ecclesiæ. Excommunicatio est duplex: *major*, seu simpliciter talis, mox definita: & *minor*, seu *secundum quid talis*, quæ privat solo passivo usu, seu receptione sacramentorum, & consf. unicus effectus illius est privatio receptionis sacramentorum. At excommunicationis majoris sunt multi, & graves effectus, quos ad tres classes reducimus, uti sunt: 1. Privatio sacramentorum, & piorum operum exteriorum. 2. Privatio officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum. 3. Privatio communionis politicæ.

28. Q. I. *Quibus bonis spiritualibus privet excommunicatio?* ℞. 1. Activo, & passivo usu sacramentorum *c. 32. 50. h. t.* excepto mortis articulo. Unde regulariter loquendo, excommunicatus recipiens sacramenta lethaliter peccat; & si in excommunicatione absolvatur a peccatis, absolutio est invalida ob defectum dispositionis: & clericus ministrans in excommunicatione sacramenta, fit irregularis; *c. fin. de cler. excom.* 2. *Sacrificio Missæ*; secus si excommunicatus ei assistat, peccat mortaliter: imo si est vitandus, expelli debet: aut si non possit, missa ante canonem abrumpitur, & post canonem continuatur usque ad communionem, & facta sumptione, statim receditur ad sacristiam, omissis ceteris orationibus, *c. 26. h. t. in 6. Clem. 2. v. nonnulli eod.* Quodsi sacerdos coram excommunicato vitando celebret, præter grave peccatum, & excommunicationem minorem, interdicitur ingressu Ecclesiæ, *c. 8. de privil.* 3. *Divinis officiis*, ut publica horarum recitatione, processionibus, benedictionibus &c. privatim tamen, si alias obligatus est, potest, imo tenetur recitare Horas Can. eique socius, præsertim subditus indulgetur ad conrecitandum, sicut capellanus Episcopo excommunicato. 4. *Communibus Ecclesiæ suffragiis.* Unde non licet publica Sacrificia; & orationes pro excommunicatis in genere, vel specie offerre, neque indulgentias eis concedere *c. 28. & 38. h. t.* Privata autem suffragia, orationes & missæ ex privata intentione offerri possunt pro conversione excommunicatorum, cum privata suffragia non subsint Ecclesiæ. 5. *Ingressu Ecclesiæ* tempore, quo divina celebrantur: alio vero tempore potest excommunicatus in templo orare; uti & habere aquam benedictam, & alia sacramentalia. 6. *Sepultura sacra*, ut dixi *titul. de sepult.* nisi excommunicatus ante mortem pœnitentiam agat.

29. Q. II. *Quibus officiis privet excommunicatio?* ℞. seqq. 1. Excommunicatus fit inhabilis ad obtinenda quæcumque officia, & beneficia ecclesiastica, ita ut collatio, seu alia provisio fit ipso jure nulla *c. 7. de cler. excom.* beneficiis vero antea obtentis non privatur, nisi privatio ista specialiter fit annexa, & expressa in jure, sicut in casu hæresis: imo si collatio facta fit tempore habili, & acceptatio tempore excommunicationis, valide censetur collatum beneficium, ut tenent Covar. Garc. &c. contra Suar. Laym. nam jura irritant id solum, quo titulus beneficii datur; sed sola collatione titulus beneficii datur, acceptatio vero

est

est tantum conditio ex parte recipientis, ergo: tum quia voluntas retinendi beneficium antea canonice obtentum non inficit valorem tituli tempore excommunicationis; ergo neque voluntas acceptandi beneficium canonice oblatum tempore excommunicationis impedit valorem tituli. Ceterum, cum hic versemur in materia odiosa, nomine beneficii non veniunt hic simplices pensiones; ut si clerico excommunicato resignanti, vel lite cedenti aliqua pensio constituatur; tunc enim pensio ista valebit.

30. ℞. 2. Clericus in excommunicationem incidens, ipso jure, & facto non privatur fructibus beneficii antea canonice obtenti: ita Sanch. Laym. Salmant. & alii contra Covar. Filliuc Garc. &c. nam id nullo claro jure statuitur, siquidem *c.* 53. *de appellat.* in verbo *subtrahuntur*, sufficienter indicatur, quod privatio fructuum facienda sit ministerio judicis, sicut denunciatio excommunicationis: neque Papa respondet, quod privatio fructuum eodem modo incurratur, quo privatio communionis fidelium: sed quod ista sit causa sufficiens illius, quia meretur clericus fructibus privari, qui communione fidelium privatus est: & ita consuetudo textum istum interpretatur. At post sententiam tenetur clericus fructus tempore excommunicationis perceptos restituere, donec absolvatur: si tamen pauper sit, eos sibi applicare potest; cum fructus isti distribuendi sint pauperibus, vel Ecclesiæ.

31. ℞. 3. Excommunicatio privat usu jurisdictionis ecclesiasticæ, ita ut excommunicatus vitandus eam nec licite, nec valide exerceat. *Can.* 4. *audivimus*, 24. *q.* 1. *c.* 24. *de sent. & re jud. c.* 10. *de off. deleg. in* 6. &c. Unde acta Prælati excommunicati non valent, sive sint judicialia, sive extrajudicialia, contentiosa, aut voluntaria, cum potestas ea exercendi sit impedita. 2. Non valet electio, quam suffragium excommunicati complet; vel si excommunicatus scienter admittitur ad suffragandum *c. fin. de procuratore*: nec valet præsentatio, quam clericus ratione dignitatis exercet, *arg. c. fin. de elect. in* 6. secus si ad clericum præsentatio pertinet titulo seculari, ut patrimonii. Resignatio autem beneficii ab excommunicato facta absolute, vel in favorem tertii valet; cum non sit actus jurisdictionis, aut officii, sed meræ voluntatis: quamvis prælatus excommunicatus eam admittere non possit. 3. Excommunicatus toleratus valide exercet jurisdictionem, si exceptione excommunicationis non excludatur, *c.* 12. *de except. c.* 1. *eod. in* 6. nam Ecclesia permittit communicationem cum excommunicatis, donec exceptio opponatur, & intra 8. dies probetur, *ibid.*

32. ℞. 4. Excommunicatio privat facultate concionandi, & publice legendi sac. theologiam, aut sac. Canones: nam ista est notabilis communicatio excommunicatis prohibita, saltem vitandis. Hoc tamen excommunicatis permittitur, ut concionem pro sua conversione audiant, *c.* 43. *h. t.*

33. Q. III. *Qua communione politica privet excommunicatio*? ℞. 1. *Communione forensi*, ita ut excommunicatus vitandus non possit esse judex, aut magistratum gerens, arbiter, actor, advocatus, procurator ad lites, testis, tabellio, *Can.* 6. *nullus* 3. *q.* 4. officia tamen privata, ut tutoris, curatoris, suscipere potest, uti & assistere matrimonio, & assistendi facultatem tribuere, ad professionem religiosam admittere &c. 2. Excommunicatis prohibetur communicatio politica hoc versiculo expressa: *Os*, *orare*, *vale*, *communio*, *mensa negatur*. *Os* significat osculum pacis, & alia benevolentiæ signa. *Orare* significat orationem publicam, & etiam privatam. *Vale* honorificam salutationem: licet consuetudo admittat, ut excommunicato assurgatur, caput aperiatur. *Communio* significat omnem mutuam actionem, ut cohabitationem, collocutionem, celebrationem cujuscumque contractus, factionem testamenti. Quamvis vero actus isti ab excommunicato illicite fiant contra præceptum Ecclesiæ, sunt tamen validi; cum nullo jure irritentur.

34. Q. IV. *Qui sint alii remoti effectus excommunicationis*? ℞. Tres præcipui: 1. Si quis per annum perseveret in excommunicatione specialiter lata ab homine, fit suspectus de hæresi, Trid. *Sess.* 25. *c.* 3. *de ref.* si vero citatus se purgare, & impedimentum allegare noluerit, puniendus est, ut hæreticus *c.* 7. *de hæret. in* 6. 2. Si insordescat in excommunicatione per annum, habetur pro convicto *Can.* 36. *& seqq.* 11. *q.* 3. quia contumacia ista habetur pro confessione. 3. Clericus per triennium durans in excommunicatione, privandus est beneficiis, *cap.* 8. *de ætat. & qualit.*

35. Q. V. *An, & in quibus casibus excommunicatus exercere possit actus sibi prohibitos*? ℞. 1. In periculo mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, licet excommunicato suscipere sacramenta; imo & administrare, si a fidelibus petantur, & ille ex officio teneatur, ea administrare: nam in his casibus arduis Ecclesia non censetur obligare. Unde si excommunicatus ex urgenti necessitate accederet confessarium, qui non valens absolvere ab excommunicatione, absolveret a peccatis, ceteris positis, validum esset Sacramentum pœnitentiæ, ut communis sententia tenet contra Sylv. Vasq. & alios: nam in tali casu arduo, maxime si concurrat ignorantia, vel oblivio probabilis censuræ, nullo jure constat invalidari Sacramentum pœnitentiæ: imo nec est credibile præceptum Ecclesiæ extendi ad casus adeo arduos in materia Sacramentorum, Salmantic. 2. Excommunicatus toleratus, dummodo se non ingerat, ad petitionem fidelium valide, & per se licite, ut aliqui sentiunt, omnia Sacramenta administrat ex favore Conc. Constantien. fidelibus concesso, ut mox dicetur.

36. Q. VI. *An fideles habeant privilegium communicandi cum excommunicatis*? ℞. 1. Hodie licite communicare possunt cum omnibus excommunicatis publicis, & privatis, in divinis, & politicis, exceptis duobus casibus: si excommunicatus, vel interdictus sit specialiter, & expresse, seu nominatim publice denunciatus per sententiam judicis, vel si sit notorius percussor clerici, puta notorietate facti, dum percussio fit in loco publico, & coram magna parte communitatis, ut nulla tergiversatione celari possit: ita indultum fuit in Conc. Constantiensi, & roboratum per Const. Martini V. incip. *Ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt &c.* Qua tamen Constitutione nullus favor ipsis excommunicatis concessus est, ut hi communioni fidelium se ingerere possint, ibi; *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*: unde *sequitur* 1. Quod fideles a Parocho, vel alio Sacerdote excommunicato petere possint celebrationem Missæ, & Sacramentorum administrationem, sive adsit casus necessitatis, aut speciali utilitatis, sive non, quia Decretum Constant. indistincte loquitur: neque per hoc fidelis cooperatur peccato excommunicati; tum quia utitur jure suo; tum quia opinantur aliqui, actiones istas spirituales fieri posse sine peccato: nam hoc ipso, quod fidelibus liceat communicare cum excommunicatis indirecte, & in consequentiam conceditur, ut ministeria, quæ a fidelibus petuntur, licite exercere possint. *Sequitur* 2. quod excommunicatus toleratus, non tantum alia Sacramenta, sed etiam Sacramentum pœnitentiæ valide administrare possit, quoties id petitur a fidelibus: nam ex parte pœnitentis nullus adest defectus, ut supponitur; ex parte vero confessarii excommunicati non deficit jurisdictio, quia illam habet ex Conc. Const. pro casu, quo fidelis absolutionem ab illo petit, dummodo ante excommunicationem jurisdictionem, & approbationem ab Ordinario habuerit, & ea specialiter privatus non fuerit. *Sequitur* 3. quod excommunicatus toleratus, si absque petitione fidelium ingerat se divinorum administrationi, peccet graviter, & exercendo actum ordinis, v. g. sacrificando, solemniter baptizando, nuptias benedicendo, incurrat irregularitatem *c. fin. de cler. excom. ministr.* Et quamvis cetera Sacramenta valide, tamen Sacramentum Pœnitentiæ invalide administrat ex defectu jurisdictionis per excommunicationem suspensæ; quo tamen casu invalide absolvens fit irregularis, quia actum ordinis exercet, licet per accidens invalidum, *Sequitur* 4. quod fideles, si velint, libere se retrahere possint a communione excommunicati tolerati, ut recedendo a Missa Parochi, recusando mandatum Prælati, excipiendo contra judicem, actorem &c. nisi aliud habeat consuetudo, aut pacta publica; sicut in Germania, ubi hæretici nequeunt excludi ab officiis publicis, judiciis &c. nam per Decretum Constant. nullus favor excommunicatis directe est attributus. *Dices*: Concil.

Basi-

Basileense *seß.* 20. modificavit decretum Concilii Const. declarando quoscumque notorios excommunicatos esse vitandos. ℞. Cum Avila decretum Concilii Basil. loqui de illis, de quibus Decr. Conc. Const. puta de notoriis percussoribus clerici: vel cum Turrecrem. decretum istud nullius esse auctoritatis, cum factum sit post Schisma Concilii, ubi omnia acta reprobata sunt ab Eugenio IV. & Nicolao V.

37. ℞. 2. Fideles tenentur vitare communionem cum excommunicatis vitandis, seu non toleratis: quales sunt personaliter denuntiati, & notorii percussores clericorum; ita commun. ex citat. Decr. Concil. Constant. quo jus antiquum *c.* 14. *h. t.* in hoc puncto non est correctum. Ista tamen communicatio regulariter non excedit peccatum veniale, & excommunicationem minorem, *c.* 29. *h. t.* At mortale est in casibus seqq. 1. Si fidelis publice communicet in rebus divinis; quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi. 2. Si communicet in crimine criminoso, hoc est, in illo crimine, ob quod alter excommunicatus est, *cap.* 55. *h. t.* ut si clericus communicet in crimine concubinæ personaliter excommunicatæ &c. quo casu major excommunicatio incurritur. Si quis a Papa excommunicatus est, clericus cum eo sponte in divinis communicans, præter peccatum mortale, incurrit majorem excommunicationem Papæ reservatam, *c.* 18. *h. t.* 4. Si quis post competentem monitionem participet cum excommunicato, postquam lata est sententia contra participantes nominatim expressos incurrit majorem excommunicationem *c.* 9. *&* 13. *h. t. in* 6.

38. ℞. 3. Fidelibus suadentibus justis causis, communicare possunt cum excomunicato vitando, quæ hoc versiculo exprimuntur: *utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse*: licet proinde ista communicatio: 1. Ex causa *utilitatis* tam spiritualis, quam corporalis, ut dare excommunicato salutaria monita, eleemosynam, recipere debitum &c. Ex causa *legis*, seu *obligationis matrimonialis c.* 31. *h. t.* atque ita uxor marito excommunicato potest communicare in cohabitatione, mensa, debito conjugali, *Can.* 103. *quoniam* 11. *q.* 3. qui Canon ob identitatem rationis in correlativis intelligitur etiam de marito, ut uxori excommunicatæ cohabitare, & communicare possit. 3. Ex causa *humilitatis*, seu *subjectionis*, & potestatis, sicut filius cum patre, servus cum domino, clericus cum Episcopo, miles cum duce, & e contra, communicare valent: non tamen vasallus cum domino, cui proprie non servit. 4. Ex causa *ignorantiæ*, sive juris, sive facti, modo non sit affectata. 5. Ex causa *necessitatis* sive spiritualis, sive temporalis, *cit. Can. quoniam*: unde in casu necessitatis potest fidelis ab excommunicato petere baptismum; quem tamen sine solemnitate administrare debet: item Sacramentum pœnitentiæ, & si infirmus confiteri nequeat, Eucharistiam; vel si hac refici non possit, extremam unctionem. Quo casu ad petitionem fidelis excommunicatus licite administrat ista Sacramenta, dummodo ex alia causa non impediatur, ut est opinio.

39. Q. VII. *Quid juris circa excommunicationem minorem*? ℞. 1. Hæc incurritur ob solam communicationem cum excommunicato vitando, ut ante *n.* 36. dictum, ejusque effectus directus est privatio usus passivi, seu receptionis Sacramentorum, *c.* 59. *h.t.* 2. *de except.* activa vero administratio Sacramentorum non est prohibita. Indirectus vero effectus est inhabilitas ad beneficia *cap. fin. de cler. excom.* adeoque clericus minori excommunicatione irretitus non potest eligi: electio tamen ejus non videtur irritita ipso jute, cum *cit. c. fin.* dicatur irritanda. 2. Ab excommunicatione minori probabilius absolvere potest quilibet sacerdos, qui absolvere potest a peccato participationis: adeoque si excommunicatio minor incursa est ob veniale peccatum, quisque sacerdos ab ea absolvere potest: ita S. D. in 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 1. *qu.* 1. *in corpore*, inquiens: *a minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis*: nam absolutio a censuris, tanquam prævia, sequitur naturam absolutionis a peccatis; & ideo cui conceditur facultas absolvendi a peccatis mortalibus, conceditur etiam facultas absolvendi a censuris non reservatis: & concessa facultate absolvendi a reservatis, conceditur etiam facultas absolvendis a censuris reservatis propter ista peccata incursis; ergo etiam cui conceditur facultas absolvendi a venialibus, conceditur quoque facultas absolvendi a minore excommunicatione: unde in *c.* 29. *h. t.* nomine *proprii sacerdotis* venit is, qui absolvere potest a peccatis.

Et hæc de excommunicatione in genere. Nunc, omissis aliis excommunicationibus in specie, de quibus suis titulis egimus, superest aliquid dicere de excommunicatione Canonis.

40. Q. VIII. *Quæ specialia habeat excommunicatio Canonis* 29. *si quis* 17. *q.* 4. *Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, ut in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

℞. 1. Privilegio Canonis hujus gaudent omnes, qui in materia favorabili veniunt nomine clericorum, etiam tertiarii, & eremitæ, emisso voto sub regula, & obedientia superioris viventes. E contra privantur hoc privilegio clerici degradati, bigami, conjugati non deferentes habitum, & tonsuram, minoristæ, qui dimisso habitu, armis, & negotiis secularibus vacant, & post trinam monitionem non resipiscunt, clerici joculatores, macellariam, vel cauponariam personaliter exercentes, vel dimisso habitu enormitatibus se immiscentes, de quibus suis locis dictum ex *c.* 2. *de pœn. in* 6. *c. un. de bigam. in* 6. *c. un. de cler. conjug. in* 6. *c. un. de vita, & honest. in* 6. *& Clem. un. eod. c.* 25. *&* 45. *h. t. &c.*

41. ℞. 2. Excommunicationem Canonis incurrere possunt omnes doli capaces, etiam pueri, & mulieres *c.* 6. *& fin. h. t.* qui violentas manus injiciunt in clericum, vel in res ejus personæ propinque adhærentes; ut illum percutiendo, injuriose conspuendo, pulverem in eum projiciendo, venenum ei porrigendo, vestimenta in eo lacerando, caudam, vel ephippium equi, cui insidet, præcidendo &c. modo actiones istæ exerceantur *suadente diabolo*, hoc est, animo injuriandi, & inhonorandi clericum. Hac excommunicatione tenentur mandantes, & consulentes, mandato; aut consilio efficaciter non revocato *c.* 6. *in fin. & c.* 47. *h.t.* uti & ratam habentes percussionem nomine suo factam *c.* 23. *eod. in* 6.

42. ℞. 3. Ab excommunicatione Canonis excusantur: 1. Qui ex justo mandato Prælati clericum criminosum capiunt, incarcerant, vel torquent, *c.* 35. *h.t.* At si Prælatus injuste, & contra formam juris clericum capiat, incarceret, vel torqueat, vel eum carceri nimis squalido, indecenti, subterraneo, & obscuro includat, ipse cum omnibus cooperantibus incurrit excommunicationem hujus Canonis, ut com. docet ex *cit. c.* 35. *h. t. & Trid. seß.* 25. *c.* 6. *de reform.* ubi pro carcere clericorum, & religiosorum vult esse locum decentem. 2. Clerici pueri inter se rixantes excusantur ab excommunicatione Papæ reservata, ita ut absolvi possint a proprio Episcopo *c.* 1. *h. t.* 3. Officiales publici, qui clericum de nocte vagantem, & malum facere meditantem capiunt, ut eum Prælato præsentent. 4. Qui ex ignorantia facti, vel etiam juris, vel defensionis causa clericum percutiunt. 5. Qui volens percutere clericum aberrando percussit laicum, vel præter opinionem alium clericum: secus si injuriose percussit Titium clericum, quem cogitavit esse Cajum. 6. Qui percutit in continenti clericum turpiter agentem cum uxore, matre, filia, sorore, licet actus turpes sint in sua specie imperfecti: quo casu percutiens peccat quidem graviter, sed ob causam justi doloris non punitur excommunicatione, etiam in casu, quo invigilavit tali clerico, *c.* 3. *v. nec illa h. t.* 7. Magister etiam laicus correctionis causa percutiens clericum discipulum, ut *tit. de cler. percussor.* quod etiam permittitur senioribus canonicis, ut pueros minoristas divina officia turbantes moderate percutere possint: uti & parentibus, ac propinquis disciplinæ causa percutientibus, *c.* 54. *in fin. h. t.* quæ dispositio non videtur extendenda ad percussionem in sacris constitutorum, nisi castigans sit Prælatus, aut magister, *c.* 10. *hoc titul.*

43. ℞. 4. Absolvere ab excommunicatione Canonis de jure com. potest solus Papa, ut patet ex *cit. Can.*

si quis.

si quis. Ex speciali concessione etiam alii, ut *Legatus a latere*, & Nuntius apostolicus, ut dixi *tit. de off. legati*. 2. Episcopi, eorumque Vicarii ab hac excommunicatione occulta, & in casu impedimenti absolvere possunt secundum dicta hic *n*. 24. item ob percussionem levem *c*. 17. *h. t*. Quæ autem sit percussio *levis, gravis, & atrox, seu enormis*, pendet a circumstantiis, & arbitrio judicis. 3. Prælati regg. pro utroque foro suos religiosos absolvere possunt sine missione ad Sedem apostolicam, vel Legatum a latere, *c*. 2. *h. t*. & si percussus sit religiosus alterius Ordinis, absolutio pertinet ad Prælatum percussoris: satisfactio vero utriusque Prælati consensu imponenda *c*. 32. *h. t*. Si vero clericus secularis graviter percussus sit, vel in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta, absolutio pertinet ad Papam, *ibid*. Si levis fuit percussio, absolvit Episcopus religiosum non exemptum; imo & exemptum de consensu Prælati *c*. 21. *eod. in* 6. alioquin si Prælatus ex justa causa neget hanc absolutionem exempti, absolutio pertinet ad Papam. Hodie Prælati regg. ex specialibus privilegiis suos religiosos absolvere possunt a percussione etiam enormi, dummodo Episcopus, aut clericus secularis non sit graviter percussus.

44. ℞. Confessarii regg. in privilegiis communicantes in foro conscientiæ absolvere possunt a percussione quacumque etiam enormi; dummodo sit occulta: & quidem sine onere præsentandi se conspectui apostolico: nam *c*. 13. *&* 58. *h. t*. statuit onus istud imponi ab iis, qui non habent privilegium absolvendi, sed tantum in casu impedimenti absolvunt. Nec obstat, quod in hac inclyta Diœcesi Moraviæ percussio clerici sit casus reservatus: nam reservatio ista procedit de percussione notoria notorietate facti, non de percussione occulta, quam respectu Regularium privilegiatorum Episcopus sua auctoritate reservare nec vult, nec potest; cum tanquam inferior limitare non possit privilegia apostolica.

§. III.

De Censura Suspensionis.

45. *Suspensio* est censura ecclesiastica privans clericum per se, & directe usu officii, beneficii, vel utriusque simul. Differt ab *excommunicatione*, quia hæc privat omnibus bonis spiritualibus, & politicis externis: fertur in clericos, & laicos; & non per se, sed consecutive privat usu ordinum, in quantum impedit Sacramentorum administrationem: e contra suspensio non privat omnibus bonis; fertur in solos clericos, & directe impedit usum ordinum: licet ipso ordine suscipiendo non privet, nisi consecutive. Differt etiam ab *interdicto*, quia hoc privat receptione aliquorum Sacramentorum, divinis officiis, & sepultura ecclesiastica; & in laicos ferri potest: secus est in suspensione. Est autem suspensio alia *partialis*, quæ privat usu ordinis tantum, vel officii, seu jurisdictionis, vel beneficii, seu administrationis quo ad fructus: alia *totalis*, quæ his omnibus privat. Item alia a *jure*, alia ab *homine* lata, alia *absoluta* sine determinatione temporis, alia *restricta* ad certum tempus, alia per modum *veræ censuræ*, alia per modum *pœnæ vindicativæ*, aut inhabilitatis, sicut *c*. 14. *de temporib. ord. c*. 1. *de ordinat. ab Episcop. &c*.

46. *Quis, & in quem ferre possit censuram suspensionis*? ℞. 1. Solus clericus, & in solum clericum Ecclesiæ subditum ferre suspensionem potest: & quidem suspensionem *juris*, qui jus potest condere: suspensionem *hominis*, qui clericum judicare, & contumacem punire potest. Dicitur: *subditum*, quia Papa nullius censuræ est capax. 2. Episcopus sine consensu capituli suspensionem hominis, seu sententiam judicialiter suspensivam ferre potest; nam talis viget consuetudo, qua abrogatur *c*. 1. *de excessib. Prælat. & can*. 6. *Episcopus* 15. *q*. 3. Prælati regulares in tantum suspendere possunt suos religiosos, in quantum eis regula permittit.

47. Q. II. *Qua forma feratur suspensio ab homine*? ℞. 1. Adesse debet culpa gravis, & simul contumacia, prævia monitio triplex, & ipsa sententia suspensionis in scriptis concipi cum expresse causa, sicut de excommunicatione dictum ex *c*. 1. 5. 13. *h.t. in* 6. alioquin si hæc forma, licet accidentalis non observetur, judex per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis suspenditur, & ad expensas suspenso condemnatur, *cit. c*. 1. *h. t. in* 6. 2. Si suspensio fertur per modum pœnæ vindicativæ, præter delictum grave, non requiritur contumacia, & monitio, sed probato delicto, suspensio per sententiam infligitur, sicut alia pœna vindicativa, *c*. 7. *&* 44. *de elect. c*. 2. *de offic. deleg. in* 6. & alibi.

48. Q. III. *Qui sint effectus suspensionis*? ℞. 1. Pro varietate hujus censuræ sunt varii: 1. Suspensus ab *ordine* non censetur suspensus a jurisdictione, & suspensus ab ordine inferiori exercere potest actus ordinis superioris; nisi in his concurreret actus ordinis inferioris: qualiter suspensus a diaconatu; non potest missam legere, quia in ea concurrit actus ordinis diaconalis, scil. legere Evangelium: ceteros vero actus Sacerdotii exercere potest, ut prædicare, absolvere &c. 2. Suspensus ab *officio* simpliciter, censetur suspensus ab omni actu ordinis; & jurisdictionis: quia hoc utrumque venit nomine *officii*: non tamen est suspensus a *beneficio*, seu perceptione fructuum, neque a *voce activa* in capitulo: cum hæ suspensiones sint diversæ, & suffragari in capitulo nec sit actus ordinis, nec jurisdictionis; licet aliqui contrarium teneant. 3. Suspensus a jurisdictione sola, non est suspensus ab ordine, & beneficio; cum hæc sint diversa. 4. Suspensus a *beneficio* exercere potest officium; neque beneficio, sed tantum fructibus privatur: quorum nomine non veniunt distributiones quotidianæ, neque electio, aut præsentatio, quæ ex officio oriuntur, licet dicantur improprie fructus beneficii. Porro si suspensio a beneficio est censura ob contumaciam, beneficiatus privatur fructibus etiam necessariis ad sustentationem: non vero si est pœna vindicativa; quia illam, & non istam tollere est in potestate suspensi.

49. ℞. 2. Violans suspensionem, præter peccatum mortale, incurrit irregularitatem, exercendo actum ordinis, *c*. 1. *in fin. h. t. in* 6. Hæc tamen irregularitas non incurritur, si clericus violet suspensionem jurisdictionis, vel beneficii; sed tunc aliter puniendus est, ut privatione beneficii, *c*. 1. §. *fin. de elect. in* 6. Porro suspensus a jurisdictione, invalide illam exercet; dummodo sit denunciatus personaliter, secundum Decretum Conc. Constantiensis.

50. Q. IV. *Quomodo tolli possit suspensio*? ℞. 1. Si suspensio est censura, tollitur per absolutionem iis modis, quibus excommunicatio. Formula absolvendi est: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem, vel talem causam &c*. in dubio datur absolutio ad cautelam: *si teneris vinculo suspensionis, absolvo te*. 2. Si suspensio est pœna vindicativa delicti, non tollitur nisi per relaxationem, seu dispensationem ejus, qui eam tulit, aut qui eadem potestate pollet; nisi ad certum tempus lata fuisset: tunc enim, eo lapso, ex voluntate ferentis expirat. 3. Si suspensio a jure lata est absque temporis determinatione, poterit ab Episcopo relaxari: nam talis suspensio non censetur esse pœna perpetua, ut existimant Abb. Sylv. Nav. &c. nam pœnæ perpetuæ addi solet clausula *in perpetuum*, quæ alias superflueret; ergo censetur esse temporalis: & si reservata non est, tolli potest per Episcopum, vel alium privilegiatum: qualiter pro tollendis occultis suspensionibus plerique Regulares privilegiati sunt, sicut Episcopus vi Trid. *sess*. 24. *cap*. 6. *de reform*. Alii vero Sacerdotes non privilegiati, non possunt absolvere a tali censura in pœnam delicti lata; cum absolutio illius non sit necessaria ad absolutionem a peccatis, sicut absolutio ab excummunicatione, quæ præcedere debet absolutionem a peccatis.

§. IV.

De Censura Interdicti.

51. Interdictum in *h. t*. est *censura ecclesiastica privans usu divinorum inter fideles*, puta participatione divinorum officiorum, quorundam Sacramentorum & sacra sepultura. Differt ab excommunicatione; quia hæc privat pluribus bonis spiritualibus, & politicis, solosque homines fideles afficit: e contra interdictum

pri-

privat paucioribus bonis spiritualibus, nullis politicis; & loca etiam sacra afficere potest. Differentia interdicti a suspensione priori §. insinuata est. Dividitur interdictum: 1. In *Personale*, quod directe afficit personam, ne divinis uti valeat: *locale*, quod directe afficit locum, ne in eo divina celebrari possint: & *mixtum*, quod & personas, & loca afficit, & privat divinis. 2. In *generale*, & *speciale*. *Generale locale* est, quo plura loca simul afficiuntur, ut totum regnum, civitas, parochia. *Generale personale*, quo tota communitas hominum afficitur; ut omnes incolæ regni, civitatis, monasterii. *Speciale personale* est, quo una, vel altera persona singularis afficitur etiam indeterminata, v. g. qui furtum commiserit, subjaceat interdicto. *Speciale locale* est, quo unus locus determinatus afficitur; ut hæc Ecclesia. 3. Personale, vel est *totale*, quoad omnes effectus interdicti, vel *partiale*, quoad unum, vel alterum effectum; ut si quis interdicatur ab ingressu Ecclesiæ, vel a celebratione Missæ &c.

52. Q. I. *Qui ferre possint Interdictum*? R. Qui excommunicare, aut suspendere, seu qui habent jurisdictionem in foro externo, ut Papa, Episcopus etiam sine consensu capituli de hodierna consuetudine, Legati apostolici, capitulum, sede vacante &c. Prælati regulares personas quidem interdicere possunt; sed non loca ob receptam consuetudinem.

53. Q. II. *In quem, ex qua causa, & qua forma feratur Interdictum*? R. 1. Subjectum interdicti personalis est homo fidelis, vel aliqua communitas: & interdicti localis est locus sacer jurisdictioni interdicentis subjectus. 2. Causa illud ferendi est culpa mortalis cum contumacia: & quamvis personale speciale ferri possit ob debitum personæ, non tamen ob debita pecuniaria ferri potest interdictum generale, sive locale, sive personale absque consensu Papæ: imo nec locale speciale, *Extrav.* 2. *h. t. int. com.* confirmata a Clem. VII. Constit. *Licet ea* 9. *Kal. Jun.* 1530. 3. Forma ordinaria, qua fertur interdictum sub ratione censuræ est, ut præcedat monitio competens, & sententia interdicti concipiatur in scriptis, ut dictum *n.* 17. Si vero interdictum personale speciale feratur sub ratione pœnæ vindicativæ, non requiritur ista solemnitas, sed sufficit ordinaria, & consueta in judicio criminali. Interdicta generalia, præsertim localia non solent ferri sub ratione pœnæ vindicativæ, sed censuræ; quia gravia sunt, & multis bonis spiritualibus privant.

54. Q. III. *Qui sint effectus Interdicti*? R. 1. Quatuor præcipui: 1. Privatio activi, & passivi usus sacramentorum, *c.* 43. *h. t. c.* 16. *eod. in* 6. 2. Privatio activi usus divinorum officiorum, *c.* 57. *h. t.* 3. Privatio activæ, & passivæ sepulturæ sacræ *c.* 11. *de pœnit. & remiss. c.* 3. §. *quodsi de privil.* 4. Privatio ab ingressu Ecclesiæ, *cap.* 20. *h. tit. in* 6. sed effectus iste non sequitur ex natura interdicti, nisi specialiter exprimatur.

55. R. 2. Tempore interdicti conferri potest: 1. Sacramentum *baptismi*, & *confirmationis*, etiam solemniter pro adultis *c.* 19. *h. t. in* 6. 2. Sacramentum *Pœnitentiæ* non solum moribundis, sed quibuscumque; dummodo pœnitentes non dederint causam interdicto: alioquin prius satisfacere debent, vel de satisfaciendo cautionem præstare idoneam; saltem juratoriam *c.* 24. *alma mater h. t. in* 6. Quibus juribus ampliantur jura antiquiora, quæ tempora interdicti concedebant baptismum tantum pro parvulis, & pœnitentiam pro morientibus, *cap.* 11. *de sponsalibus cap.* 11. *de pœnit.* Dari autem potest absolutio a generaliter interdicto: si vero daretur a specialiter interdicto, valeret, cum interdicto jurisdictionem non tollat. 3. *Eucharistia*, *extrema Unctio*, & *Ordo* regulariter administrari non possunt tempore interdicti *citat. cap. alma*. Eucharistia tamen in articulo mortis infirmis, prægnantibus, & præliantibus conferri potest, *ibid.* item in loco non interdicto ordinari possunt personæ generaliter interdictæ *arg. cap.* 43. *h. t.* 4. Personæ generaliter interdictæ contrahere possunt matrimonium, etiam in loco interdicto, ut probabilius tenent Abb. Covar. & alii contra Suar. Bonac. nam matrimonium, quod principaliter est contractus, neque a clericis ministratur, licet expresse non excipiatur, tamen ex notoria consuetudine numquam censetur comprehendi sub juribus, quæ tempore interdicti prohibent ministrationem sacramentorum; ergo sicut alii contractus, ita & matrimonium celebrari valet tempore interdicti etiam in loco interdicto. Si vero personæ sunt specialiter interdictæ, per accidens ratione censuræ, & contumaciæ, quæ obicem ponit gratiæ, licite non contrahunt matrimonium. At benedictio nuptiarum prohibita est tempore interdicti, Navar. & alii contra Rosell. nam benedictio ista fieri debet a sacerdote; ergo est prohibita, ut mox dicetur, cum per se non sit necessaria ad nuptias; sicut confectio chrismatis ad confirmationem.

56. R. 3. Nomine *divinorum officiorum*, quæ tempore interdicti exerceri prohibentur, veniunt ea omnia, quæ a clericis ex institutione Christi, aut Ecclesiæ fieri solent; ut missa, benedictio olei, fontis baptismalis, ramorum, cereorum, nuptiarum, Ecclesiarum, vasorum, & paramentorum ecclesiasticorum &c. solemnis, & publica recitatio horarum canon. officii B. V. psalmorum, litaniarum &c. E contra licite fiunt, concio ad populum instruendum, benedictio mensæ, privata adoratio Crucis die veneris sacro; modo omittantur cæremoniæ a clericis usitatæ, privata recitatio breviarii: imo per *cap.* 11. *de pœnitent.* Clerici bini, vel terni legere possunt horas canon. in Ecclesia, non tamen cantare.

57. R. 4. Stante interdicto locali generali, nullus laicus etiam infans sepeliri potest in loco sacro *c.* 11. *de pœnit.* nam licet mortuus non ligetur interdicto, ligantur tamen viventes, ne ei sepulturam sacram concedant, donec cesset interdictum: & tunc cadavera fidelium e loco profano exhumanda, & in sacro sepelienda sunt. 2. Interdicti personaliter, sive generaliter, sive specialiter, modo sint publice denunciati, etiam clerici, vel si interdicto causam dederint, privantur sepultura sacra, *c.* 8. *de priv. in* 6. *Clem.* 1. *de sepu.*

58. R. 5. Interdictus ab ingressu Ecclesiæ non potest Ecclesiam ingredi formaliter, & cum effectu, ut ibi divina celebret, vel audiat, vel sepeliatur in loco sacro *c.* 20. *h. t. in* 6. quo sensu procedit *Can.* 15. *latorem* 33. *q.* 2. ubi matricida privatur oratione in templo, scil. publica, & quando divina celebrantur. Violator hujus interdicti per exercitium ordinis fit irregularis, sicut violans suspensionem *cit. c.* 20. E contra interdictus potest privatim Ecclesiam ingredi, ibi preces fundere, item missam in oratorio privato auctoritate Episcopi non-erecto, vel in ipso cœmeterio celebrare, vel audire; modo non sit specialiter interdictus: & probabilius in ipsa Ecclesia sacramenta percipere, cum receptio sacramentorum non reperiatur prohibita in *c.* 48. *h. t. c.* 20. *eod. in* 6. nisi per accidens pro eo tempore, quo divina in Ecclesia celebrantur.

59. Q. IV. *Quid ratione privilegii liceat tempore interdicti*? R. 1. Ex privilegio *c. alma* 24. *h. t. in* 6. licet divina officia celebrare in Natali Domini, in Pascha, Pentecoste, Assumptione B. V. & per Const. Martini V. *Ineffabile*, Eugenii IV. *Excellentissimum* in festo Corporis Christi per totam octavam; quibus diebus etiam fideles, specialiter non interdicti, & qui interdicto causam non dederunt, Eucharistia refici possunt: cum concedatur non præcise *assistere*, sed *participare*. Hoc privilegium non videtur extendi ad sepulturam sacram pro iisdem diebus; quia privatio sacræ sepulturæ est effectus longe alius a privatione div. officiorum; ergo dispensatis div. officiis, non censetur dispensari sepultura sacra.

60. R. 2. Ex privilegio ejusdem *c. alma mater*, tempore interdicti generalis, sive localis, sive personalis in quibuscumque Ecclesiis, & monasteriis missæ, & alia divina officia singulis diebus peragi possunt, servatis conditionibus ibi præscriptis; ut missa fiat submissa voce, januis clausis, non perforatis, sine pulsu campanarum, etiam minoris campanulæ ad *Sanctus*, exclusis excommunicatis, & specialiter interdictis, præsentibus solis clericis, hoc est, personis ecclesiasticis utriusque sexus, non vero laicis; cum textus loquatur de solis clericis. At in Ecclesia specialiter interdicta tantum semel in hebdomada missa celebrari potest pro conficiendo Viatico secundum jus antiquum, *cap.* 47. *h. t.* non vero singulis diebus *arg. c.* 25. *de privil.* ubi privilegium singulis diebus celebrandi conceditur Episcopis pro tempore interdicti localis, generalis, & ab Episcopis extenditur ad clericos per *cit. capit. alma*: ergo

ergo hoc privilegium non habet locum in interdicto locali speciali.

61. ℞. 3. Ex priv. *c.* 11. *quod in te, de pœnit. & remiss.* Clerici, seu ecclesiastici utriusque sexus, qui interdictum servaverunt, & causam ei non dederunt, nec specialiter sunt interdicti, sine pulsu campanarum, cessantibus omnibus solemnitatibus, sepeliuntur in cœmeterio Ecclesiæ, seu loco sacro, aut crypta sepulturæ fidelium destinata. Quamvis autem Sayr. Suar. & alii dicant quoscumque clericos sepeliri posse in Ecclesia specialiter interdicta; alii tamen id asserunt de clericis ejusdem Ecclesiæ; cum alii sepeliri possint in Ecclesiis specialiter non interdictis.

62. ℞. 4. Regulares ex privil. antiquo, cujus meminit *c.* 11. *de pœnit.* tempore generalis interdicti possunt *januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce celebrare divina*; non tamen laicos admittere, etiam familiares alicujus conventus, seu collegii *c.* 11. *de priv.* Dicunt tamen Salmantic. *tr.* 10. *de cens. c.* 6. *punct.* 5. *num.* 66. Alexandrum IV. & Eugen. IV. concessisse, ut admitti possint famuli, operarii, œconomi, syndici, procuratores, tertiarii, & beati: & Clem. VII. id concessit pro Confratribus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo utriusque sexus; modo non sint excommunicati, aut specialiter interdicti. An vero Regulares suspendere possint interdictum in festivitatibus suorum Sanctorum, Circumcisionis, Epiphaniæ, in 4. principalibus B. Virg. Apostolorum, SS. Trinitatis, S. Joan. Bapt. omnium Sanctor. in die defunctorum, & dum Regularis professionem, aut primam missam facit, prout eis conceditur in Bulla Leonis X. 34. & 38. apud Rodriq. in Bullar. merito dubitatur. Negat cum aliis *Anton. a Spir. Sanct.* hoc privilegium revocatum fuisse a Trid. cum ei non contradicat, sed Navar. Garcias, & alii dicunt esse revocatum a Trident. ut fertur declarasse S. Congregatio. 2. Regulares in privilegiis communicantes tempore interdicti possunt recipere S. Eucharistiam, & extremam unctionem, & mortuos sepelire in suis cryptis, ut passim videre est in Compend. Privil. Minor. & Socier. Jesu *v. interdictum.*

63. Q. V. *Ad quæ loca, aut personas se extendant interdicta generalia localia, & personalia?* ℞. 1. Pro interdicto locali sequentes tradi regulas: 1. Interdicta terra domini, censentur interdicta omnia loca, pleno, & absolute dominio ei subjecta, etsi vendantur; quia cum interdicto transeunt: non tamen illa loca, in quibus dominus tantum jurisdictionem habet, vel usumfructum, emphyteusim, aut feudum, nisi aliud exprimatur. 2. Interdicta diœcesi, aut civitate episcopali, etiam censetur interdicta Ecclesia cathedralis, *c.* 17. *h. t. in* 6. ne vis interdicti generalis eludatur: unde non est hic locus argumento ex *cap.* 4. *de præb. in* 6. petito. 3. Interdicta Ecclesia principali, etiam interdicuntur capellæ illius, & cœmeterium, tanquam quid accessorium *cit. cap.* 17. sed interdicto cœmeterio, vel capella, non censetur ecclesia principalis interdicta. 4. Interdicta civitate, etiam interdicuntur suburbia, & ædificia continentia, seu non procul distantia, etiamsi sint alterius diœcesis, & jurisdictionis, *cit. c.* 17. quod speciale est contra *c. fin. de Const. in* 6. *& reg. odia in* 6. ne vis interdicti eludatur, cum incolæ civitatis facile ad vicina loca egredi, & ibi divina audire possent. 5. Interdicta generalia localia tenentur observare seculares, & Regulares etiam exempti, incolæ, & exteri *c.* 4. 10. *de priv. in* 6. Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *de regg.* & qui interdicto causam dederunt, semper, & ubique censentur personaliter interdicti, ut in loco etiam non interdicto divinis operari, vel interesse nequeant *c.* 16. *h. t. in* 6. illi vero, qui interdicto generali locali causam non dederunt, alibi divinis interesse valent. Hinc interdictum locale respectu ejus, qui ei causam dedit, vocari solet *deambulatorium*, quia sequitur personam ad quæcumque loca venientem.

64. ℞. 2. Pro interdicto personali generali has tradi regulas: 1. Interdicta universitate, v. g. civitate, collegio, monasterio, censentur interdicta omnia membra, seu omnes illius personæ, etiam absentes, vel in suburbiis habitantes aut post interdictum incorporatæ, etiam Duces, Marchiones, & alii Domini, nisi diversæ jurisdictionis essent, aut speciali privilegio exempti, *cap.* 16. *h. t. in* 6. non tamen exteri, & peregrini, ut mercatores, studiosi, quia proprie non sunt pars populi: & probabilius nec illi, qui duplex domicilium habent, cum non sit ratio, cur potius sint pars populi interdicti, quam non interdicti. 2. Interdicto clero, non censetur populus interdictus, nec e contra, nec Ecclesiæ, aut loca sacra *cap.* 16. *h. t. in* 6. adeoque alii clerici populo divina facere possunt. Neque sub interdicto cleri venit Episcopus, nisi exprimatur, *cap.* 4. *h. t. in* 6. neque Regulares, qui in odiosis non veniunt nomine clericorum: secus interdictum latum est in personas ecclesiasticas; quia Regulares sunt proprie personæ ecclesiasticæ.

65. Q. VI. *Quæ sit obligatio servandi interdictum, & pœna illud violantium?* ℞. 1. Obligatio ista per se est gravis sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset; ut si quis per unum versiculum divinis officiis interesset. Hi tamen, qui censurati non sunt, non tenentur vitare personaliter interdictum, nisi interdictum publice denunciatum sit juxta decr. Conc. Const. *Ad evitanda.*

66. ℞. 2. Si laici violent interdictum, pœna est arbitraria, exceptis casibus *Clem. h. t.* expressis, si compellant clericos in loco interdicto celebrare, si ad audienda divina aliquos convocent, præsertim excommunicatos, aut interdictos, si prohibeant excommunicatos, aut interdictos, monitos a celebrantibus exire, si ipsi excommunicati, aut interdicti moniti exire, remanere præsumant: tunc enim excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam incurrunt per *cit. Clem.*

67. ℞. 3. Clericus violans interdictum personale, sive generale, sive speciale, per exercitium ordinis, vel scienter celebrans in loco interdicto, fit irregularis: & si hoc interdicto durante decedat, privatur sacra sepultura *c.* 18. *&* 20. *h. t. in* 6. At si clericus non interdictus celebret in loco non interdicto, & admittat interdictos, tantum incurrit censuram interdicti ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciat ei, cujus censuram contempsit *c.* 8. *de privil. in* 6. 2. Clericus violator interdicti localis privatur voce activa, & passiva *cit. c.* 18. *in fin.* & per sententiam suspendi debet ab officio, & beneficio *c. fin. de excess. prælat.* non tamen privari officio, & beneficio: nam privatio ista, de qua loquitur prior pars decretalis, procedit in casu illo speciali, quo Episcopus tulit sententiam notorie injustam, & alios compulit ad violationem interdicti apostolici. 3. Sepeliens aliquem non privilegiatum in loco interdicto, vel interdictum denunciatum in loco non interdicto, incurrit excommunicationem ipso facto, a qua non est absolvendus, donec ad arbitrium diœcesani satisfaciat, *Clem.* 1. *de sepult.*

68. Q. VII. *Quomodo tollatur interdictum?* ℞. 1. Si latum est absolute per sententiam, relaxari potest per absolutionem, vel dispensationem ejus, qui illud tulit, aut similem potestatem habet: si vero latum est pro tempore determinato, vel sub conditione, his evenientibus, cessat absque ulla nova absolutione. 2. Interdictum locale, sive generale, sive speciale, & interdictum generale personale non potest relaxari, nisi ab habente jurisdictionem in talem locum, aut populum; non vero a Regularibus: nam hi relaxant censuras in foro conscientiæ; locus autem, & communitas populi non subditur tali foro. 3. Interdictum personale speciale a jure reservatum relaxari potest a reservante Papa, ab Episcopo, & Regularibus privilegiatis in foro conscientiæ. At si reservatum non sit, relaxari potest a proprio sacerdote, sicut de excommunicatione dictum ex *cap.* 29. *h. t.* ubi cetera huc accommodari possunt.

69. Q. VIII. *Quid veniat nomine excommunicationis, suspensionis & interdicti, si absolute proferantur?* ℞. 1. Nomine *excommunicationis* venit major, separans a communione fidelium *cap.* 59. *h. t.* 2. Similiter suspensio, & interdictum absolute lata, supponunt pro majori, & proprie tali *arg. c.* 59. nam jus non meminit alicujus minoris suspensionis, & interdicti, quæ ob leve peccatum contrahantur.

§. V.

De Cessatione a Divinis.

70. *Cessatio a divinis*, interdicto affinis, est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, & sepultura sacra in aliquo loco. Ali-

Aliter vocatur *suspensio organorum*, seu *divinæ laudis*. Differt ab interdicto: nam interdictum est censura, ferri potest ab homine, vel jure, ejusque violator per exercitium ordinis fit irregularis: e contra cessatio a divinis non est censura, sed mera negatio divinorum officiorum, ejus violator non fit irregularis; nec illa fertur ab jure, sed semper ab homine in signum doloris, & tristitiæ conceptæ ob gravissimam injuriam Ecclesiæ, aut honori divino illatam, ejusque reparationem.

71. Q. I. *Quis, & ob quam causam indicere possit cessationem a divinis?* R. 1. Papa, Episcopus, & capitulum, Sede vacante, vel alius superior habens jurisdictionem externam, potest indicere cessationem ob aliquod gravissimum delictum notorium notorietate facti cum scandalo, servata debita forma, ut prius moneatur delinquens de satisfactione præstanda, tum ei renuenti instrumentum cessationis cum causæ expressione tradatur: secus cessatio est invalida, & eam indicens tenetur reparare omnia damna inde consequentia, sive parti læsæ, sive ministris Ecclesiæ: ita Bonif. VIII. *cap.* 8. *de off. ordinar. in* 6. 2. Si capitulum seculare, aut regulare, etiam sede plena, vult indicere cessationem, id fieri debet capitulariter, vocatis omnibus, sicut ad negotium electionis: secus decretum cessationis, sicut electionis, est invalidum, *ibid.*

72. Q. II. *Qui sint effectus cessationis a divinis?* R. 1. Tres præcipui: privatio div. officiorum, sacramentorum, & sepulturæ sacræ, quos effectus Papa inferior restringere nequit, *cap.* 11. *de sponsalib.* excepta *sepultura sacra*: nam hæc non venit nomine divinorum officiorum; adeoque non continetur sub cessatione, nisi ei annexum sit interdictum; & ideo *cit. cap.* 11. nulla mentio fit sepulturæ.

73. R. 2. Cessatione valide indicta, non possunt a clericis celebrari missæ, & alia div. officia, etiam eo modo, quo conceditur tempore interdicti per *c. Alma h. t. in* 6. ita com. nam interdictum, & cessatio sunt diversa, a quibus non fit illatio; ergo privilegium d. cap. quo conceditur celebratio privata missarum janüis clausis, non debet extendi ab interdicto ad cessationem, etiam ob paritatem rationis per *c.* 9. *de privil.* secus cessatio nihil novum adderet supra interdictum: tum quia clerici, si tempore cessationis possent recitare horas can. in choro, non privarentur distributionibus quotidianis, quod falsum est; cum dans causam cessationi teneatur distributiones istas compensare *c.* 2. *de off. ord. in* 6. ergo signum est tempore cessationis nec privatim janüis clausis, div. officia celebrari posse. Hic tamen notant Sanch. Suar. Salmant. & alii consuetudine receptum esse, ut illis festivitatibus, quibus tempore interdicti divina solemniter celebrari permittuntur, etiam tempore cessationis solemniter celebrentur. Item communis admittit clericos binos, & binos privatim in Ecclesia posse recitare horas can. tempore cessationis, sicut tempore interdicti *c.* 11. *de pœnit. & remiss.* ubi declaratur talem orationem non venire sub interdictum, & cons. neque sub cessationem.

74. R. 3. Attento rigore juris, solus baptismus parvulis, & morientibus pœnitentia, atque viaticum ministrari potest tempore cessationis, *arg. c.* 11. *de sponsal.* At ex benignitate Ecclesiæ videtur indultum, ut etiam baptismus adultis, confirmatio, & pœnitentia sanis ministretur, & matrimonium sine solemnitate nuptiali contrahatur, quod secundum consuetudinem Rom. Ecclesiæ omni tempore contrahi potest, *c.* 4. *de feriis.* Ordo vero, Eucharistia sanis, & extrema Unctio moribundis non sunt ministranda, nisi æger aliud sacramentum recipere nequiret: tunc enim extreme ungi potest, ut ex attrito fiat contritus.

75. Q. III. *Quomodo, & quos obliget cessatio a divinis?* R. 1. Obligat sub mortali directe clericos, & indirecte laicos: quia est præceptum ecclesiasticum in materia gravi: ejus tamen violatoribus non est certa pœna a jure taxata, exceptis religiosis, & exemptis, qui violantes cessationem generalem quæ a matrice Ecclesia observatur, ipso facto excommunicantur. *Clem.* 1. *h. t.* quam confirmat Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de regg.* 2. Dans causam cessationi legitime indictæ tenetur reparare omnia damna inde consequentia; ut compensare distributiones, & stipendia, quæ clerici ex missis, & aliis div. officiis acquisivissent &c. item condemnari potest ad aliquam quantitatem Ecclesiæ applicandam, *c.* 2. *&* 8. *de off. Ord. in* 6.

76. Q. IV. *Quomodo tollatur cessatio?* R. 1. Relaxatione ejus, qui eam tulit, vel qui simili potestate præditus est. 2. Tacite tollitur, si partes intra mensem inter se non componant circa cessationem: & quidem si indicens per se, vel per procuratorem negotium hoc intra mensem non referat ad judicium Papæ, statim tollitur cessatio, ne per eam Ecclesia gravetur, *c.* 8. *de off. ord. in* 6. Si vero pars, quæ causam dedit cessationi, Romæ non compareat, per hoc non liberatur, neque cessatio tollitur, ne ex contumacia sua commodum reportet, sed ipse tenetur relaxationem cessationis petere ab illo, qui eam indixit. De materia censurarum, præter Canonistas, consule Salmantic. *tract.* 10. *de censuris.*

TITULUS XL.

De Verborum significatione.

Agitur de hac in Sexto, Clement. & Extrav. Joan. XXII. *h. t.* & amplissime in Pandectis *eod. tit. & lib.* 34. *tit.* 5. in Codice *lib.* 6. *tit.* 38.

1. Compilator noster ad imitationem Pandectarum concludit jus canon. duobus generalibus titulis, scil. de *V. S.* & *R. J.* quorum materia per totum jus vagatur, ut vidimus in singulis anterioribus titulis.

2. Q. I. *Quid, & quotuplex sit verborum significatio?* R. 1. Est legitima acceptio vocum pro eo, pro quo substituuntur, Dic. *legitima*, quia verba in jure non sunt intelligenda præcise grammatice, seu litteraliter, & *dialectice*, seu philosophice, sed potissimum secundum leges, & regulas communiter a DD. receptas. *Dicitur* 2. *pro eo*, hoc est, pro re, quam verba, seu voces significant secundum mentem legislatoris.

3. R. 2. Verborum significatio est varia: *Propria*, quam verba habent ex prima institutione. 2. *Usualis*, seu *consuetudinaria*, quam verba habent non ex prima institutione, sed ex moderno usu, ut lex canon. Imperator pro rege, aut principe, hæresis, usura &c. 3. *Abusiva*, seu *vulgaris*, quam verba habent ex vulgi acceptione contra communem usum: ut servus pro famulo conductio, parens pro vitrico &c. 4. *Impropria*, seu *metaphorica*, quam verba habent ex similitudine. 5. *Civilis*, seu *juridica*, quam verba habent ex impositione juris, seu legislatoris; sicut arrogatus dicitur filius, servus, aut religiosus mortuus, aut capite minutus: cujusmodi significationes plurimæ sunt in utroque jure.

4. Q. II. *Quæ sint regulæ significationis verborum?* R. 1. Generales coincidunt cum illis, quas dedi pro interpretatione legum, privilegiorum, & dispensationum *tit. de Const. a num.* 39. verbi gratia, accipienda sunt in sensu proprio, secundum mentem legislatoris, conformiter motivo, seu causæ finali, cum effectu, ut aliquid operentur, generalia generaliter, odiosa stricte, favorabilia ample, dubia, & obscura, ut quam minime obligent; vel ut minime recedant a jure antiquiori claro &c. Ipsæ regulæ utriusque juris docebunt te generalia principia interpretandi significationes verborum.

R. 2. Regulæ particulares, quid quælibet vox in sensu juris significet, traduntur *h. t.* & in juribus supra allegatis, & magis lectione, quam interpretatione indigent: sic *novalis* in jure can. significat agrum, nunc primum ad culturam redactum: *pater* omnes ascendentes, natus mox mortuus, quasi non sit natus *cap.* 1. 2. 3. *h. t.* Cetera leges in ipsis capitulis, ubi etiam in 6. Clem. & Extrav. Joann. XXII. reperies declarationem regulæ Sancti Francisci Patriarchæ Minorum. Percurrere etiam *titul. ff. de V. S.* qui ad notitiam juris maxime est necessarius. De significatione clausularum, quæ in Constitut. pontificiis poni solent, sparsim hinc inde diximus, & videri potest Barbosa tract. de clausulis.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

Agitur de his in Sexto, & Pandect. *eod. tit. ult.*

1. *Nota* 1. *Regulam*, a regendo dictam, definiri, quod

fit sententia, *quæ rem, quæ est, breviter enarrat l.* 1. *ff. h. t.* seu quæ jus præexistens summarie refert. Aliter vocatur: *Canon, definitio, maxima, axioma:* non enim ex regula fit jus, puta novum, sed ex jure præexistente facta est regula *cit. l.* 1. Sic quia §. 3. *Inst. de usucap. c.* 5. *& fin. de præscr.* & alibi frequenter dicitur bonam fidem requiri ad usucapionem, inde nata est *reg.* 2. *in* 6. *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Et sic in ceteris regulis discurrendum.

2. *Nota* 2. Regulas dividi in *authenticas*, quæ auctoritate legislatoris nituntur, uti Regulæ Gregorianæ, in Sexto, & Pandectis *h. t. & doctrinales*, seu *Brocardicas*, quæ a Doctoribus privatis instar axiomatum inventæ, & usurpatæ sunt. *Authenticæ* vim juris obtinent, & fundant intentionem allegantis, donec adversarius casum a regula exceptum ostendat. Frequenter tamen fallunt; & ideo nulla regula sine exceptione. *Brocardicæ* non faciunt jus, nec fundant intentionem allegantis, sed probabiliter, si materia subjecta patitur, admitti solent; alioquin plurimas exceptiones habent, v. g. *ubi est eadem ratio, eadem est juris dispositio, connexorum eadem est ratio, & idem jus. Tacitum idem operatur, quod expressum. Spoliatus ante omnia restituendus est* &c. Rursum Regulæ authenticæ, vel sunt *generalissimæ* vagantes per omnem materiam, v. g. *omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur;* vel sunt generales in certa materia, v. gr. *beneficii ecclesiastici, juramenti &c.*

3. *Nota* 3. Exceptionis a regula tres esse præcipuos effectus. 1. *Exceptio non ampliat, sed restringit regulam:* nam universalitas ipsius deficit respectu casus excepti: & per hoc, quod aliquid regulæ detrahatur, non sequitur, regulam debere extendi ultra proprietatem suorum verborum. 2. *Exceptio declarat regulam;* nam ex qualitate exceptionis apparet, de quo genere regula disponat. 3. *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis,* hoc est, quod casus, qui excepti non reperiuntur, censeantur comprehensi sub regula. His præjactis, breviter attingam regulas juris canon: idque propter tyrones juris, quibus suadetur ab initio condiscere easdem regulas, alioquin plena regularum notitia prærequirit notitiam totius juris. Fuse has regulas explicat Glossa Magna, Aug. Barb. & alii.

Regulæ in Decretalibus antiquis, seu Gregorianis sunt XI.

4. I. *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, ex reg.* 36. *ff. Nihil tam naturale est, quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est*. Valet in contractibus, & obligationibus temporalibus a voluntate contrahentium dependentibus, *reg.* 36. 100. 153. *ff.* Fallit 1. In his, quæ sunt juris divini; ut matrimonium, & cetera sacramenta, juramenta, vota. 2. In traslatione Episcoporum, absolutione censurarum; quia sæpe ligat, qui solvere non potest, & solvit, qui ligare non potuit. Sic Archiepiscopus potest suum suffraganeum alligare Ecclesiæ, non tamen solvere *c.* 2. *& fin. de translat.* & regularis confessarius potest a multis censuris absolvere; non tamen his ligare &c.

II. *Dubia in meliorem partem interpretari debent, ex cap.* 2. *h. t. & reg.* 30. *in* 6. *& reg.* 9. *ff. semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*. Valet in actibus indifferentibus; & ex genere suo permissis, & in his, quæ sunt securiora; sicut in dubio securius est reum absolvere, quam condemnare *c.* 6. *in fin. de fide instrum.* Fallit in delictis, & actibus ex genere suo malis, qui præsumuntur dolo malo fieri, donec contrarium probetur, *l.* 15. §. 38. *ff. de injur.*

III. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur*. Reg. procedit de veritate bonæ vitæ; quia non licet peccare ad evitandum scandalum. At veritas justitiæ vindicativæ, & disciplinæ, seu rigor in puniendo quandoque omitti potest, ne scandalum oriatur; & ideo permittuntur minora mala ad majora præcavenda *c.* 23. *etsi* 1. *q.* 7. *& Can.* 25. *d.* 50. &c. Gloss.

IV. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum:* nam necessitas non habet legem, *c.* 2. *in fin. de observ. jejun.* Valet in lege positiva, præsertim humana; fallit in lege naturali, & quoties lex positiva violanda esset in contemptum potestatis Ecclesiæ *c.* 5. *de his, quæ vi.*

V. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere:* nam clam, per vim, vel alias illicite facta, sicut non obligant, ita non debent permanere; cum contra jus, vel sint irrita, vel irritanda. Fallit in his, quæ fieri prohibentur, & facta tenent.

VI. *In ipso causæ initio non est a quæstionibus*, seu tormentis, & torturis *inchoandum ex l.* 1. *ff. de qq. l.* 8. §. 1. *C. eod.* nam ante tormenta, seu torturam præcedere debet semiplena probatio, seu præsumptiones sufficientes. Reus tamen, si suspectus sit de fuga, ab initio incarcerari potest custodiæ causa.

VII. *Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, & a quoquam violari non debent:* nam violatores rei, *loci, & personæ,* quæ sacra sunt, sacrilegium committunt, & jus publicum consistens in sacris, & sacerdotibus offendunt, *Can.* 11. *d.* 1. *ex l.* 1. §. 2. *ff. de J. & J.*

VIII. *Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat, facit; & ideo jam non facit*. Procedit de timore serviliter servili, non filiali, aut concepto ex motivo honesto, maxime supernaturali.

IX. *Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus, ex Jacob.* 2. *& Can. fin. de pœnit. d.* 5. Fit omnium reus, ratione finis; quia etiam unum peccatum lethale impedit gratiam, & vitam æternam; non tamen fit reus omnium ratione malitiæ, & pœnæ.

X. *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit*. Reg. procedit de Episcopis, & aliis præpositis animarum, de quorum manibus sanguis subditorum requiritur. Ignorantia eos non excusat; quia plerumque supina est, cum prælatorum sit inquirere in delicta subditorum, Gloss.

XI. *Indignum est, & a romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur:* nam imponere pro spiritualibus onus *homagii*, seu juramenti fidelitatis a vasallis in feudo Ligio præstari soliti, est manifesta simonia, cum detur spirituale pro temporali. At juramentum obedientiæ, quod Episcopi, & alii prælati præstant Sedi apostolicæ, honestum est, necessarium hodie, & in Ecclesia usitatum, *Can.* 1. *&* 4. *d.* 100. *c.* 4. *de elect. &c.*

Regulæ in Sexto Decretalium sunt LXXXVIII.

Decas I.

5. I. *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri*. Valet de beneficio in titulum obtento: fallit in beneficio obtento jure proprietatis, & administrationis, & quo ad proventus ecclesiasticos ex certa causa acquisitos etiam per præscriptionem *cap. de jure patron. Can.* 66. *quicumque* 12. *quæst.* 2. *& Can.* 61. *possessione* 16. *quæst.* 1. *& Can.* 12. *si Episcopus* 16. *quæst.* 3. *&c. Dices:* jus eligendi, & præsentandi acquiri potest præscriptione *cap.* 55. *de elect.* ergo etiam jus beneficii. ℟. Neg. consequ. nam electio, & præsentatio fieri potest nostris actibus; & ideo jus eligendi, aut præsentandi subest præscriptioni: e contra institutio in titulo beneficii fit actibus alienis scilicet superioris legitimi; & ideo non subest præscriptioni, nisi conformiter regulæ 36. Cancellar. Apostol. de triennali possessione; vel eo modo, quo Prælatus alter contra alterum præscribi jus alios instituendi, *cap.* 18. *de præscript.*

II. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. ex *cap.* 5. *& fin. de præscr.* Hæc reg. corrigit jus civ. quo ad continuationem possessionis non requiritur bona fides, neque ad præscriptionem longissimi temporis 30. vel 40. annor. *Inst. de usucap. l.* 7. *C. de præscr.* 30. Nec obstat *reg.* 74 *in* 6. nam procedit de actu perfecto, & completo, non vero inchoato, sicut inchoatur possessio ad usucapionem.

III. *Sine possessione præscriptio non procedit*. Nomine possessionis venit etiam quasi possessio in rebus incorporalibus, seu juribus, *cap.* 19. *de jurepatr.* Unde quia laicus non est capax possidendi spiritualia, ideo præscribere nequit jus eligendi, instituendi, confirmandi clericos; bene vero jus patronatus, seu præ-

præsentandi, ad quod laici generaliter a jure habilitati sunt.

IV. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*. S. Aug. in *Can*, 1. 14. *q*. 6. Reg. procedit de omni læsione reparanda, saltem in proposito, seu affectu, si nequeat in effectu.

V. *Peccati venia non datur, nisi correcto* ex *Can*. 2. 24. *q*. 2. in temporalibus sæpe pœna dissimulatur, ne majus malum sequatur.

VI. *Nemo potest ad impossibile obligari* ex *reg*. 185. *ff. impossibilium nulla obligatio est*, sive quid sit impossibile *ex natura*, ut hominem volare, sive impossibile *de facto*, ut a mendico dari decies mille aureos, sive impossibile *de jure* seu turpe contra jus divinum, aut humanum, ut obligari ad furandum, fornicandum &c. *Nam quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est l.* 15. *ff. de condit institut.*

VII. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*. At privilegium reale inhærens castro, communitati, dignitati, vel alteri rei transit ad successores ex *reg*. 196. *ff. Privilegia quædam causæ sunt*, seu rei, *quædam personæ*: *& ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ personæ sunt ad hæredem non transeunt*. Sic quia privilegium, seu jus pallii archiepiscopalis personale est, non transit ad successorem, *c*. 2. *de auctor. & usu pall.* idem dic de privilegio competentiæ, dotis, & de privilegiis, quæ Episcopi pro sua persona solent impetrare a Sede Apost.

VIII. *Semel malus, semper præsumitur malus* ex *Can*. 14. *parvuli* 22. *q*. 5. Præsumptio ista juris est in eodem genere; quia ex malo fieri bonum, est facti, adeoque probari debet ad elidendam præsumptionem. Si autem delictum non præcedat, quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus.

IX. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, *l*. 6. §. 6. *ff. de negot. gest.* Reg. ista procedit 1. in *delictis*, quæ non potest aliquis rata habere, si ejus nomine non sunt gesta: & ideo, v. g. Titius non incurrit excommunicationem Canonis, si approbavit factum Caji, qui suo, & non nomine Titii clericum verberavit, *c*. 23. *de sent. excom. in* 6. 2. In obligationibus, & præjudiciis, seu rebus odiosis: & ideo qui gessit negotia filii mei peculiaria, non meo, sed filii nomine, non obligor ei in solidum, sed peculiotenus, *cit. l*. 6. §. 6. etsi negotiorum gestionem comprobaverim. Fallit regula ista 1. in *novo consensu* confirmante; sicut Superior, vel cujus interest, confirmare, seu consentire potest in factum alterius, quod alias vires non haberet, *Can. fin*. 9. *q*. 2. ubi Episcopus dispensative consentit in executionem ordinum, quos clerici ab alieno Episcopo susceperunt, & *c*. 3. *de his, quæ a Prælat.* ubi convalidatur alienatio a Prælato facta, si capitulum, superveniente consensu, eam ratam habuit, *&c*. 28. *de elect.* subsistit electio, si Canonicus spretus ei consentit, & *l*. 7. §. *pen. ff. ad SC. Maced.* consensu, & solutione patris confirmatur mutuum in pecunia a filio acceptum &c. 2. Fallit in eo, ex quo jactura rei meæ sequeretur, nisi factum ratum haberem ex *l*. 2. §. *fin. ff. depositi l*. 20. *pr. ff. de pignorat. action. l*. 3. *C. de rei vind.* maxime, si æquitas id suadeat; ut si res mea, non meo nomine vendita, periit apud emptorem; tunc enim ratificare possum venditionem, ut pretium ab emptore obtineam, *l*. 9. *ff. de negot. gestis*.

X. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*. Ne regula ista directe contrarietur priori, supplenda est, ut ratihabitio tunc mandato comparetur, dum quod ratum habeo, nomine meo gestum est, Gloss. hic, & Gothofr. *l*. 60. *ff. de reg. jur. n*. 25. Valet reg. ista: 1. In *judiciis*, re quasi integra manente: ut si dominus ratam habeat contestationem litis a falso procuratore factam, vel positiones, aut responsiones suo consensu datas, *l*. 56. *ff. de judic. c. fin. in fin. de jurej. in* 6. 2. In *contractibus l*. 6. *pr*. §. 1. & *seqq. ff. de negot. gestis l*. 9. *C. eod. &c*. an vero in tali casu gerenti negotium meum, a me ratificatum, competat actio *mandati*, vel *negotiorum gestorum*, in effectu nihil differt, quia utraque actio ad idem tendit. 3. In *maleficiis*, seu delictis, saltem in quibus jus ratihabitionem pro mandato habet, *reg*. 152. §. 2. *ff. in maleficio ratihabitio mandato comparatur*. Sic ratam habens percussionem clerici nomine suo factam, excommunicatur, *c*. 23. *pr. de sentent. excom. in* 6. non tamen fit irregularis; quia id in jure non reperitur. Item ratam habens dejectionem tenetur interdicto *Unde vi. l*. 1. §. 14. *ff. de vi armat.* Sed fallit regula ista in multis: 1. Si ratihabitio fit in præjudicium, & contra jus quæsitum tertii, ut si dominus ratificaret gesta procuratoris falsi in judicio vincentis: nam exceptio falsi procuratoris opponi potest etiam post sententiam *l*. 24. *C. de probat. l*. 1. *pr. ff. quæ sent. sine appell.* Secus si ratificatio solum præjudicium ratificantis contineat *l. fin. C. ad SC. Maced. l*. 3. §. *un. ff. ratam rem haberi &c*. 2. Si mandatum, vel auctoritas per modum formæ ab initio requiratur, *l*. 25. §. 3. *ff. de acq. hæred. reg*. 29. *ff. & reg. non firmatur in* 6. 3. Si principalis natura impeditus fuit ad dandum mandatum, sicut infans, furiosus. Unde infans adultus factus ratificando homicidium nomine suo factum, non censetur mandasse homicidium; quia hoc ei erat per naturam impossibile. 4. Fallit in rescriptis justitiæ ad evitandas multas fraudes *c*. 28. *in fin. de rescript*. 5. Fallit in plerisque delictis, ut L. Corneliæ de sicar. de falsis &c. nisi delicta essent pendentia, & ratificans concurreret ad eorum executionem: secus non video, quomodo fictio a jure non expressa locum habeat in criminalibus.

Decas II.

XI. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*, ex *reg*. 125. *ff. Favorabiliores rei potius, quam actores, habentur*. Exempla habes *Can*. 13. *indicat* 3. *q*. 9. & *c*. 6. *ad fin. de fide instrum. &c*. Excipe, nisi actor persequatur causam favorabilem libertatis, matrimonii, dotis, & testamenti, *cap*. 3. *de probat. l. ante pœn. ff. de manumissionib. & Canon*. 3. *si quis* 33. *q*. 1. *&c*.

XII. *In judiciis non est acceptio personarum habenda*, ex *Can. fin*. 3. *q*. 9. & *c*. 13. *de judic.* puta ut judex in sententiando recedat a justitia; cum hoc grave sit peccatum. At in ceteris, ut assurgendo, sedendo, pœnam mitigando, sæpe, defertur dignitati, & personæ, *Can*. 15. *non oportet dist*. 93. & *Can*. 1. *d*. 40. & *c*. 9. *de off. deleg. l*. 16. §. 3. *ff. de pœnis &c*. Item in arbitrariis potest judex gratiosus esse, *c*. 24. *de offic. deleg.* ne tamen peccet contra *cap*. 1. *de sentent. & re jud. in* 6.

XIII. *Ignorantia facti, non juris excusat. l*. 2. 4. 7. 9. *ff. & l*. 2. 3. 10. 12. *C. de J. & F. Ignor.* Facti ignorantia, dum quis sciendo legem ignorat, quid agatur, v. g. minorem esse, cum quo contrahit, excusat, quia facta, cum sint innumera, etiam prudentissimos fallere possunt. Excipe, nisi factum notorium sit in vicinia *c*. 8. *de præsumpt.* vel ignorantia sit improbabilis, & culpabilis, sicut *Can*. 6. *in lectum* 34. *q*. 3. *l*. 36. *ff. famil. hercifcund. tit. C. de hæreditar. action.* At ignorantia juris, dum quis leges communes ignorat, non excusat agentem; quia leges scire debuit. Hinc ignorantia juris non prodest in usucapionibus, contractibus, & ultimis voluntatibus *l*. 4. *l*. 9. *pr*. §. 3. 5. *ff. de J. & F. Ignor. l*. 16. *C. de testam. Excipe* 1. Personas, in quibus toleratur ignorantia juris; uti sunt milites, rustici, pueri, fœminæ, quibus ignorantia juris non nocet in dispendiis, seu in amittendo suum, non tamen prodest in compendiis, seu in lucrando, *l*. 7. 8. *ff. de J. & F. Ignor*. 2. *In omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet*, *cit. l*. 8. & ideo ex ignorantia juris solvens indebitum, solutum condicere potest; quia *juris ignorantia suum petentibus non nocet*. *cit. l*. 7. Sed his legibus e diametro opponitur *l*. 10. *C. de J. & F. Ignor. l*. 9. *C. ad L. Flacid.* ubi negatur talis repetitio. *Concilia*, dicendo: priora jura Digestorum loqui secundum æquitatem naturalem, maxime pro foro interno, in quo nullus debet locupletari cum jactura alterius: leges vero ex Codice loqui secundum rigorem juris, & de condictione stricto jure competente: rigor autem iste non excludit implorationem nobilis officii judicis, præsertim ecclesiastici ratione peccati, ut declaravit Innocentius III. cap. *Novit* 13. *de judiciis*.

XIV. *Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere ex reg*. 42. & 156. §. 2. *ff*. Sic hæres rem defuncto commodatam, vel depositam, cogitans esse hæreditariam, bona fide vendere potest, & emptor eam usucapere, §. 4. *Instit. de usucapion.* nam de facto alieno justa est ignoratio.

Valet reg. iſta pro his, qui conveniuntur, non pro his, qui agunt; quia iſti debent eſſe certi de jure ſuo, *citat. regul.* 42. *ff.*

XV. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari: & l.* 155. *in fin. ff. h. t. in pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt*. Nomine odiorum veniunt hic pœnæ, obligationes, privilegia, & diſpenſationes, quæ contrariantur juri communi, & juri tertii, uti & privilegia ambitioſa in beneficiis. Nomine *favorum* intelliguntur conceſſiones benevolæ, quæ nulli nocent, neque præjudicant, niſi concedenti. Nonnunquam odia amplianda ſunt, ſi lex aliter non poſſit ſortiri ſuum effectum *c.* 17. *de ſent. excom. in* 6. & e contra favores reſtringendi, ſi incipiant eſſe noxii Eccleſiæ, bono communi, diſciplinæ eccleſiaſticæ, & regulari, *c. pen. de cler. non reſid. c.* 9. *de decimis &c.*

XVI. *Decet conceſſum a principe beneficium eſſe manſurum*: nam ſicut jura, ita & beneficia principum firma, & perpetua eſſe convenit; modo ſint *gratiæ facta, & non tantum facienda c.*36. *de præb. in* 6. uno actu conſummata, licet deinde cauſa ceſſet: ſecus ſi pendet a cauſa tractum ſucceſſivum habente; ut ſi quis diſpenſaretur a recitando breviario ob ſtudia, & labores, ceſſantibus ſtudiis, & laboribus, ceſſat, vel ſuſpenditur hoc privilegium. Plura de his vide *tit. de privil.*

XVII. *Indultum a jure beneficium non eſt alicui auferendum*, puta ab inferiori. Sic Epiſcopo indulgetur, ut tribus menſibus per annum a ſua diœceſi abeſſe poſſit, Trid. *Seſſ.* 23. *c.* 1. *de reform.* parocho, ut intra annum ſuſcipiat presbyteratum *cap.* 14. *de elect. in* 6. mulieri, ut mortuo viro, ſtatim intra tempora luctus nubere poſſit. *c. pen. & ult. de ſecund. nupt.* Similiter conceduntur tempora dilationum, ſolutionum, appellationum, & alia paſſim in jure. At conditor juris, vel ejus ſucceſſor beneficia iſta tollere, vel reſtringere poteſt: ſic in multis caſibus reſtringitur appellatio, privilegium ætatis, SCti Macedoniani &c.

XVIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit, ex reg.* 29. *ff. quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere: & reg. pen. ff. quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſtfacto convaleſcere non poteſt*. Intellige, ſi res maneat in iiſdem terminis, in quibus fuit ab initio: ſecus ſi illi adveniant omnia neceſſaria ad valorem. Solum ergo tempus ex actu invalido non facit validum; bene vero, ſi cetera neceſſaria cum tempore concurrant: quo ſenſu explicatur *Can.*25. *principatus* 1. *q.* 1. *& c.* 9. *de reſcript. in* 6. *c.*29. *de præb. in* 6. *l.* 83. §. 5. *ff. de V. O.* & e contra pro convalidatione actus ſtant. *l.* 27. *ff. de ritu nuptiar. l.* 6. *C. de nupt. & Can.* 56. *ſi quis de rebus* 12. *q.* 2. *& Can. fin.* 16. *q.* 1. *& Can.* 3. *de his, quæ fiunt a prælato, & Can.* 11. *de jure patr. & c.* 9. *de deſponſat. impub.*

XIX. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet ex reg.* 36. *ff. culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti*; ut ſi clericus exerceat chirurgiam, vel balliſtariam, & fortuito occidat aliquem; tunc enim non eſt ſine culpa, *Can.* 37. *d.* 50. *cap.* 19. *de homicid. &c.* Non procedit iſta regula, dum quis prudenter, & perite aliena negotia gerenda aſſumit; quia hæc ad illum pertinent ex charitate, & officio, quod eſt inter hominem, & hominem *l.* 5. *C. de negot. geſtis:* & ideo gerenti conceditur actio contraria negotiorum geſtorum, *l.* 2. *ff. eod.*

XX. *Nullus pluribus uti defenſionibus*, ſeu exceptionibus *prohibetur ex reg.*43. *ff. & l.*8. *de exc. nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diverſæ ſint*, niſi lex impediat, *cit. reg.* 43. *ff.* Sic conventus judicio noxali, & de pauperie, vel ſuper numerata pecunia, & convictus de mendacio, abſque alia exceptione tenetur in ſolidum, *l.* 21. §. 2. *ff. de noxal. actionib. l.* 1. §. 15. *ff. ſi quadrupes paup. auth. qui contra propriam, C. de non numer. pec.*

Decas III.

XXI. *Quod ſemel. placuit, amplius diſplicere non poteſt*. Valet hæc regula in judice electo *Can.* 4. §. *offeratur* 3. *q.* 3. in prælato electo *Can.* 2. *dilectiſſimi* 8. *q.* 2. in matrimonio, profeſſione religioſa, ſacris Ordinibus, & in pluribus aliis. Fallit in iis, quæ mutationem admittunt ex cauſa ſuperveniente, vel de novo innoteſcente, *c.* 4. *de except. c.* 4. *de elect. in* 6. item ſi ex nova cauſa medicus, confeſſarius, parochus removendi ſint a ſuis officiis *l.* 11. §. 3. *ff. de munerib.* & in omnibus, in quibus jus admittit pœnitentiam, & mutationem; ut in appellationibus, teſtamentis, præſentationibus in patrono laico, libello judiciali, mandato, ſocietate, depoſito, ſententia interlocutoria, & pluribus aliis, quæ Gloſſa hic fuſe enumerat.

XXII. *Non debet aliquis alterius odio prægravari*, ex *reg.* 74. *ff. non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*: nam delicta ſuos tenere debent auctores. Sic propter delictum filii non excommunicatur pater, propter dolum compromiſſarii non puniuntur compromittentes, *Can.* 1. *ſi habes* 24. *q.* 3. *& c.* 37. *de elect. in* 6. Interdum ob atrocitatem delicti, vel aliam juſtam cauſam alius pœna, vel defectu afficitur; ſicut filii ob crimen hæreſis, vel læſæ majeſtatis a patre commiſſum: item in generali cenſura ſuſpenſionis, aut interdicti innocentes prægravantur, nati extra matrimonium illegitimitate notantur &c.

XXIII. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*. Sequitur reg. iſta ex priori. Quandoque ſubeſt cauſa, cur quis ſine culpa puniatur: ſic maritus corruptæ fit irregularis, parochus incidens in morbum, tenetur portionem aliquam dare coadjutori, dominus tenetur ex delicto ſervi &c.

XXIV. *Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe*, ex *reg.* 167. *in fin. ff.* Procedit de his, in quibus judex habet poteſtatem, ſecus non paretur ei citra dolum; ut ſi judex laicus præciperet clericum verberari, reum extrahi ab Eccleſia, vaſa ſacra diripere &c. *Can. nemo* 7. *de pœnit. d.* 1. *& c.* 17. §. *judices de elect. c.* 5. *in fin. de pœn. &c.* tunc enim magis Deo, quam judici malum imperanti parendum eſt.

XXV. *Mora ſua cuilibet eſt nociva*, ex *reg.* 173. *in fin. ff. unicuique ſua mora nocet: quod & in duobus reis promittendi obſervatur*. Moroſus debitor eſt, qui a die, vel homine interpellatus, & poſſibilitatem ſolvendi habens, non ſolvit, *l.* 5. *ff. de R. C.* Unde ſi poſt terminum ſolvendi res caſu pereat, ſuo periculo perit in pœnam moræ culpabilis. Mora non purgatur, uti nec pœna commiſſa, dum ab ipſo jure, pœnam imponente, dies præfigitur, ſicut in *can.* 64. *longinquitate*, 12. *q.* 2. *& c.* 7. *de elect. c.* 4. *& fin. de ſupp. neglig. l.*23. *ff. de O. & A. &c.* niſi jus permittat purgationem moræ, & pœnæ evitationem, ſicut *c.* 1. *diſt.* 18. *Can.* 1. *d.* 100. *& c.* 6. *de reb. Eccl. l.* 8. *ff. ſi quis cautionib. &c.*

XXVI. *Ea, quæ fiunt a judice, ſi ad ejus non ſpectant judicium, viribus non ſubſiſtunt*, ex *reg.* 170. *ff. factum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt:* nam talis judex, etſi bonum ſtatuat, ſi tamen excedat limites ſuæ poteſtatis, nihil agit, *Can.* 1. *d.* 96. ut ſi laicus favorabiliter diſponeret de clericis, vel Eccleſiis. Si tamen jura, & facta principum laicorum recepta, & canonizata ſunt a jure pontificio, valent.

XXVII. *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus*, ex *reg.* 145. *ff. nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt*. Procedit in rebus, & juribus privatis, quibus aliquis cedere poteſt, non in jure publico, quod *privatorum pactis mutari non poteſt*, *l.* 38. *ff. de pact.* Sic clericus conſentire nequit in violationem ſui fori, canonis, competentiæ &c. maritus in violationem thori, religioſus, pupillus, minor in alienationem rerum ſuarum. *Dices*: Chriſtus, & SS. Martyres voluntarie conſenſerunt in mortem ſuam, & tamen facta eſt eis injuria a Tyrannis. ℞. Diſt. ant. conſenſerunt, conformando ſe voluntati, & charitati divinæ, conc. ant. transferendo jus necis in Tyrannos, neg. ant.

XXVIII. *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*, ex *reg.* 141. *ff. quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia: & reg.* 162. *quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi*. Sic privilegium præſentandi laicis conceſſum non debet trahi ad jus inveſtiendi, ſeu inſtituendi, eligendi, judicandi de rebus ſpiritualibus, *c.* 56. *de elect. c.* 3. *de judic.* Sic etiam privilegia Eccleſiis conceſſa non trahuntur ad res patrimoniales clericorum quoad formam alienandi, jus reſtitutionis in integrum &c.

XXIX.

XXIX. ***Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*** Et quidem si omnes tangat ut universos sub nomine collegii, debet capitulariter ab omnibus, hoc regulariter a majori parte approbari, *c.* 1. *de his, quæ fiunt a major.* si vero omnes tangat ut singulos, requiritur singulorum consensus; cum jure suo nemo cedere teneatur *Can.* 1. *d.* 54. *l. fin. v. sed hæc*, *C. de author. præstand. l.* 39. *ff. de adopt.*

XXX. *In obscuris minimum est sequendum*, ex *reg.* 9. *ff. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur: & reg.* 56. *ff. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt: & reg.* 168. *ff. rapienda occasio est, quæ prabet benignius responsum: & reg.* 192. *in fin. ff. in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.* Si non apparet, quid determinatum sit, neque id ex consuetudine, aut circumstantiis colligatur, tunc minima obligatio, minima pœna, minima mensura, vel aliud quid minimum in *quantitibus* determinandum est, *c.* 18. *de cens. l.* 75. *ff. de leg.* 3. At in *speciebus*, seu *corporibus* mediocritas spectatur, præsertim si electio sit penes creditorem, qui, v. g. ex equis non eliget optimum, nec pessimum, sed civiliter illum, qui inter eos mediat *hoc ejus* 19. *q.* 2. *& c.* 1. *de Off. Custod. l.* 37. *ff. delegat.* 1. *l.* 31. *de auro arg.*

Decas IV.

XXXI. ***Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.*** Sic canonici certi de morte Prælati, non sunt de ea certiorandi; bene vero vocandi ad diem electionis. Item quisque præsumitur esse certus de eo, quod publice notum est, cum hoc non sit necesse singulorum auribus intimare, *c.* 1. *de postulat.* Qui certus est ut homo, sæpe certiorari debet ut judex, vel ad majorem cautelam *Can.* 18. *multi* 2. *q.* 1. *& c. fin. d.* 11.

XXXII. *Non licet actori quod reo licitum non existit*, ex *reg.* 41. *ff. non debet actori licere, quod reo non permittitur.* Sic appellatio negata reo, etiam negatur actori *c. fin. de mutuis petit.* At reo plura conceduntur, quam actori, ut majores dilationes &c.

XXXIII. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, ex *reg.* 75. *ff. nemo potest mutare consilium in alterius injuriam.* Sic canonici voluntatem mutare nequeunt in præjudicium electi, *c.* 53. *de elect.* nec socius in re communi in præjudicium socii, venditor in præjudicium emptoris &c. At si juri quæsito alterius non præjudicatur, licet mutare consilium; ut in postulando, præsentando ad beneficium &c.

XXXIV. *Generi speciem derogatur*, ex *reg.* 80. *ff. in toto jure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.* Sic rescripta specialia de hoc beneficio, de hac decima, derogant generalibus, *c.* 1. *de resc.* Similis derogatio fieri potest in legibus, contractibus, legatis, substitutionibus &c. Huic videtur adversari *reg.* 147. *ff. semper specialia generalibus insunt Can.* 19. *non æstimemus* 13. *q.* 2. *l. fin.* §. 1. *ff. quæ in fraud. cred. l.* 45. *ff. de leg.* 3. Sed hoc procedit in ordinariis casibus; non vero extraordinariis, quæ speciali mentione opus habent: sic enim dispensatus ad ordines, vel ad dignitates, non censetur dispensatus ad ordines majores, sed minores, nec ad episcopatum, sed inferiorem dignitatem, & filiusf. cui concessum est donare, non potest donare mortis causa, *pr. Inst. de donation:* sæpe enim ex materia subjecta genus restringitur ad speciem certam.

XXXV. *Plus semper in se continet, quod est minus*, ex *reg.* 110. *ff. in eo, quod plus sit, semper inest & minus.* Valet in quantitatibus, quia major includit minorem, *Can.* 41. *si quis dederit* 24. *q.* 1. ubi ex numero decem, septem, & quinque, approbatur pœnitentia quinque annorum, quia quinarius inest denario, & septenario. Idem servatur in sententia arbitrorum *c.* 1. *de arbitr. in* 6. Fallit reg. ista in generalibus, quæ non semper continent omnes species, ut in reg. superiori dictum, *c.* 16. *in de prabend.* item in qualitatibus disparatis: sic enim ex eo, quod si bonus jurista, non sequitur te esse bonum rhetorem, item in mandatis, ubi forma diligenter observari debet, ne plus, aut minus fiat.

XXXVI. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere*, ex *reg.* 131. *ff. qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est*, seu quia dolus rem ipsam repræsentat, acsi hic, & nunc possideretur. Idem habetur in *reg.* 150. *&* 157. §. 1. *ff.* atque ita jus fingit aliquem possidere, qui non possidet, v. g. Titius Cajo abstulit vestem, & ne forsan cogeretur eam restituere, vendidit illam cuidam peregrino: in hoc casu Cajus contra Titium agere potest actione ad exibendum, & reivindicatione, acsi Titius vestem possideret, cum dolus sit loco vestis. In effectu autem, si res ipsa restitui nequeat, actio ista est condictio ad æstimationem, ut Titius tantum præstet, quantum vestis æstimatur. Exempla habes §. 2. *Inst. quibus alien. l.* 22. *l.* 7. §. 3. *ff. de R. V. c.* 3. *ut lit. pendente &c.*

XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari: & reg.* 94. *ff. non solent, quæ abundant, vitiare scripturas*, quia cautela abundans non nocet. Procedit in his, quæ divisionem, discritionem, & separationem admittunt. Sic rescriptum, testamentum, aut legatum valere potest in uno capitulo, & non in altero separato, *Auth. ex causa*, *C. de liber. præter. l.* 16. §. 1. *ff. de legat.* 1. Sic etiam *cap.* 19. *de præbend.* approbatur sententia in uno, & reprobatur in altero. Item donatio, fidejussio, promissio dotis, valet quo ad summam legitimam, corruit vero quo ad excessum. Fallit reg. ista, si utile, & inutile sint contraria, inseparabilia, & vitium in re contineant, seu substantialem errorem *l.* 1. §. *Trebatius ff. de aqua quotid. l.* 34. *pr. ff. de legat.* 1. *& l.* 1. §. *sed si mihi ff. V. O, &c.*

XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit oppugnare.* Impugnasti testamentum, non capies ex eo legatum, *l.* 8. §. 14. *ff. de inoff. test.* Excipe, nisi quis ex officio suo teneatur oppugnare: tunc enim ut privata persona fructum capere potest ex re oppugnata, *l.* 17. *ff. de judic. l. fin. ff. de postul. l.* 26. *C. de administr. tutor. Can.* 2. §. *item si contra patrem* 3. *q.* 7. *&c.*

XXXIX. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* Sic in quadragesima, prohibito esu carnium, prohibentur ova, & lacticinia, quæ trahunt originem sementinam ex carne, *Can.* 6. *d.* 4. & privatus officio, privatur etiam beneficio, quod datur propter officium *Can.* 18. *d.* 81. & prohibito dominio religiosis, prohibetur quoque donatio, commutatio, venditio rerum ad usum concessarum &c. Excipe ea, quæ fieri prohibentur, sed facta tenent, effectusque ex illis sequentes sunt boni: sic enim contrahens cum altera de præsenti, licite utitur matrimonio, non obstantibus prioribus sponsalibus de futuro. Hæc reg. ampliatur ad antecedentia: *Aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud.* Gloss. quia cessante fine, cessant media ad illud. Unde cui prohibetur matrimonium, vel ordo, etiam ei prohibentur sponsalia, vel prima tonsura.

XL. *Pluralis locutio duorum numero est contenta*: puta si determinatus numerus non exprimatur. Sic dualitas sufficit, dum dicitur missam fieri coram pluribus, de pluribus martyribus, testimonium esse plurium, libertatem concedi post annos &c. *Can. hoc quoque* 6. *de consecr. d.* 1. *& Can.* 4. §. *ubi numerus* 4. *q.* 3. *l.* 12. *ff. de testib. l.* 17. §. *fin. ff. manumiss. vindict.* In odiosis, & ambitiosis numerus pluralis restringendus est ad duo, v. g. si quis dispensetur ad plures præbendas, vel dignitates, censetur tantum ad duas dispensatus, *c.* 19. *v. si vero de præb. in* 6. Aliquando numero plurali venit singularis *pr. Inst. de vi bonor. rapt.* ibi: *etiamsi quis unam rem, licet minimam, rapuerit:* item in pronominibus *nos*, *vos* &c. sicut Papa, & principes his utuntur in plurali. E contra numero singulari venit quandoque pluralis, ut filio meo tutorem do, hoc est, omnibus filiis *l.* 16. §. 1. *ff. de testam. tutel.*

Decas V.

XLI. *Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum faciendum erat.* Reg. procedit de imputatione ad pœnam, vel amissionem juris proprii, ut si per te non stet, quod intra annum appellationem non prosequaris, non solvas intra terminum, quia creditor non comparet &c. *Can.* 28. *anteriorum* 2. *q.* 6. *& c.* 35. *de elect. in* 6. ibi *annus autem*, quia impedito tempus non currit. Fallit reg. ista in lucris, & favoribus conditionatis, si per se pendeant ab eventu conditionis, v. g. qui hodie missam pro defuncto dixerit, aureum accipiet &c.

XLII. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, ex *reg.* 129. §. 1. *ff. cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent: & reg.* 178. ubi additur particula restrictiva *plerumque. Cum principalis causa non consistit, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent*. Sic ubi non subsistit matrimonium, nec ibi est dos, *c.* 3. *de donat. int. V. & U.* item potestas executiva gratiæ *factæ* non expirat morte concedentis; bene vero gratiæ *faciendæ*; quia in priori casu potestas est accessoria; in altero vero principalis, *c. 9. de off. deleg. in 6. c.* 36. *de Præb. in 6.* Fallit reg. in his, in quibus ob specialem rationem valet, & sustinetur accessorium, licet deficiat principale; ut juramentum super usuris solvendis, vel alienando fundo dotali. Item sustinentur legata, maxime pia, etsi testamentum sit invalidum ex causa præteritionis, aut exheredationis, *nov.* 115. *c.* 3. *in fin. auth. liberi de Episc. audient.* Vide hic Gloss.

XLIII. *Qui tacet consentire videtur: &* 44. *Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, ex *reg.* 142. *ff. qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare*. Ex variis conciliationibus DD. hæ magis placent: 1. Tacens consentire videtur in meris favorabilibus, quæ nullum onus, & gravamen tacenti afferunt: nam quisque præsumitur velle suum bonum. 2. Tacens non videtur consentire in favorabilibus, quæ onus annexum habent; ut in sponsalibus, nuptiis, contractibus, electionibus, collationibus &c. 3. Tacens in odiosis, & sibi præjudiciosis regulariter non videtur consentire, *l.* 8. §. 1. *ff. de procurator.* ibi: *invitum accipere debemus non eum tantum, qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur*. 4. Tacens in odiosis, dum potest, & debet contradicere, & non contradicit, habetur pro consentiente, & confitente; ut si legitime jussus a judice non respondeat, *c.* 2. *pr. de confess. in 6. l.* 1. §. *qui tacuit. ff. de interrog. in jur. fac.* item si Parochus præsens non contradicat alteri Sacerdoti volenti baptizare, assistere matrimonio: tunc enim censetur consentire; uti & Prælatus regularis in his, quæ scit, & videt, & non contradicit. At si tacens, qui deberet contradicere, facile non potest prohibere, & cum effectu contradicere, non censetur consentire, sicut Papa, Episcopi, & Prælati regulares multa per patientiam tolerant, ne majora mala sequantur, non tamen censentur consentire. Hoc sensu procedit *reg.* 50. *ff. culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest; & reg.* 109. *nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.*

XLV. *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*, ex *reg.* 114. *ff. in obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet*. Hæc reg. supplet superiorem *reg.* 30. *in obscuris minimum est sequendum:* & plerumque procedit de factis, prout communiter fieri solent. Sic votum, matrimonium, sponsalia, delicta præsumuntur animo deliberato facta fuisse, & filius in dubio non censetur ingratus fuisse &c. *Can.* 3. *si quis* 33. *d.* 1. *c.* 6. *de fide instr. auth. non liceat C. de inoff. test.*

XLVI. *Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet*, ex *reg.* 177. *ff. qui in jus, dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet, & reg.* 175. *in fin. non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit*. Regula ista innuit, quod jura activa, & passiva ratione rei, contractus, maleficii, voti realis transeant in successorem universalem, & quod potuit, vel debuit antecessor, idem possit, & debeat successor, seu hæres, *reg.* 59. *ff.* At successor singularis succedit plerumque in sola jura realia rei cohærentia, non vero personalia, nisi id aliunde colligatur: sic enim venditor actione personali obligatur primo emptori, cui rem non tradidit, non tamen secundus emptor, cui res tradita fuit, ita obligatur. Pœnæ corporales ex maleficio non transeunt in hæredem; damna vero a defuncto causata reparari debent, præsertim de jure Can. *c. fin. de sepult.*

XLVII. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur*. Regula procedit circa facta contingentia, quæ quis scire non tenetur; ut si percutias clericum non vestitum habitu clericali, *c.* 4. *de sent. excom.* At contra circa jura, & leges, circa notoria, & publica, & circa ea, quæ quis scire, & indagare tenetur, præsumitur scientia, ubi ignorantia non probatur, *Can. fin. d.* 16. *Can.* 108. *si qui a simoniacis* 1. *q.* 1. *& c.* 1. *de postulat. &c.*

XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*, ex *reg.* 206. *ff. jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem*. Sic pupillus, & minor tenentur ex contractu, si locupletiores facti sint, *l.* 1. *ff. de auctor. tut.* indebitum solutum condicitur, *tit. ff. de condict. indeb.* Excipe, nisi jus ex justis causis concedat locupletationem, sicut in usucapionibus.

XLIX. *In pœnis benignior interpretatio facienda est*, ex *reg.* 155. §. 2. *ff.* Sic doctor privatus collegio sine determinatione temporis, non censetur perpetuo privatus *c.* 11. *de Constit.*

L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem*, ex *reg.* 77. *ff. actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, velut mancipatio, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adjectionem*. Regula ista, omissis variis interpretationibus, procedit de illis actibus, quibus ex natura rei, vel ex dispositione juris adversatur conditio, aut dies; uti sunt emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, seu electio, in qua legatarius variare non potest, datio tutoris, scilicet per judicem facienda *cit. regul.* 77. quibus tamen actibus tacita conditio non obest, v. gr. ut filius sit emancipatus, donec ei placuerit in potestatem redire &c. In jure Can. sunt Sacramenta, baptismus &c. excepto matrimonio, quod conditionem recipit, modo non sit adversa substantiæ matrimonii *c. fin. de condition. appos.* item sacramentalia, ut consecratio Ecclesiæ, calicum &c. Præterea electio, postulatio, collatio beneficii, & alii actus, quos Ecclesia vult esse puros, & absolutos.

Decas VI.

LI. *Semel Deo dicatum, non est ad usus hominum ulterius transferendum*. Sic religiosus, servus Ecclesiæ donatus, calices, & alia sacra non sunt ad usus profanos retrahenda; nisi necessitas, & pietas aliud suadeat, v. g. ut calices confracti vendantur pro redemptione captivorum, victu pauperum *Can.* 70. *aurum* 12. *q.* 2. Sed hac regula non continentur possessiones Ecclesiæ, quæ ad emptores laicos transire possunt.

LII. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum:* nam paria sunt non fieri, & fieri sine effectu. Sic matrimonium prius invalidum non obest secundo &c. Fallit reg. in his, in quibus de jure sufficit sola attentatio opere secuto: sic sacerdos suspensus invalide absolvens, fit irregularis, matrimonium contrahens excommunicatur, *Clem. un. de consang.* Similia habes *l.* 1. *pr. ff. & c.* 1. *de N. O. N. l.* 34. *pr. ff. de legat.* 1. *l.* 20. *ff. de adimend. legat. &c.*

LIII. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus* ex *reg.* 21. *ff. non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere*. Regula ista procedit in juribus, & potestatibus subordinatis, quarum Superior per se continet inferiorem, non vero in juribus, & potestatibus disparatis. Sic sacerdos conficere potest Eucharistiam, quod est plus, non tamen ordinare clericos, aut Ecclesias consecrare, quod est minus. Item mulier bona sua alteri donare potest, non tamen fidejubere pro illo ex SCto Vellejano hæres adire potest totam hæreditatem, non tamen pro parte eam scindere ex *reg.* 7. *ff.*

LIV. *Qui prior est tempore, potior est jure*, ex *reg.* 98. *ff. quoties utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit*. Valet in pignoribus, & aliis contractibus, in data rescriptorum &c. Fallit, si superveniat fortior privilegiatus, ut providendus auctoritate Apostolica in Canonicatu, mulier cum dote respectu pupilli &c. item in testamentis, legibus, statutis posteriora potiora sunt prioribus, *l. fin. ff. de constitut. princip.*

LV. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & e contra*, ex *reg.* 10. *ff. secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda*. Excipe, nisi quis privilegio eximatur ab onere: sic enim fœmina, & pupillus vocantur ad commodum hæreditatis, non tamen onus tutelæ, *tit. Inst. de legit. patron. tutel.*

LVI. *In re communi potior est conditio prohibentis.* Valet

Valet in re communi pluribus ut singulis, v.g. decem habent agrum communem, in quo novem volunt constituere servitutem Titio, decimus reclamat contra, cujus conditio utpote prohibentis, est potior: at si nullum sit præjudicium prohibentis, non curatur ejus prohibitio, *l.* 13. §. *un. ff. de S. P. U. l.* 19. *in fin. eod. l.* 32. 35. *& seq. ff. de damno inf.* Vide *reg.* 29.*quod omnes tangit.*

LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*, ex *reg.* 172. *ff. in contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est.* Nomine *legis* venit hic *lex privata*, seu conventio contrahentium, quæ in præjudicium proferentis intelligi solet. Sic *c.* 8. *de probat.*dictum obscurum de minore ætate, sine expressione 25. annorum, retunditur contra proferentem, quia ingressus monasterium non erat minor 14. annis. Plura exempla vide hic in Glossa, quæ dicit reg. istam non procedere de legibus, quia in eis nihil est obscurum, vel ambiguum, *Can.* 2. *dist.* 4. si quid tamen in legibus, vel privilegiis obscurum est, id legislator interpretatur *lib.* 12. §. 1. *C. de LL. & cap.* 12. *de judic.*

LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum;* ut si jures patrem occidere, furari &c. 24. *q.* 4. *per tot.* nam juramentum non potest ad illicitum obligare, ne ut vinculum iniquitatis; ut si juretur de dolo futuro remittendo, quod invitat ad malum *reg.* 23. *v. excepto ff.* Si mores sint mali tantum civiliter, v. g. ne dos alienetur, ne filia renunciet hæreditati, juramentum super alienatione, vel renuntiatione tali valet, *c.* 28. *de jurej. c.* 2. *de pact.*

LIX. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem, ex reg.* 173. §. 3. *ff. dolo facit, qui petit, quod redditurus est;* dummodo restitutio sit certa, & facienda eidem. Sic usurarius dolo petit usuras, & hæres dolo petit rem; quia ille usuras, iste rem ex persona defuncti statim restituere debet. At maritus petere potest dotem, quam mox uxori, vel liberis, soluto matrimonio, restituit &c.

LX. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri, ex reg.* 88. *ff. nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla est petitio*, saltem in effectu: & *reg.* 112. *nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.* Sic munitus exceptione moratoria, si non solvat præfixo termino, non est in mora, uti nec ille, qui uti potest compensatione *l.* 40. *v. sed cum sortis ff. de R. C.*

Decas VII.

LXI. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum l.* 6. *C. de LL.* Sic minor sine auctoritate tutoris non potest contrahere, vel agere: si tamen pro favore suo est contractus, vel sententia, privilegium ei obesse non debet, *l.* 14. *C. de procurator.* Idem dic in alienationibus rerum Ecclesiæ. *Excipe*, nisi princeps ad instantiam petentis aliquid concedat, ut sententiam ferre, *remota appellatione*; tunc enim, spectata æquitate, in dispendium petentis retorqueri potest.

LXII. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur, ex reg.* 47. *ff. consilii non fraudulenti nulla obligatio est: ceterum si dolus, & calliditas intercessit, de dolo actio competit:* nemo enim tenetur consilium alterius sequi. At mandans tanquam causa moralis tenetur actione mandati.

LXIII. *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri*, nisi alias de puncto aliquo confessus fuisset. Unde qui excipit dicendo: *jam solvi*, non confitetur se mutuam pecuniam accepisse; quia solutio potuit esse de facto, & per errorem, sed sensus est: *si actor probaverit me mutuum accepisse, ego probabo exceptionem meam, quod solverim.*

LXIV. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, ex l.* 5. *non dubium C. de LL.* Hæc reg. sane est intelligenda: 1. Quæ fiunt contra jus irritans expresse, ipso jure sunt nulla. 2. Quæ fiunt contra jus prohibens, quod tacite, & virtualiter est irritans, puta dum actui præscribit formam substantialem, sunt pariter ipso jure nulla; quia actus sine forma non subsistit. 3. Quæ fiunt contra jus pure prohibens, ipso jure valent; & regulariter sunt nulla tantum quoad effectum, quia non sunt firma, sed rescindi, aut exceptione elidi possunt: ita explicatur hæc *reg. & cit. l.* 5. Dixi *regulariter*, quia illa, quæ ex natura sua sunt insolubilia, ut matrimonium, professio religiosa, si illicite fiant, sunt perpetuo firma, estque locus reg. ex *c.* 16. *de regg. multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.*

LXV. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis, ex reg.* 128. *ff. in pari causa possessor potior haberi debet: & reg.* 126. §. 2. *cum de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis.* Hoc est speciale privilegium possessionis. In delicto: Titius dedit judici pecuniam, ut pro se injustam sententiam ferret, vel virgini, ut secum fornicaretur, pecuniam non repetit, quia possidentis est conditio melior *l.* 3. *ff. de condict. ob turp.* Hoc in foro externo: at in foro interno, si juxta pretium Titii nec sententia pro illo, nec fornicatio virginis secuta est, attento jure naturali, restitutio, facienda esset, nisi virgo dilapidasset pecuniam; quia tunc voluntate Titii, & consumptione facit suam, neque cum damno suo restituere tenetur; multo minus fornicari. In causa: minor minori dedit pecuniam mutuam, & is eam dilapidavit: in hoc casu potior est conditio consumentis, utpote possidentis, ut restituere non teneatur, *l.* 11. *ff. de minor.* Excipe, nisi jus resistat possidenti, & assistat petitori; ut si religiosi possideant decimas parochiæ; tunc enim possessor probare tenetur titulum proprietatis, *c.* 1. *de præscript. in* 6. *c. fin. de restit. spoliat. in* 6.

LXVI. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, acsi impleta fuisset, ex reg.* 161. *ff.* nam ex parte illius fingitur conditio impleta, v. g. promisisti Bertæ dotem, si Kalendis Maii ad te salutandum veniret, & illo tempore occlusisti domum, ne illa intrare posset; tunc enim perinde est, acsi Berta conditionem istam implesset. Vide *reg.* 41. *in* 6.

LXVII. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.* Reg. ista procedit in maleficiis: quia sicut non licet, ut nomine tuo, seu in tuum commodum usuras exerceas, fureris, litteras Apostolicas falses; ita neque licet delicta ista, & similia facere nomine alieno, seu in alterius commodum. At in delegationibus honestis secus accidit: quia licet nomine tuo nequeas, tamen ex delegatione judicare poteris nomine Papæ, Episcopi &c. nisi incapacitas esset in delegato; ut si tibi non sacerdoti committeretur absolutio a peccatis &c.

LXVIII. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Reg. ista procedit de actionibus, quæ ex natura delegari, & mandari possunt; ut judicare per alium, matrimonium contrahere; non vero de actionibus personaliter exercendis: sic enim non potes per alium jejunare, pœnitentiam agere, missam audire &c. E contra interdum *potest quis per alium, quod non potest per se ipsum;* quia id non decet, vel ratione personæ, vel ratione rei, seu causæ. Sic Episcopus, non per se, sed per alium potest clericos verberare *c. fin.* 5. *q.* 3. judicium sanguinis exercere, *c. fin. ne clerici, vel monach. in* 6.

LXIX. *In malis promissis fidem non expedit observari:* nam sicut promittere, ita exequi mala, peccatum est. At male bona promissa, per se loquendo servari possunt; ut si mendaciter, & dolose promisisti nuptias &c.

LXX. *In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri, ex reg.* 110. §. 3. *ff. ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum.* In quibusdam exemplaribus legitur: *electoris est electio*, sed legendum est *debitoris* Gloss., v. g. promisi tibi Stichum, vel equum, ego debitor eligam, & dando unum ex his duobus, implebo meam promissionem. Interdum ex mente disponentis servandus est ordo in alternativis, v. g. centum floreni pro missis dentur Ecclesiæ parochiali: vel, si hæc renuat accipere, dentur monasterio. Item quandoque creditoris est electio, dum verba ad eum diriguntur, v. g. Titius unum ex meis equis sibi accipiat &c. Huic regulæ subservit *l.* 53. *sæpe ff. V. S. sæpe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis, interdum soluta pro separatis.*

Decas

Decas VIII.

LXXI. *Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus*, *ex reg.* 156. §. 1. *ff. cui damus actiones*, *eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit*; nam minus est exceptio, quam actio. Sic cui conceditur actio *quod metus causa*, multo magis exceptio metus ei concedenda est. Excipe, nisi exceptio in diversum quid tendat, *c.* 11. *de excess. prælat.*

LXXII. *Qui facit per alium*, *est perinde*, *acsi faciat per se ipsum*, *ex reg.* 180. *ff. quod jussu alterius solvitur*, *pro eo est*, *quasi ipsi solutum esset*, *& reg.* 169. *is damnum dat*, *qui jubet dare*. Vide *reg.* 68.

LXXIII. *Factum legitime retractari non debet*, *licet casus postea eveniat*, *a quo non potuit inchoari*, *ex reg.* 85. §. 1. *ff. & l.* 140. §. *fin. ff. de V.O.* Valet in actibus perfectis, & jam consummatis, ut in matrimonio, episcopatu, monachatu, quibus supervenieniens impedimentum non nocet. Fallit in actibus causam successivam habentibus; ut si ex causa debilitatis die veneris dispenseris ad carnes, cessante causa debilitatis, cessat, vel suspenditur ista obligatio.

LXXIV. *Quod alicui gratiose conceditur*, *trahi non debet aliis in exemplum*. Vide supra *reg.* 15. *&* 28. 74. 78.

LXXV. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari*, *cui fidem a se præstitam servare recusat*: nam frangenti fidem fides frangenda est: & frustra auxilium legis invocat, qui committit in legem, *cap.* 14. *de usur.*

LXXVI. *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*: puta si Prælatus delinquat ut privata persona; secus si delinquat cum capitulo; vel si ipsi subditi graviter delinquant: tunc enim in pœnam delicti, potest Ecclesia privari dignitate, *Can.* 25. *ita nos* 25. *q.* 2. Item in judiciis, maxime omittendo, prælatus nocet Ecclesiæ, *Can.* 25. *placuit.* 16. *q.* 3. & toto *tit. de præscription.*

LXXVII. *Rationi congruit*, *ut succedat in onere*, *qui substituitur in honore*; modo onus sit reale honori annexum, sic enim successor in jure patronatus tenetur Ecclesiam defendere, sicut suus antecessor, *Can.* 31. *filiis* 16. *q.* 7. & succedens in prælatura, tenetur solvere debita ratione prælaturæ contracta, *cap.* 1. *de solution.* Secus si onera erant personalia honori non annexa.

LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt*, *quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa*. Vide *reg.* 28. *&* 74. *&* in Pandectis *reg.* 162. *quæ propter necessitatem recepta sunt*, *non debent in argumentum trahi*.

LXXIX. *Nemo potest plus juris transferre in alium*, *quam sibi competere dignoscatur*, *ex reg.* 120. *ff. nemo plus commodi hæredi suo relinquit*, *quam ipse habuit*, *ex reg.* 160. §. 2. nam nemo dat, quod non habet, *c.* 5. *in fin. de Jur. Patr.* Valet reg. ista quoad ea jura, quæ rem tangunt, non quoad alia aliunde pendentia, v. g. hæres bona fide vendendo rem commodatam defuncto, transfert conditionem usucapiendi in emptorem, quam ille non habuit, §. 4. *Inst. de usucap.* Possessor bona fide vendendo fructus, transfert dominium irrevocabile in emptorem, cum ille haberet revocabile, *l.* 48. *pr. ff. de A. R. D. &c.* Vide Gloss.

LXXX. *In toto partem non est dubium contineri*, *ex reg.* 113. *ff. in toto*, *& pars continetur*. Sic cui adjudicata est tota domus, deinde actor partem illius petere non potest, *l.* 7. *per tot. ff. de exception. rei judicat.* ubi plura exempla invenies tum in corporibus, tum in quantitatibus.

Octo residuæ Regulæ ex 6.

LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea*, *quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus*. Hæc regula indicat sub genere commisso nunquam venire illas species, quæ speciali expressione sunt dignæ. Sic sub potestate generali commissa vicario non venit potestas donandi, aut criminalia exercendi, *c.* 2. *& fin. de offic. vicar. in* 6. sub potestate absolvendi non venit potestas absolvendi a reservatis, *c.* 2. *de pœnit. in* 6. sub generali potestate Legati non venit potestas circa causas fidei *Can.* 52. *frater.* 16. *q.* 1. *&c.*

LXXXII. *Qui contra jura mercatur*, *bonam fidem præsumitur non habere*, *ex reg.* 199. *ff. non potest dolo carere*, *qui imperio magistratus*, seu legi *non paruit*. Sic monasterium, vel parochus percipiens decimas in aliena parochia, præsumitur id agere mala fide; quia contra jura mercatur. Idem dic de illo, qui investituram recipit ex manu laici, qui dat temporale pro spirituali *Can.* 14. *siquis* 16. *q.* 7. & qui emit adscriptitium sine gleba, *l.* 7. *C. de agricolt. & censit. in* 11. nam talis, vel scit similia a jure prohiberi, vel non scit? si scit, agendo contra jura, mala fide agit: si non scit, ignorantia juris parit in eo malam fidem juridicam, seu civilem.

LXXXIII. *Bona fides non patitur*, *ut semel exactum iterum exigatur*, *ex reg.* 57. *ff. bona fides non patitur*, *ut bis idem exigatur*. Regula ista procedit maxime in concursu plurium actionum: nam si per unam tuum consecutus es, non debes per alteram idem petere: & si Titius tibi solvit loco Caii, istum molestare non debes.

LXXXIV. *Cum quid una via prohibetur alicui*, *ad id alia non debet admitti*. Regula ista procedit in iis, quæ alicui simpliciter, & in se prohibentur, & cons. omnes viæ ad illud, v. g. Prælato prohibetur alienatio, & donatio sine solemnitatibus Canonicis, ergo & pignoratio, compromissum, & alii modi, quibus pervenitur ad alienationem. Item vendidisti ancillam cum pacto, ut fieret libera, si emptor eam prostitueret; quo casu emptor nec per se, nec per cauponem potest eam prostituere, secus evadet libera, *l. fin. C. si mancip. ita venier.* At si res ipsa non prohibeatur, sed tantum certus modus, poterit quis alio modo, seu alia via ad illam pervenire. Sic Episcopus, non via electionis, sed postulationis venire potest ad aliam Ecclesiam, & irregularis via dispensationis ad ordines, & beneficia &c.

LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, *ex reg.* 23. *ff.* ibi: *Hoc servabitur*, *quod initio convenit*: *legem enim contractus dedit*. Nomine *legis* venit hic *lex privata*, seu pactum contractui appositum; quod quidem est præter leges communes, non tamen contra bonos mores, v.g. in deposito juxta jus com. præstanda est culpa lata: si convenit, ut præstaretur etiam culpa levis, aut levissima, id servandum est; quia contractus hanc legem dedit. Sic a contrahentibus lex imponi potest, ut præstetur casus fortuitus, ut venditor in se suscipiat periculum rei venditæ, aut emptor periculum evictionis &c. lex tamen contra bonos mores apponi nequit, cum invitet, aut obliget ad malum, v. g. ut dolus non præstetur, ut ancilla prostituatur &c. *cit. reg.* 23.

LXXXVI. *Damnum*, *quod quis sua culpa sentit*, *sibi debet*, *non aliis imputare*, *ex reg.* 203. *ff. quod quis ex culpa sua damnum sentit*, *non intelligitur damnum sentire*. Sic clericus sibi imputet, quod negligat beneficium vacans petere, *cap.* 11. *de præbend. in* 6. Similiter puella sponte consentiens in sui deflorationem, procurator negligenter agens in judicio, vel tutor in administratione rerum pupillarium, licet damnum incurrant, tamen non intelliguntur damnum sentire.

LXXXVII. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*, *ex l.* 2. *C. de dignitat. in* 12. *Neque famosis*, *& notatis*, *& quos scelus*, *aut vitæ turpitudo inquinat*, *& quos infamia ab honestorum cœtu segregat*, *dignitatis portæ patebunt*. Et quidem *infamia juris*, quæ a jure, vel per sententiam judicis ob crimen famosum introducta est, perpetuo removet a dignitatibus, ut ab officio judicis, advocati, prælati &c. nisi a principe tollatur: at *infamia facti*, quæ ex vita inhonesta oritur, est temporalis, donec mores corrigantur in melius. Exempla infamium copiosa habes *tit. ff. de his*, *qui not. infam. & tot. C. ex quib. caus. infam. irrog. Can.* 1. *& seq.* 3. *q.* 7.

LXXXVIII. *Certum est*, *quod is committat in legem*, *qui legis verba complectens*, *contra legis nititur voluntatem*, hoc est, qui legem secundum litteram observat, sed contra voluntatem legislatoris, v. g. prætor in albo posuit interdictum, & pœnam, ne quis album

bum corrumperet, aut deleret: Titius agglutinando chartam, ne scriptura legi possit, verba quidem observat, sed contra mentem prætoris, *l. 7. ff. de jurisd.* Sic usurarius, non in pecunia, sed in mercibus, vestibus, aut obsequiis usuras percipiens, agit contra mentem legis, *Can. 3. plerique 14. q. 3.* sic etiam Episcopus, & parochus, quibus præcipitur residentia, contra mentem Sacr. Canonum ageret, si corpore domi residerent, & officium suum non administrarent &c. In hac regula finitur jus Can. Quia vero quædam regulæ ex jure civili frequenter sunt in usu, eas hic compendio transcribam.

Regulæ usitatiores ex Digestis.

Fœminæ ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt, exceptis illustribus, ut reginis, §. 1. *Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstineri, regul. 2.*

Ejus est non nolle, qui potest velle. Reg. 3. hoc est, qui habet liberam facultatem positive volendi, & imperandi, seu approbandi, v. g. ut filius scholam frequentet, etiam habet liberam faculatem id permittendi, seu tacite approbandi: nam *non nolle* is dicitur, qui sciens patitur, & tacite approbat: *velle* vero is dicitur, qui expressim jubet, seu expresse approbat, Gothofr. Alii legunt: *ejus est nolle*, seu *non velle*, *cujus est velle*; hoc est, ille habet liberam facultatem omittendi, qui habet liberam facultatem agendi.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini reg. 4. exceptis maleficiis.

Paganus, seu non-miles, *non potest partim testatus, partim intestatus decedere, ex reg. 7.*

Jura sanguinis nullo jure civ. dividi possunt, reg. 8. puta quoad honestatem in matrimoniis, reverentiam, & pietatem: at quoad qualitates civiles mutari possunt; ut si quis ex nobili fiat ignobilis.

Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad aliam transferri non potest, reg. 11. sufficit ficta traditio: imo vi dominii alti, vel in pœnam delicti res nostræ in alium transferri possunt.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretamur, reg. 12. quia ultimæ voluntates sunt favorabiles.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur; reg. 14. hoc est: statim a tempore contractus; civiliter tamen intra competens intervallum, ne creditor eodem momento cum sacco venit pro pecunia.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur, reg. 15. sed contra; *minus est actionem habere, quam rem, reg. 204.*

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus, reg. 19. Hinc imputet sibi, qui contrahit cum pupillo, minore, religioso, si ex contractu nihil recipiat.

In personam servilem nulla cadit obligatio, reg. 22. Valet pro religiosis in præjudicium monasterii, quia velle non habent.

Quatenus cujus intersit, seu interesse *in facto, non in jure consistit, reg. 24.* adeoque probari debet.

Plus cautionis in re est, quam in persona, reg. 25.

Qui potest invitis alienare, multo magis, & ignorantibus, & absentibus potest, reg. 26. Valet in libera facultate agendi.

Quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur, non tamen & jure naturali, reg. 32. & - servitutem mortalitati fere comparamus, reg. 209. quia servi ob maximam capitis diminutionem, seu amissam libertatem civiliter mortui sunt. Idem & religiosis applicatur, si monasterio expediat. Contra: *libertas inæstimabilis res est, reg. 106. & libertas omnibus rebus favorabilior est, reg. 122.*

Semper in contractibus id sequimur, quod actum, vel quod in regione receptum est, vel minimum, regula 34.

Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est, reg. 40. Hic furiosus, & juridice prodigus æquiparantur, neuterque cum effectu contrahere potest.

Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una quis experiri debet, reg. 43. §. un. Sed contra: *nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit, reg. 130.* Intellige: si actiones prorsus in idem tendunt, una quis experiri debet; sed si in altera sit excessus, potest & altera intentari, non quoad totum, sed quoad excessum, ut illud plus obtineatur, quod per priorem actionem non est obtentum.

Privatorum conventio juri publico non derogat, reg. 45. §. un. ex l. 38. ff. de pact. jus publicum privatorum pactis mutari non potest: sed præter jus commune pactum, seu lex adjici potest contractui, ut supra *reg. 85. in 6.*

Socii mei socius, meus socius non est reg. 47. §. 1. ut si Titius aliam societatem ineat mecum, quam inivérit cum Cajo.

Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse. Hæc regula non procedit in delictis momentaneis, quæ statim mala sunt, sed refertur ad eventum futurum, qui ex aliquo facto non potest plene conjici, ut patet ab exemplo ibi adjecto; *ideoque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur.*

Alterius circumventio alii non præbet actionem, reg. 49. nisi alius per hoc læderetur.

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est, reg. 53. Si solvisti cogitans te debere, solutum condicere, seu repetere potes condictione indebiti: si vero solvisti sciens te non debere, censeris donasse.

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, reg. 55.

Ea, quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur, reg. 64. nam rara non sunt sub lege.

Invito beneficium non datur, reg. 69. si tamen beneficium alterius personam, vel publicum bonum concernat, dari potest invito. Sic pro debitore invito recte solvitur, *pr. Inst. quib. mod. tollitur oblig.* & clerico etiam invito datur privilegium fori, *cap. 12. de for. compet.*

Quo tutela rediit, eo hæreditas pervenit, nisi cum fœminæ hæredes intercedunt, reg. 73. quia ubi onus, ibi commodum.

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur, reg. 82.

Is natura debet, quem jure gentium, seu naturali, *dare oportet, cujus fidem secuti sumus, reg. 84. §. 1.*

In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est, reg. 90. si tamen jus rigorosum sit clarum, non licet prætori ab eo recedere, *l. 12. §. 1. ff. qui, & a quib. manumiss.*

Non solent, quæ abundant, vitiare scripturam, reg. 94. quia cautela abundans non nocet.

Nemo de domo sua extrahi debet reg. 103.

Fere in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati, & imprudentiæ succurritur, reg. 108.

Pupillus pati posse non intelligitur, reg. 110. §. 2. quia nec contractu a se, nec a tutore inito lædi debet.

Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse, seu aliquid accepisse, *reg. 115.*

Nihil consensui tam contrarium est, quam vis, atque metus reg. 116. pr. & §. 2. non videntur, qui errant, consentire. Vis absoluta, seu coactiva plene impedit consensum, uti & error, aut dolus substantialis: at vis compulsiva, seu metus, & error accidentalis, regulariter relinquunt actum mero jure validum, utpote simpliciter voluntarium, licet rescindibilem actione *metus*, aut doli.

Non alienat, qui dumtaxat omittit possessionem regul. 119.

Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est, regul. 121. Proditur hic duplex fictio, qua non faciens, fingitur facere, & faciens, fingitur non facere.

Nemo prædo est, qui pretium numeravit reg. 126.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit reg. 129. pr. valet etiam in compensatione occulta servatis servandis.

Imperitia culpæ adnumeratur reg. 132.

Melior conditio nostra per servos fieri potest: deterior fieri non potest pag. 133. Fallit in delictis, & damnis per servos datis, ubi dominus tenetur vel damnum reparare, vel servum noxæ dare, *tit. Inst. de noxal. action. & reg.* 149. *ff.*

Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, reg. 134. §. *un.*

Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est, reg. 136. si lex impedit, est mala fides juridica, seu civilis, quæ impedit usucapionem.

Qui auctore judice comparavit, bonæ fidei possessor est, reg. 137.

Omnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio salvæ permanent, reg. 139. nam in judicio quasi contrahitur; contractus autem transeunt ad hæredes.

Uni duo pro solido hæredes esse non possunt, regul. 141. §. *un.*

Non omne, quod licet, seu promittitur, *honestum est, reg.* 144.

Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet, reg. 149.

Factum cuique suum, non adversario nocere debet, reg. 155.

Invitus nemo rem cogitur defendere, reg. 156.

Aliud est vendere, aliud venditioni consentire, reg. 160. *pr. &* §. 1. *refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem.*

Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest, reg. 174. *in fin.*

Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, reg. 176. non facienda per judicem, fieri nequeunt per privatos.

Si nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est, reg. 183. Valet quoad solemnitates accidentales, raro quoad substantiales.

Vani timoris justa excusatio non est, reg. 184.

Quæ jure naturali *prohibentur, nulla lege confirmata sunt, reg.* 188. §. *un.* multa tamen permittuntur per leges, & aliqua a præceptis naturalibus subducuntur, ut in usucapionibus &c.

Quod evincitur, in bonis non est, reg. 190.

Expressa nocent, non expressa non nocent, reg. 195. Exemplum est in *reg.* 77. *ff.* ubi actus legitimi vitiantur per conditionem expressam, non vero tacitam. Unde sæpius *major est vis expressi: quam taciti* per hanc *reg.* & rursum: *eadem est vis taciti, ac expressi*, & expressio taciti nihil novi operatur *l.* 3. *ff. de R. C. & l.* 99. *ff. de condition. & demonstr.* Interdum *major est vis taciti, quam expressi:* sic enim clericus sine auctoritate Superioris tacite renunciare potest beneficio, v. g. assumendo statum conjugalem, vel religiosum; non tamen expresse, ut dictum *tit. de renunt.*

Omnis definitio in jure periculosa est: parum est enim, ut non subverti possit, reg. 202. hoc est omnis locutio universalis in jure, non in sensu absoluto, sed accommodo, prout materia patitur, intelligenda est: alioquin, cum casus particulares sint diversissimi, facile regula generalis falsificatur, vel potius non extenditur ad illum casum.

Res judicata pro veritate accipitur, reg. 207. puta in foro externo; nisi sententia notorie esset injusta; quia tunc cessaret præsumptio justitiæ pro judice: at in foro interno præsumptio cedit veritati.

Hoc Jus Canonicum doctrinali methodo concinnatum humillime subjicio infallibili sanctæ Sedis Apostolicæ judicio, & Sapientum correctioni, paratus emendare, quidquid perperam a me dictum fuerit: & cum hac protestatione exiguum laborem istum ad Deum, ut finem ultimum, Sanctorumque Cælitum honorem relatum volo.

ELEN-

ELENCHUS
CONSUETUDINUM ABROGATARUM
Ex Libris Gregorii Papæ IX. Sexto, Clementinis, & Extravagantibus.

I. Consuetudo habendi dictum populi pro sententia in causis Ecclesiasticis, hancque latam a judice non suo pro valida recipiendi, abrogata est cap. *Ad nostram* 3. *de consuetud.*

II. Item exercendi a clerico, non Episcopo ea, quæ sunt reservata ordini Episcopali *cap. Quanto* 4. *eod. tit.*

III. Item celebrandi divina alta voce, & pulsatis campanis, exclusis interdictis, & excommunicatis, durante interdicto *cap. Cum inter* 5. *eod. tit.*

IV. Item dimittendi dignitates Ecclesiasticas sine Superioris licentia, easque administrandi sine ejusdem confirmatione *cap. Cum venerabilis* 7. *eod. tit.*

V. Item alienandi pro libito bona uxoris a marito vitio suo, aut quocumque alio casu in paupertatem redacto *cap. Ex parte* 10. *eod. tit.*

VI. Item acquirendi ab uxore adultera medietatem bonorum mariti *eod. cap. & tit.*

VII. Item retinendi simul duo beneficia incompatibilia absque legitima dispensatione *cap. Consuetudinem* 1. *eod. tit. de consuetud. in* 6. *Vide Elencho II. num. LXVIII. part. I. pag.* 179.

VIII. Item appellandi a Vicario generali ad Episcopum *cap. Non putamus* 2. *eod. tit. & lib. Vide in Auctore part. I. n.* 6. *pag.* 258.

IX. Item gradatim optandi ab antiquioribus Canonicis præbendas vacantes apud Sedem Apostolicam *cap. Cum in tua* 4. *eod. tit. & lib.*

X. Item rejiciendi Legatos S. Sedis non petitos, & de consensu non missos *cap. unic. Super gentes eod. tit. de consuetud. in Extravag. commun.*

XI. Item abrogata est consuetudo aut tollendi, aut restringendi libertatem eligentium in electione Prælati Ecclesiastici *cap. Cum terra* 14. *de electione Vide notata infra n. LXIX. de consuetudinibus abrogatis a Const. Apost.*

XII. Item eligendi non professos ad regimen regularis Ecclesiæ contra disposita in *cap. Cum in magistrum* 49. *hoc eod. tit. de election. cap. Cum causam* 27. *dicto titulo.*

XIII. Item eligendi Episcopum a laicis una cum Canonicis *cap. Messana* 56. *hoc eod. tit.*

XIV. Item conferendi sacros ordines extra statuta tempora *cap. Sane* 2. *de temporib. ordinat.*

XV. Item promovendi ad ordines latinos a græcis, & græcos a latinis *cap. Cum secundum* 9. *hoc eod. tit.*

XVI. Item ordinandi a græco Episcopo græcum subjectum Episcopo latino sine hujus licentia *cap. Quod de translatione* 11. *hoc. eod. tit. Vide Additiones meas part. I. post n.* 16. *pag.* 248.

XVII. Item projiciendi in terram, & inter spinas Sanctorum imagines tempore cessationis a divinis *cap. Si Canonici* 2. *de offic. jud. ord. in* 6.

XVIII. Item angustandi probationis facultatem *cap. Debent.* 1. *in Extravag. com. hoc eod. tit.*

XIX. Item inducendi gravamen Ecclesiæ *cap. Dilecti filii* 13. *de majorit. & obed. Vide infra n. LXIX.*

XX. Item judicandi clericorum causas juxta laicorum consuetudines, & non juxta sacros Canones *cap. Quod clericus* 9. *de foro compet.*

XXI. Item prohibendi clericis, ne præstent juramentum calumniæ *cap. Ceterum* 5. *de juram. calum.*

XXII. Item exigendi juramentum ultra plenam probationem *cap. Sicuti* 2. *de probationib.*

XXIII. Item permittendi juramentum reo ad suam probandam innocentiam, quoties habetur, vel haberi potest probatio de ipsius delicto *cap. Ad nostram* 12. *eod. tit. Alias pravas consuetudines purgandi vide infra n. XXXVIII.*

XXIV. Item præscribendi absque bona fide *c. Quoniam* 30. *de præscription.*

XXV. Item exigendi a judicibus Ecclesiasticis præter expensas victualium decimam, vel aliam partem litis, conventione facta cum partibus litigantibus *cap. Cum ab omni* 10. *de vita, & honest. cleric.*

XXVI. Item exercendi in Ecclesia ludos theatrales tam a laicis, quam a clericis *cap. Cum decorem* 12. *eod. tit.*

XXVII. Item non dandi a patronis, aliisque congruam portionem rectoribus Ecclesiarum *cap. Extirpandæ* 30. *de præbend. Vide Trident. sess. XXV. cap.* 9. §. *Patroni, & c.* 10. *de ref. & infr. n. XXIX.*

XXVIII. Item admittendi solos nobiles ad quarumdam Ecclesiarum beneficia *cap. Venerabilis* 37. *hoc eod. tit. Hodie tamen hæc consuetudo aliquibus in locis pro legitima habetur: sed vide in Auctore part.* 1. *n.* 4. *pag.* 251.

XXXIX. Item abrogata est consuetudo reservandi sibi a patronis Ecclesiarum tam exemptis, quam non exemptis, aliisque quibuscumque etiam Regularibus in præsentatione rectorum earumdem Ecclesiarum tantum de illarum redditibus, ut de residuo iidem rectores non possent commode sustentari *cap. Suscepti* 1. *hoc eod. tit. in* 6. *Vide supra n. XXVII.*

XXX. Item instituendi ad beneficia sine consensu Episcopi *cap. Ex frequentibus* 3. *de institutionib. Hæc tamen abrogatio intelligenda est, cum agitur de beneficiis, quæ pleno jure ab aliis non conferuntur.*

XXXI. Item abrogata est consuetudo, quo minus monasteria monialium non exceptarum visitentur singulis annis a locorum Ordinariis; sicuti & exemptarum tanquam a delegatis Sedis Apostolicæ *cap. Ascendentes* 2. *de statu monachor. in Clem.*

XXXII. Item consuetudo rescindendi penitus testamentum confectum in ultima voluntate, nisi factum fuerit cum subscriptione septem, vel quinque testium *cap. Cum esses* 10. *de testamen. Vide par. II. pag* 63. *n.* 13. *& Gonzalez. hoc eod. cap.*

XXXIII. Item exigendi pecuniam pro sepultura *cap. Abolendæ* 13. *de sepultur.* juncto Can. *Quæsta* 12. *caus.* 13. *q.* 2. *Vide a me notata post cap. Abolendæ* 13. *in summariis part.* 1. *pag.* 130.

XXXIV. Item reconciliandi Ecclesiam pollutam, (quæ prius erat consecrata) per simplices sacerdotes de mandato Episcopi aqua ab ipso benedicta *cap. Aqua* 9. *de consecratione Ecclesiæ Vide hac part. II. n.* 16. *p.* 105.

XXXV. Item ferendi judicium, hospitiumque sibi vindicandi a judice seculari, vel ejus officialibus in domibus Ecclesiarum *c. Ut in domibus* 1. *de immuntiat.*

XXXVI. Item celebrandi matrimonium intra gradus prohibitos *c. Quod super* 5. *de consanguinit.*

XXXVII. Item exigendi pecuniam pro danda licentia docendi *cap. Quoniam* 1. *& c. Quando* 3. *de magistris.*

XXXVIII. Item abrogata est consuetudo compellendi reum duellum inire, & ferri igniti judicium subire ad purgandum se insontem, e quibus si illæsus non evasisset, civili pœna afficiebatur *cap. Cura, & duobus seqq. de purgat. vulgar. Vide supra n. XXIII.*

XXXIX. Item compellendi ad faciendum homagium pro spiritualibus, idest ad præstandum juramentum fidelitatis *cap. Indignum* 11. *de regul. jur. Gregor. Verum vide discrimen inter homagium, & juramentum fidelitatis in Gonz. in c.* Ex diligenti 16. *de Simonia.*

Aliæ consuetudines abrogatæ ex Decreto Gratiani.

XL. Abrogata est consuetudo se disponendi ad quadragesimalis jejunii observationem immoderato carnium esu *Dist. V. Can. Denique* 6.

XLI. Item celebrandi dies festos Martyrum commessationibus, & ebrietatibus *Dist.* 44. *Can. Commessationes* 1.

XLII.

XLII. Item exigendi aliquid pro rebus spiritualibus; sive prius, sive post illarum collationem *causa I. qu. 3. Can. Si quis* 15.

XLIII. Item convellendi parochias cuique Ecclesiæ deputatas *causa XVI. qu.* 4. *Can. Licet* 5.

XLIV. Item usurpandi propria auctoritate prædia, quæ a Rector. Ecclesiarum ad se pertinere putabantur, more fiscali, titulos, (idest vexilla, aut alia signa) illi imprimendo, ead. *caus. XVI. quæst.* 5. *Can. Consuetudo* 1.

LXV. Item faciendi publicam confessionem peccatorum, *de pœnitentia Dist. I. Can. Quamvis* 89.

XLVI. Item invigilandi saltationibus, & turpibus canticis in Sanctorum solemnitatibus, *de consecr. Dist. III. Can. Irreligiosa* 2.

Huc referendæ essent aliæ consuetudines abrogatæ a Sac. Concilio Tridentino; verum cum fere omnes pertineant ad easdem materias, circa quas idem Concil. abrogavit privilegia, lectorem remitto ad Elenchum V. in quo hæc privilegia abrogata enumerantur par. I. a pag. 190. *ad* 192. *Videri tamen poterunt ulterius circa paucas alias materias ibidem non expressas, quarum consuetudo abrogatur, sess. IV. in Decreto de editione, & usu sacr. Libr. - sess. V. cap. II. de refor. - sess. VII. cap. XIII. sess. XXI. cap. III. -- sess. XXII. cap. VII. & IX. -- sess. XXIII. cap. IX. -- sess. XXIV. cap. I. II. IV. XIII. & XIV. ac tandem sess. XXV. c. XIX. de refor. Legi etiam poterunt abrogationes factæ ab eodem Concilio enumeratæ a Bened. XIV. & a me relatæ par. I. pag.* 337. *& seqq.*

Cum autem Concilium in aliquibus ex his abrogatis consuetudinibus utatur clausula etiam immemorabilem, *in aliquibus simplici clausula.* Consuetudinem, *ideo pro regula in praxi a Tribunalibus servanda, attendenda sunt firmata a nostro Auctore part. I. pag.* 133. *n.* 9. *Quæ regula etiam attendenda est in sequentibus abrogation. ubi enim non legitur clausula* immemorabilis, *ibi agitur de simplici consuetudine.*

Aliæ quamplurimæ consuetudines abrogatæ sunt a Constit. Apost. in Bullario romano contentis extra corpus juris Canonici, quarum fere omnes sanctiones, sive ordinatoriæ, sive prohibitoriæ continent clausulam consuetudinum in contrarium abrogatoriam. Ex quibus aliquæ tantum specialiores, & ad res usitatiores spectantes hic subduntur.

XLVII. Abrogata est consuetudo, quæ vigebat in Regno Brittanniæ occupandi a laica potestate universa mobilia, decedentibus marito, vel uxore, ab Honorio II. *Constitut. Charissimus* 20. *Maii* 1130.

XLVIII. Item usurpandi a Fisco omnium naufragantium bona, etiam quæ in littore post naufragium inventa erant, ab eodem cit. Constit. Circa hoc videtiam Constitutiones Julii II. *Romanus Pontifex* 24. *Feb.* 1509. Pauli III. *Accepimus* 13. *Mart.* 1545. S. Pii V. *Cum nobis* 24. *April.* 1566. Pauli V. *Pastoralis* 8. *Apr.* 1610. §. 4. & postremo Bullam in die Cœnæ Domini legi solitam c. 4.

XLIX. Item non residendi a rectoribus Ecclesiarum parochialium, a S. Pio V. Constit. *Cupientes* 23. *Julii* 1568.

L. Item creandi, alienandi, & redimendi annuos census contra formam præscriptam ab eodem Pio Constit. *Cum onus* 19. *Jan.* 1569.

LI. Item testandi, & quovis modo disponendi de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis, aliisque proprio labore partis, aut patrimonialibus ad commodum illegitimorum, etiam legitimatorum; ac insuper eosdem illegitimos habilitandi ad successionem in dictis bonis, aut rebus feudalibus, & emphyteuticis a piis locis profectis, ab eodem S. Pio Constit. *Quæ Ordini* 27. *Jan.* 1571.

LII. Item audiendi confessiones secularium a lectoribus, & theologis quorumcumque Ordinum regularium sine prævia Episcopi approbatione, ab eodem Constit. *Romani Pontificis* 6. *Aug.* 1571.

LIII. Item non visitandi ab Episcopis Ecclesias parochiales militum S. Joannis Hierosolymit. quoad animarum curam, & sacramentorum administrationem, ab eod. Const. *Exposcit* 22. *Sept.* 1571.

LIV. Item non applicandi Cameræ Apostolicæ spolia Regularium decedentium extra claustra a Greg. XIII. Constit. *Officii nostri* 21. *Jan.* 1577.

LV. Item eligendi Abbatissam, aliamque monialium præfectam in Italia, & utroque Siciliæ Regno ultra triennium, ab eod. Const. *Exposcit* 1. *Jan.* 1583.

LVI. Item ineundi contractus societatis securitatem capitalis, aut certam responsionem, aut aliter usurariam pravitatem continentes a Sixto V. Constit. *Detestabilis* 21. *Octobr.* 1586.

LVII. Item consuetudo etiam longissimi temporis faciendi sponsiones super vita, morte, & futura electione Papæ: ac super promotionibus Cardinalium a Greg. XIV. Constit. *Cogit nos* 21. *Mart.* 1591.

LVIII. Item attendendi in omnibus statûs Ecclesiastici Tribunalibus alias nullitates, quam jurisdictionis, citationis, & mandati a Clem. VIII. *Litium* 9. *Febr.* 1593.

LIX. Item largiendi munera a Regularibus utriusque sexus, & respective recipiendi, ac retinendi, ab eodem Constit. *Religiosæ* 19. *Julii* 1594.

LX. Item consuetudo, quominus Regulares Episcopo non subjecti extra claustra notorie delinquentes puniantur ab eodem Episcopo juxta præscriptum Tridentini sess. 25. cap. 14. de Regul. ab eodem Constit. *Suscepti* 13. *Feb.* 1596.

LXI. Item non servandi Cæremoniale Episcoporum ad divina officia rite celebranda, aliasque functiones juxta reformationem factam ab eodem Clem. Constit. *Cum novissime* 14. *Jul.* 1600.

LXII. Item cognoscendi a superioribus quorumcumque Ordinum regul. causas suorum subditorum ad officium S. Inquisitionis quomodolibet pertinentes, a Paul. V. Const. *Romanus* 1. *Sept.* 1606.

LXIII. Item consuetudo etiam immemorabilis exemptionis ab Episcoporum jurisdictione circa disposita a Greg. XV. *Inscrutabilis* 5. *Feb.* 1622. *ut in Elencho VI. n. XCIV. par. I. pag.* 207.

LXIV. Item consuetudo etiam immemorabilis non exequendi a Superioribus regularibus præscripta circa apostatas, & ejectos, ab Urbano VIII. Constit. *Sacra Congregatio* 21. *Sept.* 1624.

LXV. Item consuetudo etiam immemorabilis circa præscripta quoad celebrationem, & reductionem missarum, earumdem onera perpetua suscipienda, augendumque Religiosorum numerum ultra vires reddituum, & consuetarum eleemosynarum monasteriorum, ab eod. Const. *Cum sæpe* 21. *Jun.* 1625.

LXVI. Item consuetudo etiam immemorabilis dandi in feudum, vel emphyteusim, & ultra triennium locandi bona jurisdictionalia ad Ecclesias, & loca pia spectantia, concessionesque hujusmodi renovandi, seu prorogandi, ab eod. Const. *Humanæ* 1. *Nov.* 1625.

LXVII. Item non degradandi, ac non tradendi brachio seculari clericum respective, & laicum minorem vigintiquinque annis, si ad presbyteratum non promotus, sacramentales confessiones audierit, & missam celebraverit, ab eod. Const. *Apostolatus* 28. *Mar.* 1628.

LXVIII. Item emittendi professionem religiosam, non facto novitiatu in locis designatis per Clem. VIII. ab eodem Urbano Constit. *Religiosus* 2. *Apr.* 1631.

LXIX. Item quæcumque consuetudines immemorabiles, etiam cum asserta forma privilegii Apostolici militantes contra libertatem Ecclesiasticam, & Ecclesiis, ac personis Ecclesiasticis; earumque bonis præjudiciales, ex Constit. Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 5. *Jun.* 1641. cui concordat Bulla in die Cœnæ Domini legi solita, & auth. *Cassa de Sacr. Ecclesiis*, quamque per partes optime expendit *Fagn. lib. I. c. Consuetudines* 1. *de consuetud. a n.* 58. *ad* 81.

LXX. Item consuetudo etiam longissimi temporis non servandi numerum dierum festorum præscriptum a dicto Urbano Constit. *Universa Idib. Sept.* 1642.

LXXI. Item consuetudo etiam immemorabilis recedendi a S. R. E. Cardinalibus e statu Ecclesiastico absque licentia summi Pontificis, ab Innoc. X. Constit. *Cum juxta* 19. *Febr.* 1646.

LXXII. Item consuetudo etiam immemorabilis erigendi a Regularibus in Italia, & Insulis adjacentibus nova loca absque expressa licentia Sedis Apostolicæ, cum prævio examine Congregationis Episcoporum, & Regularium, ab Innoc. Const. *Instauranda id Octobr.* 1652.

LXXIII. Item consuetudo etiam immemorabilis locandi consanguineis, vel affinibus rectorum, aut administratorum Ecclesiarum, aliorumque locorum piorum

rum urbis Romæ, ab Alex. VII. Constit. *In suprema* 23. *April.* 1656.

LXXIV. Item abrogata est consuetudo etiam immemorabilis, seus contrarius usus dandi, vel promittendi aliquid pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam ex Constit. ejusdem Alexandri *Inter gravissimas* 2. *Maii* 1656. innovata ab Innoc. XII. Const. *Sacerdotalem* 29. *Jan.* 1699. reprobante non usum dictæ Alexandrinæ sanctionis.

LXXV. Item consuetudo etiam immemorab. ingrediendi a Superioribus regularibus, & confessariis intra septa monasterii monialium iisdem Regul. subjectarum præter modum, & tempus præscriptum ab Alex. VII. Const. *Filici* 1. *Novemb.* 1664.

LXXVI. Item consuetudo etiam immemorabilis exercendi sub quocumque prætextu mercaturam a Regularibus quorumcumuue Ordinum a Clemente IX. Constit. *Solicitudo* 17. *Jun.* 1669.

LXXVII. Item consuetudo etiam centenaria, & immemorabilis exercendi a Cardinalibus Ordinum regul. protectoribus ultra præscripta in Constit. Innoc. XII. *Christifidelium* 16. *Feb.* 1694.

LXXVIII. Item consuetudo ordinandi alienos subditos, non servatis conditionibus præscriptis in Constit. ejuusdem Innocent. XII. *Speculatores* 4. *Novembr.* 1694. quas *Vide Elencho VI. n. XXVIII. par. I. pag.* 196.

LXXIX. Item consuetudo etiam immemorabilis contra disposita a Conc. Trid. & a S. Pio V. in collatione beneficiorum ex Const. ejusd. Innoc. *Ecclesiæ* 22. *Sept.* 1695. *Vide Elenc. VI. nu. LXXII. & LXXIII. par. I. pag.* 203. *&* 204.

LXXX. Item abrogatæ sunt consuetudines etiam immemorabiles adversus præscripta in Cœremoniali Episcoporum, Rituali Romano, vel Rubricis missalis, & breviarii servanda in Ecclesiis tam secularibus, quam regularibus ex Concilio Romano sub Benedict. XIII. *tit. XV. c.* 1. *de celeb. miss. &c.* prout etiam abrogaverat S. Rituum Cong. approbante Urb. VIII. & Innocent. XIII. Const. *Apostolici* 13. *Maii* 1723.

LXXXI. Item consuetudo etiam immemorabilis non explicandi Evangelium a parochis diebus dominicis, & festis, etiam prætextu, quod in aliis Ecclesiis dictis diebus habeantur conciones ad populum, Bened. XIII. Constitut. *In supremo* 23. *Sept.* 1724.

LXXXII. Item consuetudo etiam immemorabil. de non solvenda quarta funerali a Regul. ex Const. ejusf. Ben. XIII. *Romanus* 4. Kal. Maji 1725. in terminis relat. *Elenc. VI. n. CXIII. par. I. p.* 210.

LXXXIII. Item consuetudo etiam immemorabilis de non solvenda a beneficiatis media annata favore fabricæ metropolitanarum, cathedralium, & collegiatarum Ecclesiarum ex Constit. ejusdem Bened. *Pius* 4. *idus Maii* 1725. *ut Elencho VI. n. LXXIII. p. I. pag.* 204.

LXXXIV. Item consuetudo etiam, immemorabilis de non deferendo a clericis beneficiatis habitu illis congruente, ex Constitut. ejusd. *Catholicæ Ecclesiæ* 6. *non Maii* 1725. in terminis relat. *Elencho VI. n. XXIII. par. I. pag.* 195.

LXXXV. Item consuetudo etiam immemorabilis non petendæ benedictionis episcopalis ab Abbatibus perpetuis, ex Const. d. Bened. *Commissi* pridie *Non. Maii* 1725. in terminis, ut in *Additionibus meis par. I. n. VIII. pag.* 245.

LXXXVI. Item consuetudo contraria, etiam immemorabilis circa institutionem præbendæ theologalis, & Canonici pænitentiarii, ex Constit. ejusdem *Pastoralis* 14. *Kal. Jun.* 1725. in terminis ut in *Elenc. VI. n. III. par. I. pag.* 192.

LXXXVII. Item consuetudo exigendi a reo in criminalibus juramentum, ex Concilio Romano ejusd. Bened. anno 1725. ut in *Addit. p. I. post n.* 6. *p.* 296.

LVXXVIII. Item consuetudo etiam immemorabilis contra non observantiam clausuræ monialium ex Constitutionibus, quas vide *Elenc. VI. n. LXXXVII. & seqq. par. I. pag.* 206.

LXXXIX. Item consuetudo etiam immemorabilis contra non observantiam clausuræ monasteriorum virorum regularium, ex Constit. Bened. XIV. quam vide in *Additionibus meis par. II. post n.* 10. *pag.* 96.

XC. Item consuetudo etiam immemorabilis admittendi appellationem in casibus relatis in Const. ejusd. ut in *Addit. meis par. I. post n.* 9. *p.* 337.

XCI. Item consuetudo de non psallendo a choro addictis una cum aliis, ex Constit. ejusdem Bened. quam vide in *Addit. meis par. II. post n.* 8. *p.* 7. *Vide etiam Fagnan. de præben. c. Licet* 24.

XCII. Item consuetudo etiam immemorabilis non applicandi a parochis missam diebus festis pro populo, & missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere ex Const. ejusd. Ben. ut *V. Elenc. VI. n XLIII. par. I. pag.* 199.

Aliæ consuetudines abrogatæ ex decretis SS. Congregationum juxta seriem annorum emanatis.

XCIII. Abrogata est consuetudo etiam immemorabilis non residendi in cathedralibus, & collegiatis insignibus, ex decr. Cong. Conc. approbato a Gregor. XIII. *an.* 1573. relat. in hac *part. II. post n.* 6. *p.* 7.

XCIV. Item non asservandi Eucharistiam in Ecclesiis parochialibus, ex decr. ejusd. Cong. 2. *April.* 1585.

XCV. Item deferendi crucem more Archiepiscoporum ante Superiorem monasterii, licet habentem jurisdictionem spiritualem, & temporalem, ex decr. Congr. Rituum in Carropoliten. Nullius 4. *Martii* 1606.

XCVI. Item faciendi processionem cum SS. Sacram. de nocte feria V. & VI. majoris hebdom. ex decr. d. Con. 8. *Aug.* 1609.

XCVII. Item consuetudo etiam immemorabilis concedendi licentiam in casibus necessariis pro ingressu in septa monialium regularibus subjectarum a solis eorum regularibus Superioribus, & non simul a locorum Ordinariis, ex decr. Cong. Conc. jussu Urbani VIII. 13. *Nov.* 1620. *ut Elenc. VI. n.* 79. *par. I. p.* 206.

XCVIII. Item inserviendi a canonicis diaconis Episcopo de *bugia*, seu candela, ex decr. Cong. Rituum *in Ragusina* 16. *Martii* 1628.

XCIX. Item non subjacendi pœnis inflictis contra non interessentes choro etiam per primum nocturnum; & in diebus ferialibus per sex psalmos, ex decr. Cong. Conc. 24. *Maii* 1674. relato hac *par. II. pag.* 16. *post n.* 8.

C. Item recipiendi a parocho sudariolum, ac vas, aut discum, quod paratur ab infirmo occasione recipiendi sacramentum extremæ unctionis, super quo collocatur vasculum olei sancti, & taxa Innoc. XI. 1. *Oct. an.* 1628. *&* die 8. d. mens. & an. typis data de mandato d. Pontificis a Cong. Conc. ac per litteras circulares locorum Ordinariis transmissa, quæ etiam refertur in folio ejusd. Cong. *in Albanen.* 20. *Feb.* 1723.

CI. Item applicandi missam pro se ipsis, vel aliis, etiam sine, vel cum receptione eleemosynæ illis diebus, in quibus ex aliqua rationabili causa capellani obligati quotidie celebrare per se ipsos juxta mentem fundatorum, vacant ab hujusmodi celebratione, ex Decret. Cong. Conc. *in Collen.* 18. *Septem.* 1683. *ad III. & IV. dub.*

CII. Item abrogatur consuetudo etiam immemorabilis recipiendi aliquid ab Episcopo, ejusque officialibus tam in visitatione, quam extra pro decretis, seu judicatura executionis testamentorum, piarum voluntatum, aut piorum legatorum, excepto moderato salario dando notariis pro scriptura, ac illorum labore, ex Decr. ejusdem Cong. *in Vicen.* 16. *Sept.* 1645. *&* 18. *Maii* 1686.

CIII. Item recipiendi a parocho sudariolum, quo teguntur manus defuncti com parva cruce supra illius pectus, quæ a parocho datur, ex Decr. ejusdem Cong. *in Tudertina funer.* 13. *Aug.* 1718. & fol. d. Cong. *in Albanen.* 20. *Feb.* 1723.

CIV. Item consuetudo etiam immemorabilis cogendi Canonicum noviter electum ad parandum convivia aliis Canonicis, ex Decr. ejusdem Congr. *in Burgen.* 3. *Sept.* 1729. *& in Leodien.* 1. *Sept.* 1731. *ac* 18. *Jul.* 1733.

CV. Item consuetudo etiam centenaria, vel immemorab. non solvendi cathedraticum ex Decr. d. Cong. *in Perusina cathedratici* 19. *Nov.* 1735. aliisque relat. *par. I. p.* 264. *post n.* 14. & Conc. Rom. 1725. *tit.* 8. *cap.* 4.

ELEN-

ELENCHUS

Legum Juris Civilis a Jure Canonico correctarum in iis, quæ, vel fovent peccatum, vel illius periculum involvunt.

I. GRegorius IX. declarans in c. *Cum tanto* 11. *de consuet.* consuetudinem non derogare juri naturali, seu divino, neque positivo, nisi sit rationabilis, & præscripta, derogavit *l. de quibus* §. 1. *tit. de legib.* illimitate statuenti consuetudinem juri scripto præjudicare.

II. Concilium Carthaginense I. relatum in *cap. Antigonus I. de Pactis*, præcipiens pacta quantumcumque nuda esse servanda, derogavit *l. juris gentium* §. *sed cum* 4. *ff. de pact.* concedenti ex nudo pacto exceptionem, non actionem.

III. Bonif. VIII. in *cap. Quamvis* 2. *eod. tit. in* 6. statuens servandum esse pactum juratum factum patri à filia nuptui tradenda, quod dote contenta, nullum sit habitura regressum ad bona paterna, abrogavit *l. pactum dotale C. de collat.* decernentem non ideo filiam prohiberi, ne intestato patri succedat.

IV. Innoc. III. in *cap. Ex litteris* 4. *de in integr. restit.* statuens in causa matrimonii sententiam latam impugnari posse, etiam semiplene probata fraude per juramentum, derogavit *l.* 1. *C. sententiam rescindi non posse & l.* 1. *C. de appel.* generaliter decernentibus, neminem esse audiendum adversus sententiam latam, si transierit in rem judicatam.

V. Idem in *cap. Per tuas* 9. *de arbitr.* declarans juramentum obligare jurantem, derogavit *l. ut jusjurand. in prin. ff. de operis libertorum*, *& l. si quis pro eo ff. de fidejussoribus* decernentibus regulariter non inducere obligationem.

VI. Alex. III. in *cap. Et si clerici* 4. *de judic.* juncto toto *tit. de foro compet.* statuens judicem secularem non posse cognoscere contra clericum causam communem inter ipsum, & laicum, abrogavit *l. omnes, qui absque*, *Auth. subjuncta C. de Episc. & cleric.* permittentem clericos, & monachos conveniri coram Prætore, & Provinciarum Rectoribus. Ista tamen lex correcta jam fuerat a Justiniano novel. 79. 81. & 123. remittente clericum ad Prælatos Ecclesiasticos, sed in causis tantum civilibus: quamvis postea hæc remissio extensa etiam fuerit ad causas criminales ex Constit. Friderici II. quam vide apud *Gothof.* in Cod. *fol. mihi* 744. §. *Item statuimus*.

VII. Innoc. III. *in cap. Qualiter* 17. *eod. tit.* statuens non esse supplendam a judice seculari negligentiam Prælatorum in causis spiritualibus, abrogavit *Novel. Ut clerici apud proprios judices* 83. *prin.* §. 1. Sic decernentem *Si vero aut propter causæ naturam, aut propter quamdam forte difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse & ad civiles judices pergere.*

VIII. Bonif. VIII. in *cap. Si annum* 3. *eod. tit. in* 6. decernens filium, etiam sub patria potestate existentem absque illius consensu agere posse causam spiritualem, & beneficialem, aliamque causam a dictis materiis dependentem, derogavit *l. Cum non solum* 8. *prin. C. de bon. quæ liberis*, regulariter id deneganti filiofamil. absque patris consensu.

IX. Innoc. III. *in cap. Si diligenti* 12. *de for. compet.* prohibens clerico etiam jurato, fori privilegio renuntiare, abrogavit *l. Si quis C. de Pactis* definientem omnes cujuscumque dignitatis sint, etiam sacerdotes obligari ex pacto, quo suo privilegio renuntiaverunt, ut coram alio judice non Ecclesiastico conveniantur.

X. Lucius III. *in c. Ceterum* 5. *de juram. calum.* statuens clericum ex justa causa teneri præstare juramentum calumniæ, abrogavit *l. Cum clericis* §. *memorati C. de Episc. & Cleric.* id ei prohibentem.

XI. Honorius III. *in cap. Tuam* 3. *de ord. cognit.* & Alex. III. *in cap. Causam* 4. *& cap. Lator.* 5. *qui filii sint legit.* interdicentes judici seculari cognoscere, etiam incidenter, de causa spirituali, abrogaverunt *l. Cui jurisdictio ff. de jurisdict. omn. judic. & l. Quoties C. de judiciis* id permittentes.

XII. Eugenius III. *in cap. Si qui* 8. *de testib.* juncta *Glos. verb. valetudinarii*, *& Can. Quisquis.* 80. *caus.* 16. *q.* 3. declarans, quemcumque etiam invitum, sic senes, & valetudinarios, cogi posse, ad testimonium ferendum causa detegendi peccatum proximi, abrogavit *l. Invit. de testib.* decernentem cogi non posse publicanos, absentes, exercitui præfectos, ac pupillos.

XIII. Alex. III. *in cap. Super eo* 22. *eod. tit.* statuens admittendum esse dictum, etiam solius matris, deponentis de impedimento matrimonii contrahendi, idque ad evitandum periculum nullitatis, si subesset aliquod impedimentum dirimens, derogavit *l. Jurisjurandi* §. 1. *C. de testib.* decernenti testimonium unius, quantumvis magnæ auctoritatis, non esse admittendum in quacumque causa.

XIV. Idem *in cap. Illud quoque* 11. *de præsumpt.* juncto *Can. Aliter* 1. *caus.* 30. *q.* 5. statuens ex diuturna cohabitatione viri cum muliere, non concurrentibus aliis adminiculis, non probari matrimonium, sed ex authentico instrumento solemnitatis ejusdem, abrogavit *l. In libera mulieris ff. deritu nuptiar.* illud admittentem ex sola præsumptione diuturnæ cohabitationis.

XV. Innoc. III. *in cap. Litteras* 13. *eod. tit.* juncto *Can. Si audieris* 33. *caus.* 23. *q.* 5. statuens, fratrem accusare posse, & debere fratrem de crimine hæresis, derogavit *L. C. Qui accusare non possunt* non admittenti accusationem fratris in fratrem de capitali crimine; imo accusatorem exilio plectenti.

XVI. Innoc. III. in cap. *Etsi* 26. *eod. tit.* statuens licitum esse juramentum etiam religiosis ex justa causa, abrogavit *l. Cum clericis* §. *Memorati c. de Epis. & Cleric.* illud in iis inhibentem.

XVII. Idem *in cap. Cum contingat* 28. & Bonifac. VIII. *in cap. Licet mulieres* 2. *in* 6. *eod. tit.* decernentes mulierem teneri servare juramentum de non veniendo contra alienationem rei dotalis, abrogarunt *l.* 7. §. 16. *ff. de pact. & l. Non dubium c. de leg.* contrarium disponentes.

XVIII. Alex. III. *in cap. Vigilanti* 5. & Innoc. III. *in capp. Si diligenti* 17. *Veniens* 19. & *Quoniam* 20. *de præscript.* statuentes necessariam esse bonam fidem continuam ad præscribendum, abrogarunt *l. unic. c. de Usucap. transferend.* decernentem satis esse bonam fidem ab initio tantum habitam, *& l. Sicut*, *& l. Omnes*, *& l. Cum novissimi C. de præscript.* 30. vel 40. annor. statuentes possessorem malæ fidei præscribere res sic possessas tempore longissimo.

XIX. Idem *in cap. Lator.* 7. & Clement. III. *in capp. Tenor* 10. *& Consanguinei* 11. *de sent. & re judic.* ac Lucius III. *in cap. Fraternitatis* 6. *de frigid. & malefic.* statuentes sententiam latam contra matrimonium nunquam transire in rem judicatam, itaut revocari semper possit, detecto errore defectus, derogarunt, *C. de exequt. rei judic.* decernenti sententiam definitivam semper transire in rem judicatam, ne matrimonii quidem causa excepta.

XX. Idem Alex. III. *in cap. Preterea* 22. & Innoc. III. *in cap. Pastoralis* 53. *de appellat.* statuentes non suspendi excommunicationem per appellationem, abrogarunt *l.* 1. §. 14. *ff. ad Senat. Consult. Turpell.* decernentem appellationis remedio extingui condemnationis pronuntiationem.

XXI. Concilium Arvernense relatum *In cap. Qui res* 2. *de reb. Eccl. non alien.* interdicens Principi seculari Ecclesiastica bona alienare, & statuens ea recipientem teneri ad restitutionem, abrogavit *l. Omnes*, *& l. Bene a Zenone C. de Quatrien. præscriptione* declarantes ementem a fisco rem alienam, non teneri ad restitutionem.

XXII. Innoc. III. *in cap. Per tuas* 5. *de donat.* prohibens, ne Ecclesia in actibus suis fraudem aliquam adhibeat, abrogavit *l. Item si pretio ff. locati & l. in causa ff. de minor.* admittentes licitum esse contrahentibus invicem se decipere usque ad dimidium justi pretii. Vide Joann. Baptist. a S. Blasio contrariet. 105.

XXIII.

XXIII. Alex. III. *in cap. Verum* 2. *& c. Publico* 7. §. *Sane de converſ. conjug.* juncto *Can. Agathoſa* 21. *cauſ.* 27. *q.* 2. ſtatuens matrimonium tantum ratum diſſolvi poſſe per profeſſionem religioſam, abrogavit *novel.* 22. *de Nupt. cap. Diſtrahuntur* decernentem diſſolvi poſſe etiam conſumatum, altero conjugum continentiam vovente.

XXIV. Urbanus IV. *in cap. Ad hæc* 3. *de religioſ. domib.* declarans, illum tantum eſſe locum religioſum, qui ad cultum religionis Epiſcopi auctoritate deſtinatus eſt, abrogavit *l. Locum*, *& l. Cum in diverſis ff. de relig. & ſumpt. fun. ac l.* 6. *ff. de rer. diviſ. l.* 2. *ff. de re legat.* habentes pro religioſo locum, ubi homo mortuus ſepultus eſt.

XXV. Concilium Lateran. III. ſub Alex. III. relat. *in capp. Non minus* 4. *& Adverſus* 7. *de immunit. eccleſ.* juncta *Clement. unic. Quoniam eod. tit.* ſtatuens imponi non poſſe Eccleſiis, ac perſonis eccleſiaſticis collectas ſine apoſtolica conceſſione, abrogavit *l. Nemini C. de ſacroſanct. Epiſc.* hanc facultatem Imperatori tribuentem.

XXVI. Innoc. III. *in cap. Inter alia* 6. *eod. tit.* ſtatuens non extrahendum ab Eccleſia, niſi publicum latronem, vel nocturnum agrorum depopulatorem, derogavit *Anth. de mandat. Princip. cap.* 5. *&* 7. excipienti etiam homicidas, adulteros, & raptores virginum. Vide hac part. II. pag. 15. a n. 16. & ſeqq. una cum Additionib. meis ibidem.

XXVII. Alex. III. *in cap. Preterea* 2. *de ſponſ. & matrim. & cap. De illis* 9. *de deſponſ. impub.* juncto *Can. Deſponſatas* 46. *cauſ.* 27. *q.* 2. prohibens deſponſatam alicui renuntiare poſſe, & alteri nubere ſine ſponſi conſenſu, abrogavit *l.* 1. *Cod. de ſponſalib.* id permittentem.

XXVIII. Idem *in c. Cum locum* 14. *de ſponſal. &c. Significavit* 2. *de eo, qui duxit* & Horſmirdas *in cap. Tua fraternitas* 1. *de deſponſat. impub.* declarantes filiam invitam, & repugnantem cogi non poſſe ad nubendum, abrogarunt *l. Sed quæ patris ff. de ſponſal.* ſtatuentem cogi poſſe, dummodo ſponſus a patre electus, non ſit indignus, & turpis.

XXIX. Idem in cit. *c. Cum locum*, *& c. Veniens* 15. *eod. tit. de ſponſal. & matrim.* declarans nullum matrimonium contractum metu cadente in conſtantem virum abrogavit *l. Si patre* 22. *tit. de ritu nupt.* ſtatuentem *Si patre cogente, ducet uxorem filius, quam non duceret, ſi ſui arbitrii eſſet, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos contrahitur* licet Gotefr. verba illa *Si patre cogente*, interpretetur *ſuadente*, *hortante*, *admodum urgente*.

XXX. Clem. III. *in c. In præſentia* 19. *eod. tit.* & Cæleſt. III. *in c. Dominus* 2. *de ſecund. nupt.* interdicentes uxori tranſitum ad ſecunda vota, ſi non ſit certior facta de morte viri, ab ea longo tempore abſentis, abrogarunt *Novell.* 22. admittentem hujuſmodi tranſitum, ſi elapſo quinquennio, non conſtet alterum conjugem, qui cauſa captivitatis, vel peregrinationis diutius abfuit, adhuc eſſe ſuperſtitem.

XXXI. Innoc. III. *in c. Cum apud* 23. *de ſponſalib.* junctis *Can. Sufficiat* 2. *cauſ.* 27. *q.* 2. *ac Can. Hoc ſanctum* 16. *cauſ.* 32. *q.* 3. *& Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. *de refor. matrim.* ſtatuens ad valorem matrimonii non requiri parentum conſenſum, abrogavit *l. Nuptiæ* 2. *ff. de ritu nupt. l. Nec filium C. de nupt. & princ. Inſt. eod.* decernentes neceſſario requiri.

☞ *Nec crederem, audiendos eſſe Cujacium in lib.* 35. *Pauli ad edictum ad l.* 2. *&* 10. *de ritu nupt. nec Dionyſium Gotefridum in l. filius ff. de ritu nupt. ſentientes contra Vinnium ad lib.* 1. *Inſtit. tit.* 10. *alioſque eruditos Juriſconſultos, a dictis legibus nuptias ſine parentum conſenſu contractas non irritas, ſed ſolum illicitas declarari, fiſos fortaſſe auctoritate Pauli juriſconſulti lib.* 2. *ſent. tit.* 14. *ita aſſerentis.* Eorum, qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, ſed contracta non ſolvuntur. *Quæ auctoritas, cum aperte contradicat laudatis legibus a Juſtiniano ex ſententia ejuſdem Pauli inſertis Corpori Juris a ſe promulgati, merito juxta Juvenin. tract. de ſacram. diſſ.* 1. *q.* 5. *art.* 2. *cum DD. ibi cit. credi poteſt, non eſſe Pauli, ſed cujuſdam Aniani, a quo tempore Alarici Gothorum Regis Theodoſianus Codex notis illuſtratus eſt.*

☞ *Ceterum eaſdem civiles leges infringentes matrimonia tam ſervorum, quam filiorum familias ſolo eorumdem conſenſu inita, quondam etiam ratas habuit Eccleſia, ut ex pluribus canonibus fuſe, & eruditiſſime demonſtrat Benedictus XIV. de ſynod. diæc. edit. an.* 1755. *lib. IX. c. XI. n.* 3. *& ſeqq.*

XXXII. Celeſt. III. *in c. Cum haberet* 5. §. *ſollicitudinis de eo, qui duxit &c.* præcipiens a parentibus alendos eſſe filios, etiam ſpurios, ſeu ex damnato coitu procreatos, abrogavit *Auth. ex complexu l. de inceſt. & aut.* licet *patri Cod. de natural. liber.* id negantes.

XXXIII. Adrianus *in c. Dignum* 1. & Alex. III. *in c. Propoſuit* 2. *de conjug. ſervor.* ſtatuentes matrimonium inter mancipia, & inter ſervum, & liberam validum eſſe, dummodo abfuerit error, abrogarunt *l. Cum ancillis C. de inceſtis* illud nullum declarantes. Vide ſupra n. XXXI.

XXXIV. Innoc. III. *in c. Non debet* 8. *de conſang. & affin.* definiens invalidum matrimonium contractum intra quartum conſanguinitatis gradum, abrogavit *l. Celebrandis C. de Nupt. & §. Duorum fratrum Inſtit. eod.* validum declarantes matrimonium inter conſobrinos.

XXXV. Idem *cit. c. Non debet* auferens impedimentum ſecundi, & tertii generis affinitatis una cum impedimento publicæ honeſtatis iis annexo ad finem contrahendi matrimonium, ut inter vitricum, & uxorem privigni, abrogavit *l. Uxorem* 15. *de ritu nupt.* prohibentem, ut inhoneſtum matrimonium inter vitricum, & uxorem privigni.

☞ *Ad tramites dictæ Decretalis, diſcuſſo articulo in Cong. Conc. in Bojanen matrimonii die* 3. *Aug.* 1720. *cum voto quatuor theologorum, deciſum fuit ab eadem Congreg.* 8. *Mar.* 1721. *contrahi poſſe matrimonium inter vitricum, & uxorem privigni ut in Theſ. reſol. tom.* 1. *pag.* 350. *& tom.* 2. *pag.* 26. *ubi etiam annexæ leguntur adnotationes Benedicti XIV. tunc d. Cong. ſecret., ex jure deſumptæ circa eamdem quæſtionem.*

XXXVI. Alex. III. *in cap. Cum inter* 2. & Innoc. III. *in cap. Ex tenore* 14. *Qui filii ſint legit.* declarantes legitimam eſſe prolem ortam ex matrimonio bona fide ex parte utriuſque, vel ex parte alterius ex conjugibus in facie Eccleſiæ contracto, & nullo ob aliquod occultum impedimentum poſtea declarato, abrogavit *l.* 3. *C. Soluto matrim.* ſtatuentem ſpurios eſſe ingenuos natos ex libera, & ex eo, qui ſervus erat, qui tamen exiſtimabatur liber.

XXXVII. Idem *in cap. Tanta* 6. *eod. tit.* interdicens concubinatum, & quemcumque coitum extra matrimonium, abrogavit *l.* 1. §. 1. 3. *l.* 3. *& l.* 5. *ff. de concubin.* cum aliquibus permittentes.

XXXVIII. Urbanus III. *in c. Super illa* 4. & Innoc. III. *in c. Cum ſecundum* 5. *de ſecund. nupt.* permittentes viduæ libere nubere poſſe intra annum luctus ſine pœna infamiæ, derogarunt *l.* 1. *&c. ſeqq. C. de ſecund. nupt.* id prohibentibus ſub dicta pœna.

XXXIX. Item edicentes *in citt. capp.* ex Apoſtolo, liberum eſſe mulieri nubere cui voluerit, abrogarunt juxta DD. ad dicta *capp. C. De interd. matrim. contract. inter pupil. & tut. & C. de rubro, & nigro* prohibentes matrimonium inter tutorem, vel filium ejus, & pupillam, vel adultam, cujus ille geſſerat tutelam, & curam *Joan. Baptiſta S. Blaſ. contrariet.* 25.

XL. Bonifac. VIII. *in cap. Ut inquiſitoribus* 18. *de Hæret.* interdicens judici ſeculari de hæreſi cognoſcere, derogavit *l. Quicumque cap. de Hæret.* id permittenti.

XLI. Gregorius Magnus relatus in *c. In ordinando* 1. *de ſimonia*, juncto *Can. Sicut Epiſcopum* 4. *cauſ.* 1. *q.* 2. prohibens, ne quid temporale in ordinibus conferendis exigatur ab Epiſcopo, vel miniſtris, vel notariis, abrogavit *Novel.* 123. *de Sanctis Epiſc. cap. Si quis* 3. *collect.* 9. adſtringentes ordinandos ad aliquid offerendum Epiſcopo ordinanti, & notario.

XLII. Alex. III. in *c. Super* 4. *de uſur.* juncta *Clem. unic. Ex gravi eod. tit.* declarans ſub graviſſimis pœnis uſuras prohibitas eſſe, & puniendum eſſe velut hæreticum pertinaciter aſſerentem, non eſſe peccatum eas exercere, abrogavit *l.* 1. *tit. ult. lib.* 2. *C. Cod. Theodoſin. l.* 26. *C. de uſur. l.* 1. *ff. de uſur.* ita illas admittentes ibi. *Placuit licitas uſuras peti poſſe*, juncta *l. eos, qui C. eod.*

XLIII. Pius Papa in *Can. Si quis* 10. juncto *Can. Considerat.* 8. *cauf.* 22. *q.* 1. prohibens jurare per creaturas, derogavit *L. non erit ratum ff. de jur. jurando* juncta *Auth. Ut non luxuriantur homines, & §. & quoniam l. Qui per salutem ff. eod.* decernentibus licitum esse jurare per creaturas, dummodo non juretur per capillos Dei, vel per caput ejus, neque aliis verbis blasphemis.

XLIV. Nicol. Papa in *Can. Inter haec 6, cauf.* 33. *q.* 2. execrans homicidium uxoris deprehensæ a marito in adulterio, abrogavit leges id permittentes, ut refert Aulus Gellius *lib. noct. & tit.* 10, *c.* 23, & Julius Clarus *lib.* 2. *sent. tit.* 27.

BENEFICIORUM PLURALITAS reprobatur I. B. 175. & 185. Item eccleſiaſtico ordini infeſta, & juri ſacrorum Canon. etiam naturali contraria II. A. & B. 14. II. B. 15. *Beneficia* compatibilia; item incompatibilia quæ ſint II. A. 14. & ibid. B. I. B. 179. I. A. 187. *In Beneficiorum* pluralitate ex qua cauſa diſpenſari poſſit II. A. 15. Et qui diſpenſare poſſit ibid. Papa dum diſpenſat motu proprio, & *beneficia* ſunt compatibilia, vel incompatibilia ſolo jure eccleſiaſtico, valida eſt diſpenſatio: & ſi nulla juſta adeſſet cauſa ibid. B. Diſpenſatio papalis in pluralitate *beneficiorum* ex natura ſua, vel ex ſufficientia incompatibilia abſque juſta cauſa eſt invalida pro foro interno II. B. 15. Diſpenſatio ad plura *beneficia* ſtricte interpretanda II. B. 16. Cardinalibus permittitur, ſi unum *beneficium* non ſufficiat, conferri poſſe aliud ſimplex, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat I. B. 175. Conſuetudo conferendi tria *beneficia* ſub diverſo tecto ſimplicia, & compatibilia alias de ſe inſufficienta non videtur eſſe corruptela II. A. 15. Conſuetudo conferendi tria *beneficia* difformia ſub eodem tecto tamquam corruptela reprobatur ibid. Retentio duorum *curatorum beneficiorum*, vel alias incompatibilium ſive per viam unionis ad vitam, ſive commendæ perpetuæ prohibita I. B. 175. Item prohibetur retentio cum iiſdem titulis plurium metropolitanarum, ſeu Eccleſiarum cathedralium ibid. *Imo etiam Regularis nequit eſſe ſimul ſuperior, & parochus ſui conventus, ſi huic incumbat cura animarum* I. A. 123. Ab obtinentibus *plura beneficia* incompatibilia ſive primi, ſive ſecundi generis oſtendenda Ordinariis diſpenſatio apoſtol. intra tempus ab iiſdem aſſignatum I. B. 185. II. A. 189. Et interim iidem Ordinarii provideant Eccleſiæ de Vicario cum congrua ibid. *Beneficium* prius, ſequuta diſpenſatione, vacare incipit eodem inſtanti, quo obtenta eſt pacifica poſſeſſio alterius *beneficii* II. A. 17. I. A. 179. & ibid. B. Et quando poſſeſſio cenſenda non ſit pacifica II. A. 17. Caſus, in quibus obtento *beneficio* ſecundo, non vacet primum ibid. Ad vacationem prioris *beneficii*, obtento pacifice ſecundo, non requiritur ſententia declaratoria: ad privationem tamen ſecundi a Papa conferendi, ſi *beneficiatus* utrumque retinere præſumpſerit, requirenda ibid. I. A. 171. I. B. 186.

BENEFICIORUM RENUNTIATIO, ſive reſignatio vide *Renuntiatio*.

BENEFICIORUM RESERVATIO, quid, & quotuplex ſit II. B. 17. *Beneficia reſervata* in corpore juris communis II. A. 18. Item in Conſtitutionibus extravagant. ibid. Item in regulis Cancellariæ apoſtol. ibid. *Beneficia* Clericorum veſtes clericales non deferentium, qui per ſententiam privantur, reſervata ſunt Sedi apoſtolicæ I. B. 195. Item in Concordatis Germaniæ II. B 18. & in Galliæ Concordatis II. B. 19. Reſervatio eſt ſtrictæ interpretationis ibid.

BENEFICIORUM SUPPRESSIO quid ſit II. A. 12. Quando, & quomodo permittatur Epiſcopis ibid. & I. A. 175.

BENEFICIORUM UNIO quid ſit, & quot modis fieri poſſit II. B. 11. Modus diſcernendi qualis fuerit unio ad ejus diſcernenda jura ibid. *Beneficia* a quo uniri poſſint ibid. Epiſcopi quando debeant unire *beneficium* ſimplex primo vacaturum in quocumque menſe, ac qualitercumque, & quomodocumque Sedi apoſtolic. affectum, & reſervatum præbendæ tam theologali, quam pœnitentiali erectæ, vel erigendæ in cathedralibus Italiæ, & Inſularum adjacentium: & quæ *beneficia* ſint excepta II. A. 12. Epiſcopus in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis inſignibus quando cum conſenſu capituli poſſit aliquot ſimplicia *beneficia*, non tamen regularia, unire canonicor. præbendis I. A. 175. Epiſcopus etiam cum conſenſu capituli nequit tamen unire dictis præbendis portiones ejuſdem Eccleſiæ, neque *beneficia* ſimplicia fabricæ, vel ſacriſtiæ Eccleſiæ cathedralis, vel menſæ capitulari ibid. Item neque in unionibus ob quamcumque cauſam faciendis unire poteſt parochiales. I. A. 180. Poteſt tamen unam Eccleſiam, quæ parochialis non ſit, alteri unire, vel loco religioſo donare ibid. & B. Item quæ altera *beneficia*, & quibus uniri poſſint II. A. 12. Uniones temporales, & ante vacationem prohibitæ II. B. 11. I. B 128. & quæ ad formam unionis *beneficiorum* ſpectent II. A. 12.

BENEFICIORUM PAROCHIALIUM collatio, & inſtitutio, adeatur *Parochia*.

BENEFICIORUM PAROCHIALIUM *reſignatio* vide *Renuntiatio*.

DE BENEFICIIS *providendis Expectativa*, & mandata vide *Vacatio*.

BENEFICIORUM *inſtitutio* vide *Inſtitutio*.

BENEFICIORUM *Inveſtitura* vide *Inveſtitura*.

AD BENEFICIA nominatio vide *Imperator*.

IN BENEFICIIS *pactio* vide *Simonia*.

BENEFICIORUM *poſſeſſio* quando capienda vide *Inveſtitura*.

AD BENEFICIA *præſentatio* vide *Juſpatronatus*.

BENEFICIORUM *redditus*, ſeu *fructus*, vide *Fructus*, & *Clericorum Bona*.

BENEFICIORUM *reſignatio* vide *Renuntiatio*.

BENEFICII *titulus* pro ſacris Ordinibus recipiendis vide *Titulus beneficii*.

BENEFICIORUM *Vacatio* vide *Vacatio*.

BESTIALITAS quid ſit II. B. 210. ejus pœnæ II. A. 212.

BIGAMIA quid, & quotuplex ſit I. A. 255. *Bigamia* vera inducit irregularitatem etiam ei, qui in infidelitate duas uxores habuit, vel unam ante baptiſmum, & alteram poſt ibid. *Bigamia* interpretativa in quibus caſibus inducat irregularitatem ibid. B. *Bigamia* ſimilitudinaria irregularitatem inducit ibid. *A bigamia* irregularitate qui ſunt immunes II. A. 256. *In bigamia* irregularitate Papa non ſolet diſpenſare, niſi ex urgentiſſima cauſa ibid. *In bigamia* vera, vel interpretativa niſi occulta, Epiſcopus nequit diſpenſare ad Ordines minores, & beneficia ſimplicia ibid. Diſpenſare tamen poteſt in *bigamia* pure ſimilitudinaria ad exercitium Ordinis poſt peractam pœnitentiam: & idem poteſt Prælatus regularis cum ſuis ſubditis ibid. & I. A. 120. *Bigami* ordinati, & eum ordinantis pœna I. A. 256.

BIMESTRE conceſſum *Conjugibus* ad deliberandum de ingreſſu in Religionem II. B. 92. Quomodo intelligendum I. A. 134.

BLASPHEMIA quid & quotuplex ſit II. B. 226. *Blaſphemantis* pœna ibid. I. A. 158. Item pœna, ſi *blaſphemus* ſit clericus ibid. Nec ab his excuſat minor ætas ibid.

BONA *adventitia* I. A. 47. II. A. 75. *Bona bello capta* I. A. 47. *Bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia* ibid. B. II. A. 75. *Bonorum ceſſio* vide *Solutio*. *Bona Clericorum* vide *Clericorum peculium*. *Bonorum collatio* vide *Hæreditas*. *Bona damnatorum* vide *Damnatorum*. *Bona derelicta* I. B. 36. *Bonorum diſpoſitio a Regularibus novitiis*, vide *Novitiatus*. *Bona dotalia* vide *Dos*. *Bona Eccleſiæ* vide *Eccleſiæ bona*.

Bona filiorum I. A. 47. *Bona incerta* I. B. 36. *Bona inventa* ibid. *In bonorum possessionem missio* vide *Missio in bonorum possessionem*. *Bona in nosocomiis decedentium* vide *Successio ab intestato*. *Bona paraphernaria* II. A. 166. *Bonorum possessio* vide ibid. *Bona profectitia* II. B. 74. *Bona receptitia* II. A. 166. *Bona Regularium decedentium extra claustra* vide *Successio ab intestato*. *Bonorum retentio* Judæis baptizatis indulta: & quorum bonorum permissa *non baptizatis* vide *Judæi*. *Bona servorum* I. B. 47. *De quibus bonis testamento* disponi possit, vide *Testamentum*.

BREVE APOSTOLICUM quo differat a Bulla I. A. 215.

BULLA COENÆ quo ad prohibitionem librorum an recepta in Germania II. B. 196.

IN BULLA *S. Pii V.* circa recitationem Officii B. M. Virginis qui error Typographi irrepserit in *Bullario Romano* II. A. 108.

BULLARIUM magnum continens Constitutiones pontificias quando habeat auctoritatem juris I. A. 215.

C

CADAVER non est sequestrandum I. B. 307. Quomodo sepeliendum in tumba I. A. 131.

CADAVERA exenterantium poena ibid.

CADUCITATIS poena in *Feudo* II. A. 50. ibid. B. In *emphyteusi* II. A. 47.

CALIX, vel patena quando reconsecrandus II. A. 105. I. B. 252. *Calix* cum patena a quo consecrari debeat II. B. 104. Potest esse etiam stanneus, si ob paupertatem argenteum emi nequeat I. B. 139.

CALUMNIA quid sit II. B. 226. *Calumniari* in criminalibus quid sit, & quæ poena illius II. A. 181. I. A. 296. Item quid sit *calumniari* in civilibus ibid.

CALUMNIÆ juramentum: vide *Juramentum calumniæ*.

CAMBIUM quid, & quotuplex sit II. B. 221. & A. 222. est per se licitum ibid.

CAMERA APOSTOL. in quibus bonis, & quorum decedentium sine testamento, aut facultate testandi succedat I. B. 129.

CAMERÆ ROMANÆ AUDITOR extra Urbis districtum non potest esse judex competens in causis summæ recurribilis, idest non attingentis valorem scutorum centum I. B. 290. Ab eo, & duobus ipsius locum tenentibus in civilibus jurisdictionis voluntariæ decretum in quibus causis interponatur I. A. 265. Mancipia quæcumque christianam Religionem prius amplexa confugientia ad Senatum *Cameræ*, ejusque Conservatores pro libertate consequenda, quo privilegio donentur I. B. 93. In commissionibus tribunalis *Auditoris Cameræ* & Vicarii Urbis quando judices, & notarii nihil pro viaticis, & cibariis repetere possint II. A. 245.

CAMERALES CITATIONES vide *Citatio*.

CAMPANARUM benedictio a quibus facienda II. B. 104. & A. 105. Regulares diebus festis etiam eo tempore, quo missa in parochia celebratur, possunt *campanas* pulsare, excepto Sabbato Sancto, nisi prius pulsata *campana* Ecclesiæ cathedralis vel matricis II. B. 106. Mendicantibus hodie licita est retentio plurium *campanarum* I. B. 94. *Campanæ* quibus festivitatibus pulsari queant tempore interdicti I. A. 174. & B. 270. *Campanula* minor ad *Sanctus* quando pulsari prohibeatur II. B. 257.

CANCELLARIÆ Apostol. regulæ quæ sint, & quid juris habeant I. A. 215. In regulis *Cancellariæ* quæ reserventur beneficia II. A. 18.

CANON quid sit I. A. 221. Canonista imbutus sit sacra Theologia I. B. 213.

CANONES APOSTOLORUM magis de ore ad os traditi, quam scripti I. A. 212. *Canones* iidem, spectato genuino sensu, obtinent vim juris pontificii I. A. 214. *Canonum* eorumdem ex quinquaginta reprobatorum sensus explicatur ibid. 3.

CANONES POENITENTIALES, etiamsi non fere sint in usu, notitia tamen eorum utilis confessariis I. A. 214. II. B. 246.

CANONIA quid sit II. A. 25. Per se differt a præbenda ibid. *Canonia* non est dignitas I. B. 238.

CANONICATUS in materia odiosa, & in rescriptis provisoriis non veniunt nomine beneficii simplicis II. B. 10. *Canonicalium* præbendarum, & distributionum fructus quando, & quomodo ab Episcopo augeri possint in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus I. A. 175.

CANONICA PORTIO vide *Portio Canonica*.

CANONICI *cathedralis*, item *collegiatæ* ætas I. B. 87. *Canonici* cathedralis habentes vocem in capitulo debent esse saltem subdiaconi, vel Diaconi, & media pars presbyterorum I. B. 251. I. A. 92. *Canonici* sub qua poena cogantur promoveri ad Ordinem beneficio annexum, & cum statutis diebus per seipsos exercere ibid. I. A. 189. Consuetudo vigens in quibusdam Ecclesiis cathedralibus non recipiendi in *Canonicos* nisi nobiles, tanquam corruptela rejicitur I. A. 251. II. B. 269. *Canonici supranumerarii* creatio I. B. 180. II. A. 25. *Canonici supranumerarii* creatio facta ab Episcopo valet, ea tamen conditione, ut nullum jus quæsitum ex tali creatione habeat ad præbendam vacaturam ibid. *Canonici cathedralis collegialiter* cum suo Episcopo incedentes præcedentiam habent ante Abbates, & Prælatos Regulares I. A. 268. An Episcopus procedens contra subditum teneatur secum adhibere *Canonicos* cathedralis I. B. 148. *Canonici cathedralis*, & *collegiatæ*, & omnes choro addicti licet præsentes sint, non tamen una cum aliis alta voce psallentes, præbendarum, ac distributionum fructus suos minime faciunt, & ad eorum restitutionem tenentur I. A. 187. II. B. 7. Eorum personalis residentia, & quando excusentur: vide *Residentia*: *Canonicorum capitulum*: vide *Capitulum clericorum*.

CANONICI *quoad recitationem* horarum canonicarum vide *Ad horas canonicas*.

CANONICI REGULARES sub qua poena teneantur resignare proprium II. B. 95. Licet nunquam translati, nequeunt consequi nedum beneficium sæculare, & curatum, sed etiam quodcumque simplex, & etiam pensionem absque indulto apostol. II. A. 13. I. A. 196. Provisi cum tali indulto de beneficio curato, aut residentiali, quo fruantur privilegio circa habitum, & socium sui Ordinis, & reditum ad claustra ibid. B. Quomodo nomine monachorum veniant etiam *Canonici regulares* II. B. 95.

CANONIS PRIVILEGIO gaudent omnes, qui in materia favorabili veniunt nomine clericorum II. B. 255. Item quando gaudeant tertiarii, & eremitæ ibid. *Privilegio Canonis*, qui priventur ibid. Excommunicationem *Canonis*, quomodo incurrere possint omnes doli capaces, etiam pueri, & mulieres ibid. *A Canonis* excommunicatione qui excusentur ibid. II. A. & B. 226. Quomodo Episcopus, vel Prælatus puniendo, sive incarcerando Clericum, vel Religiosum incurrere possint *canonis* excommunicationem ibid. Clerici pueri inter se rixantes a qua excommunicatione excusentur. II. B. 255. Non excusatur, qui injuriose percussit Titium Clericum, quem cogitavit esse Cajum ibid. Percussio *Clerici* a quibus censenda *levis*, *gravis*, *& atrox*, *seu enormis* II. A. 256. Percussio Clerici minoristæ correctionis causa non videtur extendenda ad clericum in sacris constitutum, nisi castigans sit Prælatus, aut magister II. B. 255. & A. & B. 226. Absolvere ab excommunicatione *canonis* de jure communi potest solus Papa II. A. 256. Qui possint ex speciali commissione ibid. I. B. 261. & A. 262. Episcopi, eorumque Vicarii quando possint absolvere II. A. 253. I. A. 119. II. A. 256. Prælati regulares quando absolvere possint suos religiosos: & item si religiosus percussus sit alterius Ordinis, absolutio ad quem pertineat, ibid. Confessarii regulares in privilegiis communicantes quomodo absolvere possint ab excommunicatione *canonis* ibid. Est tantum vitandus notorius percussor clerici, ac illi, qui publice, & nominatim denuntiati sunt ut evitandi I. A. 174. Ut sit notoria clerici percussio, quot personæ sufficiant, coram quibus facta sit II. A 253.

CANON IN EMPHYTEUSI vide *Emphyteusis*.

CANONIZATIO SANCTORUM vide *Sanctorum canonizatio*.

CAPELLA quid significet II. B. 98. *Monachorum capella* vide *Ecclesiæ Regularium*.

CAPELLANUS vide *Missa*.

CAPELLANUS BELLICUS vide *Bellum*, & quando possit assistere matrimonio militum II. A. 136.

CAPILLITIUM FICTUM vide *Coma ficta*.

CAPITULUM CLERICORUM quid sit II. A. 27. I. A. 235. *Ad Capitulum*, quæ personæ pertineant ibid. Ad illud constituendum a principio quot personæ requirantur II. A. 27. I. A. 235. Item quot ad ejus conservationem ibid. *Capituli* jura conservantur in muris, si omnes deficiunt, & his dirutis, in pavimento ibid. II. A. 27.

CAPITULUM SEDE PLENA potest condere aliqua statuta, quibus ipsi soli obligentur citra præjudicium Ecclesiæ, & Episcopi I. A. 222. *Capituli* consensus ab Episcopo requirendus in quo differat a consilio II. B. 26. & in quibus negotiis ab ipso Episcopo requirendus ibid. Item *Capituli* consilium in quibus casibus a Prælato requirendum ibid. & A. 27. Quid juris circa *capituli* convocationem II. A. 27. Qui habeant vocem in *capitulo* I. B. ibid. 251. & I. A. 189. Actus *capitularis* qua forma sit expediendus II. A. 27. In quibus casibus major pars non sufficiat ad valorem actus *capitular.* ibid. B. Quando minor pars contradicere possit decreto majoris, vel ab eo appellare, & in actu *capitulari* quid possit Episcopus, seu Prælatus II. A. 28. *Capitulum* si sit exemptum, quomodo procedet Episcopus in causis criminalibus II. B. 26. I. A. 178. Item Episcopus volens illud visitare quomodo possit I. A. 178. Item Episcopus quomodo possit pro-

procedere in canonicos *capituli* non exempti, & illud visitare ibid.

CAPITULUM CATHEDRALE *Sede vacante* poteſt ferre leges pro tota diœceſi I. A. 222. II. B. 25. Item poteſt in legibus Concilii diœceſani diſpenſare I. B. 227. & A. 228. Item in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus: in denuntiationibus matrimonii: in petitione debiti conjugalis: in obſervatione feſtorum, votis, juramentis, in defectu natalium ad Ordines minores, & beneficia ſimplicia, & in hujuſmodi caſibus, quibus ob difficilem recurſum ad Papam, ſolent diſpenſare Epiſcopi II. B. 25. Item poteſt aſſiſtere matrimoniis, dare licentiam monialibus exeundi a clauſtro ibid. Et vide *clauſuram* ſub verbo *Monialium*: cauſas ad Epiſcopi forum pertinentes, inquirere in criminoſos pœnis, & cenſuris, & id delegare, adigere clericos ad oſtendendos titulos ſuorum beneficiorum, exigere ſubſidium charitativum ibid. Item conſtituere poteſt viſitatorem idoneum diœceſis, adeſſe Concilio provinciali per ſuum vicarium cum voto deciſivo, cognoſcere de crimine hæreſis ſubditorum diœceſanorum, non tamen exemptorum II. A. 26. Poteſt approbare ad curam animarum, inſtituere in beneficiis. II. B. 25. Item admittere reſignationes beneficiorum, & deſtituere invitum & beneficia unire II. A. 26. nequit tamen conferre beneficium liberæ collationis Epiſcopi, & beneficia inferiorum collatorum ea negligentium I. B. 244. II. A. 26. Collatio vero beneficii ſi pertineat ad Epiſcopum ſimul, & capitulum, mortuo Epiſcopo, vel ſuſpenſo, fieri poteſt a ſolo *Capitulo* ibid. Item ſi ex cauſa permutationis Epiſcopus ſuſcepit reſignationem, poteſt *Capitulum*, mortuo Epiſcopo, conferre beneficia reſignata II. A. 26. Non ita, ſi ipſum *Capitulum* ſuſcepit reſignationem ibid. *Capitulo* non competit de jure naturali, & divino poteſtas transferendi jus prælaturæ, ſive perſonale, ſive reale in electum I. A. 238. *Capitulum* ſede vacante quibus poſſit dare dimiſſorias ad Ordines I. B. 176. II. A. 26. *Capitulum*, ſede vacante, nequit dare licentiam ædificandi novum monaſterium: concedere indulgentias: & quando poſſit alienare bona Eccleſiæ, & litem inchoare, vel inchoatam proſequi ibid. *Capitulum* adminiſtrat, ſi inhabilis ſit Epiſcopus ob captivitatem, vel obiter ad terras longinquas, niſi adminiſtratorem conſtituiſſet I. A. 245. Non vero adminiſtrat, ſi Epiſcopus ſit inhabilis ex culpa ibid. Item, ſi licet captus poſſit per litteras regimini diœceſis providere I. B. 90. *An Capitulum*, ſede vacante, poſſit per ſeipſum juriſdictionem ad ſe devolutam exercere: vide *Vicarius capitularis*. Præcedentia quænam ſit inter Vicarium generalem, vel *Capitularem*, & ipſum *Capitulum*, ac ipſas dignitates *Capituli* tum ſede plene, tum vacante I. A. 268.

CAPITULUM METROPOLITANUM ſuccedit in juriſdictione archiepiſcopali, ſive metropolitica. II. A. 26.

CAPITULUM IN TITULIS CARDINALIUM non ſuccedit, Cardinale defuncto, ſed urbis Vicarius I. B. 99.

CAPITULUM ECCLESIÆ COLLEGIATÆ ſuo Prælato deſtitutæ, ſi ſubjectum eſt Epiſcopo, cum hujus auctoritate, vel capituli, ſede vacante, poteſt agere in judicio. II. A. 26. & vide verbum *Canonici Cathedralis, & Collegiatæ*.

CAPITULA, ſive CONCILIA PROVINCIALIA ſingulis tricnniis *Regulares* jubentur celebrare. II. B. 95. I. B. 187. Quæ ſint attendenda, ob quæ iidem in *capitulis* non gaudeant ſuffragio activo, vel paſſivo I. A. 240. An religioſi electi in vocales, ſeu diſcretos *capituli provincialis*, aut *generalis* renuntiare poſſint electioni de ſe factæ. ibid. B. & quæ ſint ſpecialia in electionibus Regularium intra Ordinem: vide *Regularis prælati electio*.

CARCERIS effractor qua pœna puniatur. II. A. 216. Quando tamen ei licita ſit fuga: qui privata auctoritate delinquentem, vel debitorem *carceri* mancipat, & detinet, quam pœnam incurrat II. A. 240. I. A. 294. caſus a pœna exceptus ibid. *Carcer* non eſt proprie pœna II. B. 244. *Carcer* clericorum, & religioſorum qualis debeat eſſe II. B. 255. Quæ indicia delicti requirantur, ut clerici a Prælato includantur carceri I. A. 66. Privati *carceris crimen* II. A. 240.

CARDINALES in Eccleſiis ſuorum titulorum habent juriſdictionem ordinariam tam ex jure, quam ex privilegio I. B. 262. A. 222. Quomodo conferant beneficia ſuorum titulorum II. B. 12. Quid juris circa facultatem *Cardinalium* in ſubditos ſuorum titulorum, & collationem primæ tonſuræ, & minorum Ordinum I. B. 99. In titulis *Cardinalium* Papa quid ſibi reſervet ibid. In his titulis, *Cardinale* defuncto, urbis Vicarius ſe ingerit juxta caſuum contingentiam ibidem. *Ad Cardinalatum* requiritur Ordo gradui proprius, & intra quod tempus ſuſcipiendus I. B. 251. *Ad Cardinalatum* non admittuntur legitimati per matrimonium II. A. 160. Titulus eminentiæ quando fuerit ipſis attributus I. A. 268. *Cardinales* antecellunt omnes poſt Papam Prælatos ibid. Sunt jure pontificio inferiores I. B. 239. Quid juris circa *Cardinalium* reſidentiam in curia I. A. 120. Collegii *Cardinalium* juriſdictio, ſede vacante I. A. 86. I. B. 99. I. A. 222. & vide *Papæ electio*, *sex Cardinales* Epiſcopi ſubburbicarii promovere nequeunt ad ſacros Ordines ſuos ſubditos in urbe abſque expreſſa licentia ejuſdem urbis Vicarii, & moderna opinio contraria reprobatur I. A. 247. Non tenentur eligere Metropolitanum ad effectum conveniendi in ejus Concilio provinciali I. B. 202. *Cardinalium* domeſtici vide verbum *Domeſticorum*.

CASTRATIO illicita ad conſervandam ſuavitatem vocis, & etiam ex cauſa vitandæ incontinentiæ II. B. 205. *Caſtrati* matrimonium an valeat II. A. 155. & I. A. 146. *Caſtrati* ob infirmitatem, vel violentiam non ſunt irregulares I. A. 254.

CATECHISMUS vide *Doctrinam Chriſtianam*.

CATECHISMI IMPEDIMENTUM, quo ad matrimonium ſublatum eſt I. B. 170. & II. B. 182. 149.

CASUS FORTUITUS qui ſit, & quando præſtetur in rebus contractuum II. B. 34.

CASUS RESERVATI vide *Reſervatio*.

CATHEDRATICUM quid ſit, ſive *ſynodatinum*. I. B. 263. Debetur de omnibus beneficiis etiam ſimplicibus, exceptis capellaniis laicalibus, & ad nutum amovibilibus: neque immemorabili conſuetudine præſcribitur A. 264. Ex eadem maſſa unicum eſt perſolvendum cathedraticum, ſi nemo uni, eidemque Eccleſiæ inſervientium ſuam diſtinctam poſſideat præbendam ibid. Ad *Cathedraticum* tenentur Confraternitates canonice erectæ habentes propriam Eccleſiam ibid. ſolvi debet quotannis Epiſcopo a die adeptæ poſſeſſionis ſuæ Eccleſiæ, licet ſynodus non celebretur ibid. Conſuetudo legitime præſcripta illud non ſolvendi, niſi in ſynodo, poteſt tantum minuere onus hujus ſolutionis ibid. Contra eos, qui ſunt in more illud ſolvendi, quæ citatio ſufficiat ante expeditionem mandati executivi, ibid.

CAUPONÆ dominus quando teneatur ex furto hoſpitibus facto II. B. 215. II. B. 239.

CAUSA quid ſit I. A. 283. *Cauſæ* mere eccleſiaſticæ coram eccleſiaſtico judice privative tractandæ I. A. 284. In dubio an *cauſa* ſit eccleſiaſtici, vel judicis laici, pronuntiat eccleſiaſticus I. A. 286. *Cauſa* incidens ſpiritualis in *cauſa* profana principali propoſita coram judice laico, remittenda ad judicem eccleſiaſticum, & prius ab eo per ſententiam terminanda I. B. 284. & B. 299. In *cauſis* civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum quo ad clericos ſeculares, aut regulares extra monaſterium degentes quomodolibet exemptos judex competens ordinarius I. B. 188. & A. 286. Item in *cauſis* omnibus in prima inſtantia, & quæ excipiantur ibid. I. B. 177. & A. 205. *Cauſæ* mixti fori ſubſtant judici tam eccleſiaſtico, quam laico. I. B. 284. Et quæ ſint ibid. *Cauſæ* connexæ quæ, & coram quo judice tractandæ ibid. *Cauſæ* profanæ laicorum regulariter tractandæ coram judice laico ibid. Ordo cognitionum *cauſarum* qui, & quæ *cauſa* dicatur principalis, & quæ incidens, ſeu concurrens A. 299.

CAUSARUM COGNITIO in quibus caſibus committi poſſit extra diœceſim I. B. 82. Et ubi tractari debent ibid. Cui committendæ ibidem, & A. 185. ac A. 210. In concurſu plurium *cauſarum* quæ prius cognoſcenda ibid. *Cauſæ vocatio* quæ, & ejus effectus I. B. 292. *Cauſæ* omnes tam civiles, quam criminales ad forum eccleſiaſticum pertinentes intra quod tempus terminandæ. I. B. 178. I. A. 205. *Cauſæ* contra Epiſcopos criminales graviores etiam hæreſis cognoſcendæ, & terminandæ a ſolo Romano Pontifice I. B. 177. & A. 288. Jus cognoſcendi *cauſas* matrimoniales adverſus Epiſcopum ex ſpeciali privilegio, & præſcriptione acquiri non poteſt, ſed tantum ex conſuetudine immemorabili I. B. 183. Et adeatur *Divortium*.

CAUSÆ DAMNI DATI ab animalibus in Statu pontificio vide *Animal*.

CAUSARUM DELEGATIO ſive commiſſio vide *Delegatio*.

CAUSARUM FEUDALIUM judex vide *Feudum*.

CAUSA FINALIS, & impulſiva I. A. 231.

CAUSA poſſeſſionis, & proprietatis, vide *Poſſeſſio*.

CAUSÆ Patronus, ſive *Cauſidicus* vide *Advocatus*.

CAUTIO quid, & quotuplex ſit II. A. 52. *Cautio* quomodo præſtanda ab uſufructuario, ibid. B. A quo remitti poſſit, & quibus lex *cautionem* remittat ibid.

CELEBRATIO MISSARUM &c. II. B. 105. & vide *Miſſa*.

CENSURA quid ſit, & quotuplex II. B. 249. & A. 250. Quomodo agnoſcatur *cenſura*, an ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ ibid. *Cenſuræ* ſpecies II. A. 250. Eccleſia, ſeu ejus Prælati poſſunt ferre *cenſuras*, ibid. *Cenſurandi* poteſtas jure, & officio ordinario quibus competat ibid. Hanc poteſtatem Parochus: item clericus quomodo acquirere poſſint, ibid. Laicus privilegio apoſtol. habilitari poteſt ad ferendam *cenſuram* ibid. Fæmina hoc privilegio habilitari nequit ibid. B. Quæ conditiones requirantur in

eo,

eo, qui censura ligandus sit; & qui censura non sint subjecti ibid. Papa a nullo in terris censura ligari potest nisi propter hæresim a Concilio depositus ibid. Subditi Suffraganei quando possint censurari ab Archiepiscopo, & subditi aliorum Episcoporum ab Episcopo non suo ibidem. Item quando Episcopus in alieno territorio commorans possit excommunicari a Prælato territorii ibid. Censura lata generaliter pro territorio, subditus extra illud delinquens, quando eam incurrat ibid. Episcopi non ligantur censura suspensionis, & interdicti, nisi eorum expressa fiat mentio ibid. I. B. 165. & 174. Integra communitas, civitas, aut collegium quando non tantum interdici, & suspendi, sed etiam excommunicari possit II. B. 250. Idem homo ex diversis causis ligari potest pluribus censuris non tantum diversæ, sed etiam ejusdem rationis, II. A. 251. Censura ferri potest regulariter ob culpam mortalem opere externo proditam, & jure ecclesiastico prohibitam, non tamen ob delictum mere præteritum, cujus contumacia cessat II. A. 247. Ad censurarum fulminationem caute deveniendum I. B. 165. Censura proprie dicta non incurritur ob delictum alienum; per accidens tamen innocentes afficiuntur interdicto, aut suspensione generali II. A. 251. Censura lata in facientes non extenditur ad mandantes, consulentes, ratihabentes, nisi & isti exprimantur ibidem. Censuram latam in mandantes, & consulentes, hi, sufficienter quoad se revocato mandato, & consilio, non videntur incurrere, etsi mandatarius, ad quem revocatio non pervenit, mandatum exequutus sit ibid. Ad proferendam censuram ex parte judicis quid requiratur ibid. B. Ad censuram judicialiter ferendam per modum sententiæ sub qua pœna requiratur triplex monitio ibid. An hæc requiratur in delicto notorio notorietate facti, & simul contumaciæ ibid. Ecclesiarum Prælati ferre præsumentes in aliquem censuras sine scriptura, & expressione causæ earumdem respective censurarum, & absque exemplari dictæ scripturæ reo tradendæ intra mensem, eo requirente, quam pœnam incurrant, & qui excipiantur I. B. 174. & B. 165. I. B. 164. Censura lata judicialiter per modum sententiæ tenet, etiamsi aliter prolata, quam a jure præscribatur II. A. 243. Censura lata legaliter per modum juris, seu statuti, ipso jure, & facto incurritur absque ulla prævia monitione a judice facienda; illa tamen ab eo licite nequit denunciari, nisi notoria esset contumacia ibid. Nulla prævia requiritur admonitio ad ferendam censuram, non proprio ejus modo, sed pœnæ vindicativæ ibid. Ignorantia non tantum facti, sed etiam juris quando excuset ab incursione censuræ I. B. 80. & II. A. 242. In dubio facti, aut juris an censura incurratur, & quid aliud excusare possit a censuris ibid. Innocens notorius, probatus autem nocens in foro externo, si a judice censuretur, pro tali se gerere tenetur in eodem foro II. A. 252. Si tamen exequutio sententiæ peccatum contineat, non est judici parendum ibid. I. B. 226. Metus gravis injustus quando excuset a censuris II. A. 252. Censura non tollitur nisi absolutione, & quotupliciter solutio fiat ibid. Si censuratus moriatur, quomodo censura perseveret ibid. Censura specialiter per sententiam lata a judice, a quo per absolutionem sit tollenda ibid. B. Item censura a jure, vel statuto generaliter lata, si non sit reservata, a quo relaxari possit ibidem. Item si censura juris sit reservata ibidem B. Episcopus nequit absolvere ab illis censuris occultis, quæ post Concilium Tridentinum Papæ reservatæ sunt ibidem. Quis possit absolvere in casu impotentiæ, & impedimenti a publica censura Papæ reservata II. A. 253. Quæ sint hujus modi impedimenta, & quomodo hoc casu censuratus debeat absolvi ibid. & vide Absolutio. Quæ sit forma absolutionis a censuris, ib. Vide etiam Interdictum, Suspensio, Excommunicatio.

CENSUS quid, & quotuplex sit II. A. 222. Census emptitius quotupliciter dividatur ib. Census realis emptio est licita de jure naturali, & positivo ibid. B. Census personalis emptio, attento jure naturali, est licita ibid. Pacta, quæ contractui censuali in Germania addi solent ib. Census in qua moneta solvendi sint II. B. 102. Census ex Ecclesiæ proventibus dari solitus: & quis possit eum imponere Ecclesiis ibid. Regulares Censum passivum non redimentes vide Alienatio.

CESSATIO A DIVINIS quid sit II. B. 258. Quis, & ob quam causam indicere possit cessationem a divinis ibid. Cessatione valide indicta non possunt a clericis celebrari missæ, & alia divina officia eo modo, quo conceditur tempore interdicti, & quid tantum permittatur II. A. 259. Quid juris circa sepulturam sacram ibid. Attento rigore juris, quæ Sacramenta dumtaxat ministrari possint, & quid tempore cessationis ex benignitate Ecclesiæ videatur indultum ibid. Quomodo, & quos obliget cessatio a divinis ibid. Quomodo tollatur cessatio ibid. B.

CESSIO BONORUM, vide Solutio.

CHARITATIVUM SUBSIDIUM quid sit I. A. 264.

CHIROGRAPHUM, seu nomen litigiosum II. A. 222.

CHIRURGIA vide Ars chirurgica.

CHORO ADDICTI vide Canonici, & Horas canonicas.

CHRISMA est de essentia Confirmationis juxta tutiorem sententiam in praxi sequendam I. B. 251. Chrisma quomodo conficiendum: ejus confectio committi nequit a Papa simplici presbytero A. 252. Chrisma debet esse novum: & quid significet ibid. Chrisma vetus quando adhiberi possit; & in majori quantitate de oleo non benedicto effundi ad benedictum ibid. Chrisma prohibentur accipere græci presbyteri ab Episcopis schismaticis, & etiam ab alio Episcopo latino, seu græco catholico præter suum Ordinarium latinum ibid. Chrismate quæ ungantur personæ I. B. 251. Vendi nequit II. B. 187.

CITATIO quid, & quotuplex sit I. B. 293. Citatio absentis necessaria ad valorem judicii ibid. Citatio est valida, etiamsi parti non præsentata I. 260. Citari potest omnis, & solus jurisdictioni citantis subjectus, præter reum principaliter omnes, quorum interest I. B. 293. In alieno territorio nequit confici decretum citatorium I. A. 294. Reus si in alieno territorio moretur, potest mitti nuntius cum litteris citatoriis ibid. Actu sacris operantes, & uxorem ducentes non sunt vocandi, sed vocatio in aliud tempus differenda ibid. Quando locus sit citationi reali, edictali, & peremptoriæ ibid. Judici delegato quando permittatur citare realiter ibid. Quæ personæ olim exemptæ erant a citatione, & quæ vocari non poterant nisi cum venia prætoris ibid. Veniens Romam, vel ad locum alium ex causa necessaria non cogatur ibi respondere, nisi prius domum reverti concedatur I. B. 292. Citationes camerales typis impressæ, in quibus causis attendendæ sint in partibus Ditionis ecclesiasticæ, & quando non suspendant exequtionem I. A. 294. Citationis effectus I. B. 294. Citatio requiritur, ut res desinat esse integra I. B. 260. Citatio facit negotium quasi cœptum ibid.

CLANDESTINA DESPONSATIO vide Matrimonium.

CLAUSTRA Monasterii vide Monasterium.

CLAUSURA MONIALIUM vide Monialium Monasteria.

CLAUSURA VIRORUM vide Monasterium.

CLERICORUM nomine late sumpto qui veniant I. B. 104. II. A. 3. Qui veniant tantum in odiosis ibid. Clericorum habitus ibid. B. Ad habitum clericalem, & tonsuram qui obligentur II. A. 4. In clericos, & beneficiatos, sive pensiones obtinentes non deferentes habitum juxta congruam Episcopi ordinationem quomodo procedet Episcopus, & quas pœnas iidem incurrant I. A. 186. I. B. 195. Qui sint excepti ibid. & indultum circa id concessum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus ibid. Clerici non laxent comam more lascivo, vano, & fœmineo II. B. 3. Fictum capillitium, vulgo Perucca, ipsis prohibetur ibid. & vide sub verbo Sacerdotes. Clericis armorum delatio prohibetur II. A. 4. Ebrietas, & crapula: item accessus ad convivia, præsertim nuptialia, & in tabernas ingressus ibid. Clericis interdicitur comœdiis, & spectaculis interesse, & lusus alearum, seu taxillorum ib. B. Clericis quæ officia, & negotia sæcularia prohibeantur, & sub quibus pœnis II. B. 118. & A. 119. I. ibid. II. A. 317. I. B. 4. I. A. 173. I. A. 199. I. B. 141. Clerici scire debent scripturas, & sacros canones I. A. 213. Clerici simplices etiam curam animarum habentes, dummodo eorum Ecclesiæ non habeant sub se alias capellas, seu Ecclesias, in quibus instituantur Clerici perpetui, non prohibentur studere legi civili, & medicinæ, & sub quibus pœnis prohibeatur decanis, archidiaconis, præpositis, plebanis, cantoribus, aliisque personatum habentibus I. A. 173. II. A. 119. Clerici curent, ne in sacrorum mysteriorum celebratione laici stent, vel sedeant inter ipsos Clericos secus altare II. B. 4. Item ne Ecclesia ludis theatralibus, & musica vana, & lasciva profanetur ibid. Clericis debitores decocti vide Solutio. Clerici doctores an portare possint annulum dubitatur II. B. 3. & vide sub verbo Sacerdotes. Clerici quibus mulieribus habitare possint: vide Cœlibatus Clericorum. Clerici depositio quid sit, & quid juris circa illam II. B. 243. Quo differat a privatione beneficii, & a suspensione totali ibid. & vide Suspensio. Clericus censuratus, & depositus actum Ordinis exercens. vide Ordinis actus. Clericus venator adeatur Venatio. Clericus in duello vide Duellum. Clericus in bello; vide Bellum. Clericus percussor quis dicatur, & quæ pœna illius II. B. 24. Clericus monetarius degradatione dignus II. B. 243. Clericus concubinarius, & fornicator, vide sub verbo Concubinatus, & Fornicatio. Clerici percussio, vel injuria, vide Canonis privilegium. Clerici quando teneantur legibus civilibus I. A. 224. II. B. 40.

CLERICI PRIVILEGIUM FORI habent, quo eximuntur a jurisdictione laicorum I. B. 288. Hoc privilegium non est solum juris humani, sed etiam divini, & naturalis ibid. Clerici in quibus causis gaudeant hoc privilegio I. A. 290. Item qui gaudeant I. B. 289. I. A. 185. I. A. 289. Clericus conjugatus II. B. 5. Minorista conjugatus, sed non

non bigamus, & ab Episcopo deputatus si alicui Ecclesiæ deserviat, quomodo gaudeat *privilegio fori* II. A. 6. I. B. 170. Qui sint censendi familiares Episcopi hoc *privilegio* gaudentes I. B. 289. Iidem pro Ditione ecclesiastica, & locis Reipublicæ Lucanæ in pertinentibus ad immunitatem localem, & personalem gaudent *privilegio fori* in crimine homicidii A. 290. Dicto *privilegio* qui non gaudeant ibid. Qui non gaudeant in Urbe, & reliquo Statu Eccles. in Regnis Hispan., in Republ. Januens., & Lucana, in Insulis Corsica, & Capraria ibidem. Sub quibus pœnis renuntiari nequit *privilegio fori* I. A. & B. 291. In quibus causis jus permittat, clericum stare in *judicio sæculari* vel eum capi a judice laico I. B. 290. II. B. 255. Clerici propter negligentiam Prælatorum in administranda justitia laicis, non sunt trahendi *ad forum sæculare* I. A. 189. & vide *Immunitas personalis Clericorum*.

CLERICORUM IMMUNITAS vide *Immunitas Clericorum*.

CLERICORUM PECULIUM quid sit II. A. 59. *Bona clericorum* quotuplicia ibid. In primitiva Ecclesia omnia Ecclesiæ bona confusa, & communia sub dispensatione Episcopi ibid. Qua causa, quoque tempore fuerint divisa in quatuor partes II. A. 59. non constat, quo devenerit pauperum portio in beneficiorum erectione ibid. B. *Quorum bonorum Clerici* sint domini ibid. *Sub mortali, & ex justitia obligantur redditus beneficiales, & superfluos expendere in causas pias* ibid. Quomodo in praxi uti possint *bonis beneficialibus* II. A. 61. Consuetudo ex *bonis beneficialibus* testandi ad causas profanas nequit esse rationabilis, & licita II. A. 62. Beneficiati incolæ, & cives Urbis Romæ in ea, & ejus districtu decedentes possunt testari de *bonis* Ecclesiæ etiam ad causas profanas I. B. 129.

CLERICI PEREGRINI, & ignoti quando promovendi ad superiorem Ordinem I. A. 256. I. A. 91. Non admittantur etiam apud Regulares exemptos ad divina celebranda, & Sacramenta administranda, nisi constet in commendatitiis de legitima ordinatione, & carentia impedimentorum I. A. & B. 256. Tales litteras tenetur dare Ordinarius, si petantur ex rationabili causa ibid. Episcopus prohibere potest Regularibus etiam cum censuris, ne in suis Ecclesiis permittant Sacerdotibus sæcularibus exteris missam celebrare, nisi hi ab eodem Episcopo, visis eorumdem litteris commendatitiis, admissi fuerint ibid. Casu aliquo omittens dictas litteras, & per testes cum fama communi probatos suam probans ordinationem admitti potest ad divina celebranda ibid. An solum juramentum sufficiat ad privatim, & sine stipendio celebrandum I. A. 94. I. B. 256. Prælati Ecclesiarum Episcopo subjectarum sine ejus consensu non possunt conferre beneficia *Clericis alienæ diœcesis*, præsertim curata ibid.

COADJUTORIA quid, & quotuplex sit II. A. 21. *Coadjutor* quando dandus sit Episcopo, vel parocho ad exercitium parochiale I. B. 96. I. A. 194. II. A. & B. 21. Ex quibus bonis alendus II. A. 21. Quid juris circa *coadjutorias* in beneficiis distinctis ab Episcopatu, & Præposituris regularibus I. A. & B. 175. *Coadjutor perpetuus*, seu cum jure succedendi dari nequit nisi a solo Papa I. B. 209. II. A. 21. Item & in quibus Ecclesiis. ibid. *Coadjutores perpetui*, quibus annexum est onus coadjuvandi parochum, tenentur residere I. A. 95. *Coadjutor temporalis* Episcopis, & his superioribus dari potest a solo Papa II. B. 21. Item quando, & quomodo Episcopus possit sibi eligere unum, vel alterum *coadjutorem* ibid. Item quando ipsum capitulum eligere possit *coadjutorem* Episcopo ibid. *Coadjutor temporalis* parocho, vel alteri prælato inferiori dari potest ab Episcopo, vel alio Prælato habente jurisdictionem instituendi, vel destituendi ibid. *Coadjutoris* idoneitas; & item ejus potestas, ibid. *Coadjutoris* obligatio ibid. Potest abesse per trimestre ibid. Quos præcedat ibid. Canonicus habens *Coadjutorem* tenetur residere in loco beneficii, licet non teneatur interesse choro I. B. 203. *Coadjutore* non interessente ratione infirmitatis, *Coadjutus* liber est a servitio, & lucratur distributiones II. A. 10. Canonicus æger, vel inhabilis non tenetur assumere *Coadjutorem* II. A. 21. *Coadjutor* potest dari parocho tam sæculari, quam regulari, si constet Episcopo tam in visitatione, quam extra de ejus inscitia pro audiendis confessionibus, licet ab eo, vel ipsius Antecessore approbatus fuerit I. A. 194.

CODEX Dyonisii Exigui I. A. 214.

CODICILLUS quid sit II. B. 69. Quis *codicillari* possit, & quid in eis relinqui ibid.

COELIBATUS Clericorum solo jure ecclesiastico ab Apostolis traditus annectitur sacris Ordinibus II. B. 5. *In Ecclesia* græca conjugati ordinantur, eisque usus matrimonii est permissus, exceptis Episcopis: in sacris tamen constituti uxorem ducere nequeunt, nec virgine ducta mortua, alteri possunt copulari ibid. *Clerici in sacris* constituti quas pœnas incurrant attentantes contrahere matrimonium II. A. 6. Et quis eos a pœnis dispensare possit ibid. B. I. A. 256. *Minorista* licite matrimonia contrahunt, etiamsi quis judicaret his Ordinibus annexum esse votum continentiæ, & illud emitteret II. A. 6. *Minorista*, matrimonio contracto, redditur inhabilis ad beneficia ecclesiastica, & ipso jure privatur antea habitis ibid. Non item si invalide contrahat ibid. *Minorista* conjugatus quando, & quomodo gaudeat privilegio fori ibid. *Quis* possit cum conjugato dispensare ad beneficium ibid. B. *Clerici* cum quibus mulieribus licite cohabitare possint II. B. 4. *Episcopus* consultius, & laudabilius quoad hoc imitetur D. Augustinum ibid. *Clerici* fœminæ domum non accedant, vel soli cum sola sermones immisceant, etiam prætextu religionis, aut spiritualis colloquii ibid.

COEMETERIUM, seu dormitorium a dormitione fidelium vocatum ubi construendum II. B. 75. & vide *Sepultura*. *Quando*, & quot modis polluatur, & quis sit effectus illius pollutionis II. A. 105. Si duo sint divisa muro, an polluto uno, polluatur & alterum ibid.

COGNATIO LEGALIS quid sit II. B. 149. *Arrogatio* in quo differat a simplici adoptione ibid. Impedimentum dirimens *cognationis legalis* oritur ex sola arrogatione ibid. *cognationis legalis* species quotuplices sint, & intra quas personas matrimonium dirimant II. A. 150. Quis dispenset in hoc impedimento ibid. B.

COGNATIO SPIRITUALIS oritur tantum ex sacramento Baptismi, & Confirmationis II. B. 147. Jure ecclesiastico dirimit matrimonium II. A. 148. *Cognatio spiritualis* inter quas detur personas ibid. I. B. 182. & B. 201. Quod sit subjectum capax *cognationis spiritualis* II. A. 148. Et quæ requirantur ad hoc ut contrahatur ibid. Patrinus per procuratorem levans, probabilius eam contrahit ibid. B. *Affertur resolutio contraria* I. B. 201. Officium patrini II. A. 149. Pater si in casu necessitatis baptizet, vel levet prolem ex legitima uxore sua susceptam, non incurrit *cognationis spiritualis* impedimentum ibid. Si extra casum necessitatis baptizet, vel suscipiat prolem suam per probabilem ignorantiam facti excusatur ibid. Item excusatur etiam probabilius ob ignorantiam juris ibid. Si tamen sive in, sive extra casum necessitatis baptizet, vel levet prolem ex fornicatione susceptam, incurrit impedimentum dirimens matrimonium cum fornicaria contrahendum ibid. Vir prolem ex legitima uxore susceptam extra casum necessitatis baptizans, vel levans, privatur jure petendi debitum conjugale ibid. & B. Quis dispensare possit in impedimento *cognationis spiritualis* ibid. B. In baptismo, & Confirmatione duo tantum possunt esse patrini, unus vir, & alter fœmina: & si plures suscipiant præter designatos, nullam contrahunt *cognationem* I. B. 182.

COLLATIO BENEFICII vide *Beneficium*.

COLLATIO HÆREDITATIS vide *Hæreditas*.

COLLECTORES spoliorum ad Cameram Apostolicam pertinentium in quibus non eximantur ab Episcopi jurisdictione I. A. 203.

COLLEGIUM CARDINALIUM: vide *Cardinales*.

COLLEGIUM CLERICORUM: vide *Capitulum*.

COLLEGIA pro scholasticis adolescentibus erigi possunt a *Clericis Regularibus Scholarum Piarum* II. A. & B. 98.

COLLEGII ILLICITI crimen II. A. 240.

COLLUSIO quid sit II. A. 225. Quid juris circa ipsam ibid.

COMA FICTA, seu fictum capillitium Clericis interdicta II. B. 3. & qui dispensare possit, ut cum ea celebretur ibid.

COMMENDATARII an possint se immiscere in concernentibus regularia instituta I. B. 91. Quid juris circa monasteria *commendata*, in quibus bona sunt distincta ib. *Commendatarii* monasteriorum Cisterciensium nequeunt Priores, & officiales instituere, ac destituere, nec visitare monachos, eosque corrigere I. B. 209. Monasteria quando *commendantur* quæ dispositio attendenda I. A. 85. *Commendata* monasteria quando visitari possint ab Episcopo I. B. 197.

COMMENSALES Cardinalium, & Episcoporum possunt iis se coaptare in recitatione horarum canonicarum I. B. 139. & vide verbum *Domesticorum*.

COMMODATUM quid sit II. A. 37. Quis, & cui *commodare* possit ibid. Quæ res in *commodatum* veniant ib. *Commodantis* obligatio quæ sit ibid. Item *commodatarii* obligationes ibid B. Quæ dentur actiones ex *commodato* ibid. & II. A. 38.

COMMODATARIUS vide *Commodatum*.

COMMUNIO HÆREDITATIS: vide *Hæreditas*.

COMMUNIO PASCHALIS vide *S. Eucharistia*.

COMMUNIO REI quid sit. II. A. 88. Ex hoc quasi contractu quæ detur actio ibid. *Communes* res quæ sint. I. B. 29.

COMMUTATIO vide *Permutatio*.

COMPATERNITAS: vide *Cognatio spiritualis*.

COMPENSATIO quid, & quid juris circa eam II. A. 57. Non admittitur in commodato II. B. 37. *In recompensa-*

pensa-

pensationem debiti non venit depositum II. A. 39. *Famuli*, *Ancillæ*, & *Officiales* prætextu tenuis salarii non possunt occulta *compensatione* illud sibi augere, & cogendi sunt ad restitutionem II. B. 45.

COMPLICIS nomen, & absolutio vide *Absolutio*.

COMPROMISSUM vide *Arbiter*.

CONCEPTIONIS B. M. V. opiniones oppositæ sub qua pœna censurari prohibeantur. I. A. 190. *Non excipiuntur* etiam Episcopi ibid.

CONCILIATIO DECRETALIUM I. A. 89. & ibid. B. I. B. 91. I. A. 93. I. B. 95. I. A. 95. I. A. & B. 96. I. A. & B. 97. I. A. & B. 100. I. A. 101. ibid. B. I. A. & B. 103. I. B. 105. I. A. 106. I. B. 106. I. B. 107. I. B. 108. & A. 109. I. A. 109. I. A. 115. I. A. 14.

CONCILIA GENERALIA a Sede Apostolica approbata faciunt jus pontificium pro tota Ecclesia I. A. 215. *Concilia* Ancyranum, Neocesarense, Gangrense, Laodicense, & quædam alia habentur pro approbatis a Sede apostolica ibid. *Concilium generale* inferius Papa I. B. 336. *Concilia nationalia*, *provincialia*, *diœcesana* quam habeant auctoritatem I. A. 222. I. A. 215. I. A. 213. Primas, aut Patriarcha, aut Metropolitanus dispensare nequit in legibus *Concilii nationalis*, aut provincialis I. B. 227. & A. 227. dispensat capitulum sede vacante, sicut Episcopus sede plena in legibus *Concilii diœcesani* ibid. *Concilia provincialia* singulis trienniis facienda I. A. 183. *Concilia diœcesana* singulis annis ibid. *Concilium diœcesanum*, Episcopo impedito, de speciali ejus mandato celebrari potest a Vicario generali I. B. 258. & quam præcedentiam habeat, & quibus vestibus induendus ibid. Præcedentia tam inter canonicos, parochos, ceterosque cleri sæcularis, quam inter canonicos regulares, monachos, & mendicantes in Synodis diœcesanis I. A. 269.

CONCILIUM TRIDENTINUM quoad decreta morum habet vim juris pontificii, ubi est promulgatum II. B. 134. I. A. 215. Quoad dogmata fide; est infallibilis veritatis ibid. ☞ *In Tridentino* sess. 7. cap. 13. ibi *Præsentati*, *seu electi*, *vel nominati a quibusvis* mendose legitur illa præpositio II. A. 23. Acta authentica *d. Conc.* asservantur in Archivo S. Angeli de Urbe ibid. Interpretatio *Conc. Trid.* ex professo suscepta sub qua pœna prohibita I. B. 228. Quoties a Papa aliquid indulgetur, aut statuitur contrarium *Conc. Trid.* non opus est expressa illius derogatione, & quid satisfit I. B. 211. *Conc. Trid. Decretorum moderatio*, *ampliatio*, *declaratio* I. B. 175. & seqq. *Correctio*, *Abrogatio*, *Derogatio*, *Moderatio Decretalium* facta *a Concilio Trident.* I. A. 175. & seqq. *Ampliatio Decretalium* facta *a Conc. Trident.* I. A. 185. & seqq. *Innovatio Decretalium* facta *a Concil. Trident.* I. A. 189. & seqq. *Abrogatio privilegiorum* facta *a Concil. Trid.* I. A. 190. & seqq.

CONCIONATORES vide *Prædicatio*.

CONCLUSIO IN CAUSA quid sit, & quotupliciter fiat I. B. 332. Quis *concludere* possit in causa ibid. Modus, seu forma *concludendi* in causa ibid. Effectus *conclusionis* ibid. Quæ post *conclusionem* in causa admittitur I. A. 333.

CONCORDATA *Germaniæ* II. B. 18. *Concordata Galliæ* II. B. 19. *Concordata Poloniæ* ibid.

CONCUBINATUS quid sit II. A. 210. Prohibetur non tantum jure positivo, sed & naturali ibid. *Concubinatus*, in quo unicus cælebs unicæ cælebi jungitur absque contractu maritali, licet olim jure civili permissus, jure tamen naturali, divino, & canonico damnatur II. A. 128. Quomodo procedendum in mulieres, sive solutæ, sive sint conjugatæ viventes cum *concubinariis* I. A. 202. *Concubinatus* pœnæ II. B. 210. Clerici qui censeatur in jure *concubinarii* II. A. 5. Quomodo procedendum, & quibus pœnis in quemcumque clericum *concubinarium*, sive suspectum de mala consuetudine I. A. 186. II. A. 5. Episcopus *concubinarius* a quo admonendus, & ejus pœna ibid. Quid juris circa judicium in crimine *concubinarii* clerici ibid. B. Item & ejus *concubinæ* ibid. An clericus *concubinarius*, vitandus sit in divinis officiis, & Sacramentis ibid.

CONCUBITUS *christiani cum judæa*, vel pagana qua pœna puniendus II. A. 212.

CONCURSUS: vide *Parochia*.

CONCUSSIONIS crimen II. B. 215.

CONDITIONES APPOSITÆ in contractibus, in sponsalibus, & matrimonio, vide *Contractus*, *Sponsalia*, & *Matrimonium*.

CONDITIO *posita in institutione hæredis* II. A. & B. 65.

CONDUCTIO, vide *Locatio*.

DOMICILIUM in genere quid, & quotuplex sit I. B. 286. *Domicilium* originis quomodo acquiratur ibid. Veri *domicilii* forus est generalis concurrens cum omni foro quoad universam jurisdictionem tam contentiosam, quam voluntariam I. A. 287. In loco *quasi domicilii* acquiritur forum internum, & sacramentale, excepto Ordinis sacramento ib. Item ex actibus, vel delictis in loco *quasi domicilii* acquiritur forum externum ibid. & B. Probabilius ex actibus alibi gestis conveniri potest in loco *quasi domicilii* ibid. *Duo domicilia* æqualiter inhabitans ad quem parochum spectet I. A. 131. *Domicilium* infantium, qui nutricibus alendi traduntur quale sit II. A. 76. *Domicilium* puellarum Monasterio detentarum quale sit pro matrimonio contrahendo II. A. 136. & quid juris de sponso æqualiter inhabitantis *duo domicilia* ibid. *Domicilium* mariti attendendum est in causa petitionis dotis I. A. 288. Delinquens extra *domicilium* ubi sortiatur forum ibid. Exempti conveniri nequeunt coram Ordinariis ratione *domicilii* I. B. 188. *Domicilium* quoad Ordines recipiendos vide *Ordo*, & I. A. 197.

DOMINICA *potestas*, & ejus effectus I. B. 18.

DOMINIUM quid I. A. 31. Effectus *dominii* I. A. 32. An princeps possit suos subditos *dominio* spoliare ibid. *Dominii* acquirendi modi varii ibid. *Dominium maris* I. B. 29. *Dominium* utile, & directum quid sit II. A. 46. *Dominium* quomodo probetur I. B. 302. *Dominium* non tam utile, quam directum in rebus sive mobilibus sive immobilibus quomodo acquiratur I. A. 327.

DOMINUS ad quid obligetur ex delicto servi, vel famuli conductitii II. A. 239. *Domini* quomodo obligentur famulis, ancillis, & officialibus conductitiis, & e contra II. B. 45. *Dominus* directus in emphyteusi: vide *Emphyteusis*. *Dominus* infeudans: vide *Feudorum*.

DOMUS RELIGIOSA. vide *Monasterium*, & *Locus religiosus*.

DONATIO quid, & quotuplex sit II. B. 57. Qui *donare* possint inter vivos ibid. *Donatio* quomodo, & forma facienda sit II. A. 58. Valida est *donatio* non tantum præsentium, sed & futurorum ibid. *Donationis* effectus ibid. Ex quibus causis revocari possit *donatio* inter vivos ib. B. Quæ specialia sint in *mortis causa donatione* ibid. Et quid sit *mortis causa capio* II. A. 59.

DONATIO in *Beneficiis* vide *Simonia*.

DONATIO INTER CONJUGES quotuplex sit II. A. 166. *Ad donationes conjugum* referuntur etiam *morganatica* munera: item munera *nuptialia*, & *dotalitium* ibid. *Quæ donationes* inter virum, & uxorem valeant II. A. 167. Item *donatio* invalida quando convalescit ibid. Et quando *donatio* propter nuptias amittatur ibid. B. Et quando cesset *donationis* amissio ibid. Sponsalitia largitas, seu *donatio* vide *Sponsalia*.

DONANTIS DEO rem litigiosam quæ sit pœna I. A. 307.

DOS quotupliciter accepta II. A. 166. Item quotupliciter dividatur ibid. Quis possit *dotem* promittere, aut constituere ibid. & B. dotis pacta I. A. 20. Ipsa mulier non tenetur seipsam *dotare*, & si mulier permittat maritum rebus suis uti absque ulla mentione *dotis*, non præsumitur eas in *dotem* dedisse ibid. Qui obligentur mulierem *dotare* ibid. De jure canonico deflorator tenetur defloratam ducere, vel eam *dotare* ibid. II. A. 121. Promissio, vel constitutio *dotis* fit per pacta *dotalia*: item simplicia, & mixta II. B. 166. *In dotem* quæ res dari possunt ib. Effectus *dotis promissæ*; item *dotis constitutæ*, seu *traditæ* ibid. Quid juris marito circa bona *extradotalia* mulieris ibid. *Dos* peti debet juxta jura domicilii mariti, licet instrumenta *dotalia* alibi scripta sint I. A. 228. *Dos* quando repeti possit, & quæ veniant in *dotis* restitutionem II. A. 167. *Dos* cui restituenda ibid. B. *Dos* quando amittatur, & quando cesset amissio *dotis* ibid.

DOTALITIUM quid sit II. A. 166. & vide *Donatio inter conjuges*.

DUBIUM quotuplex I. A. 330.

DUELLUM quid, & quotuplex sit II. A. 209. Ex genere suo illicitum ibid. Ex quibus causis cohonestari possit ibid. Item ex quibus causis non cohonestetur, & quæ sint ibid. *Duellantium* pœnæ tam de jure civili, quam canonico, & quomodo incurrantur ibid. B. I. B. 210. Et propositiones circa id damnatæ I. A. 211. *Duellum* sub quibus pœnis prohibitum sit Clericis II. B. 209. I. B. 188. I. A. 155. I. B. 94. Et quis possit dispensare ibid. Item pœnæ in quoscumque dominos temporales, etiamsi sit Rex, vel Imperator, permittentes in terris suis *duellum* formatum I. B. 210.

E

EBRIIS die vetito carnes licite non dantur I. A. 224.

ECCLESIÆ NOVÆ ÆDIFICATIO, & quid ad eam requiratur II. A. 112. Ritus servandus ab initio *Ecclesiæ ædificandæ* ibid. B. Jus patronatus novæ *Ecclesiæ* cui acquiratur ibid. Quid juris circa *Ecclesiæ* reparationem ibid. II. A. 29. A quibus obtinentibus beneficia etiam parochialia persolvenda sit media annata pro fabrica cathedralis, vel collegiatæ; & apud quem, & a quibus deputandum

illa sit deponenda; & quid juris, si depositarius fuerit minus tutus I. A. 204. Quantitas donationis de fructibus suæ *Ecclesiæ* servanda ab Episcopis tam pro construenda aliqua *Ecclesia*, quam pro constructa dotanda I. A. 129.

ECCLESIÆ *dedicatio*, sive *consecratio*, & *benedictio*, vide verbum *Consecratio*.

ECCLESIA NOVA PAROCHIALIS intra fines alterius *parochialis* quando erigi possit, & debeat II. B. 92. I. A. 188. Quorum consensus requiratur, & cui acquiratur jus patronatus ibid. Dos ex cujus redditibus ei assignanda ib. Et quid juris circa ejus reparationem II. B. 112.

IN ECCLESIA qualibet, seu metropolitana, seu cathedrali, seu collegiata, etiam nullius diœcesis, si sint loca insignia, vel populosa, quomodo erigenda sit præbenda theologalis II. B. 192. I. B. 183. Et quæ portio ei assignanda, etiam jam erectæ II. A. 12. Item & quæ portio assignanda præbendæ pœnitentiali in *Ecclesiis* cathedralibus erigendæ, vel jam erectæ ibid. In *Ecclesiis* quando saltem, & quomodo magister grammatices constituendus I. B. 183. II. B. 192.

IN ECCLESIIS omnes actiones sæculares, vana & profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores sub qua pœna prohibeantur I. A. 199. Itidem pœna præpositorum, & officialium *Ecclesiarum* non admonentium, & non impedientium, & etiam non ejicientium pauperes mendicantes tempore missarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum ibid. In *Ecclesiis* non fiant ludi theatrales, nec musica vana, & lascivia in divinis officiis II. B. 4. Qui actus in *Ecclesiis*, seu locis sacris fieri prohibeantur II. B. 114. Qui actus honesti permittantur ibid. Non omnes actus peccaminosi, qui fiunt in *Ecclesia*, contrahunt specialem malitiam sacrilegii; & qui eam contrahant ibid. Profana supellectilia non sunt reponenda in *Ecclesiis*, nisi in casu necessitatis II. A. 109.

ECCLESIÆ, & aliorum sacrorum locorum VIOLATIO quomodo contingat; & quæ pœnæ hujus delicti II. B. 213. & vide *Immunitas localis Ecclesiæ*, & *Pollutio Ecclesiæ*, & quomodo *Ecclesia* reconsacranda; vide *Consecratio Ecclesiæ*. Qui in *Ecclesia* sepeliri non debeant: vide *Sepultura*.

ECCLESIÆ SECULARES de jure communi tenentur lege diœcesana, & jurisdictionali Episcopi, nisi jure speciali probent suam exemptionem I. A. 264. In dubio illi censetur *Ecclesia* subjecta, qui primus Episcoporum aliquem jurisdictionis actum in ea exercuit II. A. 97. & lege *Exemptio*.

ECCLESIÆ REGULARES de jure communi eximuntur a lege Episcopi diœcesana I. A. 264. *Ecclesiæ regulares* omnes de jure communi tenentur lege jurisdictionali Episcopi: at de jure speciali plerique Ordines Regularium exempti sunt ibid. B. Quid significet nomen *Capellæ* II. B. 98. Episcopus non potest visitare altaria *Ecclesiarum Regularium* neque tabernaculum, neque confessionalia I. B. 207. In qua hora prohiberi possit Regularibus prædicare in suis *Ecclesiis*, & ex qua causa I. B. 161. Regulares diebus festivis, etiam eo tempore, quo missa in parochia celebratur, possunt campanas pulsare, excepto Sabbato Sancto, nisi prius pulsata campana *Ecclesiæ* cathedralis, aut matricis II. B. 106. Item possunt missas celebrare, quas fideles audiendo satisfaciunt præcepto *Ecclesiæ* ibid. I. A. 131. Hodie tamen prohibetur in *Ecclesiis* parochiali rurali proximis missæ sacrificium celebrari, antequam parochus celebraverit I. A. 193. Regulares absque onere sumptuum tenentur dare consensum præsbytero sæculari, si ex aliquo titulo debeat celebrare in eorum *Ecclesiis* II. B. 106. Excipitur rationabilis causa ib. Item deberet etiam admitti, si ex mera devotione celebrare vellet, dummodo habeat litteras testimoniales sui Ordinatii ibid. Parochus, vel alius clericus Episcopo diœcesano inferior, non habent intentionem suam in jure communi fundatam super subjectione Capellarum Regularium in suo territorio sitarum II. B. 98. *Ecclesiæ* Regularium parochiales quomodo subsint diœcesano Episcopo; vide *Visitatio*.

ECCLESIÆ RES, sive *bona* quotuplicia sint II. A. 29. earum alienatio: vide verbum *Alienatio*. Quid juris circa *Ecclesiæ* bona ab infidelibus occupata, & a christianis empta I. A. 304. *Ecclesiæ* bona præscribenda: vide *Præscriptio*. Item *Ecclesiæ* restitutio facienda: vide *Restitutio*, & *Spoliatorum remedia*. *Ecclesiæ* bona quo ad eorum usum per clericos dispensatores: vide *Clericorum peculium*.

ECCLESIASTICI: vide verbum *Clericorum*.

EDICTUM quid sit. I. A. 221.

EFFRACTIONIS crimen: vide *Crimen Effractionis*.

EJECTUS Regularis; vide verbum *Religiosus*.

ELECTIO quotuplex accipiatur I. A. 235. Ad *eligendam* Prælatum qui de jure communi habeant vocem activam ibid. *Eligere* potest capitularis, si bona fide sit in possessione certa, licet ei lis moveatur super proprietate, aut possessione tituli ibid. Qui possint *eligere* ex jure speciali ibid. B. Qui prohibeantur *eligere* jure communi ibid. Prælati *eligendi* qualitates requisitæ ibid. *Electio* digni, omisso digniore: vide verbum *Dignior*. *Electio* indigni quando sit ipso jure nulla I. A. 236. *Electio* indigni, vel contra præscriptam formam celebrata, est nulla pro utroque foro I. B. 137. Item pœnæ delinquentium in *electionibus* I. A. 138. *Ineligibiles* ob impedimentum naturæ I. B. 235. Item ob impedimentum criminis. I. A. 236. Item ob impedimentum canonicarum pœnarum ibid. *Electionis forma* accidentalis, & substantialis quæ sit ib. In *electorum* convocatione quid juris servandum ibid. *Elector* absens non potest constituere procuratorem, nisi sit in eo loco, de quo debeat advocari, & juste impeditus venire non possit ibid. B. Procurator extraneus non constituitur sine consensu capituli ibid. Ejus juramentum de *eligendo* digniore, nisi habeat mandatum de certa persona *eligenda* ibid. *Electionis* celebrandæ locus ibid. Item tempus a jure prafixum pro Ecclesiis cathedralibus, & etiam regularibus, & pro aliis inferioribus ibid. *Electores* in tractatu prævio possunt facere capitulationes Ecclesiæ utiles ab *eligendo* servandas, non e contra I. B. 236. *Electionis* qualitates præcipuæ, ut sit libera ab omni gravi injusto metu, & ab omni abusu potestatis sæcularis immunis I. A. 236. & B. 237. Quid sit de forma substantiali *electionis* pro scrutinium faciendæ I. B. 236. & A. 237. Quæ sit forma *electionis* per compromissum, & ejus substantialia I. A. 237. Si viva voce datis suffragiis V. G. tres ex septem prius consentiunt in unum compromissarium, is consentiendo in seipsum, complere *electionem* potest ib. B. *Electores* quando teneantur *electo* intimare *electionem* I. B. 238. *Electus* quid juris per *electionem* acquirat ibid. Facta acceptatione, non acquirit jus administrandi prælaturam ante confirmationem ibid. Et si ante eam administret sive per se, vel per alium, privatur ipso jure I. B. 145. Quo termino teneatur petere confirmationem, & consecrationem I. A. 239. *Electio*, si celebrata fuit in concordia, quid aget superior pro danda confirmatione ibid. Item, si celebrata fuit in discordia ibid. Confirmatio non sanat latentem in *electione* defectum juris humani, nisi Papa sufficienter id exprimat ibid. Adversus *electionem* appellans quid servare debeat ibid. *Electus* quid juris acquirat per confirmationem, & consecrationem ibid. Et vide etiam verbum *Episcopi*. *Electio* Abbatum, vide *Abbatis*. *Electio* Abbatissarum vide *Abbatissarum*. *Electio* Papæ non vitiatur, licet *eligentes* sint majori excommunicatione ligati I. A. 85. Et vide *Papæ electio*. *Electio* Prælatorum regularium: vide *Prælatorum Regularium Electio*. Item *electio*, sive promotio Regularium extra ordinem ibid.

ELECTORES IMPERATORIS I. A. 73.

ELEEMOSYNARUM Quæstores prædicare prohibentur pro Indulgentiarum consecutione: & eorum nomen penitus tollendum I. B. 183. & A. 144. Regulares mendicantes prohiberi nequeunt ab Episcopo, ut cum licentia suorum Superiorum eidem ostendenda per seipsos *eleemosynas* quærant intra diœcesim, ubi eorum monasteria sita sunt I. B. 83. & A. 184. Sub quibus pœnis ejiciendi ab Ecclesia pauperes mendicantes tempore missarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum I. A. 199.

ELEEMOSYNA MISSARUM vide *Missæ*.

EMANCIPATIO quid sit I. A. 38. Solvit patriam potestatem, & cognationem inter filium naturalem, & filiam *adoptatam* II. B. 149.

EMOLUMENTA *funerum*: vide *Sepultura*, & *Funeralium quarta*.

EMPHYTEUSIS quid, & quotuplex sit II. A. 46. Quo differat a locatione, & a feudo ibid. Scriptura non est necessaria ad *emphyteusim*, nisi ex conventione partium, vel ad faciliorem probationem ibidem. *In emphyteusim* quis prædium concedere possit, & cui ibid. Legati apostolici in provinciis Ditionis ecclesiasticæ nequeunt concedere in *emphyteusim* bona Cameræ apostolicæ devoluta, neque restitutiones in integrum adversus caducitates incursas, aut purgationes moræ, nec condonationes, aut compositiones super responsionibus non solutis; quid tamen aliud possint I. B. 261. Quæ successio detur in *emphyteusi* perpetua II. B. 46. Actio *emphyteuticaria* tam domino, quam *emphyteutæ* competens ex hoc contractu quæ sit II. B. 46. Dominus tenetur *emphyteutæ* transferre dominium utile, liberumque usum rei permittere, & damna sua culpa data reparare: item melioramenta extraordinaria, compensare etiam in casu, quo emphyteusis ob *emphyteutæ* culpam sit caduca ibidem. *Emphyteuta* tenetur servare pacta conventa II. A. 47. Quid juris circa canonem ab *emphyteuta* domino pendendum ibid. Item quid juris, si *emphyteuta* velit vendere *emphyteusim*, vel eam locare ad longum tempus ibid. Quid servandum, ut *emphyteutis* possit vendere meliorationes I. B. 127. *Emphyteuta* novus ad quid teneatur II. A. 47. Quid juris, si *emphyteusis* alienetur per donationem, vel legatum, vel hipothecam ibidem. *Emphyteusis* quibus modis resolvatur ibidem.

EMPTIO ET VENDITIO quid sit II. A. 39. *Venditio* quotuplex ibidem. Qui *emere*, & *vendere* possint ibib. B. Quando quis cogi possit ad *vendendum*, aut *emendum* ib.

Prin-

Princeps laicus nequit prohibere suis subditis, ut bona vendant Ecclesiis, & monasteriis ibid. Quæ res vendi possint ibid. & 40. A. Quid juris, si emptor, & venditor sciat rem esse alienam; item sit vendatur spes, seu jus, cujus effectus ex natura sua sit fortuitus, uti jactus retis, & quid pretii loco piscium, vel cum piscibus extractum sit II. B. 39. & A. 40. Item, si hæreditas, prout est jus, indeterminate, & simpliciter vendita sit II. A. 40. Item quid juris in emptione nominis, seu chirographi debitorum ibid. Quæ res vendi prohibitæ sint ibid. Quo pretio res vendi possint, & an consistat in pecunia etiam aliena ibid. B. Pecunia furtiva quando sit venditoris ibid. Emptor aliena pecunia emens quid teneatur reparare ibid. Ex quibus causis variari possit pretium ibid. Et a quo desumenda pretii justitia II. B. 42. Et quotuplex sit pretium II. B. 40. Non licet rem pluris vendere ob dilatam solutionem pretii I. B. 156. Quid sit Arrha, & quid juris circa eam II. A. 41. Item quid juris circa legem commissoriam, seu conventionem, ut nisi emptor intra præfixum tempus solverit, res sit commissa, seu venditio resoluta ibid. Item quid juris circa conventionem, ut venditor rem primo emptori venditam licite possit vendere alteri emptori, si is intra præfixum tempus meliorem conditionem obtulerit ibid. Quid juris circa pactum de retrovendendo II. A. & B. 41. Quid, & quotuplex sit retractus, seu jus redimendi rem venditam oblato eodem pretio ibid. B. Et quid juris circa retractionem ib. Venditor quando teneatur vitium rei manifestare emptori ib. Quando emptor teneatur manifestare bonitatem mercis II. A. 40. Item quando teneatur manifestare vitium pretii, seu monetæ ibid. & B. Actio competens venditori ad consequenda ea omnia ab emptore præstanda, & actio competens emptori ad consequenda ea omnia præstanda a venditore vi contractus, minime efficaciter intentantur, nisi venditor mercem tradiderit, & emptor pretium, vel saltem paratus sit tradere ibid. B. Venditor ab emptore pecuniam tradente conventus obligatur rem ipsam tradere, nec satisfacit, volendo præstare interesse II. B. 42. Res, si alteri emptori vendita, & tradita sit, prævalet secunda venditio: non item, si prima venditio facta sit Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, aut civitati ibid. Venditor post perfectam venditionem fructus rei venditæ necdum traditæ, non tantum pendentes, sed & de novo natos, ac perceptos tenetur integraliter emptori restituere ibid. Emptor a venditore conventus tenetur ad solutionem in moneta proba, & usuali in loco contractus, vel sicut fuit conventum ibid. Emptor, si fuit in mora culpabili solvendi, non secus ac venditor, tenetur præstare non solum culpam latam, & dolum, sed etiam levem: item a tempore moræ tenetur præstare usuras ibid. Emptor sentire debet periculum rei venditæ nondum traditæ, modo res sit certa in specie, & venditor periculum rei in se non susceperit II. A. 43. Emptori læso, ex eo quia venditor scienter ei vendidit rem vitiosam usui, & fini ementis ineptam, quæ actio competat, & intra quot menses ibid. Item si emptor sciendo vitium, rem vitiosam emisset, sed pretio minori, quæ actio, & intra quod tempus ei competat ibid. Jura, dum post lapsum temporis a lege præfiniti negat sua propria remedia competere emptori, aut venditori læsis in contractu, non id faciunt ad tollendam obligationem naturalem in foro conscientiæ ibid. Venditor, vel emptor in quantitate pretii læsus ultra dimidium quod habeat remedium ibid. Emptor, aut venditor, exceptis Ecclesiis, & minoribus, si læsi sint infra dimidium, pro foro externo nullam actionem habent ex jure civili; licet pro foro conscientiæ lædens jure naturali obligetur læsionem reparare ibid. B. Et quibus casibus nec judex laicus actionem denegabit ibid. Item & quando nec in foro interno facienda sit restitutio ibid. Venditor, & emptor quando dicantur læsi ibid. Remedium læsionis conceditur etiam in aliis contractibus onerosis, & reciprocis, & intra quod tempus ibid. Emptio, & venditio quando mutuo consensu resolvi possit II. A. 44. An, & quando venditor teneatur de evictione II. B. 43. Monopolia: vide Monopolia: & lege etiam Contractus.

EPIIKIA in legibus quid sit; & in quibus habeat locum I. B. 229.

EPILEPSIA, seu morbo caduco Sacerdos laborans quando arcendus sit ab Altaris ministerio; & quod tempus assignandum pro facienda experientia liberationis a morbo I. A. 225. II. B. 21. Item cui, & quomodo permittatur celebrare ibid.

EPISCOPATUS est Sacramentum I. B. 245. Substantialiter non distinguitur a Sacerdotio, sed tantum extensive, & per modum complementi ibid. Ad Episcopatum promovendus: vide Episcopi.

EPISCOPI primitus electi, & constituti ab Apostolis, tum a Rom. Pont.; deinde a toto clero cujusque diœcesis I. A. 235. Jus eligendi Episcopum attributum fuit capitulo cujusque diœcesis ad evitandas discordias, aucto clericorum numero, ibid. In Episcopum promovendus sit legitime natus I. B. 188. Item ejus ætas, scientia, & mores quæ esse debeant ibid. I. B. 250. I. B. 235. Debet esse magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico ibid. & indulta circa id revocata I. B. 199. Si Regularis ad episcopatum promovendus, aut promotus, vide Regularium Prælatorum electio Ad episcopatum promovendus in locis non suspectis de hæresi canonista præferendus est puro theologo I. B. 113. Quoad examen promovendorum ad Archiepiscopatum, sive Episcopatum peculiaris Congregatio erecta in Urbe I. A. 202. Et promovendus non eximitur ab examine I. B. 199. In Episcopum promovendus saltem ante sex menses debet esse initiatus omnibus sacris Ordinibus I. A. & B. 199. I. B. 251. Episcopi electi confirmatio; & quid juris habeat Episcopus tantum electus, item & confirmatus, vide verbum Electio, Episcopi consecratio hodie sit ex speciali commissione Papæ I. A. 91. & vide Consecratio Episcopi. Episcopi intra annum tenentur expedire litteras suæ promotionis I. A. 89. Nec recognoscendi in Prælatos ante hujusmodi expeditionem ib. Duo Episcopi in eadem diœcesi reprobantur I. A. 131. Episcopus confirmatus, aut consecratus nequit implere votum Religionis, inconsulto Papa I. B. 134. & vide verbum Renunciatio.

EPISCOPUS BENEFICII I. B. 196. Episcopus originis II. A. 197. Episcopus domicilii ibid. Item ordinationis proprius Episcopus ibid. I. A. 246.

EPISCOPUS conferens Ordines. Item si renunciavit episcopatui, si sit simoniacus, excommunicatus, suspensus, depositus, vel hæreticus, vide verbum Ordinationis, & Ordines.

EPISCOPO consecrato competit potestas Ordinis jure divino I. A. 263. Item potestas jurisdictionis mediate, & originative jure divino, immediate, & formaliter jure ecclesiastico ibid. B. Episcoporum potestas consistit in duplici lege diœcesana, & jurisdictionali ibid. & quæ spectent ad legem diœcesanam ibidem. Item quæ ad legem jurisdictionalem ibid. Vi Constitutionis Urbani VIII. nullam recipit auctoritatem in personas nullius diœcesis I. B. 207.

EPISCOPORUM ordinariorum jurisdictioni quomodo subjiciuntur Capellani regii I. A. 190. Ordinibus militaribus inservientes, & nominatim Religioni Jerosolymitanæ, quas habere debeant qualitates, ne subjecti sint jurisdictioni Ordinarii I. A. 203. Residentibus in curia romana quando non competant privilegia exemptionis ab Ordinariorum jurisdictione I. B. 184.

EPISCOPI jurisdictioni quomodo subjiciantur exempti: item Regulares, & Moniales ipsis Regularibus subjectæ: vide verbum Exemptio. Visitatio: Regulares: & Monialium.

EPISCOPUS, si negliget administrationem justitiæ, ejus jurisdictio non devolvitur ad Archiepiscopum, sed tantum adhibendus est recursus ad Papam, vel ad ipsum Archiepiscopum I. A. 205. Episcopus, si est inhabilis ad exercendum suum officium ex culpa, v. g. quia excommunicatus: item si ex alio impedimento, v. g. ob captivitatem, ejus jurisdictio ad quem devolvatur ibid. I. B. 90. Episcopis per seipsos præcipitur prædicatio verbi rei, & iis impeditis, per alios I. A. 189. Episcopi justitiam administrent laicis conquerentibus de clericis, appellatione remota ib. Episcopi non ligantur censura suspensionis, & interdicti, nisi eorum expressa fiat mentio II. B. 250. I. B. 165. & B. 174. Et an hoc privilegium extendatur etiam ad excommunicationem II. B. 250. Casus inter alios, ubi exprimitur comprehensum esse Episcopum quoad suspensionem I. A. 190. Episcoporum excessus erga subditos qui sint II. B. 228. II. B. 255. Episcopi imitentur D. Augustinum quoad habitationem cum fœminis consanguineis, vel extraneis etiam nulla suspicione laborantibus II. A. 5. Episcopus concubinarius a quo admonendus: & quando episcopatu privandus ibidem.

EPISCOPUS potest a sua Ecclesia transferri ad aliam A. 241. Item potest transferri etiam invitus ibid. Ad validam translationem quid requiratur ibid. Episcopo translato, quando sedes vacat ibid. Item quid juris circa fructus pendentes, & inexactos Episcopo translato adjudicandos, vel non ibid. B. In casu translationis respectu Episcoporum Regni Poloniæ quid sit speciale provisum ibid. Translationis tempore administratio Ecclesiæ quando transferatur in capitulum ibid. Causarum examen translationis faciendæ commissum Congregationi particulari ad hunc finem erectæ ibid. Ad translationem Prælatorum Episcopo inferiorum non requiritur consensus Papæ ib.

EPISCOPI familiores vide Familiares Episcopi.

EPISCOPI TITULARES non sunt creandi, neque in Suffraganeos dandi, nisi in Ecclesiis Cardinalium, & cum quo stipendio, sive dote I. B. 88. An teneantur ad visitationem liminum Apostolorum I. A. 268.

EPISTOLA, seu rescriptum I. B. 229. Epistola decretalis quo differat ab oraculo, & ab edicto ibid. Epistola, sive littera missiva quid probet I. B. 318.

EREMITÆ quando gaudeant privilegio canonis II. B. 255.

ERROR in contractibus quid ſit II. B. 33. Quando vitiet contractum ibid.

ERRORIS impedimentum: vide *Impedimenta*.

EVANGELII expoſitio facienda eſt a parochis diebus dominicis, & feſtis pro inſtructione ſuorum parochianorum II. A. 79. Item exaranda ſcripto a Concurrentibus ad examen pro parochia conferenda I. B. 204. II. A. 24.

EUCHARISTIA in quibus Eccleſiis, & qua decentia aſſervanda II. B. 108. Circa cuſtodiam *Euchariſtiæ*, ſi contrafacientes ſint Regulares, puniendi ſunt nedum a ſuo Superiore, ſed etiam ab Epiſcopo I. A. 140. *Euchariſtia* quæ aſſervatur in Tabernaculo a græcis, poſt quot dies renovanda: item poſt quot dies renovanda a latinis II A. 109. Quid juris circa impenſas lampadis ante *Euchariſtiam* collucentis ibidem. Surripientes, aſportantes, aut apud ſe retinentes *Hoſtias*, vel *Particulas* conſecratas, etiam Eccleſiaſtici, qua pœna puniendi II. B. 213. *Euchariſtiæ* ſacramentum non licet Regularibus, etiam in propriis eorum Eccleſiis publice ad adorandum exponere, niſi ex cauſa publica ab Ordinario approbata; quamvis ex cauſa privata poſſint, ſed quomodo debeant illud exponere II. A. 109. Idem prohibetur aliis quomodocumque exemptis non habentibus juriſdictionem in populo ibidem. Conſuetudo ſervanda apponendi Crucem, vel non in Altari, dum miſſa celebratur, & S. *Euchariſtia* proſtat II. B. 106. *Euchariſtia* ſub quibus pœnis præcepta ſit ad minus in Paſchate a Fidelibus utriuſque ſexus ſumenda II. B. 245. Non ſatisfit per ſacrilegam communionem; neque ab ejus obſervantia excuſantur peccatores publici, etiamſi cauſa majoris mali evitandi pœnæ exequutioni non dentur ibid. Non ſatisfacit qui *Euchariſtiam* ſumit a Regularibus intra dies a Dominica palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive ibid. Item, non obſtantibus ipſorum privilegiis, prohiberi poteſt, ne eam adminiſtrent ſæcularibus perſonis in die Paſchatis, licet hæ ſatisfeciſſent eidem præcepto in Eccleſia parochiali ibid. Ægroti obligantur *Viaticum* ſumere II. A. 246. An teneatur parochus *Viaticum* deferre illi, qui mane ſacram *Euchariſtiam* ſumpſit, & eodem die in morbum periculoſum incidit ibid. In oratoriis privatis adminiſtrari nequit *Euchariſtia* ſine Ordinariorum licentia, comprehenſis etiam Regularibus exemptis II. A. 106. Adminiſtratio *Euchariſtiæ* in miſſis: vide verbum *Miſſa*.

EVICTIO quid ſit; & ad judicium evictionis rite inſtituendum quid requiratur II. B. 43. Re in effectu *evicta*, venditor ad quid teneatur emptori ibid. In quibus caſibus venditor non tenetur de *evictione* I. B. 127. II. A. 44. Quid juris, ſi res *evicta* ſit dotata, vel legata ibid.

EVIRATIO: vide *Caſtratio*.

EUNUCHI poſt matrimonium jam contractum quando permittantur non ſeparari I. A. 146.

EXACTIO quid ſit II. B. 102. Quid Epiſcopus exigere poſſit ab Eccleſiis II. B. 103. Princeps quando poſſit ſuis ſubditis imponere novas *exactiones*: & harum variæ ſpecies quæ ſint ibid. Princeps in terris ſuis: item privati novas *exactiones* imponentes ſine juſta cauſa, quam pœnam incurrant ibid. Item pœna in imponentes *exactiones* clericis, Prælatis, & aliis perſonis eccleſiaſticis, ac eorum & Eccleſiarum, & monaſterium, ac aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum bonis abſque, Roman. Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia; & quæ aliæ perſonæ eamdem pœnam incurrant ibid. Sub hac tamen prohibitione non continentur onera realia, quæ cum fundis ad clericos, & religioſos pervenerunt ibid.

EXAMEN Ordinandorum, vide *Scrutinium in Ordine faciendum*. *Examen* parochorum, vide verbum *Parochia*, *Examen Epiſcoporum* I. A. 202.

EXAMINATORES *Synodales* prohibentur ſub vitio ſimoniæ quidquam recipere, etiam ſponte oblatum, ſive ante, ſive poſt occaſione examinis, parochorum, ordinandorum, confeſſariorum, & præficiendorum præbendæ theologali, & pœnitentiali I. A. 183. *Examen* pro præbenda theologali, & pœnitentiali debet peragi coram Epiſcopo, & quatuor *Examinatoribus*, qui non opus eſt, ut ſint ex electis in Synodo I. B. 192. *Examinatores* ſynodales quomodo deſignandi, & alteri aliis ſubrogandi: item quomodo expirare poſſit eorum munus I. B. 204. *Examinatores* ſynodales in concurſu pro examine præficiendorum ad parochiam debent eſſe ſaltem tres approbati in Synodo ſub pœna nullitatis concurſus ibid. A. Et ſub eadem pœna debent judicium ferre nedum ſuper Concurrentium doctrina, ſed etiam circa alias eorum qualitates ibid. B. Ad ipſos non ſpectat præelectio approbatorum, ſed privative ad Epiſcopum ibid. & vide II. B. 23. Apoſtolicorum Examinatorum Romæ deputatio I. A. 183. Item juramentum ab eiſdem exhibendum de fidelitate in munere præſtanda, & de nihilo recipiendo, licet minimum tam ante, quam poſt examen ibid.

EXCEPTIO quid, & quotuplex ſit I. A. 324. Quis, & cui opponere poſſit *exceptionem* ibid. B. *Exceptiones* dilatoriæ, & peremptoriæ quando proponendæ ſint ibid. Item *exceptiones* anomalæ, ſeu irregulares II. A B. 325. In quibus caſibus *exceptiones* ſint admittendæ poſt præfixum terminum ad omnes dilatorias tollendas I. B. 113. *Exceptiones* in ſpecie quæ ſint I. A. 325. Item quis eas opponere poſſit ibid. *Exceptionis* replicatio; & circa eam quid juris I. A. 326. Judex ſuper *exceptione* peremptoria cognita regulariter pronunciare non debet ſententiam interlocutoriam I. B. 299. *In exceptionibus* proponendis forma I. A. 325. *Exceptionum* effectus ibid.

EXCESSUS *Prælatorum* qui ſint II. B. 228. Item *exceſſus* ſubditorum erga Prælatos ibid. Exceſſus privilegiatorum II. A. 234.

EXCOMMUNICATIO quid ſit II. B. 253. Judex inferior Papa nequit *excommunicationem* generalem ferre contra participantes cum *excommunicato* a ſe, ſed tantum ſpecialem, trina canonica monitione præmiſſa, vel unica pro tribus contra nominatim expreſſos participantes I. B. 174. II. B. 251. *Excommunicatio* in cauſis civilibus, & criminalibus quomodo ferenda: ſi tamen lata abſque forma ſervanda non eſſet invalida I. A. 185. *Excommunicationes* ad finem revelationis, aut pro deperditis, vel ſubtractis rebus I. B. 209., & vide verbum *Cenſura*. *Excommunicatio* quibus bonis ſpiritualibus privet ibid. II. B. 253. *Excommunicatus* tempore, quo divina non celebrantur, poteſt orare in templo, uti & habere aquam benedictam, & alia ſacramentalia ibid. *Excommunicatus* fit inhabilis ad obtinenda quæcumque officia, & beneficia eccleſiaſtica ibid. & nomine beneficii quid hic non veniat II. A. 254. Collatio facta tempore habili, & acceptatio beneficii tempore *excommunicationis* valida cenſetur ibid. & B. 253. Clericus in excommunicationem incidens, ipſo jure, & facto non privatur fructibus beneficii antea canonice obtenti II. A. 254. At poſt ſententiam tenetur clericus, niſi pauper ſit, fructus tempore *excommunicationis* perceptos reſtituere, donec abſolvatur ibid. *Excommunicatio* privat uſu juriſdictionis eccleſiaſticæ, ita ut *excommunicatus* vitandus eam nec licite, nec valide exerceat ibid. *Excommunicatus* toleratus valide exercet juriſdictionem, ſi exceptione *excommunicationis* non excludatur ibid. *Excommunicatio* privat facultate concionandi, & publice legendi ſacram theologiam, aut ſacr. canones ib. *Excommunicatio* privat communione forenſi, & quæ ſit ibid. *Excommunicatus* licet vitandus, poteſt tamen accipere officia privata: & quæ ſint ibid. *Excommunicatis* prohibetur communicatio politica: & quæ ſit ibid. Si quis per annum perſeveret in excommunicatione, & citatus ſe purgare, & impedimentum allegare noluerit, quomodo puniendus ibidem, & B. Item ſi inſordeſcat in *excommunicatione* per annum, habetur pro convicto ibid. B. Clerici per triennium durantis in *excommunicatione* pœna ibid. In quibus caſibus *excommunicato* liceat ſuſcipere ſacramenta; imo & adminiſtrare, ſi a fidelibus petantur, & excommunicatus ex officio teneatur ibid. *Excommunicatus* ex urgenti neceſſitate ſi accederet confeſſarium, qui non valens abſolvere ab *excommunicatione* abſolveret a peccatis, cæteris poſitis, validum eſſet ſacramentum ibid. An *excommunicatus* toleratus, dummodo ſe non ingerat, valide, & per ſe licite omnia ſacramenta adminiſtret ibid. & B. 267. Quibus caſibus exceptis, hodie licite communicare poſſint fideles cum omnibus *excommunicatis* publicis, & privatis in divinis, & politicis II. B. 254. Fideles tenentur vitare communionem cum *excommunicatis* vitandis, ſeu non toleratis; & qui ſint I. B. 164. I. A. 174. II. A. 255. Communicatio iſta regulariter non excedit peccatum veniale, & *excommunicationem* minorem: at in quibus caſibus ſit mortale, & participans cum *excommunicato* hujuſmodi incurrat majorem *excommunicationem* I. B. 164. II. A. 255. Fideles quibus ſuadentibus cauſis poſſint communicare cum *excommunicato* vitando ibid. *Excommunicationis* minoris effectus qui ſint II. B. 253. II. A. 255. Quis ab ea abſolvere poſſit ibid. Et probabilius etiam ſimplex Sacerdos ibidem, & I. B. 164. ☞ Sed tu contrarium tene, cum ſimplex Sacerdos hodie abſolvere nequeat a peccatis venialibus I. A. 194. *Excommunicatio canonis* vide *Canonis privilegio Abſolutio* ab *Excommunicatione* vide *Cenſura*.

EXECRATIO ſacrorum vaſorum quando neceſſaria II. A. 188. Item quomodo ibid. B. Item quando calix, vel patena cenſeantur *execrata* II A. 105. *Execratio* Eccleſiæ, & altaris quando ſit ibid. *Execrato* altari, non per hoc *execratur* Eccleſia, nec e contra ibid.

EXECUTIO, & *executores* Reſcriptorum papalium. vide *Reſcriptum*. *Executores* teſtamentarii: vide verbum *Teſtamentum*.

EXEMPTIO quid, & quotuplex ſit II. A. 233. *Exemptionis* privilegium ſtricte ſecundum terminos eſt intelligendum ibid. Afferens aliquam Eccleſiam eſſe *exemptam*, probare tenetur II. A. 97. & I. B. 208. Eccleſia unius diœceſis prohibetur uniri acceſſorie Eccleſiæ alterius diœceſis; ſi ta-

si tamen unita est, non desinit esse subjecta Episcopo, in cujus dioecesi sita est II. A. 97. Item si uniatur monasterio exempto ibid. *Exempta* Ecclesia principali, non hoc ipso *exempta* sunt capellae: & *exemptis* clericis, non hoc ipso *exempta* est Ecclesia II. A. 233. *Exempto* Praelato ratione sui, non *exempti* sunt clerici; *exempta* vero Ecclesia, hoc ipso etiam *exemptus* est Praelatus cum clericis ib. In causa *exemptionis* Judex est Papa privative ibid. *Exemptio* quomodo probetur ibid. *Exemptus* renuntiare nequit suae *exemptioni* etiam privatae ibid. I. A. & B. 286. *Exempti* tantum ratione loci, si extra locum exemptum delinquant, contrahant, aut rem sitam habeant, conveniuntur in foro Ordinarii, nisi etiam quoad haec tria *exempti* sint; & tunc coram quo conveniendi II. A. 233. I. B. 160. I. B. 188. Et quid, si agatur de Regularibus I. B. 160. Item locorum Ordinarii tamquam Sedis apostolicae delegati in quibus causis sint judices competentes quoad clericos saeculares, aut regulares extra monasterium degentes quomodolibet *exemptos* ibid. I. B. 290. Licet Episcopis exercere pontificalia in locis *exemptis* intra suam dioecesim, & procedere in actu visitationis per censuras aliasque poenas ecclesiasticas contra *exemptos* I. A. 176. ☞ Licet contrarium tenendum I. A. 247. Episcopi tamquam delegati apostol. habent jurisdictionem in *exemptos* tam quoad Ecclesias, quam quoad personas sive saeculares, sive regulares etiam nullius dioecesis in quam pluribus casibus I. A. 178. II. A. 91. I. B. 207. & B. 264. Episcopus etiam tanquam Sedis apostolicae delegatus se abstinere debet a quocumque jurisdictionis actu in parochos, & parochianos, quoties Abbates, & alii Regularium superiores probaverint jurisdictionem episcopalem in eosdem, e contra Episcopus probare nequeat ampliorem in ipsos jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam I. B. 208. Quid juris circa *exemptionem* ab Episcopo etiam quoad animarum curam, & sacramentorum administrationem, parochos tam saeculares, quam regulares dictam animarum curam exercentes in monasteriis, seu locis, ubi Abbates generales, aut capita Ordinum sedem principalem habent ibid. & vide I. A. 160. *Exemptio Referendariorum*, *& Familiarium* Papae a jurisdictione Episcopi ibid. *Exemptio Protonotariorum* Apostolicorum, aliisque honorariis titulis decoratorum I. A. 293. *Exemptio Collectorum spolii* ad Cameram apostolicam pertinentis ibid.

EXEQUIAE, vide *Sepultura*.

EXERCITIIS SPIRITUALIBUS Clerici vacantes per decem dies excusantur a residentia, & eo tempore lucrantur proventus, non secus ac si Ecclesiae inservirent I. B. 186.

EXHAEREDATIO, vide *Haereditas*.

EXPECTATIVAE, & MANDATA de beneficio providendo nemini amplius concedendae, excepto Imperatore I. A. 125. I. A. & B. 175. & A. 177. & 179. B. & 180. A. ibid.

EXPERIMENTUM triennale conjugatis impositum ad effectum probandi impotentiam II. B. 155.

EXPILATAE HAEREDITATIS crimen, & ejus poena II. A. 216. *Expilatores* fures atrociores ibid.

EXPOSITIO INFANTIUM septennio minorum, & languidorum cujuscumque aetatis propter infirmitatem non laborare valentium quid criminis sit II. A. 201. *Expositi* a quibus educandi, vel sustentandi ibid. *Expositum* alens, vel sustentans quid juris in eum acquirat ibid. B. *Exponentium* poena ibid. *Expositorum* favor ibid. ☞ Ex tutiori opinione quoad Ordines saltem suscipiendos indigent dispensatione ibid. *An expositi* habendi sint pro legitimis I. B. 253.

EXPULSIO religiosi, vide *Religiosus*.

EXTREMA UNCTIO per unum vel plures presbyteros fieri potest, ubi viget consuetudo, dummodo si plures administrent, idem unus formam proferat unctioni respondentem I. A. 195. Item consuetudo servanda tam in Ecclesia latina, quam in graeca ibid. Valide conferri potest a Sacerdotibus Italo graecis oleo tum a semetipsis benedicto ibidem B.

F

FABRICA *Ecclesiae*, vide *Ecclesiae aedificatio*.

FALCIDIAE LEX in legatis a quo talis dicta II. A. & B. 69. In quibus casibus cesset II. B. 69. In origine differt a trabellianica, tamen in effectu aequiparatur ibid.

FALSARII litterarum apostolicarum qui sint, & eorum poena II. B. 223. Item *Falsarii* supplicationum, cedularum, motus proprii, ac mandatorum de expediendo manu Papae, vel per concessum ab officialibus signatorum, licet de iis litterae nullae in forma brevis, vel plumbi expediantur, neque consueverint expediri, quas poenas incurrant I. A. 157. Item poenae in *falsantes* quascumque concessiones subscriptas a Papa, vel officialibus, super quibus litterae expediri solent in forma brevis, vel sub plumbo ibid. Item in *falsantes* datas appositas ab officialibus in dictis concessionibus ibid. Item in *falsantes* registra dictarum concessionum, & litterarum originalia ib. Item in *falsificationem* mandantes complices, mediatores, auxiliatores, & fautores ibid. *Falsificantes* litteras apostolicas puniendus a suo Ordinario, dummodo non sit ab hoc carceratus de mandato Papae I. A. 169. *Falsarii monetae* II. A. 224.

FALSI CRIMEN vide *Crimen falsi*.

FAMA quid probet I. B. 312.

FAMILIA furtum faciens II. B. 214. II. B. 215.

FAMILIAE HERCISCUNDAE actio, seu *haereditatis dividendae* I. A. 58.

FAMILIARES *Papae* habent indultum transferendi pensiones II. B. 28. Et quid quoad ipsorum exemptionem ab Episcopi jurisdictione I. A. 160. *Familiares Episcopi* qui sint censendi, ut frui possint privilegio fori, vide *Clerici gaudent privilegio fori*. Quid juris circa ordinationem *familiarium* Episcopi ab eo factam, cujus illi sunt *familiares*, & etiam alienae dioecesis subditi I. A. 197. I. A. 246. Qui sint vere *familiares* Episcopi, vel privilegiati in ordine ad collationem beneficii I. B. 167. & vide *Domestici*.

FAMILIARES, sive famuli domestici Regularium an ab iisdem sepeliri possint in suis Ecclesiis II. A. 77.

FAMOSUS libellus, vide *Libellus famosus*.

FAMULUS conductitius qui sit I. B. 253. *Famulus* conductitius, si in suo officio delinquat, quando detur actio elective vel contra *famulum*, vel contra dominum II. A. 239. Quomodo domini obligentur *famulis* conductitiis, & e contra II. B. 45. *Famuli* praetextu tenuis salarii nequeunt occulta compensatione sibi illud augere ibid. Et casus exceptus II. A. 46. Ex *famulatus* causa mulieres commorantes in monasteriis Monialium, & ibi decedentes, ubi sepeliendae II. A. 76. *Famuli* licet exteri contrahere possunt matrimonium coram parocho loci, intra cujus parochiae limites degunt II. A. 136. *Famuli* Regularium vide verbum *Familiares*.

FATALIA appellationum, vide verbum *Appellatio*.

FAUTORES qui sint II. A. 197.

FELLONIA quid sit II. A. 50. *Fellonia* futura remitti nequit ibid. *Fellonia* in quibus delictis committatur ibid.

FERIAE vide *Dies feriatus*.

FESTI DIES vide *Dies sacer*.

FEUDORUM origo II. B. 48. *Feudum* formaliter sumptum quid sit ibid. Item qualis sit contractus ibid. *Infeudans* qui sit: item *feudatarius* ibid. *Feuda* quotuplicia sint ibid. & II. A. 49. In dubio praesumitur potius *feudum* gentilium, quam haereditarium II. A. 49. In *feudum* concedere potest hodie rem suam quilibet dominus liberam habens administrationem ibidem. Imperator quid in *feudum* dare possit absque consensu Electorum ibid. Praelatus Ecclesiae quomodo concedere possit *feudum*: item antiquum ibid. *Feudum* recipere possunt etiam foeminae, minores, pupilli, furiosi, prodigi, surdi, muti, & caeci ibid. Communitas quomodo recipere possit ibid. *Feudi* capaces per se sunt clerici saeculares, & regulares professi, nisi tale esset *feudum*, quod exigeret obsequia personaliter a vasallo praestanda incompatibilia cum statu clericali ibid. *Feudum* a religioso cui acquiratur: item ab Episcopo: & eo mortuo, quid juris ibid. & B. *Infeudari* quae res possint ibid. B. Investitus de sylva, non hoc ipso habet jus venandi: at investitus de stagno habet jus piscandi ibidem. *Infeudato* toto territorio, vel tantum castro territorii, quid censeatur concessum: item si *infeudans* sit princeps, vel privatus ibid. Si in *feudum* data sit res aliena, quid juris ibid. *Feudum* acquiritur contractu, quem sequitur traditio ibid. Et vide *Investitura in feudo*. Item *Feudum* qua praescriptione acquiratur contra privatum, & contra Ecclesiam Romanam I. B. 328. II. B. 49. *Feuda* militaria non acquiruntur praescriptione ibid. *Feudum* quomodo acquiratur successione; & quid juris circa filios, qui succedere possint ibid. Item ordo successionis ibid. *Infeudantis* jura, & obligationes quae sint ibid. Item quae sint *feudatarii* jura, & obligationes II. A. 50. *Feudum* quomodo amittatur ibidem, & vide *Fellonia*: item *Caducitas*. *Feudalium* causarum judex quis sit I. B. 284.

FICTIO JURIS quid sit I. A. 266. *In fictione juris* lex fundata prodest etiam in foro conscientiae I. A. 227. *Fictio juris* habet tantum locum in casibus jure expressis ib. Item neque a casu ad casum extenditur, neque trahitur ad impossibilia per naturam, vel per jus ibid.

FIDEI BONAE nomine quid veniat I. B. 29. *Bona fides* quid sit: item *mala fides* ibidem. *Ad bonam fidem* quid requiratur ibidem. *Mala fides* ex variis conjecturis probatur I. B. 331. *Bona fides* requiritur ad omnem praescriptionem tam inchoatam, quam continuatam, & completam I. B. 330. *Bona fides* juridica requiritur ad usucapionem ib. An, & quomodo *fides* auctoris prosit, vel obsit successori I. A. 331. *Mala fides* Praelati an & quomodo noceat Ecclesiae ibid. B. *Bonam fidem* possessor non tenetur probare ibid. Et vide verbum *Possessor*.

FIDES BONA in *contractibus* quid sit II. B. 34.

FIDES *instrumentorum* publicorum I. B. 317. Fides instrumentorum privatorum I. A. 318.

FIDEI CATHOLICÆ summa I. A. 220. I. A. 80. Apostatæ a *fide*, & ad *fidem* redeuntes vide verbum *Apostasia*: Qui peccent contra *fidem*, vide *Hæresis*. An quis cogi possit ad suscipiendam *fidem* christianam vide *Hebrei*, & *Infidelis*.

FIDEI COMMISSUM quid, & quotuplex sit II. A. 67. Quid juris circa *fideicommissa* ibid. Quale beneficium habeat hæres primus gravatus *fideicommisso* universali ibid. B. Item in quibus casibus non habeat II. A. 68. Et vide verbum *Hæreditas*.

FIDEJUSSIO quid sit II. B. 52. Item quotuplex sit ib. *Fidejubere* qui possint I. A. 53. In quibus casibus mulier possit ibid. *Fidejussio* quomodo solvatur II. B. 53.

FIDEJUSSOR ex quo distinguatur a sponsore, mandatore, expromissore, constitutore II. B. 52. *Fidejussor* cui obligationi accedere possit, & in quam summam obligari II. A. 53. *Fidejussorem* an, & quomodo creditor convenire possit II. ibid. B. *Fidejussoris clerici* pœna I. B. 128. & an ejus *fidejussio* teneat ibid.

FIDEI PROFESSIO externa quomodo obliget quemlibet fidelem jure naturali, & divino I. A. 220. Ad *fidei professionem* coram Papa, vel ejus delegato tenentur omnes promoti in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos ibid. Item coram quo, sub quibus pœnis, & intra quod tempus teneantur omnes provisi de beneficio curato, vel canonicatu, aut dignitate Ecclesiæ cathedralis ib. Ad eam tenentur etiam deputati ad beneficia curata Ordinis S. Joannis Hierosolymitani ibid. Ad *fidei professionem* tenentur promovendi in magistros, doctores, & artium liberalium professores, sive clerici sint, sive laici ibidem, & B. An teneantur canonici non curati Ecclesiæ collegiatæ, & provisi de capellania, vel portione in Ecclesia cathedrali ibid. Quid juris circa hanc *professionem* quoad præficiendos regimini monasteriorum, conventuum, domorum, & aliorum quorumcumque locorum regularium, etiam militarium I. A. 202. I. A. 220. *Fidei professio* repetenda coram Episcopo, & capitulo, si male emissa fuerit ibid. Coram eisdem tenentur eam repetere provisi Romæ, qui ex indulto Congr. Conc. illam emiserunt coram Urbis Vicario ibid. B. Non item a parochis repetenda, si eamdem emiserint Romæ coram Datario ibid. *Fidei professione* omissa, vel debito modo non emissa fructus amissi cui sint applicandi ibid. & fructuum condonatio a quo fieri possit: item quos proventus faciant suos omittentes, vel debito modo eam non emittentes I. A. 220. *Fidei professio*, si omissa vel ob ignorantiam, vel ob imprudentiam, quid juris ib. B. *Fidei professio* nequit fieri per procuratorem ibid. Ad *Fidei professionem* qui teneantur ex legibus in omnibus fere diœcesibus statutis, & ex Concil. Romano ibid.

FIDEI RUDIMENTA, vide *Doctrina christiana*.

FILII, & *filiorum* nomine qui veniant II. B. 157. Quotupliciter dividantur ibid. & vide verbum *Illegitimi*, & *Legitimi*.

FILII PRESBYTERORUM ordinandi, vel non I. B. 252. Nequeunt sive legitimi, sive illegitimi obtinere beneficia, quæ eorum patres obtinent, vel obtinuerunt, licet media intercedat persona I. A. 93. Et vide verbum *Illegitimi*.

FILIUS FAMILIAS quando censetur esse paterfamilias II. A. 245. *Filius familias* quomodo possit constitui procurator I. B. 274. *Filius fam.* quando habeat legitimam personam standi in judicio I. A. 284. *Filius fam.* furtum faciens patri II. B. 254. An ex *filii* delicto pater teneatur quoad pœnam pecuniariam II. B. 225.

FILII ILLEGITIMI non possunt habere pensiones super fructibus beneficiorum, quæ eorum patres obtinent, vel obtinuerunt I. A. 93. Et vide *Illegitimi*.

FINIUM REGUNDORUM seu *confines* agros habentium actio I. B. 58.

FISCI procurator qui sit I. B. 276. *Fisco* ex jure antiquo cedebant damnatorum bona II. A. 245. *Fiscalia* bona jam ærario principis incorporata: item bona *fisco* non incorporata, quoad eorum præscriptionem, sive usucapionem I. A. 328. *Fiscus* in causa *primipilarii* præfertur quibuscumque creditoribus etiam mulieri agenti de dote sua: Et quid nomine *primipili* significetur II. B. 51.

FOEMINA privilegio apostolico habilitari nequit ad ferendam censuram II. B. 250. In quibus casibus fidejubere possit II. A. 53. *Fœminæ* non conservant familiam ibid. B. Non prohibentur tamen feudum recipere II. A. 49. Quando a feudo excludenda II. B. 51. Quando possit constitui procurator I. B. 274. *Fœminæ* prohibentur advocare I. A. 273. Exceptis illustribus fœminis, nequeunt constitui judices I. A. 265. Item quando possint constitui in arbitros compromissarios I. B. 281. *Fœmina* honesta, præsertim illustris in causa civili nequit invita personaliter trahi in judicium I. A. 284. *Fœmina* nequit esse testis de jure can. in criminalibus, potest esse tamen si honesta de jure civili; & quæ excipiantur causæ I. B. 313. II. A. 63. Prohibetur accusare II. B. 177.

FOENUS nauticum approbatur jure civili II. B. 219. & vide verbum *Usura*.

FOETURA quid sit, & quotuplex I. A. 34. & quod nascitur ex animali, vel ancilla cujus sit ibid.

FOETUS animatus, & inanimatus: vide *Abortum*.

FORMA PAUPERUM: item *forma dignum*, & *forma gratiæ factæ*, vel *faciendæ* II. B. 13.

FORNICATIO quid sit II. A. 210. Prohibetur non tantum jure positivo, sed & naturali ibid. *Fornicationis* pœnæ ibid. B. *Fornicatio* clerici in sacris constituti, & religiosi professi quid sit, & ejus pœna II. B. 211. Item si *fornicatio* commissa fuerit cum moniali A. 212. Quomodo procedendum in quemcumque clericum *fornicarium*, sive suspectum de mala consuetudine II. A. 5. I. A. 186. Concubitus christiani cum judea, vel pagani non differt a simplici fornicatione, gravius tamen puniendus II. A. 212. & qua pœna coerceatur, si prætextu conjugii accedat ibidem.

FORTUITUS CASUS vide *Casus fortuitus*.

FORTUNÆ olla a magistratibus vix admittenda II. A. 222.

FORONEUS Rex primus Græcis legem dedit I. B. 285.

FORUM, & FORUS frequenter confunduntur in usu; in rigore tamen distinguuntur I. B. 285. *Forus*, quatenus est locus litium exercendarum quotuplex sit ibidem. *Fori* competentia ex quibus capitibus generaliter deducatur ib. Actor sequitur *forum* rei, sive in rem, sive in personam habeat actionem ibid. Quid juris, si reus citetur ad judicem, sive *forum* incompetentem A. 286. *Forus* præventionis quomodo inducatur ibid. B. Ad sortiendum *forum* hodie ex generali consuetudine non attenditur locus originis, sed habitationis ibid. *Forus* prorogationis, vide *Jurisdictionis prorogatio*. *Forum commune*, vide *Curia Romana*. *Forum ratione contractus*, vel *distractus*, vide *Contractus*. *Forum domicilii*, vel *quasi domicilii*, vide *Domicilium*. *Forum ratione delicti*, vide *Delictum*. *Forum militare*: vide *Militare*. *Forum nobilium*, vide *Nobilium*. *Forum ratione rei sitæ*, vide *Res sita*. *Fori privilegium*, seu *clericorum*, vide *Clerici habent privilegium fori*. Ad *forum* sæculare Clericum trahentis pœna I. B. 104. Item *fori scholastici* privilegium, vide verbum *Scholæ gaudentes*. *Forum vagorum*, vide *Vagi*. *Forum exemptorum*, vide *Exemptio*. *Forum miserabilium personarum*, vide *Miserabiles personæ*.

FRIGIDI, & MALEFICIATI II. B. 154. & vide *Impedimentum Impotentia*.

FRUCTUS *inter clericos* dividendi quotuplices sint II. B. 9. *Fructuum* nomine in materia odiosa qui tantum veniant I. B. 220. II. B. 9. & vide verbum *Residentia*: & *Peculium clericorum*. Sub quibus pœnis inhibeantur deductiones ex *fructibus* pro provisione, electione, confirmatione, collatione, institutione aut admissione in possessionem cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ, sive distributionum I. A. 176. Sequestrantes, vel occupantes *fructus* pertinentes ad Ecclesias, & ecclesiasticos: item clerici consentientes, & Ecclesiarum patroni si talia fecerint, quas pœnas incurrant I. B. 172. *Fructus* beneficiorum litigiosorum: item beneficii vacantis, vide sub verbo *Beneficium ecclesiasticum* in fine. *Fructus* episcopatus pendentes, & non exacti cui adjudicandi, Episcopo translato I. A. 241.

FRUCTUS NATURALES mere industriales, & mixti, seu simpliciter industriales, qui sint I. B. 302. Item *fructus* civiles, qui sint, & quotuplices A. 303. Item *fructus* in præsenti qui tantum dicendi sint ib. & vide verbum *Professor*. *Fructus* rei venditæ quando sunt restituendi II B. 42.

FUGA a carcere quando licita II. A. 242. *De fuga* suspectus debitor permittitur arrestari ex sola voluntate creditoris I. A. 308. *Fugientis* ab arresto pœna ibid.

FUGITIVUS REGULARIS, vide verbum *Religiosus fugitivus*.

FUNDATOR BENEFICII potest apponere honestas conditiones, & possibiles, licet adversentur juri communi II. B. 11. I. A. 251. *Fundatoribus* monasteriorum quod privilegium sit concessum pro fœminis de sua familia, ut ingredi possint in claustra eorumdem monasteriorum II. A. 97.

FUNDATRICES quomodo admitti possunt in eadem virorum monasteria I. A. 99.

FUNERALIUM *Quarta* II. A. 78. etiam a Regularibus solvenda I. A. 210. Et etiam a sæcularibus receptis pro novitiis in aliqua Religione, si non dum regularem habitum induti ibi decedant etiam propriis expensis I. B. 130. *Quarta* debet dividi inter parochos, si defunctus æqualiter inhabitavit duo domicilia I. A. 131. Cui parocho debetur, si domus defuncti habeat unum ingressum intra unam, & alterum intra aliam parochiam ibid.

FURIS nocturni, & diurni occisio an licita I. B. 154. II. A. & B. 217. & vide *Furtum*, & *Homicidium*.

FUROR, aut sævitia mariti II. B. 165.

FURTUM quid, & quotuplex sit II. A.214. *Ad furtum* quid requiratur ibid. *Furtum* commissum etiam in gravi necessitate illicitum, licet levius puniendum I. A. 156. II. B. 214. *Furti* reus est omnis ille, qui alienum accipit, aut detinet causa lucri, invito domino ibid. Item quæ personæ committant *furtum* ibid. Et qui reus *furti* non sit ibid. Quæ quantitas requiratur, & sufficiat ad peccatum mortale II. A. 215. Quæ, & cui dentur actiones contra *fures* II. B. 214. Pœna *furis*, & ejus receptatorum II. A. 215. De jure Can. in foro interno ad quid obligetur ib. Pœna *furis* si sit clericus ibid. B. *Furtorum* variæ species ibid. Quid juris circa occisionem *furis* diurni, & nocturni, vide *Homicidium*.

FURTUM SACRILEGUM, sive violantes loca sacra effractione, & spoliatione, vel ablatione rerum sacrarum II. B. 213. & B. 216.

PHYSIOGONOMIA quid sit II. B. 224.

G

GABELLÆ II. B. 103. Et vide *Exactio*. Libri publicorum officialium ad *gabellas* deputatorum plene probant in iis, quæ ad eorum officium spectant, non tantum pro aliis, sed & pro ipsis scribentibus I. A. 318.

GENETHLIA quid II. B. 224.

GENTILITIA pacta quæ I. A. 14.

GENTIUM jus I. A. 11. & seqq.

GENUS *Ordinandorum* in scrutinio exquirendum I. A. 249.

GEOMANTIA, & CHIROMANTIA quid sit II. B. 224.

GERMANIÆ Concordata: vide verbum *Concordata*.

GESTA *a delegato* ignorante mortem *delegantis* sunt invalida I.A.261. *Gesta* a procuratore: vide verbum *Procurator*. *Gesta* a filiofam. quando censeantur valida II. A. 245.

GESTA EX METU vide *Metus*.

GESTOR *negotiorum* vide *Negotiorum gestor*.

GLADIATORES, & eorum pœnæ II. B. 208.

GLOSSA quid sit, ejus Auctores, & quam habeat auctoritatem in jure communi I. B. 214. Pœnæ contra *glossatores* Decretalis Nicolai III. suspensæ sunt usque ad Sedis Apostol. beneplacitum I. B. 174.

GRADUS affinitatis, consanguinitatis, & eorum dispensatio: vide verbum *Affinitas*, *Consanguinitas*, & *Impedimentum omne*.

GRADUS *litterarius*: vide verbum *Doctores*.

GRÆCUS ritus antiquus a suis sacerdotibus sub qua pœna retinendus I. B. 198. *Græci* presbyteri quoad cælibatum II. B. 5. *Græci* presbyteri administrare nequeunt græcis incolis Italiæ, Insularumque adjacentium illico post Baptismum Confirmationis Sacramentum I. A. 252. Et vide verbum *Confirmationis Sacramentum*. *Græcorum* error damnatus I. A. 220. *Græca* linguæ lectio habenda in monasteriis monachorum I. B. 192.

GRAMMATICÆ magister: vide *Magister*.

GRANCIÆ suppressæ, & ad statum sæcularem redactæ, illarumque Ecclesiæ etiam non habentes curam animarum quomodo subjiciantur jurisdictioni Episcopi I. A. 198.

GRASSATORES non gaudent asylo loci sacri II. A. 116. Ut quis *grassator* publicus dicatur quid sufficiat: & qui *grassatoribus* accenseantur ib.

GRATIANI *decretum* I. B. 213. & vide *Decretum Gratiani*.

GRATIÆ RESCRIPTUM I. B. 229.

GRAVAMINIS qualitas a consuetudinibus Ecclesiæ illati a quo dijudicanda; & quid attendendum I. A. 83. A quibus *gravaminibus* Regularium debeat abstinere Episcopus, sive Prælatus I. A. 159. & vide *Appellatio*.

GREGORIUS IX. & ejus Decretales I. B. 213. & vide verbum *Decretales*.

GREX constat minoribus pecoribus: & *gregem* abigens II. A. 216.

H

HABITATIO quid, & quid juris circa eam I. A.45. & A. 46.

HABITUS CLERICORUM vide *Clericorum*.

HABITUM REGULARES deponentes II. A. 92. Qualis debeat esse, cum promoventur ad episcopatum, vel cardinalatum II. B. 88. II. B. 119.

HÆREDITAS quid sit II. B. 64. *Hæres*, & in quotuplici differentia sit ibid. *Hæredes* qui possint institui ibid. Clerici quomodo prohibeantur scribere *hæres* suos filios illegitimos I. A. & B. 253. Et qui necessario institui debeant II. B. 64. *Exhæredatio*, seu exclusio *hæredis* necessarii ab *hæreditate* quomodo, & ob quas causas fieri possit II. A. 65. Item causæ legitimæ, ob quas pater *exhæredare* possit liberos ibid. Item causæ, ex quibus liberi *exhæredare* possint parentem ibid. Institutio *hæredis* quid sit II. A. 64. *Hæredis* institutio quacumque verborum formula fit; dummodo etiam æquivalenter *hæres* significetur: quid tamen consultius II. A. 65. Institutio facienda est ex proprio arbitrio testatoris, ut valida sit, nisi testator in genere instituat *hæres*, & electionem unius ex pluribus alteri committat ibid. *Hæredis piis* tamen institutio videtur committi posse alieno arbitrio ibid. Item, *hæredibus* piis exceptis, institutio debet esse de personis certis ibid. Institutio fieri potest non tantum pure, sed etiam conditionate, & sub qua conditione etiam *hæredes* necessarii institui possint ibid. B *Hæredibus* institutis quanta portio relinquenda: & quid sit *hæreditatis* assis ibid. *Hæredibus* necessariis testator tenetur relinquere legitimam ibid. Et vide *Legitima*. *Hæres* tam necessarius, quam extraneus institui potest in re certa: & quid juris, si solus instituatur, vel plures instituti sint: item si unus instituatur in re certa, & alii in re incerta, seu in residua hæreditate II. A. 66. Si plures instituti sunt simpliciter, succedunt æqualiter: si vero in certis partibus assis quæ observanda dispositio ibid. Quo differat institutio in re *certa*; & in parte *certa* ibid. *Hæredis* substitutio quid, & quotuplex sit ibid. Item quid sit substitutio vulgaris; & quid juris circa illam ibid. Item quid sit substitutio pupillaris: & quid juris circa illam ib. Quid sit substitutio exemplaris, militaris, compendiosa, & reciproca ibid. B. An substitutio distinguatur a jure accrescendi ibid. Quid sit jus deliberandi circa *hæreditatem*: & inventarium hodie in ejus locum successum: item inventarii effectus II. A. 70. *Hæreditatis* aditio, & repudiatio ibid. B. Et quid juris circa illam ibid. Qui dicatur adire, & repudiare *hæreditatem*: qui vero se immiscere *hæreditati*, vel ab ea abstinere ibid. *Hæreditas* quando transmittatur in *hæredem hæredis* ibid. Substitutus vulgariter non impedit transmissionem ex jure sanguinis, vel ex jure deliberandi, imo nec jure suitatis II. A. 71. Fidei commissarius mortuus ante *hæreditatem* a directo *hærede* aditam transmittit fidei commissum ad suum *hæredem* ibid. Item legata, & fideicommissa particularia transmittuntur ibid. *An hæres* teneatur dare cautionem idoneam de servandis legatis, & fideicommissis, & suo tempore præstandis ib. B. Ad collationem bonorum, sive quarumdam rerum in communem *hæreditatis* massam collationem qui teneantur II. B. 74. Huic collationi quæ bona subsitent: item qui sumptus, quæ debita, quæ impensæ ibid. Substant omnia illa, quæ filius furto sustulit patri ibid. Item lucra omnia profectitia, quæ filius fecit ex administratione bonorum paternorum; in casu tamen magnæ industriæ, & laboris a filio impensi, quid suadeat æquitas, & benignitas II. A. 75. Huic collationi quæ non subsitent bona: item quæ acquisita: item quæ impensæ ibid. An libri, qui danrur filio studenti: item donatio simplex, seu mere gratuita, quæ non fit ex causa onerosa, seu necessaria, conferenda sint ibid. Modus collationis varius ibid. B. *Hæreditatis expilatæ* crimen quid sit, & ejus pœna II. A. 216. *Hæreditas* si vendatur, quid juris II. A. 40.

HÆRESIS quid sit II. A. 195. Item quotuplex sit ibid. Qui peccent contra præceptum diligentiæ necessariæ in rebus fidei, & tamen proprie non sint *hæretici* ibid. An dubitans de aliquo articulo fidei ab Ecclesia definito, videatur esse *hæreticus* ibidem. Error pertinax in fide a cathecumeno elicitus, licet theologice, & quoad substantiam sit *hæresis*, tamen in foro externo, & quoad pœnas non habetur pro *hæresi* ibid. *Hæresis* quod crimen sit, & contra eam, quæ inventa sint remedia ibid. *Ad hæreticum* in foro externo quid requiratur ibid. *Hæretici* usum rationis habentes legibus ligantur ecclesiasticis I. A. 224. *Hæretici*, nisi justa causa majoris mali vitandi, aut boni promovendi, vel pacta publica subsint, non sunt tolerandi in terris catholicorum II. A. 195. *Hæreticos* de jure recentiori catholici vitare non tenentur ibid. Vix accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum *hæreticis* communicatio in divinis, etiamsi absit causa scandali ibid. B. An catholico liceat cum *hæreticis* disputare de fide ibid. An liceat catholico legere *hæreticorum* libros ibid. & vide verbum *Librorum prohibitorum*. *Hæreticorum* credentes, receptatores, defensores qui sint II. A. 197. Quæ sint pœnæ spirituales in *hæreticos*, & eorum credentes, receptatores, fautores, defensores I. B. 188. II. A. 197. Item *hæreticorum* pœnæ temporales ibid. Filii hæreticorum usque ad secundam lineam paternam, ad primam vero maternam, sunt inhabiles ad beneficium obtinendum I, A. 153. Iidem, reversis eorum patribus ad Ecclesiæ sinum, irregularitate solvuntur ibid. In *hæresis* crimine quis sit judex II. B. 197. Religiosi hæretici, vel de hæresi suspecti sub quibus pœnis Inquisitoribus, vel vicinioribus locorum Ordinariis denuntiandi a suis Superioribus I. A. 152. Ante hæretici, vel de hæresi suspecti denuntiationem non est præmittenda correctio fraterna II. B. 178. *Ab hæresis* crimine,

mine, nisi sit specialiter delegatus, nullus præter Papam potest absolvere diffamatum, vel deductum ad forum contentiosum per viam accusationis, denuntiationis, aut inquisitionis II. A. 198. Ab *hæresi* occulta Episcopi post Bullam Cœnæ nequeunt absolvere pro foro interno ibid. I. B. 188. I. B. 202. Quando tamen, & quomodo ab *hæresi* occulta Episcopi possint absolvere ibid. & II. A. 198. Ab *hæresi* occulta post Bullam Cœnæ Episcopi Germaniæ probabilius absolvere possunt, licet pro majori securitate facultatem absolvendi Roma petere soleant ibid. Episcopi post Bullam Cœnæ, ubi Officium S. Inquisitionis non est introductum, possunt absolvere ab *hæresi* pro foro externo, exceptis *hæresiarchis*, & relapsis I. B. 202. II. B. 198. Absolutio in foro externo data prodest absolutis, ut deinde in foro interno a quocumque simplici confessario absolvi valeant: non item absolutio *hæretici* pro foro interno prodest ei in foro externo ibid. Regulares de jure ordinario nequeunt absolvere ab *hæresi* occulta *hæreticos* sæculares; & propositio circa id damnata ibid. Item Prælati regulares absolvere nequeunt suos religiosos ibid. An Regulares de jure speciali extra Italiam, & Hispaniam possint absolvere ab *hæresi* occulta, & excommunicatione incursa ob lectionem librorum *hæreticorum* ibid. Quando ab *hæresi* quilibet Sacerdos absolvere possit II. A. 199. ☞ In generali potestate absolvendi a casibus Papæ reservatis, vel a casibus Bullæ Cœnæ non venit potestas absolvendi ab *hæresi* V. G. tempore Jubilæi, nisi specialiter exprimatur ibidem.

HASTILUDIA quid II. B. 208.

HEBRÆI, sive *Judæi* licite tolerantur inter Christianos II. A. 193. Circa *Hebræos* quæ observanda ibid. Quæ communicatio cum *hebræis* prohibeatur fidelibus ibid. Item quæ *hebræis* inter Christianos sint concessa, & prohibita ibid. B. Christiani sub quibus pœnis nequeunt medicos *hebreos* admittere ad se curandos I. A. 151. *Hebrei* cogi possunt ad audiendas conciones statutis temporibus ibid. *Hebræi* directe cogi nequeunt ad suscipiendum Baptismum, & Fidem christianam II. B. 193. In quibus tamen casibus licite baptizari possint filii infantes, & impuberes *hebræorum*, invitis parentibus II. A. 194 Quid juris in dubio de perfecto rationis usu puerorum petentium Baptismum II. B. 194. Item quid juris circa illicite baptizatos, idest neque a parentibus, neque ab aliis jus in eos habentibus ad Baptismum oblatos ibid. Filii *hebreorum* conversi habent jus quoad legitimam, & patriam potestatem I. A. 151. *Hebræis* baptizatis retentio bonorum indulta ibid.

HERMAPHRODITUS: & quid juris circa ejus matrimonium II. B. 155. *Hermaphroditos* non decet ad statum clericalem admittere I. B. 154.

HOMAGIUM quid sit II. A. 49. Ab *homagio* quæ personæ excipiantur II. A. 50. *Homagium* domino directo quomodo ad Abbatissa præstandum II. B. 95.

HOMICIDIUM quid, & quotuplex sit II. B. 201. *Homicidio* quæ mutilatio sit affinis II. A. 202. & vide *Mutilatio*. *Homicidium* ex genere suo illicitum omni jure ibid. In republica datur potestas *occidendi* hominem ex justa causa ibid. & quæ possunt esse justæ causæ ibid. Respublica nequit per se *occidere* innocentem ex causa liberandæ patriæ ibidem B. Item respublica ex causa liberandæ patriæ probabilius nequit innocentem extradere tyranno poscenti illum ad certam mortem ibid. Quibus circumstantiis concurrentibus Respublica possit dare cuilibet de populo potestatem *occidendi* bannitum, ubi bannus promulgatus est II. A. 203. Nequit tamen dare potestatem patri, vel marito, ut filiam, vel uxorem in adulterio deprehensam licite *occidat* cum adultero ibid. *Occidere* seipsum nemini licet, nisi Deus jubeat occisionem sui ipsius, sic ut aliquæ Sanctæ mulieres ex impulsu Spiritus Sancti seipsas occiderunt ibid. Non licet ponere actionem sui ipsius interemptivam, licet actio ista sit hosti nociva, nisi hæc actio eligatur per modum medii ultimi desperati ad evadendam certam mortem ibid. Quando exponere se periculo mortis omnino licitum sit ibid. B. Condemnatus ad nihil comedendum, vel ad venenum sumendum, nequit se conformare sententiæ judicis ibid. Nemo privatus licite *occidere* potest suum proximum etiam delinquentem, nisi injustus sit aggressor vitæ, servato moderamine inculpatæ tutelæ ibid. Item nisi sit injustus aggressor proximi innocentis, præsertim si justitia, aut pietas talem exigat defensionem ibid. Item nisi sit fur simul, & aggressor non tantum bonorum, sed & vitæ ibid. Licet *occidere* furem nocturnum, si absque periculo capi, aut expelli nequeat I. B. 154. II. B. 203. At non licet *occidere* furem diurnum, nisi is armis se defendat, atque ita fiat aggressor vitæ: item non licet eum *occidere*, si rem parvi momenti auferat; & propositio circa id damnata ibid. An si res magni momenti auferantur, & aliter via juris non sint recuperabiles, pro illis conservandis furem *occidere* liceat II. A. 204. ☞ Et circa id nota caput III. *Si perfodiens* I. B. 154. Quid juris circa *occisionem* injusti aggressoris pudicitiæ, famæ, vel honoris II. A. 204. Non licet *occidere* falsum accusatorem, falsos testes, & iniquos judices, licet certum ex iis damnum alia via non possit evitari; & propositio circa id damnata ibid. 3. *Homicidium casuale* quando reputetur peccaminosum theologice, vel juridice II. A. 215. Pœna *homicidii* de jure civili quæ sit II. A. 206. Item de jure canonico ibid. *Occisor* puniendus est pœna ordinaria, licet homicidium sequutum fuerit in rixa, si ille ejusdem fuerit auctor, & inter tempus rixæ, ac patratum *homicidium* sex horarum spatium intercesserit II. B. 118. Eadem pœna ordinaria tenentur nedum ore proprio *homicidium* confessi, sed etiam convicti ibid. *Homicidium* quando censeatur notorium II. B. 207. Abortus procuratio: vide *Abortum*. Irregularitas, quæ ex *homicidio* incurritur, vide *Irregularitas* ex delicto *homicidii*. *Homicida* an gaudeat asylo loci sacri, vide *Immunitas ecclesiastica localis*.

HONESTATIS PUBLICÆ impedimentum, vide *Impedimentum publicæ honestatis*.

HONOR in Republica quid sit II. A. 113.

AD HORAS CANONICAS dicendas qui obligentur II. B. 107. & A. 108. Quibus fructibus priventur totum *officium* omittentes, vel tantum ejus partem II. A. 108. Ex æquitate assignatur parocho pro integra totius anni *horarum* recitatione quarta pars fructuum sui beneficii, canonicis vero, & capellanis quotidianæ residentiæ vinculo adstrictis dimidia II. A. 108. Si iidem omittant hanc recitationem eximuntur ab onere restitutionis juxta hanc proportionem propter reliqua onera ab eis præstita ibid. Absentes a choro in *recitatione* primi tantum nocturni, aut sex Psalmorum quam pœnam incurrant II. B. 8. Obtinens beneficium, & scienter illud acceptavit, etiam ad victum insufficiens, non excusatur a peccato, & restitutione, si omittat *dictam recitationem* II. A. 108. Canonici non tenentur extra chorum ad Psalmos Graduales, Pœnitentiales, & ad Officium beatæ Virginis, ac Defunctorum: item ea recitanda sunt tantum in choro, ubi est consuetudo, quin illa omittentes, excepto *Officio* beatæ Virginis, si veteri consuetudine illud recitari consueverit, declarantur immunes a peccato ibid. Hæc in choro *recitantibus* variæ Indulgentiæ impertiuntur ibid. Privata *recitatio* Matutini cum laudibus diei subsequentis post Completorium diei præcedentis licita ibid. Item hæc eadem anticipata *recitatio* licita est in choro ex dispensatione Episcopi, vel ex inolita consuetudine ibid. Quid observandum circa *recitationem* ejusdem Matutini cum Laudibus ante missæ celebrationem: item circa horas debitas dicendi *Horas canonicas* ibid. I. A. 199. ☞ Dumtaxat recitantes cum Cardinalibus, ac Episcopis, & quidem consecratis, & non electis tantum, se possunt illis in *divinis Officiis* coaptare I. B. 139. *Breviarii* terminanda, & vulganda correctio a Trident. auctoritati, & judicio Papæ reservata I. A. 211.

HOSPITIBUS quando teneatur dominus cauponæ ex furto eis facto II. B. 215. II. B. 239.

HOSPITALE ad certum genus personarum suscipiendum institutum, si nec similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, quomodo ab Episcopo illius applicandi fructus I. B. 187. Hospitalia sub immediata protectione Regum posita exempta sunt a visitatione Episcopi, non tamen a redditione rationis, licet attendenda sit consuetudo I. A. 190. II. B. 97. Item quando debeat implorari regia protectio, ut suffragetur ibid. Item quoad hanc redditionem rationis casus exceptus ibid. Circa bona decedentium in hospitalibus, seu nosocomiis, sive condito, sive non condito testamento, ad causas profanas, vel pias quid praxis II. B. 73.

HOSPITIUM pro Regularium iter habentium commodo erigitur sola licentia Ordinarii I. B. 205.

HOSTIÆ consecratæ, & subreptæ, vide *SS. Eucharistia*.

HYDROMANTIA quid sit II. B. 224.

HYPOTHECA quid significet, & quo differat a pignore II. A. 51. *Hypotheca* quotupliciter dividatur ibid. Quæ res *hypothecæ* subjici possint ibid. Qui, & in quibus rebus habeant *hypothecam* tacitam, seu legalem ibid. *Hypothecarius* creditor quid juris habeat ibid. B. Item quæ sit ejus obligatio ibid. II. A. 52. Actio *hypothecaria* I. B. 55.

I

IDOLOLATRIA quid sit II. A. 224.

IDONEITAS Ordinandorum I. B. 249. Ordinatus, præsertim in sacris, minus *idoneus* repertus, potest suspendi per Episcopum ab exercitio Ordinum I. B. 176. Item parochus, etiam regularis licet antea approbatus I. A. 194. Item Regulares prohiberi possunt a suis Superioribus, ne ad alteriores Ordines ascendant I. B. 176. *Idoneitas* præficiendorum ad curam animarum II. A. 24. & A. 202.

JEJUNII præceptum quale sit II. B. 109. Lege universali Ecclesiæ in Quadragesima prohibentur lacticinia II. A. 119.

110. Dispensatio a *jejunio* quadragesimæ, aliorumque anni temporum, & dierum, quibus carnium, ovorum, & lacticinorum usus est prohibitus, nemini concedenda sine legitima causa, & consilio utriusque medici II. A. 111. In Universitatibus vero, in quibus casibus concedenda, obtenta prius quoad *jejunium* quadragesimale Sedis Apostol. facultate toties, quoties opus fuerit ibid. Tam privatis, quam Universitatibus non aliter concedenda, quam sub conditione unicæ in die comextionis, & non permiscendarum epularum cum interdictis, diebus quoque dominicis quadragesimæ ibid. ☞ Utentes facultate vescendi carnibus ad quid teneantur in vespertina refectiuncula, & in reliquo ibid. Epulæ licitæ: item interdictæ pro iis, quibus permissum est carnes comedere ibid. Et nomine carnium quid veniat II. A. 110. Non est in ordinaria potestate Episcopi dispensare in sua diœcesi, ut *jejunium* in ultimum baccanaliorum sabbatum anticipetur, quoties vigilia S. Matthiæ in eorumdem baccanaliorum diem postremum incidit II. A. 111. Peregrinus, cui in sua patria licitum est ovis, & lacticinis vesci in quadragesima, nequit iisdem vesci in Italia, ubi viget lex ea non comedendi ibid. *Jejunium* servandum est etiam quando festum Nativitatis Domini incidit in feriam sextam, ab iis, qui ex regula sub lætali culpa, vel ex voto ad illud tenentur I. B. 140. Quibus diebus est *jejunandum* ibid. Si vigilia occurrit in dominica, *jejunari* debet in sabbato ibid. In sabbato abstinendum est ab esu carnium ibid.

IGNORANTIA quotuplex sit II. B. 161. II. A. 252. Quæ *ignorantia* excusare possit ab incursione censuræ ibid. Item an, & quando excusare possit a censura suspensionis, & a pœna vindicativa ibid. & II. B. 137. *Ignoranter* ordinati ab Episcopo excommunicato suspenso, deposito a quo dispensari possit ad exercitium Ordinis I. A. 250. *Ignorans*, an alicui delicto annexa sit irregularitas, nihilominus committendo delictum eam incurrit II. B. 242. *Ignorantia* est mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus I. A. 213. *Ignorans* nequit promoveri ad Ordines I. B. 252. An conjux absque necessitate baptizans, vel suscipiens prolem suam ob juris ignorantiam excusetur ab impedimento cognationis spiritualis II. A. 149. Maritus incestuosus ignorans ex incestu sequi privationem juris petendi debitum, an eam incurrat II. B. 170.

ILLEGITIMI qui, & quotuplices esse possint I. B. 252. *Illegitimi* quomodo habilitari possint ad Ordines, & beneficia: & qui ob defectum natalium sint irregulares ibid. *Illegitimitas*, etsi occulta fuerit, solus Papa dispensare potest cum ipsis *illegitimis* ad Ordines, & beneficia curata, personatus, & dignitates: Episcopus vero dispensare potest cum eo, qui bona fide ignarus suæ *illegitimitatis* sacros Ordines suscepit, ut in eis ministrare valeat, modo impedimentum sit occultum I. A. 253. *Illegitimi* ab Episcopis, aliisque prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus dispensari possunt ad Ordines minores, & beneficia simplicia ibid. *Illegitimitatis* dispensatio stricte interpretanda, & quomodo per Episcopum executorem satis fiat clausulæ a Sede Apostolic. in dispensatione ad sacros Ordines sic appositæ: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit* ibid. *Illegitimi* a professione religiosa habilitantur tantum ad omnes Ordines, etiam sacros: capitulum tamen generale vel provinciale potest dispensare ad prælaturam *illegitimo* religioso ibid. *Illegitimus* filius, vivente patre, nequit admitti in idem monasterium, vel eamdem Religionem: item pœnæ contra superiores admittentes ad habitum, vel professionem illegitimos, non servata forma scrutinii a Papa præscripta ibid.

ILLEGITIMI filii presbyterorum qui sint I. B. 252. & A. 93. Nati ex matrimonio legitimo, sed geniti postquam pater assumpsit sacros Ordines, a jure civili habentur pro legitimis in ordine ad hæreditatem, & jura filiorum ibid. *Illegitimi* filii presbyterorum, sive quorumcumque clericorum, etiam Regularium nequeunt promoveri ad ullum beneficium simile, sive dissimile, ac etiam ad pensionem beneficiorum, quæ pater obtinet, vel obtinuit ad tempus, sive in perpetuum: & item ad quamcumque administrationem in eadem Ecclesia I. A. 177. I. A. 93. I. B. 253. *Illegitimus* filius patris jam defuncti neque potest audire confessiones in Ecclesia, quam pater, uti parochus obtinuit, etiamsi parochiam intermedia persona obtinuerit ibid. Potest tamen esse capellanus amovibilis, ubi pater fuit pariter amovibilis capellanus ibid. Item pater legitimus potest obtinere etiam immediate beneficium filii illegitimi defuncti ibid. Item nepos *legitimus* ex patre *illegitimo* progenitus capax est beneficii ab avo antea possessi ibid. Pariter capax est beneficii *legitime natus* ex patre naturali *legitimato* ibid. Presbyterorum filii *legitimi*, qui sint ibid. Possunt in eadem Ecclesia simul, vel successive obtinere diversa beneficia; at in eodem beneficio filius immediate non potest succedere patri, nisi mediet extranea persona ibid. I. A. 177. Clerici quomodo prohibeantur scribere hæredes suos filios *illegitimos* I. B. 253. Et quid circa alimenta eis præstanda ibid. vide *Legitimi*, & *Legitimatio*.

ILLITTERATI ad beneficia, & sacros Ordines, & præcipue ad episcopatum non promovendi I. B. 235. I. B. 250. I. A. 200. I. B. 249.

IMAGO CRUCI AFFIXI, vide verbum *Altaris*.

IMMUNITAS quid sit, & quo differat a privilegio II. A. 113. Item *Immunitas* ecclesiastica quid sit ibid. *Immunitas* ecclesiastica localis in quibus potissimum consistat II. B. 114. Et qui actus in Ecclesiis: seu locis sacris fieri prohibeantur ibid. Jus *asyli*, seu *immunitas* competit Ecclesiis probabilius quidem jure humano, non naturali, & divino ibid. & A. 115. Et quæ loca sacra gaudeant jure *asyli*, seu *immunitate*: & ad quot passus a loco *immuni* extendatur *asyli* privilegium ibid. Ecclesia non consecrata, & etiamsi nondum ibi celebrata fuerint divina mysteria, gaudet immunitate I. A. 141. Quæ loca non gaudeant jure *asyli* II. A. 115. Sacerdos Hostiam sacram deferens non gaudet jure *asyli*, nisi pia consuetudo, aliud obtineat, & a locis sacris non est facienda extensio ad alios casus; & cui dispositioni pontificiæ standum ib. Quæ personæ gaudeant *asylo* ibid. ☞ Religiosi confugientes, sive ad Ecclesias sui Ordinis, sive ad quascumque alias, & monasteria aliorum Ordinum gaudent jure *asyli* II. A. 116. Qui delinquentes non gaudeant *asylo* loci sacri ibid. I. B. 172. Modus extrahendi reos hæresis a loco *immuni* II. B. 116. Item reus aliorum criminum tam exceptorum, quam non a beneficio *asyli*, quorum cognitio spectet ad Inquisitionis tribunal ibid. Rei delictorum non exceptorum fugitivi ex triremibus, vinculis, vel alio pœnæ loco quando *immunitate* loci sacri gaudeant ibid. Quicumque sive clerici, sive laici quocumque modo mortem inferentes quamvis in rixa, si actus prodierit ex odio, & nocendi animo, non gaudent II. A. 117. Item in casu etiam gravis vulneris inflicti juxta relationem chirurgi vulnerans extrahi potest, & quando eidem loco *immuni* restituendus, vel non ibid. Ab *immunitate asyli* excluditur reus homicidii in duello perpatrati, sive publico, sive privato I. B. 117. II. A. 210. Quæ habeat beneficia reus confugiens ad Ecclesiam in casu non excepto ibid. Quid juris, si reus extractus fuerit dolo ibid. Item quid juris observandum in casu excepto, quo reus non gaudet *asylo* ibid. B. Judicium si statuatur de homicidio deliberato, vel per insidias, aut etiam per rixam, quid sufficiat in Ditione ecclesiastica, ut reus foro sæculari committatur ibid. Modus, & forma extrahendi reos II. A. 118. *Immunitatem localem* Ecclesiarum violantes quas pœnas incurrant ibidem I. A. 211.

IMMUNITAS PERSONALIS *Clericorum* in quibus consistat II. B. 113. I. A. 172. Clerici in gravi hostilitatis periculo, dum laici non sufficiunt, videntur obligari ad vigilias murorum II. A. 114.

IMMUNITATE ECCLESIASTICA *reali*, seu patrimoniali, quæ res gaudeant II. B. 113. Bona patrimonialia clericorum gaudent *immunitate reali* ibid. Tributa antiqua realia jure dominii particularis imposita v. g. vi contractus emphyteutici, feudalis, censualis, & hujusmodi, omnino a clericis solvenda: non item tributa antiqua, si vi jurisdictionis a principe olim imposita II. A. 114. In quibus casibus necessitatis tenentur clerici pro rata concurrere, vel contribuere ibid. In Ditione pontificia pro negotiis ad ecclesiasticos pertinentibus, in publicis consiliis quorumcumque locorum deputandi duo ecclesiastici, unus ex clero sæculari, alter regulari; & quid juris habeant ibid. In quibus casibus princeps laicus, & quomodo exigere possit collectas a clericis, & Ecclesiis ibid. Pœna contra violatores *immunitatis* ecclesiasticæ; & qui sint ibid. B. I. A. 141. I. B. 199. I. A. & B. 172. Ecclesiastici consentientes, seu solventes onera, sive collectas sine Papæ licentia a laicis imposita, quamvis peccent, nullam tamen censuram incurrunt A. 141. I. B. 172.

IMPEDIMENTA MATRIMONII in Ecclesia quid sint II. A. 128. Item quotuplicia sint ibid. B. Datur in ea potestas inducendi *impedimenta* matrimonii, & hæc potestas penes solum Pontificem residet ibid. A. Princeps politicus non fidelibus, sed infidelibus sibi subjectis potest statuere *impedimento* matrimonii *dirimentia* ibid. Consuetudine induci, & abrogari possunt *impedimenta dirimentia* matrimonii, etsi consuetudo ista non sit expresse approbata a Papa ibid. Item Papa ex gravi causa potest inter duas personas interdicere matrimonium sub nullitate ibid. B. Qui obligentur legibus, & *impedimentis* nuptialibus ibid. *Impedimenta* in Ecclesia matrimonii *dirimentia* quot, & quæ sint II. A. 129. *Impedimentum* ERRORIS quid sit; & quis error dirimat matrimonium ibid. *Impedimentum* METUS quid sit; & quis *metus* dirimat II. A. 130. Puella sequestratur obiiciens exceptionem *metus* in matrimonio contracto I. B. 307. *Impedimentum* RAPTUS; & quando raptus dirimat I. B. 183. II. B. 130. *Impedimentum* DISPARIS CULTUS: & quo jure dirimat II. B. 131. Subsistit ma-

matrimonium hæretici cum catholico, & e contra; cum facultate tamen Sedis Apoſtol., quæ nunquam concedi ſolet ſine adjectis quibuſdam conditionibus, & opportunis cautelis ibid. *Impedimentum* PUBLICÆ HONESTATIS ibid. II. B. 132. Et in quibus caſibus, & gradibus dirimat II. B. 131. I. A. 182. I. B. 201. IMPEDIMENTUM ÆTATIS II. A. 132. Et quæ ſit *ætas* legitima ad matrimonium: item quis poſſit in ea diſpenſare ibid. B. Item quid juris circa tempus aptitudinis generandi ibid. Puella impubes deſponſata viro, etſi traducta ſit in domum ejus, pubes facta reclamare poteſt, & audiri debet ibid. Matrimonia impuberum præſumuntur vim habere ſponſalium, & ex illis oritur *impedimentum publicæ honeſtatis* ibid. *Impedimentum* CRIMINIS quotuplex II. B. 145. Quibus modis incurratur *impedimentum criminis* dirimens matrimonium ibid. Hoc *impedimentum* tenet in caſu, quo vir infidelis occidit maritum uxoris fidelis, ea cooperante, eſto quod infidelis convertatur ad fidem II. A. 93. Item qui ligentur hoc *impedimento* II. A. 146. *Impedimentum criminis* eſt perpetuum; & quando ſolus Papa ſoleat diſpenſare ibid. B. *Impedimentum* IMPOTENTIÆ, & quo differat *impotentia* coeundi ab *impotentia* generandi II. B. 154. Item *Impotentia* quotupliciter dividatur; & quæ dirimat matrimonium II. A. 155. Qui ſcienter cum impotente contraxit, & vivere poſſit cum uxore tanquam cum ſorore, ſecluſo omni libidinis periculo, non ſeparatur: & quid permittatur conjugibus in caſu contracti matrimonii cum impotentia I. A. 146. II. B. 155. Si impotentia ſit ſuperveniens, ad quid teneantur conjuges ibid. Quomodo facienda ſit diſſolutio matrimonii ex cauſa *impotentiæ* ibid. Quid juris ſi poſt factam ſeparationem tractu temporis appareat *potentem* eſſe, ob cujus *impotentiam* matrimonium fuit diſſolutum II. A. 156. Item, ſi *impotens* ex judicio Eccleſiæ declaratus, deinde cum alia contrahat ibid. Caſus excepti, in quibus præcedens matrimonium non reſtituatur, etſi altera pars naturaliter fiat potens ibid. Quomodo maleficium, ex quo cauſata eſt impotentia, licite tolli poſſit ibid. B. Quid juris circa matrimonium hermaphroditi II. B. 155. *Impedimentum* ORDINIS SACRI ſolo jure eccleſiaſtico dirimit matrimonium II. B. 142. *Ordo ſacer* collatus infanti quando non dirimat I. B. 248. II. B. 142. Ordinatus invalide, non obligatur voto continentiæ ibid. Si conjugatus, uxore inſcia, vel invita, initietur ſacris Ordinibus, quid juris II. A. 143. *Impedimentum* VOTI SOLEMNIS, ſive profeſſionis religioſæ dirimit matrimonium contrahendum jure naturali, & divino ibid. *Impedimentum* LIGAMINIS dirimit aliud matrimonium, priori ſtante, contrahendum jure naturali II. B. 138. POLYGAMIA, ſeu pluralitas uxorum cum eodem viro ſimul, adverſatur juri divino, & naturali II. A. 139. Et in clerico perperam recenſetur inter crimina degradatione digna II. A. 244. *Polygamia* plurium uxorum ſub uno viro nulla humana poteſtate concedi poteſt II. A. 139. *Polyviria*, ſeu pluralitas virorum cum una uxore omni juri eſt contraria ibid. *Impedimentum* CONDITIONIS, vide *Servilis conditio*. *Impedimentum* CLANDESTINITATIS, vide *Matrimonia clandeſtina*. *Impedimentum* CONSANGUINITATIS, AFFINITATIS, COGNATIONIS SPIRITUALIS, & LEGALIS, vide *Conſanguinitas*, *Affinitas*, *Cognatio ſpiritualis*, *Cognatio legalis*. Eorum diſpenſatio, ſicut & aliorum *impedimentorum* dirimentium, vide infra *Impedimentum omne*.

IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA matrimonii in Eccleſia quid ſint II. B. 128. Item crimina, & altera *impedimenta* tantum *impedientia* matrimonii, & generali conſuetudine ſublata quæ ſint II. A. 157. I. B. 170. I. A. 173. *Impedimenta* tantum impedientia hodie quot numero ſint II. B. 128. II. B. 157. ☞ Scienter ducens propinquam ſanguinis, præter nullitatem matrimonii, contrahit *impedimentum impediens*, donec vixerit, ad contrahendum cum quacumque I. B. 170. Matrimonium contractum contra INTERDICTUM Eccleſiæ eſt validum, ſed illicitum II. B. 156. Et nomine *interdicti* quid veniat ibid. Item cauſæ juſtæ *interdicendi* matrimonium II. A. 157. Stante una ex juſtis cauſis, poteſt interdici etiam a parocho ibid. Pœna parochi contemnentis impedire matrimonium *interdictum*: item cujuslibet ſacerdotis, etiam regularis præſumentis eidem intereſſe I. A. 188. Quo tempore nuptiæ celebrari non poſſint II. A. 157. Tempore *interdicti*: ut cenſura eſt, per ſe valide, & licite celebratur matrimonium: nuptiæ tamen benedici non debent ibid. Contrahentes, ſi ſint ſpecialiter *interdicti*, peccant non ratione cenſuræ, ſed quia indigne in peccato adminiſtrant, & recipiunt ſacramentum ibid. VOTUM ſimplex continentiæ inducit *impedimentum impediens* matrimonium II. A. 144. Si quis cum *voto* non nubendi matrimonium contraxit, illicite egit, ſed eo contracto, licite uti poteſt petendo, & reddendo debitum II. A. 145. VOTUM amplectendæ Religionis inducit *impedimentum* licite contrahendi matrimonium poſt ſponſalia etiam jurata ibid. De *impedimento* SPONSALIUM, vide verbum *Sponſalia*. *Impedimentorum impedientium* matrimonia diſpenſatio, vide infra *Impedimentum omne*.

IMPEDIMENTUM OMNE tantum *impediens* Papa diſpenſare poteſt valide, etiam abſque ulla cauſa, ſi ſit juris eccleſiaſtici; non vero ſi *impedimentum impediens* ſit juris naturalis, uti eſt votum ſimplex caſtitatis, Religionis, & ſponſalia II. B. 169. Papa diſpenſare poteſt in omni *impedimento dirimente* juris eccleſiaſtici ibid. Et hujuſmodi *impedimenta* quæ ſint: item quæ cauſa requiratur ad licitatem, & honeſtatem hujus diſpenſationis ibid. Papa regulariter diſpenſare nequit in *impedimentis* de jure naturali *dirimentibus* matrimonium; & hujuſmodi *impedimenta* quæ ſint ibid. Epiſcopus, exceptis interdicto, quod Superior ipſo Epiſcopo poſuit, voto perpetuo caſtitatis, Religionis, & ſponſalibus, diſpenſare poteſt in *impedimentis impedientibus* ibid. Poteſt tamen relaxari ab Epiſcopo votum continendi ad certum tempus, non nubendi, ſacros Ordines ſuſcipiendi, & votum conditionale ibid. Et vide verbum *Votum*. Epiſcopus, ſpectato jure communi, non poteſt in foro externo diſpenſare in *impedimentis* jure eccleſiaſtico *dirimentibus* matrimonium: & quæ vis ſpecialis privilegii per quadriennium renovandi, & ex qua cauſa diſpenſari ſoleant ab Epiſcopis Germaniæ, & a Legatis Sedis Apoſtol. II. A. 170. Epiſcopus ut pro foro interno diſpenſare poſſit in *impedimentis dirimentibus*, in quibus regulariter diſpenſari ſolet, præter caſum urgentiſſimæ neceſſitatis, & difficultatem recurrendi ad Papam, quæ aliæ requirantur circumſtantiæ ibid. & B. ☞ Proſcripta propoſitio aſſerens Epiſcopo jus diſpenſandi ſuper *impedimento* dirimente publico, quod obſiſtat matrimonio contrahendo, etiam ſi gravis urgeat illud contrahendi neceſſitas ib. Item *impedimentum*, ſi ante occultum, & ab Epiſcopo legitime diſpenſatum, poſtea detegatur, & deducatur ad forum contentioſum, opus eſt nova diſpenſatione a Papa impetranda ibid. A. Poteſtas Epiſcopi in diſpenſatione circa *impedimenta* competit etiam capitulo ſede vacante, non tamen Vicario generali Epiſcopi, niſi ei ſpecialiter committatur ibid. B. Hæc eadem poteſtas quando delegari poſſit ab Epiſcopo cuicumque idoneo clerico ibid. Quid juris in dubio, an opus ſit diſpenſatione ibid. Regulares pro foro externo nullo modo poſſunt, imo regulariter nec pro foro interno in caſu, in quo Epiſcopus diſpenſare valet ibid. Regulares ad petendum debitum diſpenſare poſſunt in affinitate ſuperveniente ex copula illicita, uti etiam ex voto caſtitatis conſequente, vel antecedente, cum quo matrimonium illicite contractum eſt ibid. Quæ ſint in *impedimentis* matrimonialibus juſtæ diſpenſandi cauſæ ibid. & II. A. 171. Ex qua cauſa diſpenſetur cum Regibus, & Principibus in gradu ſecundo conſanguinitatis lineæ tranſverſæ, vel in primo mixto cum ſecundo, aut tertio II. A. 171. Item ut diſpenſetur in ſecundo gradu cum aliis perſonis valde illuſtribus, quæ requirantur cauſæ ibid. Item ut diſpenſetur in ſecundo gradu cum opulentis, & præcipuis perſonis alicujus loci ibid. Item ut diſpenſetur in ſecundo gradu cum plebeis pauperibus ibid. Ex quibus cauſis diſpenſetur in gradu ſecundo mixto cum tertio, aut quarto, vel in tertio ſimplici, aut mixto cum quarto ibid. & B. Item ex quibus cauſis diſpenſetur in ceteris *impedimentis* juris eccleſiaſtici ibid. B. Quando cauſa *propter indotatam* ſufficiat ad diſpenſationem ibid. Ut diſpenſatio ſit valida cauſa motiva allegata debet eſſe vera ibid. Valida eſt diſpenſatio ex cauſa, quam orator fideliter expoſuit, & diſpenſator bona fide, & rationabiliter cogitavit eſſe ſufficientem, licet reipſa non eſſet II. A. 172. Si diſpenſatio eſt *gratiæ factæ* cauſa, tunc debet eſſe vera, quando Papa Romæ diſpenſat ibid. Ut diſpenſatio in *forma gratiæ faciendæ* expedita ſit valida, requiritur, & ſufficit adeſſe veram cauſam, quando executor a Papa delegatus actu diſpenſat; & facta per executorem diſpenſatione, non eſt neceſſe ut cauſa perſeveret ad tempus, quo oratores gratia diſpenſationis utuntur, & matrimonium contrahunt ib. Quid ſit diſpenſatio in *forma pauperum*; & quid in ea obſervandum II. A. 174. In ſupplicatione pro diſpenſatione quæ ex parte *impedimentorum* ſint exprimenda II. B. 172. Ad majorem claritatem in praxi quid ſit notandum II. A. 173. Ad quod tribunal Papæ dirigenda ſupplicatio; & quæ forma ſit ſervanda ibid. Quomodo fiat commiſſio, & executio diſpenſationis matrimonialis pro foro externo II. B. 174. & A. 161. Quomodo fiat commiſſio, & executio diſpenſationis matrimonialis pro foro interno II. A. 175. Quomodo, obtenta diſpenſatione, revalidari poſſit matrimonium antea invalide contractum, vide *Matrimonium invalide contractum*. ☞ Item quid agendum confeſſario deprehendenti nullitatem matrimonii, vide ibid.

IMPERATORES catholici ſemper ſe agnoverunt ſubditos Vicario Chriſti I. B. 212. Cur admiſerint nudum titulum Pontificis maximi; & in quo *Imperatore* titulus iſte ceſſavit ibid. *Imperatores* condiderunt Conſtitutiones de SS. Trinitate, & fide catholica non auctoritate principali, ſed horta-

hortatu Epiſcoporum, & Pontificum tanquam executores Sac. Can. I. A. 220. Nominatio perſonæ idoneæ ad certa beneficia competens *Imperatoris*, ſeu *Regi* romano ſunt preces II. A. 20. Item cur dicantur primæ preces ibid. Hoc jus primarum precum eſt omnino antiquiſſimum, & deſcendit ex gratia, & indulto Sedis Apoſt., non vero ex vi electionis *imperatoriæ* ibid. An Jus iſtud competat *Imperatori* ex indulto apoſt. ſemel pro ſemper dato, aut conſuetudine per Sedem Apoſtol. approbata; an vero ſingulis *Imperatoribus* opus ſit novo ſpeciali indulto ibid. Quid juris habeat *Imperator* vi primarum precum ibid. & B. *Imperator* poteſt bona ad Imperium ſpectantia in feudum dare. Si feudum aliquod ex regalibus, & majoribus apertum fuerit, quomodo poſſit: vel redditus illius, Electoratibus exceptis, quomodo applicandi II. 49. Quando feudum aperiatur II. B. 50.

IMPERATORIS qualitates electio, coronatio, jura I. B. 71. & ſeqq.

IMPERITIA judicis, etiamſi bona fide procedens male ſententiam proferat, quam actionem inducat adverſus judicem II. B. 239. Item *Imperitia* miniſtrorum ad publica officia deputatorum, ut Epiſcopi, parochi, confeſſarii, ibid. Si per imperitiam medicus male curet, quid juris ibid.

IMPERIUM Romano Germanicum I. A. 71. *Imperii* Vicarius I. B. 72. *Imperii* Status, eorumque jura I. A. 73. *Imperii* Comitia, & Judicia I. A. 74.

IMPERIUM merum: item imperium mixtum quid ſit I. B. 258. Ad *imperium* merum in foro quid revocetur ibidem.

IMPOTENTIA AD COPULAM, vide *Impedimentum Impotentiæ*.

IMPRUDENTIA judicis, & miniſtrorum ad publica officia deputatorum quod delictum ſit II. B. 252.

IMPUBERUM DESPONSATIO, vide *Impedimentum ætatis*: & verbum *Sponſalia*.

IMPUDICITIA, vide verbum *Luxuria*.

IMPUNITATIS ſpe facta confeſſio per judicem exorta quid probet I. A. 310.

INCENDII crimen quando committatur II. A. 213. *Incendiarius* culpoſus, ſi culpa theologica cauſam dedit *incendio*, damna inde ſecuta tenetur reparare in conſcientia ante ullam ſententiam; ſi vero culpa fuit ſolum civilis, ſeu juridica, non obligatur, niſi poſt ſententiam judicis ibid. Si culpa fuit patrisfamilias, vel ſervi, aut famuli in ſuo officio negligentis, & delinquentis quis reparet damnum II. B. 213. In dubio *incendium* præſumitur fortuitum, non vero doloſum, aut culpoſum; & quamvis dicatur culpa inhabitantium factum, id tamen non ſufficit ad omnes condemnandos, ſed culpa unius certæ perſonæ probari debet ibid. B. *Incendiariorum* pœna tam de jure civili, quam canonico II. A. & B. 213. An gaudeant aſylo loci ſacri II. A. 116.

INCESTUS quid ſit II. B. 210. *Inceſtus* commiſſus cum propria conſanguinea primi, vel ſecundi gradus non impedit matrimonium cum quacumque perſona contrahendum II. B. 150. I. B. 170. & A 173. Quod impedimentum incurrat fornicans cum conſanguinea ſponſæ, ſeu uxoris ſuæ, & e contra II. A. 150. Et nomine conſanguineæ quis tantum veniat ibid. B. An maritus cum conſanguinea uxoris in primo, vel ſecundo gradu *inceſtum* committens, & ignorans ex tali delicto ſequi privationem juris petendi debitum, privationem iſtam incurrat II. B. 170. & B. 150. *Inceſtus* pœnæ II. B. 211. I. B. 155.

INCOMPATIBILIA BENEFICIA, vide *Beneficiorum pluralitas*.

INCORRIGIBILES REGULARES II. A. 92.

INDEBITI SOLUTIO quid ſit: quidve juris circa ipſam II. B. 54. & A. 55.

INDICIUM quid ſit, & quotuplex; & quo differat a præſumptione I. A. 320. In ſpecie, quæ *indicia* ſint levia, & graviſſima, judex arbitrabitur: & quæ *indicia* ſufficiant in criminalibus ad capturam, ad citationem reo abſenti tranſmittendam, & ad torturam: item ad condemnationem ibid. & vide verbum *Carceris*, *Probatio*, & *Confeſſio*.

INDUCIÆ, ſive Armiſtitium quo differant a tregua I. B. 269. & vide *Tregua*.

